14
14-e
20

6
1 G
19

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
III. 13. g.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MARTINI SCHOOCKII

EXERCITATIONES VARIÆ, DE DIVERSIS MATERIIS.

Quæ hac Editione Nova

Tum auctæ, tum locupletatæ & vindicatæ.

Acceſſerunt Indices neceſſarii.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

TRAJECTI ad RHENUM
Ex Officinâ GISBERTI à ZYLL, Bibliopolæ
Anno M DC LXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

L. S.

ALiis libris ferme præmitti ſolet Dedicatio, cui grandia nomina ſunt præſcripta, cauda ut plurimum deſinente in locupletatione loci communis de Adulatione, quæ Græculum non minus in cœlum ſubvehit, quam loculos bene ſperare jubet: qui tamen minus auſpicato ſæpe hiant, atque cochleæ, quæ, dum hoc agunt juxta experientiam, haut fallacem per omnia, cenſentur pluviam prænunciare. Mihi aliud placet. non, quod inſtitutum pervetuſtum, quo, viris in eminentia conſtitutis monumenta literaria conſecrari ſolent, prorſus improbem: (ipſe aliàs idem facere ſoleo) verum ut ab hoc libro avertam non ſolum *mala verbera linguæ*, ſed & ſtyli; quæ prævideo non modo mihi, ſed illis quoque, quorum patrocinium imploravero, parata fore ab iis, quorum fucata ſanctimonia, ſimpliciter ſanctimonia ex ſenſu perverſo cenſeri debet, quòd propoſiti ſui ſit tenaciſſima. Cum tamen dictum ſit ab Apoſtolo Jacobo: *Ne eſtote multi doctores, fratres mei, ſcientes fore, ut gravius judicium auferamus*, Jacob. 3. 1. & à Paulo Phil. 2. ℣. 3. *Nihil gerite per contentionem, aut per inanem gloriam, ſed ex animi ſubmiſſione alii alios exiſtimate ſibi præcellere.*

II. Adeoque ſecurus Dedicatoriæ Epiſtolæ, ad ſcribendum Prologum me compono. atque ne repetam illa, quæ fuſius deduxi in Præfatione, præfixa Priori Editioni harum Exercita-

tionum, de paucis ſolummodo agam, concernentibus præſens inſtitutum, ſimul averruncaturus illa, quæ forte offendiculum præbere poſſent infirmioribus. Initio quidem non ſine ratione aliquis cogitet illud Apoſtoli Gal. 5. 15. *Quòd ſi alii alios mordetis & exeditis, videte ne viciſſim alii ab aliis conſumamini.* Quem locum paraphraſtice explicans Baſilius Magnus lib. de Sp. Sancto cap. 30. ita per Interpretem loquitur: *Dum alii in alios viciſſim impetum facimus, alii ab aliis ſubvertimur.* (ὑπ' ἀλλήλων ἀνατρεπόμεθα) *Et, ſi te prior non percuſſerit hoſtis, is, qui auxiliatur, vulnerat: quod ſi ille ceciderit ictus, commilito tuus inſurgit.* κἂν πέσῃ βληθεὶς, ὁ συνασπιστὴς ἐπανέβη. Sed ejuſmodi Cenſoribus in memoriam revoco factum Pauli ipſius, qui cum Apoſtolum Petrum aliquid facere vidiſſet, quod præjudicioſum erat Chriſtianæ libertati, quam Dominus Jeſus Chriſtus nobis aſſeruit, *in os ei obſtitit, eò quòd condemnandus eſſet,* Galat. 2. verſ. 11. & *recto pede non incederet*, verſ. 14. Occaſio ſcriptionis meæ oblata eſt ab illis, qui in grande præjudicium Chriſtianæ libertatis, circa Adiaphora, per ſingulares ſuas opiniones (pro quibus haud aliter atque pro aris & focis digladiantur) laqueos conſcientiis injiciunt. Quibus ut non minus candide, nihilque affingendo, quàm ſerio & animoſe reſtiti; ita apud genuinos Euangelicæ religionis & libertatis fautores, confido me æque ſecurum fore, atque Paulum Apoſtolum, qui licet non velit Galatas, ἀλλήλους δάκνειν, *ſe invicem mordere*, profitetur tamen ſe Petro, in Collegio Apoſtolorum ſeniori, reſtitiſſe κατὰ πρόσωπον. Non is, qui patrocinatur Chriſtianæ libertati, atque in alterius ſententiam modeſte inquirit, cenſendus eſt fratrem ſuum mordere; ſed, qui clam ei detrahit, affictiſque opinionibus impiis (ad quas ipſe exhorreſcit) viris bonis, &, quibus non vacat, aut non licet per ignorantiam linguæ Latinæ ſcripta illius, qui læditur, legere, perſuadet, indignum Scriptorem eſſe, qui agnoſcatur

Eccleſiæ

Digitized by Google

Eccleſiæ Reformatæ membrum. Hoc vero mihi contigiſſe, & Sycophanticis morſibus Theologorum quorundam Pſeudo-zelotarum parum quin diſcerptum fuiſſe, conſtat plurimis non modo in Belgio, verum etiam extra illud: optime vero novit Judex Univerſæ terræ, καρδιογνώστης Deus, cui ultimo judicii die ſiſtar cum adverſariis illis, quorum odium, plus quam Vatinianum, nulla ratione hactenus placare potui. *Quantum ad me, ex animo illis ignoſco, & Deum ſupplex veneror, ne in peccatum iis ſtatuat illa, quæ hactenus amarus & immodeſtus zelus dictavit.*

III. Ex quo librum de bonis Pſeudo-Eccleſiaſticis evulgavi, commovi uſque adeo hos (de quibus conqueror) homines, ut *circumdederint me tanquam apes*, Pſal. 118. verſ. 12. laborarintque non tantum per ſemetipſos, ſed per diſcipulos quoque, (qui maledicam linguam, exacutam ad cotem Præciſitatis, ad me lædendum in curribus & navibus circumferre ſolent) imo per ipſos Venerandos Synodi hujus Provinciæ Deputatos (quibus cæteroquin nihil detractum cupio) omnibus modis perdere. Intumuit bilis, editis Exercitationibus Sacris, æſtuavit vero uſque ad furorem, adjuncto libello de Præciſitate, quem ut proclamarunt execrandum eſſe, ita non modo Carnifici deſtinarant, qui eum Vulcano offerret, ſed mihi Authori, ſi non laqueum, ſaltem exilium perpetuum extra Belgium pro ſua miſericordia voverant. Atque *niſi Iehova adfuiſſet mihi, cum hi homines contra me inſurgerent, vivum abſorbuiſſent: at, Benedictus Jehova, qui non expoſuit me prædæ dentibus eorum* Pſal. 124. ℣. 2. 3. 6. Is IPSE, indigniſſimo ſuo ſervo, ac deſtituto omnium hominum præſidio, adfuit à dextra, & mirabiliter ſervavit: adeo ut quidam ex primipilis horum Zelotarum, *me tranſeunte, inciderint in retia jacula ſua*, Pſal. 141. verſ. 10. Quum vero *libertatem loquendi habeamus apud Deum, ſi cor noſtrum* (quod alias *ut fraudulentum* Jer. 17. ſu-

 ſpecto)

ſpecto) *nos non condemnet:* gratia Dei me, miſerum cæteroquin peccatorem, mirabiliter corroborante, verum eſſe per propriam experientiam didici, quod dicitur Jeſ. 54. ℣. 17. *Nullum inſtrumentum formatum contra te proſperabitur, & omnem linguam inſurgentem contra te in jus condemnabis: hæc eſt poſſeſſio ſervorum Jehovæ, quorum juſtitia eſt ex me, dictum Jehovæ.*

IV. Prævideo homines noſtros, juxta ſuum ingenium, ſannis hæc excepturos, atque me traducturos, ut graphicum hypocritam, novisque convitiis apud ſuos amicos oneraturos eſſe. At *à rumore malo non timet, erecto animo ſuo confiſus Jehovæ*, Pſal. 112. verſ. 7. Ipſorum vero judicio, charitatis experti, ronchis, itemque canticis omnibus, duntaxat oppono illud Pauli 1. Corint. 4. verſ. 3. *Mihi pro minimo eſt quòd à vobis dijudicer, aut ab humano judicio.* item illud Lactantii ex Epit. Divin. Inſtitut. *Nihil ad nos adtinet, quid judicent ſtulti; quid homunculi ſentiant. Nos judicium Dei exſpectare debemus: ut eos poſtmodum, qui de nobis judicaverint, judicemus.*

V. Fateor me ex profeſſo Theologiam non docere; non tamen propterea mereor contemni ab iis, quos Doctura & Profeſſio Theologiæ ſupinant. Pro me ſuffragium dicit ipſe D. Doctor Voetius, in Oratione Inaugurali, quam habuit cum in Gymnaſio Ultrajectino Profeſſionem Theologicam auſpicaretur. Fero, ut à talibus cenſoribus traducar, tanquam homo ἰδιώτης, & obſcurus. Etenim ab animo, odio excæcato, ſanum non poteſt proficiſci judicium. Ego interim *contentus ſum lucubrationum mearum opinione: de qua mihi jampridem in portu judicii publici, poſt lividulorum latratuum Scyllas enavigatas, ſufficientis gloriæ anchora ſidit.* ut pauca commodato accipiam à Sidonio Apollinare lib. 1. ep. 1. Atque ſi pecco ex ignorantia Theologiæ Practicæ (ut quidam publice perſuaſum eſſe vellent) cur mihi tam inclementer dicitur? utique docendus eſſem, & *reconcinnandus cum ſpiritu lenitatis*, ut Pau-

Paulus monet Galat. 6. ℣. 1. Dionyſius Epiſt. ad Demophilum: *διδάσκεσθαι οὐ τιμωρεῖσθαι χρὴ τοὺς ἀγνοοῦντας, ὥσπερ καὶ τυφλοὺς οὐ κολάζωμεν, ἀλλὰ καὶ χειραγωγοῦμεν. Ignorantia laborantes docendi ſunt, non puniendi; non enim cæcos punire ſolemus, ſed manu ducimus, errantesque in viam dirigimus.*

VI. Sed, quoniam hi homines exiſtimant, per me aliquid deceſſiſſe ſuæ exiſtimationi, apud cœcos ſuos admiratores, adeo ut prudentes ſuſpectare incipiant tripodem, è quo promanare antehac ſolent quorumcunque caſuum conſcientiæ deciſiones, iis *factus ſum oſtento*, Zach. 3. ℣. 8. atque non modo in libellis ex profeſſo contra me ſcriptis, verum etiam in Præfationibus & chartis alterius argumenti traducor ut homo profanus, & diſcinctus natta, qui (ut loquar cum Petro Damiani, Opuſc. 49. cap. 4.) *aliis jejunantibus, tanto livoris atque invidiæ felle torquear, ut, illorum ſalutem mihimet in perniciem vertam, &, ut ita loquar, per alieni profectus ſcalam ipſe in præcipitium ruam:* ſive, ut clarius loquar, qui ex pietate & præciſa probitate, eorum, qui gloriæ ſibi ducunt, quòd *Præciſiſtæ* vocentur, magis diſſolutus & improbior fiam: ideoque fingunt quoque ſe miſericordia erga me affici, quod ad Atheiſmum non tam ferar, quàm ruam. Quid faciam? Ut hactenus *in ſilentio & ſpe mea fuit potentia*, Eſ. 30. ℣. 15. ita factum non muto. Licet ſæpius ingemuerim ad Deum, quod nactus ſim ex ordine Reformatorum Theologorum tales adverſarios, quibus ex rei veritate applicare poſſum hæc Auguſtini verba ex Comment. in Pſal. 25. *Nodoſas calumnias mihi proponunt, nodum in ſcirpo, fiſſuram in plano, angulum in circulo quærentes.* Fateor, Eccleſiæ Reformatæ gratius fuiſſet, ſi rediiſſem cum hiſce hominibus in gratiam? Sed hoc, tentatum licet ſæpius fuerit, (me offerente omnia, quæ ſalva conſcientia & exiſtimatione concedere aliquis poſſet) impetrari non potuit ab iis, in quos quadrat illud Sidonii Apollinaris lib. 5. Epiſt. 7. *Ad ignoſcendum,*

dum ferrei; ad amicitias pardi. Tacere proinde non potui, adeo inique & Sycophantice traductus in publicis ſcriptis: quæ, ut ab omnibus leguntur, ita dignus videri poſſem illis convitiis, quæ plena manu in me profunduntur; atque poſteritas judicaret (cujus rationem vir ſapiens habere debet) adverſarios judicii calculum recte collocaſſe, cum me accenſent hominibus profanis hujus ſeculi, *tanquam forem alter Samſon, qui effoſſis oculis, non frontis, ſed cordis, aurarum ſecularium molam volverem*, ut loquar cum ſcriptore non de trivio, Petro Damiani Ep. 9.

VI. Non tamen, inter reſpondendum, cum iis ἴσῳ μέτρῳ egi, nec me ſimilem convitiantibus reddidi. Occurrit ſiquidem illud Ambroſii lib. 1. Off. cap. 5. *Peccator eſt, (* inquit *) qui nos provocat, qui injuriam facit: & nos ſui ſimiles fieri deſiderat. Si referas contumeliam; dicetur: ambo conviciati ſunt. Uterque condemnatur; nemo abſolvitur. Ergo illius eſt ſtudium: ut irritet; ut ſimilia illi loquar; ſimilia agam. Juſti autem eſt, diſſimulare: nihil loqui; tenere bonum fructum conſcientiæ; plus committere bonorum judicio, quàm criminantis inſolentiæ; contentum eſſe gravitate morum ſuorum.* Abſit tamen ut diffitear me hominem eſſe. Subinde me continere non potui, ſtylumque felle imbui, verum innoxio: tum potiſſimum, cum in præjudicium Scriptorum egregiorum aliquod teſtimonium urgeretur Sycophantice, & fide minus bona; quod fieri non poteſt absque mendacio. Juxta vero Lactantium, qui loquitur cum Scriptura, ex Epitoma Divinarum Inſtitutionum cap. 6. *Nunquam mentiendum eſt: quia mendacium ſemper aut fallit, aut nocet.*

VII. Quod grandibus calumniis, intermixtis convitiis, ſim gravatus in publicis ſcriptis, cogitare aliquis poſſet, teſtimoniis (prout ab aliis hoc ſeculo fieri ſolet) me tueri & bonum nomen aſſerere debere. Sed levia ſemper duxi hæc chartacea muni-

munimenta, quibus tuto ut carere poſſunt, quotquot, mentem conſciam recti, pro muro aheneo agnoſcunt; ita iidem, ſecuri hominum calumniatorum & malevolorum, malunt acquieſcere in teſtimonio Dei, quam mortalium, qui ad unum omnes ſunt mendaces, & qui, quotieſcunque favent, teſtimonium perhibere ſolent magis ex gratia, quam ex rei veritate. Tantum abeſt ut unquam ſollicitus fuerim de talibus teſtimoniis; veritus malā ſcævam, fautoribus & amicis, qui per literas ingenii noſtri ſcruta æquo impenſius ęſtimare videbantur, ſępius oppoſui illud Sidonii Apollinaris lib. 8. ep. 10. *Ingentes præconiorum titulos moribus meis adplicas. Sed ſi pudoris noſtri feciſſes utcunq; rationem: Simmachianum illud te cogitare, par fuerat: ut vera laus ornat; ita falſa caſtigat.* Securus vero admodum ſum objectæ avaritiæ, quaſi ſcil. pellectus ſpe honorarii, Dominis Canonicis, iisque qui per Belgium Menſam exercent, mercenarium ſtylum cõmodaverim. Novi in me nihil boni habitare, & à diabolo ad varia peccata (quibus pro dolor! contigit & ſuccumbere) pellectum eſſe, coram Deo tamen cum Luthero dicere poſſum: Ad avaritiã me extimulatum nunquam. Quotquot in hac provincia vivunt, atq; me norunt, ſpeciatim Nobiliſſimi & Ampliſſimi Domini Curatores teſtimonium mihi hoc perhibere debebunt, non conſueviſſe obtundere quemquam pro ſtipendii augmento, nec, ut hoc conſequerer, finxiſſe novam vocationem: quanquam modeſte me obtuli ad labores majores in ornamentum Academię ſubeundos. Cum potuiſſem, non petii unquam pro filiis, quos quinque per Dei gratiam habeo, omnes ſtudiis conſecratos, annuum ſubſidium è publico: quod injurios in tenuiores eſſe putem, atque avaritiæ nota inſigniendos, qui, cum de ſuo commode filiorum ſtudia promovere poſſint, noctes tamen atque dies hoc agunt, quô in ſuam domum publicæ liberalitatis rivos, quam largos, derivent. Abſque gemitu, fateor me pertinere ad claſſem illorum, de quibus dicit Ambroſius lib. 2. de Officiis cap. 15. *Sunt plerique viri boni, tenues cenſu, contenti quidem*

exiguo ad ſui uſum: ſed non idonei ad ſubſidium levandæ paupertatis alienæ. Quanquam Deo meo ſummas adhuc debeo gratias, quòd hactenus ita largiter dimenſo meo benedixerit, ut pro ratione vocationis ſuffecerim confirmandæ manui pauperis. Quod tamen non ex jactantia, ſed, ad unius Dei gloriam hic profiteor: cum noverim illud ejuſdem Ambroſii lib. 1. de Off. cap. 30. *Non illa perfecta eſt liberalitas: ſi jactantiæ cauſſa magis, quàm miſericordiæ, largiaris. Adfectus tuus nomen imponit operi tuo.* Mihi à prima ætate ſemper placuit illud Achillis apud Philoſtratum: ἐμὲν πλέον τῶν ἔργων ἔσω; χρήμασι πλεονεκτείτω ὁ βουλόμενος. *Mihi laboris plurimum cedat: pecuniâ affluat, quicunque voluerit.* Quicquid alii judicent, ſubmoveri tribu literaria deberent, quos *ſola propagandæ rei familiaris urtica ſollicitat*, ut loquitur Sidonius Apollinaris lib. 8. ep. 8. Digni quoque non ſunt, ut in illa tolerentur, quotquot, ut dicit Parterculus lib. 2. cap. 102. *magnæ fortunæ comites* eſſe amant, edoctique ſecundas agere, eos, à quibus aliquid ſperant, exquiſitis laudibus non tantum in os laudare, ſed in ſcriptis quoque ſuſtinent: quibus niſi præſcriptus eſſet titulus Dedicationis, jurares te legere Orationem parentalem eſurientis Græculi. Vellem in ipſo ordine ſano tales non notarentur: de quibus, his verbis, ſuo jam ſeculo, queſtus eſt Petrus Damiani, Epiſcopus Oſtienſis (vixit circa annum Chriſti M LX.) in Prolog. Opuſ. 22. *Nonnulli*, (inquit) *dum honores Eccleſiaſticos, AEtnæis vaporibus æſtuantes, ambiunt; in clientelam potentium, tanquam ſervos dedititios, obſcæne ſe ſubſternunt.* Ad me quod, confiſus moribus meis, provocare ſuſtineo ad illos, inter quos vivo, & à quibus quotidie obſervor. Speciatim vero, ut amoliar illud, quod muſſitant æmuli, de donariis Ultrajectinorum Canonicorum, tantum abeſt, ut ſuffecerint incremento rei familiaris, illud, quod pertinaci diligentia quorundam amicorum (quibus cæteroquin gratias debeo) impetratum eſt, magna ex parte non

potuit

potuit ſufficere diſpungendis ſumptibus, quos feci in evulgationem libri *de bonis vulgo Eccleſiaſticis*. Nec tamen hoc nomine unquam apud ullum hominem querulus fui. Qui mihi nihil deſtinaram, non potui non gratiſſimo animo exoſculari liberalitatem, præſentaneæ difficultati ſuccurrentem. Multa offendo in variis libellis, quæ me non tangunt. Quiſque pro ſe reſpondere debet. Vetus fuit querela Virgilii:

Sic vos non vobis mellificatis apes.

Scripta mea de bonis Pſeudo-ſacris publice leguntur: patior, ut aliquis ex illis proficiat. Profeſſor quidam non incelebris in Academia Norica, quæ eſt Altorphii, nominis mei facta mentione, ante aliquot annos integram ex iis Diſputationem concinnavit. Cauſſam ordinis honorati egi ſincere, &, quæ minus per conſcientiam poteram admittere, intacta reliqui. De Trapezitis poſtea dicam, ad confuſionem omnium, qui laborant me publice exoſum reddere.

IX. Habeor præterea diſſolutus homo & laxus Caſuiſta, qui doceam alios profanare Sabbatum, patrociner laſcivis ſaltationibus, pectoris fœminei turpi denudationi, ſimul infamibus aleonibus, imo vitiis omnibus. Adhoc gravis ſim libertati Eccleſiæ Reformatæ, patrocinando juri Patronatus. Hæc de me jactant ipſi Theologi, hæc perſuadentur ipſis meis propinquis, apud quos, cum ſint viri pii, parum quin ſiniſtram opinionem incurri. At, ſi hæc ita ſe habeant, fateor me dignum non modo eſſe, qui feriar fulmine majoris Excommunicationis, publiceque habear velut Ethnicus & Publicanus, ſed & indignum cum quo ullus vir honeſtus converſetur. At, quod deplorandum, &, de quo toties apud Deum ingemui, hæc omnia meræ ſunt calumniæ, quibus me differunt *viri linguæ*, Pſal. 140. 12. qui utinam ſaperent! & has Diſſertationes non ſecundum præjudicium, & odium, quo contra me effaſcinati ſunt, diſcuterent, ſed ſecundum charitatem judicioſam!

 Tan-

Tantum abeſt, ut viam ſternam ad profanationem Dominici diei, illius moralitatem perpetuam judicant multi ſolidius à me propugnatam eſſe, quàm ab ullo alio: minime illum, in partes quoque ſollicitato magiſtratu, (cujus officium eſt per leges proſpicere) profanandum eſſe, adductis variis rationibus oſtendo. Fateor me obloqui illis, qui rigidius & portatu difficilius onus conſcientiis Reformatorum imponunt, quàm juxta traditiones antiquorum Judæi ſibi accerſiverunt: at nihil dico, quod non dictum ſit à τῷ πάνυ D. Walæo, aliiſque Theologis ſeriis. Saltationes molles, & motus Ionicos deteſtor, nec patior, ut quiſquam è familia mea iis vacet. Solummodo oſtendo, mimicum & laſcivum illud à ſaltationibus abeſſe poſſe, & conſequenter, mox inclementer non dicendum eſſe aliis nationibus, in quibus inculpati chori recepti ſunt. Legiſlatorum graviſſimus, Lycurgus habetur, *aſſueſecit tamen* (ut teſtis eſt Plutarchus in Vita) *juxta puellas atque adultos nudos in publico verſari, certiſque ſolemnibus ſaltare & cantare, aſſiſtentibus atque ſpectantibus juvenibus.* Tantum abeſt, ut faveam petulantiæ fœminarum, pectus fucatum denudantium ut in ſe convertant oculos impudicorum: impudentiam hanc extremam execror. Quanquam ſimpliciter arguendos non eſſe exiſtimo, illos populos, cum Celeberrimo Theologo & Philoſopho Alſtedio, qui juxta cœlum ſuum & conſuetudinem majorum, meliori parte corporis nudi incedere ſolent. Aleam per omnem vitam non tractavi, nec faveo ulla ratione aleonibus, qui non minus fortunarum ſuarum, quam temporis prodigi ſunt. Licet putem honeſtæ recreationi (modo oportuno tempore inſtituatur) aleam æque ſervire poſſe, atque ludum Schacciorum. Jus Patronatus agnoſco eſſe ἔγκλημα Eccleſiæ, optaremque in Fœderato Belgio ne quidem ratione nominis cognoſci: ſed, cum illud tolerandum eſſe judicaverit ipſa Synodus Dordracena, irrito ſucceſſu contra illud non eſſe.

Digitized by Google

eſſe diſputandum, contendo. Altera hac Editione ago amplius de ludis Scenicis, quos ſumma cum cautela ut admitto, ita oſtendo me neutiquam favere illorum Magiſtratuum inſtituto, in quorum civitatibus perpetuum notatur Theatrum, ſuſtentandis pauperibus deſtinatum. Omnia diſcutiantur ab iis, qui Orthodoxi non minus, quàm ingenui, agnoſci merentur, & nihil in omnibus his Exercitationibus offendetur, quòd non Scripturæ ſacræ pariter, atque rationi, ſit conſentaneum. Nec tamen me ſatisfacturum prævideo illis, qui me proſequuntur odio Vatiniano, nullam aliam ob cauſſam, quam quod peculiares ipſorum ſententias auſus fuerim ad examen vocare; quum ipſi omnium aliorum libros cenſoria virgula notare auſint, nulliusque mortalium ſcriptis parcant. Quid faciam? aliud non poſſum, quàm exclamare cum Jeremia cap. 11. verſ. 20. *O Jehova exercituum, judex juſtiſſime, probator renum & cordis, viſurus ſum ultionem tuam de eis, nam tibi revelavi cauſſam meam!* Tu, Deus mihi à juventute, ſperantem in te nunquam deſeras! plura ſi rogare audeam: hoc tantum velim, pro tua potentia & gratia, immutes corda illorum, qui me immeritò oderunt.

X. Venio ad illos, quorum ſtylis Diſſertationes non tantum Sacras, ſed & nomen meum lacerari atque confodi contigit. Utque nihil dicam de Paulo Voet, qui hoc incidenter egit in variis libellis, quos, compingendos cum Voluſii annalibus, multiplicat: ex profeſſo contra Diſſertationes inſurrexit quidam levis armaturæ miles, diſcipulus Dn. Gisberti Voetii, quem cum puderet proprii ſui nominis, finxit ſe vocari ARNOLDUM REYNESSIUM; atque, ut amant ſimiles labra lactucas habere, invenit perſonatum quendam ROELANDUM PERITONIUM, qui cribrum ſupponeret, dum ipſe hircum mulgeret. Quinam ſint hi homines οὐτιδανοὶ, non

 inquiro

inquiro ſtudioſe, ne apud poſteritatem conſequantur illud, quod per ſummum flagitium Eroſtratus affectabat. Dicitur Reyneſſius à D. Voetio, ex obſcuro pago, ubi verbi Divini miniſter agnoſcebatur, ſubvectus fuiſſe ad Eccleſiam Heuſdanam: cum tuto enim iſtic ſubſiſtere non poſſet, quòd à Menſariis, quibus pro conſcientia Theologica maledixerat, vocatus eſſet ad Curiam Provincialem Ultrajectinam, ut cauſſam diceret, aliò ablegari debuit, ne fronti forte infame Kappa inureretur, quô ex eo internoſci poſſet Theologus Calumniator. Quanquam dubitare non licet, hunc Domini Voetii armigerum, ab eo ipſo inſtructum fuiſſe; tam ſtolide tamen & imperite hoc agit, ut dignus ſit miſericordia. Ne enim dicam de multiplici injuria, quam paſſim Orbilio infert, &, quam vindicare poſſunt pueri, qui nondum manum ferulæ ſubduxerunt; tota ipſius Diſputatio, quæ Sycophantica eſt, (paſſim enim mihi illa affingit, quæ non agnoſco) cum Auguſtino lib. 3. contra Academ. cap. 4. vocari poteſt *Thuſcum jurgium:* ſecurus enim rationum mearum, aëra ferit, mihique afficta aliqua ſententia, eam undiquaque conquiſitis argumentis confirmare laborat, ratus, mea placita everſum iri, ſi ipſe cerebri ſui commentum in arce collocaverit. Tam ineptum vero ſe exhibet, ut, juxta Bernardum Serm. de Davide, liceat *Goliam Goliæ gladio perimere*, & hominem propriis argumentis convincere. In conviciando duntaxat, ſupra quemcunque, virum probat ſe exercitatum eſſe, laborans ſubinde jocos admiſcere, ſed qui aut ſordidi aut ſcurriles ſunt, ut credere poſſis hominem (ſi non prodierit è lupanari) hos lepôrum floſculos collegiſſe in foro piſcario & olitorio. Simulac prodiiſſet ſacer libellus, quidam ex diſcipulis (qui hoc tempore, ſuo merito, venerandus Divini verbi miniſter agnoſcitur) erucas ipſius ſtylo confodere aggreſſus fuit: jamque duo folia typis exſcripta erant, cum Typographus Ultrajectinus offerret ſuam
ope-

operam in recudendis Exercitationibus ſacris; ne progrederetur amicus; Author fui. Ita enim tacitus mecum: *Quorſum officinæ librariæ repleantur libellis, deſtinatis detectioni ineptiarum hominis male-ſani? quales ſeculo ſunt dehoneſtamento: & quorum in ſcribendo impudentiam ne Stoica quidem, aut Spartana, tolerantia patientiſſimus quiſque perferat:* qui tamen (ut cum Bernhardo loquar) *inſaniſſime ſibi tanquam ſanis exſultant: & aliis vaniſſime, trabem portantes, de feſtucis inſultant.* An ſufficienter reſponderim tumido huic Diſputatori, nec abſimili Plauti militi glorioſo, judicent, quibus datum eſt habere naſum. Reliquorum, qui præjudiciis adverſus me exæcati ſunt, ſecurus ſum, quum in eos quadret illud Salomonis Proverb. 27. verſ. 22. *Si contunderes ſtultum in mortario, cum mola piſtillo, non recederet ab eo ſtultitia.* Excepi vero hominem immodeſtiſſimum, præter ſua merita, modeſte, quanquam non diffiteor, inſolentiſſimam ſycophantiam ſubinde aſperius verbum extorſiſſe.

XI. Præter Reyneſſium Rev. D. Eſſenius ex obliquo me pungere voluit. Non potuit enim abſolvere Defenſionem Conſilii Theologici, de bonis vulgo Eccleſiaſticis, quin pag. 255. hæc infarciret: *D. Schoockii, quem ante annos viginti circiter novi, miſeret me ex animo, quoties conditionem ejus, quam in nuperis ſcriptis ipſe prodit miſere, mecum conſidero.* Quod daretur occaſio in Diſquiſitione circa Decalogum pag. 64. & 65. obiter ſiniſtro huic judicio occurri, oſtendendo, virum Rever. multo magis miſericordia dignum eſſe, quod ſecundum *Decalogi præceptum contenderet pertinere ad jus Divinum poſitivum.* Cujus cenſuræ, homo ſcil. minime ambitioſus, impatiens, in Præfat. quam præmiſit ſecundo Tomo Syſtem. Theol. non dubitat ita in me inſurgere: *Qua ſcientia, qua conſcientia, ille mihi tribuit, iſta verba, diſtincto charactere expreſſa,* ſecundum præceptum pertinere ad jus Divinum poſitivum? *& quidem*

Digitized by Google

dem ſic, quaſi ego idololatriæ Papanæ patrocinarer, aut mea foret ſententia, Vaſquezianæ exceptioni ſimilis, cultum imaginum non niſi Juri Poſitivo adverſari: atque ut probet me ſibi ſimilem, ſive, Sycophantam eſſe, provocat ad ſua verba, quæ ita habeant: *Actus autem cultus inſtituti* (N.B.) *quos ſecundum Præceptum ſpectat, & tempus aliquod definitum, quo iſti potiſſimum eſſent præſtandi, aliaque plura, ad Jus Divinum poſitivum pertinent.* Simul ut liqueat, eſſe habendum ἀναμάρτητον, ex quæſt. 96. Catecheſios probare laborat, affirmativum præcepti ex ejus negativo eliciendum eſſe. Sed hæc me non gravant, aut crudæ ipſius locutioni patrocinantur. Ut ego verba ipſius intellexi, alii magni Theologi mecum intellexerunt. Actus in Præcepto ſecundo Catecheſis duplices notat l. d. quoſdam licitos, quoſdam illicitos. Illiciti κατὰ τὸ ῥητὸν in ipſa formula præcepti negative notantur. Nec eſt, quod κρησφύγετον quærat in verbis *cultus inſtituti:* debuiſſet enim dixiſſe aut *inſtituti à Deo*, aut *inſtituti & liciti.* Nam homines quoque καὶ ἐθελοθρήσκειαν cultum imaginum inſtituerunt. Eoque, ſi vir candidus haberi velit, agnoſcat ſe obſcurius locutum fuiſſe, & me, (qui Davus ſum non Oedipus) abſolvat à crimine Sycophantiæ; quod qua conſcientia mihi objicere potuerit, judicent qui extra partes ſunt. At, nunquam hoc faciet. Ex quo enim Cathedram Academicam obtinuit, ut placere queat illi, à quo promotus eſt, non dubitavit inter primarias ſuas virtutes adoptare pertinaciam, & opinionem infallibilitatis. Quô vero mihi (à quo meritò reprehenſum fuiſſe, quòd obſcure & periculoſe locutus fuiſſet, liquere jam confido) ægre facere poſſit, Præfationem his verbis obſignat: *Quid autem ſit* (inquit) *de Exercitationibus ſacris, & tractatu de Præciſitate, ſimilibusque ſcriptis iſtius Auctoris, judicent Lectores, quibus cordi eſt* ἀλήθεια ἢ καὶ εὐσέβειαν. *Sic ille, dum fingere voluit, cujus ergo ipſum mei non ſolum miſereret, ſed & puderet, magis etiam ſe miſeran-*

miſerandum præbuit. Sed miſereatur ejus Dominus, detque ei reſipiſcentiam, ad agnitionem veritatis, & ſanctificationem in ea. Reſp. 1. Viderit primo Deus, & dein ſcripta hæc exigantur ad Lydium lapidem Scripturæ ſacræ, ab illis, quibus ita curæ eſt ἀλήθεια ἡ κατ' εὐσέβειαν, ut pariter cognorint, quouſque ſe extendat Chriſtiana libertas circa τὰ ἀδιάφορα, & quantum tribuendum ſit charitati, quæ *nec agit perperam, nec inflatur, nec acerbatur*, 1. Cor. 13. ℣. 4. 5. *Reſp.* 2. Quod voveat mihi Deum miſericordem, & reſipiſcentiam, eo nomine gratias ago. Profiteor, me diſſimilem eſſe Catharis perfectiſtis, ad quos accedunt proxime Domini Præciſiſtæ, qui jactabant jam olim, ſe *non habere peccatum*, 1. Joh. 1. 8. *cor ſuum mundum eſſe*, Prov. 20. 9. eoque nec reſipiſcentia indigere, Luc. 15. 7. Judicet de me Doctor Eſſenius pro petulantia judicii ſui, ut voluerit: cum Deus mandarit per juge ſacrificium, mane & veſperi oblatum, quotidie renovari, uti peccati memoriam, ſic reſipiſcentiæ exercitium, Levit. 6. Num. 28. Luc. 1. Hebr. 10. 3. Ego, qui vivo ſub Euangelio, per Dei gratiam conſcius quotidianorum meorum lapſuum, quotidie quoque illius miſericordiam implorabo, & ex mandato Chriſti orabo pro remiſſione peccatorum, Matth. 6. 12. Luc. 11. 4. ſimul exemplo Davidis, *Veſpere, & mane, atque meridie meditabor, & perſtrepam, donec audiverit vocem meam*, Pſal. 55. 18. Parum vero mihi eſt, quòd ab ipſo juxta modeſtiam, quam hauſit è ſua Theologia Caſuiſtica, *vocer ὁ Δεῖνα Philoſophus & Antiquarius.* Cum puer ferme adhuc eſſem (quòd viderer non inutilis eſſe) à Doctore Voetio commendabar ab inſigni cognitione Theologiæ; in quo ſtudii genere quid præſtare valeam, docent mea ſcripta, &, ſi placuerit Deo vitam prorogare, conſtabit ex pluribus ſcriptis Didacticis, Polemicis, Exegeticis, Practicis, ſuo tempore evulgandis. Hic ὁ Δεῖνα, extra Belgium quoque clarior eſt, quàm vellent Doctores Præciſiani, qui (quòd putent ſibi aliquid per me diſceſſiſſe)

ſceſſiſſe) juxta charitatis, non Chriſtianæ, ſed ſuæ praxin, ſpiritum ipſum invident: quanquam Deus novit, me mea nunquã ad pompam, aut ſeculi typhum compoſuiſſe. Contentus quoque hactenus ſum Profeſſione Philoſophica, quòd Deo meo, à quo totus pendeo, non placeat me hactenus promovere ad Cathedram Theologicam: interim quam diu ipſe vitæ hujus uſuram conceſſerit, patrocinabor glorię nominis Divini, & praxi verę pietatis, cujus an inimicus ſim, propediẽ ξὺν Θεῷ docebit Tractatus de Zelo.

XII. Præter D. Eſſenium, inſurrexit amplius publice in me cœcus quidam Zelotes ex Academia Hardervicena, nomine *Paulus Colonius*, homo piſtillo obtuſior, licet audiat Doctor Theologiæ, & Midæ aures aſininæ dilucide prominuerint per priorem editionem Diſputationis Inauguralis. Is in ſua ἐπιχείρισει de re Trapezitica p. 221. ita profatur: *Schoockius quis ſit, colligere potui ex ejus Exercitationibus ſacris, de quibus recte judicavit Vir aliquis eruditiſſimus, illis Exercitationibus verè applicandum eſſe id, quod* Ameſius de Grevinchovio *ferebat, judicium*; Ludos ille Taurios nobis edidiſſe videtur. *Cui ex animo aſtipulor*. An ita de Grevinchovio cenſuerit Rev. D. Ameſius, præceptor jucundæ recordationis, ambigo. Vir eruditiſſimus (cujus mentio fit) nominari debuiſſet, quô ei me purgare poſſem, ſimulque liquere, an mereatur hoc elogium. Certè, ſi vere ita cenſuerit de meis Exercitationibus, referri debet ad eandem Claſſem eruditorum, ad quam pertinent noſter Paulus & ſimilia eruditorum carcinomata atque propudia. Uterque ſi examinaretur, neuter dicere poſſet, quales ludi Taurei, aut Ταύρειοι fuerint. Nomen equidem non habent à Tauro, cornu ferire ſolito, ut forte ſibi perſuadet Paulus: ſed ἀπὸ τῶν ταύρων: quomodo apud Epheſios, teſte Heſychio, vocabantur pueri, qui vinum miniſtrant. Edebantur vero hi ludi Epheſi (teſte Athenæo lib. 10.) in honorem Neptuni, & adoleſcentes, ταῦροι dicti, vinum miniſtrabant. Quæ vero affinitas inter meas Exercitationes, &

ludos

Digitized by Google

ludos πυγεῶς, ſeu πυγεια? Feſtum vocant Euſtathius & Heſychius. Niſi forte rationem dicti ſui homines inficeti accerſere voluerint à vino, quod in ludis his miniſtrabatur: & innuere voluerint, Exercitationes meas fibulam conſcientiæ laxare, & recreandis combibonibus ſervire. Sed calumniȩ huic contundendȩ ipſæ Exercitationes abunde ſerviunt, quas legi ſolummodo exopto. Occurri quoque in anteceſſum in Præfatione, quam priori Editioni præmiſeram, & ob cauſſas ſonticas recudi curavi. Non contentus Paulus noſter judicium ſuum protuliſſe de Exercitationibus ſacris, amplius adeſſe laborat lepido Reyneſſio. Ita lego pag. 224. *Schoockium quod attinet, in caſibus conſcientiæ, niſi reſpondeat ſufficienter ad judicium D. Reneſſe, mihi eſt, & erit, Ardelio.* Itane? Sed jam occurri Reyneſſii bullatis nugis, & frivolis exceptionibus: num ſufficienter? non hic Paulus, aut Roelandus, ſed alii judicent, quibus datum eſt ſapere & fari. Et, ſi Paulus modo auſit, aggrediatur vel ſolam Exercitationem de Uſura Trapezitica, (hanc materiam videtur quadantenus intelligere) & experiri poterit, an ſuæ machæræ propulſandæ noſtra vernina ſufficiat. Interea auctor ſim, pedibus ſuis vice talarium crura ardeæ aptet, quô venerabile illud caput inter ſimilis furfuris Doctores emineat.

XIII. Denique Celeberrimus D. Gronovius concoquere non potuit, ſuam ſententiam de fœnore Unciario à me examinatam eſſe: cui Examini cum præter ſuam conſuetudinem chartas dentatas oppoſuiſſet, è veſtigio ſcriptum adornavi, ferme præter animi ſententiam, haud edentulum. Huic ut vir doctiſſimus reſponderet, ultra ſeſquiannum exſpectavi. Cur Reſponſionem amicis ſcriptam, quàm univerſo orbi literario typis expreſſam exhibere malit, fateor rationes me ignorare. Quô uno volumine omnia cõplecti poſſem, hactenus preſſi Vindicias Ad. Junii, haut ridiculi Batavi, ſed viri docti, opponendas eidem D. Gronovio, cum iterata Defenſione ſententiæ meæ de fœnore Unciario.

XIV. Ut aliquid etiam dicam de Trapezitis, qui ubiq; à Magi-

ſtratibus in Belgio hoc tempore non modo viri honeſti agnoſcuntur, verum absque ſcrupulo quoque ad menſam Domini admittuntur, iis nullo modo (ut alicubi muſſitatum eſt) obſtrictus teneor. Qui jactant, me illis mercenariam operam dediſſe, habendi ſunt Calumniatores. Parocinatus ſum, quantum licuit per conſcientiam, ſoli cauſſæ, quòd dolerem eam minus convenienter diſcuſſam eſſe. Quomodo unuſquisque in hac vocatione ſe gerat, ipſe viderit, certus, ſe Deo ſuæ adminiſtrationis aliquando rationem redditurum eſſe. Favere neutiquam illis poſſum, qui, cum de ſuo aut commode agitare poſſint, aut alia ratione, ſe, ſuamque familiam, honeſte ſuſtentare, Menſæ trapeziticæ nullam aliam ob cauſſam admoveri geſtiunt, quàm ut ſordidæ ſuæ avaritiæ ſatisfaciant, prætexentes ſe liberorum curam gerere debere; cum interim ſecuri ſint pauperum. Si Deus largiter alicui Trapezitæ benedicat, ipſius officium eſt, Divinæ liberalitatis rivos derivare in pauperes. Qui hic deprehenduntur negligentes, non modo Deo diſplicent, ſed hominibus quoque exoſi ſunt. In nullius hominis gratiam, ringente conſcientia, quæ veritati, prout mihi cognita, faſces ſemper ſubmittit, unquam aliquid inſtitui ſcribere. Quare & eventus docuit, me minus placuiſſe illis, quibus aliàs videri poſſem præcipuè operam dediſſe. At hoc parum curo: quum ſummo hoc mihi ſit ſolatio, quòd, conſcio Deo meo, dicere poſſim cum Paulo: *Nunquam ſermone aſſentatorio uſus ſum, nec avaritiæ cauſſa quicquam prætexui*, 1. Theſſ. 2. 5.

XV. Et hæc ſunt illa, de quibus in hac Præfatione, Benivole Lector, te monere volui. Aliis ſcrupulis, in Præfatione, priori Editioni præmiſſa, occurri, quam proinde recudi quoque volui. Exercitationes, quas hic offendes, ſuperadditas iis, quas ante ſexennium evulgavi, tales eſſe confido, ut non ſit neceſſum pro illis aliquid dicere. Decreveram agere de Sortibus, & vindicare illibatam exiſtimationem undiquaque Doctiſſimi

ſimi

ſimi Theologi D. Gatakeri, cui defuncto, ſecurus per tot annos acrioris cenſuræ, ſcriptum rhapſodicum opponere D. Giſbertus Voetius ſuſtinuit: Sed quod Reſponſum, nondum coronide munitum, in majorem molem jam excreviſſet, viſum fuit ſatius, illud ad tempus ſeponere, & interea convertere in juſtum Tractatum de Sorte, complectentem varia, eaque in vulgus minus nota, ex penetralibus non minus Græcæ, quàm Latinæ literaturæ. Voluiſſent quidam, ſaltem per Indicem indicaſſem trecentas illas vitioſas citationes, (mendaciis accenſendas) quas in D. Voetii Conſilio Theologico notari poſſe, aliàs indicaveram. Sed cauſſas habeo, cur illud facere noluerim. Satis diu contentionis ſerra inter me & virum illum celeberrimum agitata fuit: tempus eſt, tandem receptui canatur. Quantum citationibus ipſius tribuendum ſit, vel ex ſolis his Exercitationibus liquere poteſt. Utinam Deus viri illius cor aliquando componeret ad ſeriam reconciliationem! ut dicere mihi liceret cum Salomone, Prov. 16. 7. *Quum benevolentiâ proſequitur Jehova vias alicujus, etiam inimicos ejus pacatos reddit ei.* Quòd ſi Deo hoc non placuerit, ſpero nos citra iram, & diſceptationem, ſimul in regno Cœlorum accubituros eſſe, atque, interea in hoc mundo, Deum hanc gratiam mihi præſtiturum, ut nihil, quacunque etiam ratione contigerit me provocari, deſignem, quod conſcientiam lædere poſſit. Hoc largire indigniſſimo tuo ſervo, æterne & clementiſſime Deus, cui ut Patri, Filio, & Sp. Sancto, ſit laus & gloria in ſempiterna ſecula, Amen.

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD
LECTOREM,
Priori Editioni præmiſſa.

BEnivole Lector, quoniam præſidium duntaxat quæro in tuo candore & libero judicio, in veſtibulo hujus libri, & liberius & uberius tecum agam, conceſſis Dedicationibus, & grandibus nominibus, hiſce vulgo præſcribi ſolitis, illis, qui ad adulationem, & colligendos favoris atque pecuniæ theſauros, magis facti ſunt quam ego, qui de eo uno poſſim gloriari, quod Deus cor αὐταρκὲς mihi conceſſerit. Agam vero tecum diſtincte, atque absq; omnibus ampullis, lenociniisq; orationis, (quam alias per Dei gratiam pectere quoq; ſcio) quo non minus à te probe intelligar, quam tu etiam judicium commodius intendas.

I. Incipere vero à perſona mea compellor, ſiquidem prævideo, varios ex illis, qui, & titulo, & profeſſione, & ſupercilio agnoſci volunt Theologi, nares corrugaturos eſſe, quod neglectus ego Philoſophus, qui cum mortalium pauciſſimis amicitiam & familiaritatem colo, ſuſtineam evulgare Exercitationes Sacras, & liberius ea diſcutere, quæ ad ſuum duntaxat Tribunal pertinere contendunt. Quod horum autem authoritas apud multos habeatur juſſum Dictatorium, deſpiciendum omnino mihi eſt, non qua ratione tam gravium Cenſorum fidem atterere poſſim, (æque imprudenter Bidental contrectarim!) ſed ſolummodo avertere tantiſper, quam, quæ ſcribo & evulgo, mente libera, à te, mi Lector, fuerint examinata. At, illud ipſum quod voveo, &, à te, Lector, exigo, quomodo impetrem? δίχα μοι νόος. Quod jam ſuo ſeculo ſcripſit Salvianus epiſt. ad Salon. hoc noſtro nimis quam verum eſt. *Tam imbecilla*, dicebat, *judicia hujus temporis, ac pœne tam nulla, ut, ii qui legunt, non tam conſiderent, quid legant, quam cujus legant, nec tam dictionis vim, atque virtutem, quam dictatoris cogitent authoritatem.* Et tamen aliquid dicere debeo, quum à tot viris Theologis, in Belgio hoc noſtro, ſe

gerenti-

gerentibus pro Dictatoribus, (Romani unum duntaxat eodem tempore agnoſcere conſueverant) vix lixa aut calo habear. Nihil autem apologiæ habeo, ſeu ore, ſeu ſtylo, depromendum ad mei commendationem, præter hoc ipſum, quod legendum offero: aut illud Authorem cenſuræ Theologicæ eximere poterit, aut nulla quoque verba ſufficient. Si idem me ſidus regeret, quod Nobil. P. Voet, (videatur ejus Præf. præmiſſa Philoſ. Reform.) dicerem, non quidem aliquando ſtimulum ab amicis mihi additum fuiſſe, ut capeſſerem Profeſſionem Theologicam, alicubi oblatam, ſed à pluribus jam annis multoties per variorum æmulorum artes varias (non tamen dictatas à Sp. Sancto) ſubmotum fuiſſe ab ejuſmodi profeſſione, ſuffuſa mihi largiter frigida apud illos, qui exiſtimabant me forte non inutilem Eccleſiæ fore. Iſtis ſi voluiſſem me exhibere ſimilem, jam diu maledicæ & calumnatoriæ eorum Epiſtolæ, ad ſui commatis homines datæ, publice oſtenſæ fuiſſent. At ego in Dei mei conſilio acquieſco, & viris tantis, quo centuplo magis, non quidem apud homines, ſed Deum & ſanctos ejuſdem Angelos, Reverendi haberi mereantur, ex animo precor, deinceps, juxta admonitionem Pauli, *ſua non quærant*, *ſed*, *quæ Chriſti Ieſu*, Phil. 2. 21. Porro, quantum ad me mortuum canem, non gero me in hoc ſcripto, aut ullo alio, quod unquam, me conſcio, ſub meo nomine fuit evulgatum, pro Theologo Profeſſione: ſufficit, eſſe Theologum Confeſſione, atque juxta Apoſtoli Judæ admonitionem, directam ad omnes illos, qui *à Deo Patre ſunt ſanctificati, & Ieſu Chriſto aſſervantur, decertare pro fide, quæ ſemel tradita eſt ſanctis*, Jud. verſ. 1. & 3. Ubi evicerint Doctores noſtri, aut, ſe ſolos eſſe infallibiles, aut, fas non eſſe cuilibet Chriſtiano, ad cæleſtis veritatis illuſtrationem, ſuique fratris emendationem, convertere quantulumcunque illud, quod, per Spiritus Sancti gratiam, conſecuti ſunt, non modo tacebo præfracte, ſed fatebor quoque, me, ut ἀμύητον, eminus quoque, non debuiſſe ad Sanctuarium accedere.

II. Ad ea, quæ hoc libro diſcutio, ut accedam, video initio, à plurimis vitio mihi datum iri, quod inſtituerim τὰ ἀκίνητα, quaſi κινεῖν; atque aliter pronunciare de quibuſdam Conſcientiæ caſibus, atque illis viſum fuit, qui jam diu ſuſtinent, abſque ſuffragio populi (non tunicati, ſed ſtola juſtitiæ amicti) dictaturam gerere. Quibus ut ſatisfaciam, quanquam vix mea modeſtia permittit, primo objicio illud, quod habet Juſtinus Exhort. ad Græc. ἡ τῶν πραγμάτων ἀκριβὴς ἐξέτασις, καὶ τὰ δόξαντα καλῶς ἔχειν, πολλάκις ἀλλοιότερα δείκνυσιν, ἀκριβεστέρα πέρα τ' ἀληθὲς βασανίσασα. Hoc eſt: *Accurata rerum inquiſitio, perſæpe ea, quæ recta judicata ſunt, exactiore veritatis examine*

examine adhibito, longe aliter ſe habere oſtendit. Deinde dico, paucorum, imo multorum quoque Theologorum ſententiam privatam, non eſſe eodem loco habendam, cum ſententia Eccleſiæ Catholicæ, nedum rerum imperitis obtrudendam eſſe pro dictamine ipſius Spiritus Sancti. Orthodoxorum conſtans eſt ſententia, non modo errare poſſe Synodos Particulares, verum etiam Oecumenicas, imo utraſque quoque de facto (prout in Scholis loquuntur) ſæpius erraſſe. Quis ergo non multo magis hoc perſuaſum habeat de Doctoribus particularibus? Imo, quis vitio, aut mihi, aut cuicunque alii vertat, ſi inſtituerit modeſte inquirere in privatam ſententiam quorundam, qui & homines ſunt, & à quibus nihil humani alienum eſt? Si alicubi fallar, argui, & erudiri rogo. Non ego ſacramentum dixi Academiæ, cujus, ſecundum Ciceronem lib. 1. de Orat. *patrius mos erat, adverſari ſemper omnibus in diſputando*; ſed uni veritati, pro qua ut paratus quoque ſum vadimonium deſerere, ita, edoctus ab Apoſtolo 2. Cor. 13. 8. *nihil omnino poſſum adverſus veritatem, ſed pro veritate.*

III. Eoque, quicquid alii quoque exiſtiment, digitum non vertero, ſi à quibuſdam arguar mutatæ circa quædam dogmata ſententiæ: cum conſcientia mihi dictet, me nunquam hoc feciſſe, niſi expugnatum antea à veritate. *Nullus pudor eſt ad meliora tranſire*, jam olim ipſe Ambroſius ſcripſit Valentiniano Imper. Ep. 31. Atque aureum illud Solonis dictum, *γηράσκειν ἀεὶ, πολλὰ διδασκόμενον*, pro ſe non modo adducit *Plato in Lachete, & lib. 7. Polit.* verum etiam ipſe Cato apud Ciceronem lib. de Senect. fatetur, *ſe ſeneſcere in dies multa addiſcentem.* Plaudant ſibi alii, quod ſententiam, quam ſemel imbiberunt, haud aliter retineant, atque claudi pilam ſolent; ſemper mihi placebit, per Dei gratiam, Auguſtini modeſtia, qui in Epiſtola ad Auxentium profitetur, *ſe ſenem* licet, *à juvene, Epiſcopum tot annorum, à collega necdum anniculo, edoceri paratum* eſſe: quod adeo placuit Gratiano, Juris Canonici primo auſpici, ut illud exhibuerit c. 23. q. 8.

IV. Etenim, ſi viri egregii, iique Celebres Theologi, quos aliquando arguere videor, abrepti non fuiſſent torrente ſingularitatis, atque inſtitiſſent veſtigiis primorum Reformatorum, utique multæ Theologicæ Controverſiæ, non minus Theoreticæ, quam Practicæ, quæ Eccleſias Reformatas mirum quam hoc ipſo quoque tempore concutiunt, jamdiu aut ſubmotæ, aut penitus extinctæ fuiſſent. Utinam! utinam! obſervatum fuiſſet, quod ſuo Timotheo olim inculcavit Gentium Doctor Paulus, *Mane in iis, quæ didiciſti, & quæ tibi concredita ſunt, ſciens à quo didiceris*, 2. Tim. 3. 14. Sed, dum viri Eximii, ſive, per novam Methodum docendi Theologiam, ſive,

per

Digitized by Google

per ſingulares opiniones, ſive etiam, per novas loquendi formulas, tum nominis celebritatem venantur, tum etiam applauſum Academicæ juventutis captant, pro dolor! impletum eſt vaticinium pientiſſimi D. Philippi Melanchthonis, ita loquentis Præf. Comment. in Epiſt. ad Romanos: *Video*, inquit, *& nunc exoriri multa ingenia, quæ, vel propter curioſitatem, vel propter ambitionem, ea quæ nunc in Eccleſiis noſtris recte traduntur, & optima fide ac ſimpliciter explicata ſunt, novis præſtigiis conturbare & obruere ſtudebunt. Quare propter Chriſtum oro & obteſtor omnes pios, qui in ſtudiis verſantur, ut ſimplicem veritatem patefactam in Eccleſiis noſtris ament ac tueantur.* Huic ſimplici veritati, quantum licuit per qualemcunque meam tenuitatem, ſincere & absque omni fuco patrocinari laboravi, oſtendendo, viros doctos fruſtra valde eſſe, quando, ſub prætextu perfectioris & ſtrictioris quaſi Reformationis, non minus infirmorum fratrum conſcientias, quam pacem quoque Eccleſiæ turbare inſtituunt.

V. Quam graves vero Eccleſiæ ſint, intempeſtivæ hominum horum contentiones de rebus mere indifferentibus, pro me dicat ὁ πάνυ D. Prideauxius, qui in Præfatione ad Lectorem, præmiſſa Orationibus, *ita loquitur:* Haut ſcio *(inquit)* an quicquam contigerit moleſtius mulieri ex Eremo reduci, quam Filiorum ſuorum de Adiaphoris Rixæ non neceſſariæ; quæ præcipue inter Tales recrudeſcunt, qui pium eſſe & pacificum, vix commode cohærere autumant. Nec piorum minus retardant molimina, & retundunt conatus, Ardelionum quorundam parati ungues; qui lancinant plerunque quod non intelligunt, & ſapere didicerunt, non ex aliqua prævia Inſtitutione aut praxi, ſed ex Titulo, vel ab eo, quod conſcendunt, ſubſellio. *Huc uſq; ille.*

VI. Sed tamen ejuſmodi admonitio parum admodum curari ſolet à modernis Reformatoribus, qui cum exiſtiment non minus *intenſive*, quam *extenſive* Eccleſiam eſſe Reformandam, πικρὸν ζῆλον & pertinaciam ſociant opinioni, quam ſemel imbiberunt, atque atrocibus non minus dicteriis, quam maledicis libellis, velut homines mere carnales & Spiritus Dei expertes, inceſſunt illos, qui vel hiſcere ſuſtinent adverſus perfectionem, quam exiſtimant conſiſtere in ſua, circa certa quædam adiaphora, determinatione: quum ipſi, de his & ſimilibus intempeſtive rixantes, manifeſto oſtendant, ſe deſtitutos eſſe Spiritu Sancto: ſi enim ab eo, & non potius à ſpiritu carnis, imo diaboli agitarentur, dicerent idem, quod in ſimili caſu dictum eſt à Paulo, *Quodſi quis videtur contentioſus eſſe, nos ejuſmodi conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei*, 1. Corint. 11. verſ. 16. Audiant vero ſeveri hi Reformatores, atque Cathari redivivi, quid moneat gravis atque veteranus Theologus,

idemque ὀρθοδοξώτατος D. Pareus, Theologus Heidelbergenſis Celeberrimus in Commen. ad cap. 13. Matthæi: *Debent* (inquit) *paſtores reprehendere, vitia prohibere, & cavere ſcandala, eradicare Zizania pro virili, ut quotidie Eccleſia reddatur purior: ſed ita, ne officii limites tranſgrediantur. Ergo cavendus nimius rigor, ne noceatur bonis cenſura malorum. Deſideranda quidem omnis eradicatio: ſed cum fieri non poſſit, aliqua toleranda. Separatio omnimoda expectanda, conſolentur ſe, qui triticum ſunt, futurâ gloriâ, cui nihil nocebunt Zizania. In reformatione Eccleſiarum obſervanda doctrina, ne nimiam ἀκρίβειαν ſectantes, plus noceant quam proſint Eccleſiæ.*

VII. Scio, mi Lector, te jam exſpectare, ut aliquos ex hiſce, qui ſoliti ſunt cum Zizaniis evellere frugiferas in agro Domini herbas, nominetenus tibi prodam, ſed, hoc nunquam faciam; ſiquidem cogito, quantum interſit publice, eos non prodi. Non ſolum ducenti Hieroſolomytani, ut olim Abſalonem rebellem, eos ſequuntur, *euntes ſimplici corde, & cauſſam penitus ignorantes*, 2. Sam. 15. verſ. 11. verum ampla virorum turba, atque amplior adhuc mulierc ularum & puerorum, quorum quoniam habere debeo rationem, *Sacerdotes & Clerum meum non diſcutio, quia Domini mei miniſterio reverentiam ſervo*: ut pauca à Salviano Maſſilienſi commodato accipiam. Hoc ſolum in genere dico, mihi videri hos ipſos tales eſſe, quos jam olim Hieronymus, ipſe Clericus, imo Presbyter, tetigit quum lib. de Norma vivendi ſic ſcriberet: *Nulla crudelior in mundo beſtia eſt, quam Clericus vel ſacerdos malus: nam corrigi non patitur, nec veritatem audire vult.* Imo, ſi debeam reſpicere libros, qui, aut ab ipſis, aut pro ipſis antehac ſcripti fuerunt, non inconvenienter, ſi à mortuis iterum reſurgeret, cenſeret Incomparabilis Caſaubonus, *ſibi non videri honeſti viri eſſe, delectari lectione eorum, quos ebria & inſana ſcholarum juventus hodie Theologos vocat.*

VIII. At, nimis multa jam dixi, meque porro contineo: quæ enim amplius dicenda & ſcribenda forent, iis merentur applicari verba Auguſtini Epiſt. 121. *Plerumque hoc negotium* (inquit) *plus gemitibus, quam ſermonibus agitur; plus fletu, quam affatu.*

IX. Scio, adverſarios habere Divam certam, qua, velut machina aliqua, ſimplicium hominum animos, non tam expugnant, quam effaſcinant, aut, verius, quæ idem patronis ſuis officium exhibet, quod aliquando Phryne meretrix Piſiſtrato, quum Athenis tyrannidem occuparet: vocatur illa *Præcipitas*, atque mollius curatur à ſuis fautoribus, quam Regi Antiocho oculi ſolent. At, bonum factum! quod fuci illius jam publice pateant. Certe ſuperiori anno Synodus Zuyd-Hollandica, quæ habita fuit Dordraci, maſcu-

maſcule eidem ſe oppoſuit, perſonam huic Thaidi detrahendo. Ex actis, quæ ſequuntur, hæc mihi communicata ſunt: **Is gereſolveert/ dat geen nieuwigheden ende** Prçciſiteyten, **nopende de ſolemnele Iaer-feeſten / ende den H. Sabbath ingevoert worden / ende dat men ſich ſtrictelijck ſal houden na d'ordre** Synodi Nationalis Dordracenæ **deſen aengaende: ende om het contrarie te vermijden / ſalmen** in Examinibus **daer opletten / ende** Candidatis **af-vragen 't gevoelen van het** Ceremoniael **ende het** Morael præcepti Sabbathi; **als oock dat** viſitatores in Claſſibus **ſullen letten / dat niemandt in zijn conſcientie/ deſen aengaende/ beſwaert worde.** Quæ ſic vertere licet: *Decretum eſt ne ulla novitates & P R Æ C I S I T A T E S ratione ſolemnium & annuorum Feſtorum, atque Sancti Sabbathi introducantur, quisquis autem componet ſe ad ordinem, circa hæc à Synodo Nationali Dordracena definitum: Ut vero contrarium evitetur, in Examinibus horum habebitur ratio, quæreturque ex Candidatis, quidnam Cæremoniale & Morale ſit præcepti de Sabbatho; viſitatores quoque Claſſium operam dabunt, ne quis in conſcientia ſua gravetur.* Nobilis Paulus Voet Rever. ſui Parentis Præciſitatem non putat quicquam diſtare à B. Pauli τῇ ἀκριβείᾳ, (Eph. 5. verſ. 15.) perſuaſum ſiquidem vult credulo Lectori in Præf. nuperi libri (qui inſcribitur Philoſophia Reformata) *Præciſiſtas ex ſenſu Paulino ἀκρίβειαν ſectari:* ſed inſpexiſſet ſolummodo Verſionem Belgicam, quæ in loco Paulino, modo adducto, verbum ἀκριβῶς, reddidit *prudenter*, ſeu **voorſichtelijck.** Quid vero exiſtimandum ſit de lepida *Præciſitate*, prout ſpeciali Diſputatione à Rev. D. Voetio eſt delineata, propediem, mi Lector, diſcere poteris ex juſto meo Tractatu, adverſus illam vulgando. Vitio dubio procul quoque mihi à variis vertetur, quod pluribus Exercitationibus Rever. & Celeberrimum D. Doct. Giſbertum Voetium, ad partes vocaverim: ſed, quomodo aliter facere potui, quum illius ſententia, circa illa, quæ controvertebantur, potiſſimum debuerit examinari? Cæteroquin placet mihi (prout innuo quoque in Exercitationum veſtibulo) illud Strabonis, qui ſic ſub initium Geographiæ per interpretem loquitur: *Neque enim propoſitum eſt adverſus omnes dicere, ſed pleroſque miſſos facere, quos ſequi non decet: illos vero judicare* (διαιτᾶν) *quos in plerisque cum laude egiſſe novimus.* Interea ſcio, multis modis præjudicatum mihi iri per favorem publicum, quo tantus hic vir gaudet. Sed, licet libentiſſime ſecundum Plautinum Epidicum Act. 3. ſcen. 4. *Me minoris facio præ illo:* per Dei gratiam tamen exploratiſſimum habeo, quod ſæpe

Pravo favore labi mortales ſolent,

atque Ariſtophanem apud Vitruvium in Præf. lib. 7. Archit. *eum* in ludis,

quos Muſis & Apollini reges Attalici *dedicarant, juſſiſſe primum pronunciari, qui minime populo placuiſſet:* nam talibus utplurimum palmam deberi, (quæ tamen fato hujus ſeculi illis non obtingit) non minus ingenioſe quam graphice oſtendit Ruſticus digrunnicus adverſus ſcurram, apud Phædrum lib. 5. Fab. 86.

XI. Quoniam vero Rev. D. Voetii mentionem facere cœpi, obteſtor Reverentiam ipſius, unum ſibi dici patiatur. Similem ſe in omnibus ſuis ſcriptis exhibet Patribus Jeſuitis, quorum gloriatio in hoc præ aliis conſiſtit, quod integra plauſtra Authorum (quorum pleroſque tamen ne quidem inſpexerunt) in ſuis libris exhibeant, atque ut dicit ὁ πάνυ D. Prideauxius, Orat. 3. c. 2. iis *ſolenne eſt, aliorum ſententiis latas paginas implere, ut ad tam multiplicem lectionem imperitiores ſtupeant.* quũ tamen (ut idem loquitur Lect. 4.) *tam candide agant in authoribus citandis, ut ſubleſta ipſorũ fides incipiat jam tandem ſuis ſymmiſtis vileſcere.* Quod examuſſim ſuæ quoq; Reverentiæ convenire, prolixe poſſem docere, niſi ratio habenda foret Eccleſię, & pauca, quę hinc inde in hiſce Exercitationibus exhibeo ſpecimina, inſtar omnium eſſe poſſent. Perſuaſum vero habeo, virum cæteroquin doctum & diligentem, non tam peccare hac in parte deſtinato animi conſilio, quam potius per imprudentiam; ſiquidem authores, quos ſolitus eſt ad ſuffragium vocare, ab initio ad finem non eſt ſolitus perlegere, ſed duntaxat *quaſi per indicem*, ut loquitur Imp. *in fine Inſtitut.* Certè, quotquot hoc faciunt, non poſſunt plene Authorum mentem aſſequi. Rogaverat aliquando Lucilius Senecam, ut ſententias quaſdam ex Epicuro, Heraclito, & aliis opinioſis Philoſophis per epiſtolam mitteret, ſed reſcripſit Stoicus Romanus ep. 33. *Depone iſtam ſpem, te poſſe ſummatim deguſtare ingenia maximorum hominum, tota tibi inſpicienda ſunt, tota tractanda res geritur, & per lineamenta ſui ingenii opus nectitur, ex quo nihil ſubduci ſine ruina poteſt.* Cæterum demiror, virum Rev. adeo pertinaciter adhærere illis, quæ ex ſuis Authoribus, (ſæpe contra eorundem mentem) ſibi collegiſſe videtur, & pro iis non aliter digladiari (etiamſi ab authoribus ſolummodo pro indifferentibus habita fuerint) atq; pro neceſſariis ad ſalutem dogmatibus. Non eſt hæc conſtantia, ſed pertinacia, imo ſuperba φιλονεικία, omnibus hominibus, maxime vero Theologis, indigna. Ut enim pauca iterum commodato accipiam à Seneca lib. 4. de Benef. c. 38. *Non eſt levitas à cognito & damnato errore diſcedere, & ingenue fatendum eſt, aliud putavi, deceptus ſum: hæc vero ſuperbæ ſtultitiæ perſeverantia eſt, quod ſemel dixi, qualecunq; eſt, fixum ratumq; ſit.* Vir mihi hac in parte, ex Gentilibus, Poſidonius Stoicus Philoſophus, qui teſte Galeno in lib. quod mores animi ſeq. temper. *Sectam deſerere maluit,*

Digitized by Google

maluit, *quam veritatem:* atque ex Chriſtianis Doctoribus Hieronymus, qui poſtquam in Comm. ad XVIII. caput Ezechielis, diu ſe fatigaſſet circa explicationem loci difficillimi, tandem ſequentia ſubjicit: *Si quis vel meliorem*, *vel alterum ſenſum poterit reperire*, *qui contrariorum inter ſe teſtimoniorum ſcandalum tollat*, *illius magis acquieſcendum ſententiæ eſt.*

XII. Ego vero omnibus authoribus (exceptos cupio amanuenſes Spiritus Sancti) ſicuti frui didici, ut ſciam eos homines fuiſſe, multiplicibus erroribus obnoxios, quos liceat ſæpe, non minus pro affirmativa, quam negativa alicujus dogmatis aſſertione adducere. Quantum jam olim non fuit inter Græcos nomen Homeri? At jam olim (prout diſcere eſt ex Strab. lib. 9. Geograph.) Megarenſes & Athenienſes contendentes de inſula Salaminia, ambo jus ſuum Homericis verſibus probare nitebantur: quomodo & pluribus Icc. notatum fuit, non minus Sabinianos quam Proculcianos in controverſia de Venditione, pro ſe adduxiſſe Homeri authoritatem. Alias verum eſt illud Tullii lib. 2. de Orat. *Diogenes ait*, *Antipater negat.* Eoque plus apud me valet ratio, quam hominum, quorumcunque quoque, Teſtimonia; quæ ſi alicubi adducam, (facio vero hoc ſemper fide optima) aliud mihi non eſt propoſitum, quam ut me munire poſſim adverſus illos, à quibus libere diſſentio, quibus accuſationis materia in mundo occurrere videtur, ſi illi, quos ut adverſarios acerrime inſectantur, ſuæ ſententiæ celebre nomen prætexere non queant. In reliquis, certum mihi, perpetuo cogitare illud ejuſdem Ciceronis lib. 1. de Nat. Deorum: *Non tam auctoris in diſputando*, *quam rationis momenta quærenda ſunt.*

XIII. Porro, ut perſuaſiſſimum habeo, verum illud eſſe, quod Phœbadius lib. contra Arrianos dicit, nempe: *Deſtructioni veritatem non ſubjacere*, *ſed*, *ut eſt ſemper*, *incorruptam durare:* ita, ob oculos perpetuo habui Auguſtini aureum monitum, qui lib. 1. contra Epiſtol. Petiliani fratres ſuos feriis hiſce verbis affatur: *Diligite homines*, *interficite errores*; *ſine ſuperbia de veritate præſumite*, *ſine ſævitia pro veritate certate*. *Orate pro eis*, *quos redarguitis & convincitis.* Idem ſtipulor ab iis, qui hæc mea ὀβελίζειν voluerint; ut enim pro veritate ſcribo, ita hactenus me hominem eſſe fateor, atque forte in iis ipſis, quæ mihi liquida & vera videntur, graviter potuiſſe falli. Eoque, non minus te, mi Lector, rogo, quam eos, qui hæc qualiacunque voluerint examinare, perpetuo cogitent cedro digna Oecumenii verba, qui commentans ad cap. 5. Epiſtol. 2. ad Corinth. ita ſcribit: *ἀμυδρὰν ἀπόῤῥοιαν τῆς ἀληθινῆς γνώσεως ἔχο-*

 μεν

μεν νῦν, καὶ ὥσπερ ἀπὸ ἡλίου παμφαοῦς αὐγὴν ἀμυδράν. *Nunc habemus obſcurum defluxum veræ cognitionis, & veluti à ſole lucidiſſimo obſcurum ſplendorem.* & ſimul ea, quæ habet Auguſtinus adverſus Epiſtol.Fundam. cap. 2. *Illi* (inquit) *in vos ſæviant, qui neſciunt cum quo labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores.*

XIV. Quoniam vero unius veritatis habui rationem, nec ſermo meus eſt συντεταγμένος πρὸς ἐπίδειξιν, (ut loquar cum Gregor. Nyſſeno) nec multorum more, verbis humidis & lapſantibus, ut ille ait, diffluo: ſatis mihi fuit rerum momenta jejuno ſtylo utcunque exæquaſſe. *Quid enim eſt tam furioſum, quam verborum vel optimorum atque ornatiſſimorum ſonitus inanis, nulla ſubjecta ſententia nec ſcientia?* inquit Cicero. Forte interim non inconveniens fuiſſet, alicubi, circa illa, quæ cenſuram merentur, orationem, parænesios purpura ſplendentem, convertiſſe ad ſuperiores poteſtates. at, fateor hac in parte me leporem eſſe, & quam diſſimilem illis,

—— Qui dare jura leonibus audent,
Conanturque truces ſine vi frænare potentes.

more hoc ſeculo recepto mea ad pompam non compono, nec in parte felicitatis colloco, in omnibus bibliopoliis legi, & per ingenii fœtus fatigare quotquot in ampla urbe ſunt præla. Cum Callimacho hymno Apoll.

οὐκ ἀγάμαι τὸν ἀοιδὸν, ὃς οὐ πόντος ἀείδει.

Ad hoc ſcio, ſcribacitatem garrulitate longe turpiorem eſſe, cum iſta in auras evaneſcat, illa diſtendat bibliopolia, & ad exenteranda ſæpius marſupia, quam ad erudiendos alios ſit accommodatior. Denique, Chriſtus me docuit omnes illos Phariſæorum exemplo Matth. 6. verſ. 2. *perceptam habere mercedem ſuam*, qui libris ſcribendis, nullum alium in finem vacant, quam ut aut poſſint amplam ſui famam excitare apud homines; aut placere ſuperioribus, aliiſve, à quorum cauſſa defenſa, ſive honores ſive præmia exſpectant; aut etiam in pretio haberi ab improvida juventute, cui ſæpe, magno profectuum diſpendio, excutiuntur meliores authores per illos, qui omnia ſuæ profeſſionis capita, contra quoſcunque etiam adverſarios, ſuiſmet ſcriptis complecti allaborant.

XV. Forte quis dicere poſſet, me in his ipſis Exercitationibus, alicubi, præter veritatis patrocinium, affectaſſe aliquam gloriolam, quod inſtituerim, quædam diſtinctius explicare, quam ab aliis factum fuit. Sed, non huic opponenti, verum tibi, (mi Lector) provocando pariter ad ipſam rem præſentem, dico, me hoc quam parce egiſſe, ſimulque reliquiſſe aliis materiam uberioris tractationis, & ut, (ſecundum Varronem in lege

Mænia)

Digitized by Google

Mænia) *in bona ſegete neque nullum eſt ſpicum nequam, neque in mala non aliquod bonum*, ita (teſte eodem lib. 6. de LL.) *nemo eſt reprehenſus, qui è ſegete ad ſpicilegium reliquit ſtipulam.*

XVI. Ad quædam ſpecialia Exercitationum capita me convertere debeo, quod ratione illorum, plurimi, (quos tamen calumniatoribus abſit! ut mox accenſeam) genuinos ſuos non minus exacutos, quam accinctos habeant, ut innoxium Authorem non modo mordere, verum etiam dentibus ſuis dilaniare queant. Incipio vero à cauſſa Canonicorum Ultrajectinorum, quam, variis Exercitationibus ſic ago, ut tamen nunquam dixerim, omnia circa Capitula in Urbe patria uſque adeo caſtigata & exacta adhuc eſſe, ut nihil occurrat, quod ulteriorem emendationem non efflagitet. Neſcio autem an gratulari mihi debeam, quod D. Giſberti Voetii filius, Nobilis ſcil. ille Paulus Voet, in Præf. nupero ſuo libro præmiſſa, teſtetur, me ad agendam hanc cauſſam, *nec munere à manu, nec à lingua, nec ab obſequio conductum* fuiſſe; ſiquidem cogito forte, dum hæc ſcribo, ſæpe verum evadere, quod Menander dicit:

ἡ γλῶσσ᾽ ἁμαρτάνουσα τ᾽ ἀληθὲς λέγει·

atque quod in ſcripto publico adverſariorum Vatinius patrocinium innocentiæ meæ præſtet, uni Deo καρδιογνώστῃ acceptum refero, qui ut in poteſtate ſua habet linguas & ſtylos ipſorum Bileamorum, Caipharum, & Pilatorum; ita novit, me ordini honorato (cui tamen ſub initium Reformationis mei majores, etiam cum invitarentur, renuerunt aſſcribi) amore ſolius veritatis qualecunque patrocinium paraſſe, atque patriæ voluiſſe oſtendere, quales homines in præjudicium ſuorum civium (qui à novis inquilinis haud aliter atq; Lycaonis fratribus excipiuntur) in ſinu ſuo foveat. ſimul ut poſteritati conſtaret, ſeculo hoc, intemeratæ fidei viros adhuc ſuperfuiſſe, qui maluerint juſtitiæ & veritati magno rei ſuæ incommodo patrocinari, quam blandiendo dominantibus, ſublimiores cathedras occupare. Nec tamen more Myconiorum (videatur Athenæus lib. 1. Dipnoſoph.) non invitatus interveni: vivunt per Dei gratiam adhuc nonnulli, viri vere eximii, qui, ut initio expiſcati ſunt qualecunque meum judicium, circa bona Capitularia, ita ex eorundem conſilio premo juſtæ molis librum Belgicum, oppoſitum gemino ſcripto ejuſdem idiomatis D. Giſberti Voetii, ſane ex falſis narrationibus, & ἀπροσδιονύσοις citationibus, non modo Scripturæ, verum etiam teſtimoniorum humanorum conſuto. An alius quis, contra legem Talariam, ſuppreſſo nomine, ex meo prolixiori ſcripto (ut narrantem audio loco dicto Nob. P. Voet) brevius ſtylo floridiori (cui tamen in tractatione rei

ſcriæ

ſeriæ ſerius veritatis ruſpator nunquam ſtudet) concinnarit, digitum non verto. Si luberet omnia proponere, quæ circa Canonicorum cauſſam habeo digeſta, juſtæ molis volumen in Folio, ut loquuntur, exhibere poſſem. Teſtis mihi conſcientia, ſolidiora duntaxat ſectatum fuiſſe, atque ſexcenta, partim ſtatuta, partim decreta (quorum major pars diſtractionem Præbendarum concernit) ſepoſuiſſe, quod, omnibus ad vivum excuſſis, non queant juſta ratione, cauſſæ controverſæ patrocinari. Propoſitum mihi perpetuo eſt, nullo, in quacunque etiam controverſia, argumento uti, quod, cum ex parte ſolum faveat, alia parte reconditum habeat telum, quo feriat authorem ſuum. Alias, cum Marone lib. 7. Æneid. dicere poſſum:

Nunquam acies, nunquam arma libens in prælia movi.

Nec, poſt majus volumen, duobus libellis eidem cauſſæ patrocinatus fuiſſem, niſi intolerandum in modum, usque ad *Heterodoxi* convitium, non modo traductus fuiſſem à Giſberti Voetii filio & ejuſdem diſcipulis, verum etiam à quodam Reverendo & Celeberrimo viro, à quo ſane aliud quid exſpectaſſem. Quo vero ſucceſſu, cauſſæ (ad quam excutiendam animo ſincero atque veritatis amore acceſſi) patrocinatus fuerim, judicent illi, qui ad legendum & judicandum illud adferre poſſunt, quod à te, mi Lector, ſtipulor. Mihi perpetuo placebit illud Martialis lib. 9. Epigr. 38.

—— Cœnæ fercula noſtræ
Malim convivis, quam placuiſſe cocis.

Coqui ſiquidem, inſtar figulorum & fabrorum apud Heſiodum, amant ſibi invicem detrahere, atque propemodum unuſquisque eorum, pro ſe dicit, quod ille ex gente Magirica apud Plautum Pſeud. 2. 2. *Non item cœnam condio, ut alii coqui*; atque, alter gentilis prioris, apud Alexidem: θαυμαςὸν ἐμὸν τὸ χρῆμα πάνυ. Quandiu orbis ſtabit, verum quoque erit illud Arbitri:

—— Non omnibus unum eſt
Quod placet: hic ſpinas colligit, ille roſas.

Interea non miror modo, verum ex animo quoque deploro, Rev. D. Giſbertum Voetium uſque adeo depuduiſſe, (ſi non ſimul & ſcotomate fuerit percuſſus, & conſcientiæ ſuæ vim fecerit) quod vix integra pag. (ſive pag. 161.) partis poſterioris Conſilii Theologici, continuato filo connectat XII. ſubſequentia mendacia. Nam 1. horrendum eſt mendacium quod anno 1649. Ultrajecti fuerit *diſperſus* (Belg. geſtropt) libellus Belgicus adverſus ſententiam Senatus Ultrajectini: quum publice conſtet, huncce libellum, more aliorum librorum, ad Bibliopolas miſſum & ab iis diſtra-

diſtractũ fuiſſe. 2. Æque falſũ, quod hic ipſe *Voetius* & D. **de Maets** eo libello calumniis graventur, (Belg. **worden gepaſquilleert**) quum nihil de his Duumviris dicatur, quod non *tam clarum ſit, ut ſolis radio poſſet ſcriptum videri*, ut utar locutione Tertulliani ex libell. de Reſurr. Carnis cap. 47. prout liquere poterit, ſi ſingula diſtincte excutiantur. 3. Pariter per craſſum mendacium placetur Patri mendaciorum diabolo, quando dicitur, quod anno L. hujus ſeculi, liber meus *de Bonis vulgo Eccleſiaſticis*, evulgatus ſit contra decretum & voluntatem Synodi, (Damnonenſis ſcil.) quum quinque menſibus ab evulgato libro Synodus demum coierit. 4. Similiter falſiſſimum eſt, quod ego librum illum evulgarim, nullum alium in finem, quam ut poſſem occaſionem excitare, contradicendi, traducendi, atque ſubſannandi (Belg. **tegenſpreecken / ſchenden / laſteren / ende beſpotten**) hunc ipſum Voetium, Dematium, aliosque eorundem Collegas. 5. Ejuſdem notæ eſt, quod vir hic candidus, pro ſolito ſcil. ſuo candore, dicit, & ſimplicibus hominibus perſuaſum cupit, me toto illo libro aberraſſe à limine, nec attigiſſe quæſtionem propoſitam. 6. Sycophantice, & ſimul mendaciter agit hic ipſe Rev. Theologus, quando de argumento libri mei majoris, vult judicari ex duabus laciniis libellorum Apologeticorum, ſubſequentibus annis evulgatorum, quum iis duntaxat quædam propter adverſariorum digreſſionem dicantur occaſione cauſſæ principalis, non vero ea principaliter iis locis, prout alibi fit, tangatur. 7. Falſiſſimum in ſpecie, me pag. 158. Diſſertationis Politico-Hiſtoricæ de Bonis vulgo Eccleſiaſticis dictis, determinare cauſſam principalem, quum duntaxat Exegetice elucidem quendam Ambroſii locum de uſu Bonorum Pſeudo-ſacrorum tempore neceſſitatis. 8. Falſiſſimum itidẽ in ſpecie eſt, quod in Epiſtola ad D. *Hoornbeeck* (cui tantus quaſi Theologus hactenus non ſuſtinuit reſpondere) *Aggæi Albadæ* judicium laudem, tanquam quod quæſtionẽ terminare poſſit, quum caſtigatis antea modeſte iis, quæ D. *Hoornbeeck* ἀπροσδιονύσως ad Bullam Papę commentatus erat, innuam me talo judicium vulgaturum eſſe. 9. Falſum itidem, me verbis, ex conſilio *Albadæ* excerptis, concludere Diſputationem principalem, pugillo quaſi comprehenſam. 10. Falſo dicitur quoque, quod Conſilium Theologicum non adverſetur judicio *Albadæ*; nam ſi bona Pſeudo-ſacra debeant haberi *patrimonium Chriſti*, quod violari non poſſit, nec aliis uſibus quam ſacris (niſi forte extrema aliqua neceſſitas publica urgeat) deſtinari, (huc vergunt omnia, quæ in Conſilio Theologico dicuntur) quomodo Magiſtratus poterit privatis familiarum illuſtriorum neceſſitatibus ex talibus bonis conſulere, ut credulo ſuo Lectori perſuaſum

 vellet

vellet verax ſc. *D. Voetius*, tantum ut meum ſcriptum in ſiniſtram ſuſpicionem adducere poſſit. 11. Falſum eſt, unquam DD. Canonicos (quibus intempeſtive D. Voetius adulatur, quum alias eos habere conſueverit pro Achanis ſociis) declaraſſe, nolle ſibi quid negotii eſſe cum grandiori meo libro. 12. Multo magis falſum eſt, & impudentiſſimum mendacium, eo nomine me conqueri in Diſſert. Hiſtorico-Politica pag. 97. 98. & 147. niſi forte ea, quæ refero per paucos è Canonicis (Deus novit an non artibus Voetianis) accidiſſe Typographo, imputari debeant toti ordini Canonicorum Ultrajectinorum, cui qualemcunque meum conatum hactenus quam acceptum eſſe, certo novi, & mecum plures alii. Arbitrare (obteſtor te) mi Lector, pro tuo candore, quid exiſtimandum ſit de hoc homine, eodemque Theologo, qui aperto capite una pagina in ſcripto publico duodecies mentiri audet? Imo arbitrare, quid exiſtimandum ſit de Voetiis omnibus, patre ſcil. Giſberto, ejuſdemque filiis. Anno 1651. Ultrajecti ex officinâ *Ioannis à Waesberge* prodiit libellus, inſcriptus *Martinus Schoockius* Ἀπροσδιόνυσος, cujus Author licet voluerit latere ſub literis S. C. alius tamen non debet haberi quam Nobilis Paulus Voet, ille ſcil. Sacerrimus Calumniator: prout patet ex chartis manum illius referentibus, è Typographia ad me delatis, & teſtimoniis virorum Reverendorum, qui quum ſtudiorum gratia Ultrajecti eo tempore morarentur, chartas Paulinas manu Giſbertina interpolatas notarunt in Typographia, quam quotidie frequentabant. Hi ipſi vero DNN. SS. CC. ſive venerandi Voetii, tanquam inſigne mendacium pag. 24. lin. 22. mihi objiciunt, quod dixiſſem *Voetium* (Rever. ſcil. Giſbertum) *ſolum*, *Manuſcriptum confeciſſe*, h. e. Theologicum Conſilium, (Theologiſch Advijs) quod eo tempore duntaxat Ms. circumferebatur; quum tamen parte ſecunda van het Theologiſch Advijs pag. 151. hoc expreſſe de ſeipſo teſtetur ipſe pater Voetius, ſive Venerabilis DN. *Giſbertus Voetius*, addendo, ſe, ut hoc ſcriptum adornaret, mandatum accepiſſe à quatuor ſuis fratribus, nempe De Maets / *Heycopio*, *Spruytio*, & de Bruyn. Amplius iidem DNN. SS. CC. pag. 25. lin. 8. dicti libelli, mihi exprobrant velut mendacium, quod dixerim, *Theologos Ultrajectinos contra abuſum bonorum Eccleſiaſticorum*, *nubes humanæ authoritatis non verbum Dei adducere*; quum tamen ipſe pater Voetius tali titulo inſignierit alteram partem Theologici ſui Conſilii. Verba inſcriptionis, quæ Belgica, ita habent: Wolcke der Getuygen / ofte / het twede deel van het Theologiſch Advijs. Atque cum oportuiſſet primo loco collocari Scripturæ Teſtimonia, nulla omnino diſtincte, ſed duntaxat incidenter

anno-

Digitized by Google

annotantur, atque initium fit à teſtimonio Lutheri, à quo ut homine, nihil humani alienum fuit. Interim vir Rever. ſibi usque adeo plaudit circa hunc ſuum centonem (conſilium Theologicum innuo) ſimulque ei, qui eundem examinare voluerit, hanc legem præſcribit, ut illud à capite ad calcem ordine agat: ſed quæ iniquitas, ſi hæc non eſt? Cur eadem ratione non eſt examinatus meus liber de Bonis Pſeudo-ſacris? Aut, cur à Rev. Voetio inſtigatus Cl. D. Hoornbeeck, contra meam mentem, imo (ſcapham ſcapham vocare debeo) contra officium boniviri, nedum tanti Theologi, totum librum ad quatuor redegit Hypotheſes, ſive totidem Chimæras? quas ante quadriennium ad non Entium claſſem per modeſtiſſimum ſcriptum à me redactas, ab eo tempore tam amplæ famæ vir in integrum reſtituere haut quivit. Aut, cur ipſe D. Voetius, ut modo oſtendi, tam injuſte & inique mecum agit, ut ex paucis ſcriptorum meorum laciniis, aut aliena, aut πάρεργα concernentibus, velit ab ipſis Idiotis judicari de mea ſententia circa Bona Pſeudo-ſacra, & Canonicos, ſpeciatim Ultrajectinos? Quaſi vero è tegula judicari poſſit de domus elegantia, licet eam inſulſus quis, & barba tenus Philoſophus (teſte Caryſtio) Corinthi aliquando circumgeſtaverit, quum emptores ædium ſuarum quæreret. Et tamen hic ipſe D. Voetius obteſtatur omnes, aliter ne agant, niſi conſcientiæ ſuæ ſimul vim inſerre voluerint. Judica, mi Lector, an non *frons* hujus hominis (juxta Prophetam Jeſaiam cap. 48. 4.) *ſit chalybea*? At age, mi D. Voeti, (ſiquidem compellor te alloqui) conditionem quam toties offers, accipio, & à primo ſolio ad ultimum, ſcriptum tuum ἀπροσδιόνυσον citra ulla dicteria examinabo; verum ea lege, ut tu ſimul ſpondeas, te à capite ad calcem examinaturum eſſe, duntaxat tres ex hiſce meis Exercitationibus, eas ſcil. (optionem relinquo) quas putaveris maxime præjudicioſas eſſe præconceptis tuis opinionibus. Interim coram toto orbe pronuncio, quum altera pars Conſilii Theologici conſtet paginis ducentis & octuaginta quatuor, me paratum eſſe, ſive coram Ampliſſimo Urbis patriæ Senatu, ſive Venerando ejuſdem Urbis conſiſtorio, oſtendere, te amplius quam trecenties æque certo mendacium ſimplici Lectori propinaſſe, atque in una, eademque vix integra pagina modo duodecim notavi: ex quibus, ſi, vel unum, aut tu, aut filii ad arcem veritatis, per Sophiſticam, ſolitasque veſtras artes deducere conati fueritis, prædico, felicius hoc vobis non eſſe ſucceſſurum, atque cum filius tuus natu maximus, Nobilis ſcil. ille Paulus Voet, niteretur veritatis plumis exornare quoddam tuum mendacium, ipſis Theſibus inſertum, contra amicum Conſtantis Alethini. Ad

 te

tæ redeo, (mi Lector) quem rogo, quum publice interſit, inquiras in molimina viri, ad quem coactus fui orationem convertere. Jam anno 1651. in quodam illius libello, evulgato per filium ejuſdem primogenitum, conſtante duntaxat pagellis centum & quadraginta quatuor, notavi trecenta mendacia & calumnias, æque manifeſta, atque quondam in Plauti Comœdia mœchus fuit: ab eo vero tempore ne quidem unum inſtituit diluere, quia nullum poteſt; nihilominus apud ſuos tuitus eſt exiſtimationem, & forte tuebitur poſt hac quoque. Ne vero, tu pariter, qui ſalutis æternæ ſtudioſus es, circumveniaris, cogites, te mecum incidiſſe in illa tempora, de quibus Propheta Jeſaias dixit cap. 59. 14. quod *corruat in platea veritas, & æquitas non poſſit incedere*; atque, ſecundum eundem Prophetam (cap. 28. 14. 15.) fuiſſe *dominatores Ieruſchalaimis*, qui *diſpoſuerant fallaciam receptum ſuum, & in mendacio abſconderant ſe*. Eoque, ne pudore quidem afficior, quod per hoſce homines in patria urbe apud cives, atque amicos & fautores antiquos, imo ipſos quoque propinquos, mei odium jam diu fuerit procuratum, quoniam abunde ſolatii invenio in Jehovæ ſacrario, quod ſæpe ingredior, ipſo Spiritu Sancto edicente per Salomonem cap. 19. 5. *Teſtis falſitatum non impunis erit, & conflator mendaciorum non preripiet ſe.* Doleo vero vicem eorum, qui videri poſſent (Deus ſcrutator cordium omnia novit, ſuoque tempore patefaciet) uti opera Architecti conſilij Theologici, contra Capitula & ordinem Reformatorum Ultrajecti Canonicorum. certe longe alia, eaque veriora atque utiliora, ex ipſis penetralibus juris Capitularis ſuggeri potuiſſent. Ut perpetuo præſuppoſui, circa Capitula Ultrajectina, prout hoc tempore ſunt ordinata, varia occurrere, quæ admittere poſſint ulteriorem limam, cum bona venia Dominorum Capitularium, ducendam per ſupremas Provinciæ patriæ poteſtates; ita mihi in proclivi, oſtendere modum, quo ſalvis Capitulis eorumque juribus, tum Provinciæ Ultrajectinæ annuatim decies milleni floreni, tum ſingulis Canonicis, (etiamſi amplius quam centum ſint) præter honeſtum & ſpectabile munus florenorum centuria quoque pariter anno procurari queat, civitati vero Ultrajectinæ talia & tanta ornamenta, qualia hactenus in nulla urbe, ubi ſonat Reformata Religio, notata fuerunt. Nec praxis hujus conſilii futura difficilis, modo antea in ordinem redigantur πολυπράγμονες Theologi, qui ſolent perpetuo ſatagere circa aliorum conſcientias, (quas exemplo Pſeudo-Apoſtolorum tantum poſſunt ταράσσειν Gal. 1. verſ. 7. & 5. verſ. 10.) ne propriæ morſus & vellicationes perſentiſcant. Non ſunt hæ ſpeculationes Utopicæ, nec ego aut natus ſum gente ſumivendulorum, aut ſimilis Architecto Conſilii Theo-

logici,

Digitized by Google

logici, qui ordinem honoratiſſimum duntaxat territare potuit larva falſarum hypotheſium, citationum, & narrationum, ſuppetias advocato vulgo (ideo Conſilium Belgice prodiit) quod peſſimus judex veri eſt, nec ultra corticem, ad interiora rerum penetralia pertingere poteſt. Si modo juſſerint, quorum aut intereſt, aut quibus obſequii gloriam debeo, quæ amplius quam unius anni ſpatio perpendi & percoxi, lubens communicabo, totique orbi tum conſtabit, hominem, propter peregrinos & maleſanos quoſdam homines, in patria per plures annos nulla ſua culpa neglectiſſimum, plus ſubſidii & ſolatii ejuſdem civibus procuraſſe, atque à quatuor Academiis, Tripode licet gaudentibus, ſperari queat.

XVII. Indignabuntur & plurimi, quod Trapezitis, (qui jam diu præter omnem ſuam culpam incurrerunt odium publicum) patrocinium præſtiterim. Sed, velim iidem cogitent, me neque primum pro iis dicere inſtituiſſe, neque ſolum quoque. Si quis alius, ordini eorum, ut ſcripta mea quoque docent, aliquando infeſtiſſimus fui, quod omnia diſtincte nondum expendiſſem. At poſtquam veni Daventriam, familiarius conferre cœpi cum τῷ πάνυ D. Nicolao Vedelio, Theologo Orthodoxo accuratiſſimo, qui ſæpius teſtatus mihi fuit, ſe, ex quo Geneva in Belgium veniſſet, & in hanc controverſiam inquiſiviſſet penitius, judicaſſe, præjudiciis innoxios Trapezitas gravatos fuiſſe. Prodierunt deinde tria juſta volumina virorum ſummi D. Salmaſii, quæ cum initio oſcitantius legiſſem, occaſione certa diſtinctiſſime legere & pro qualicunque meo judicio examinare inſtitui. Cum enim vir quidam Ampliſſimus, rerumque uſu inſtructiſſimus, idemque Conſularis reip. Ultrajectinę meritiſſimus, anno 1643. ab Illuſtriſſimo Ordd. Generalium Conſeſſu (cui adhuc hodie per Dei gratiam ornamento eſt) in hanc urbem, ad componendos provinciæ motus, cum aliis delegatus eſſet, ipſeque in familiari Colloquio (ad quod me admiſerat) forte dixiſſet, optare ſe, quæ Salmaſius diffuſius de cauſſa Trapezitica diſſeruiſſet, ab aliquo in compendium redigi; ſuſcepi hanc in me operam, & mox tria illa volumina Salmaſiana non modo pervolutare incepi, verum etiam (plurimis occupationibus licet diſtraherer) intra medium annum accuratum concinnavi compendium, quod & viro illi vere Eximio (quem grato animo perpetuo prædicabo, promotorem unicum conatuum meorum ferme puerilium) obtuliſſem, niſi paulo poſt incidiſſem in rixas cum Celeberrimo D. Voetio, atque hujus ſtomachus cedere neſcius, non modo hunc virum Ampliſſimum, verum plures alios quoque in patria à me alieniſſimos reddidiſſet. Interea gratulatus mihi ipſi ſum, quod erroris profundo fuerim edu-

ctus, atque, de hac controverſia dilucidius, præeunte Salmaſio, poſſim judicare: ſimul, argumenta nova excogitavi, & quædam Salmaſiana partim elucidare, partim interpolare inſtitui. Quo ſucceſſu, judica ipſe, mi Lector, atque ad Exercitationis Undevicesimæ lectionem adferto animum ab omni præjudicio liberrimum.

XVIII. Porro, ut ſpero me veniam facile impetraturum eſſe, quod communem Theologorum ſententiam propugnem circa ſtatos dies feſtos, ita, non putem, me cenſuram quoque promeritum eſſe circa Sanctificationem diei Dominici: cujus occaſione, licet conſiderem cauponas, eo die patentes, ex animo tamen optarem (modo fieri poſſet) earum quoque nomen obliterari poſſe. Nolui vero tangere ea, quæ à rigidioribus quibuſdam Theologis, antehac Ultrajecti pro ipſa concione ſunt dicta, nec expendere illa, quæ ipſi Ampliſſ. illius Urbis Magiſtratui ſunt ſuggeſta. Qui dominatum in Eccleſia obtinent, dominari quoque videntur auribus ſuorum auditorum, adeo, ut hi credere debeant ſe non audiviſſe illa, quæ alias bibulis & purgatis auribus excepiſſe videbantur, quod ita videatur iis, qui Reverendi audiunt. Satis mihi fuit, quaſdam Theſes D. Voetii, ejuſdemque Lacrymas, à Crocodilo fuſas, ad cenſuram vocaſſe. Tanti autem Theologi Præciſitas circa obſervationem quarti Præcepti, jam olim non placuit ipſis **Synodis Belgicis.** Ut oſtendi poſſet adducto decreto Synodi Iſelſtadianæ, in quo quoniam præter Dn. Voetium alii quoque nominatim notantur, hoc quidem tempore illud adhuc premendum videretur; ſufficeretque ſupra digitum intendiſſe in decretum Synodi recentioris, Dordracenæ ſcilicet: Sed, cum illi ipſi, qui videri volunt Doctores per omnia infallibiles, dicantur eo uſque proceſſiſſe, ut perſuaſum cupiant, nihil in dicta Synodo adverſus ſe definitum eſſe, rogo, inſpiciantur Acta Synodi Suyt-hollandicæ anno 1626. habitæ Iſelſtadii, atque ea, quæ decreta ſunt circa Art. 32. concernentem gravamen Claſſis Schilandianæ. Certe ego nihil aut tango, aut intelligo, aut dicto articulo notati ſunt illi, qui, circa obſervationem diei Dominici, præſumebant nimis eſſe præciſi; ſimulque injunctum fuit D. Teelingio, Spiliardo, & Voetio, ut, ſuam ſententiam de ſanctificatione diei Dominicæ preſſius declararent.

XIX. Scio, & vitio mihi verſum iri, quod aliarum Eccleſiarum regimen Eccleſiaſticum tolerabile pro tempore ſtatuam. A quo ut me purgem, dico, me ſtatuere, Presbyteriale Eccleſiæ regimen, Scripturæ & antiquitati Eccleſiaſticæ quam maxime conſentaneum eſſe, atque Hierarchiam omnem ab Eccleſia Chriſti proſcribendam; item Magiſtratus debere quidem æſtimari nutricios

Digitized by Google

nutricios Eccleſiæ, nec tamen iis deferendam circa ſacra talem poteſtatem, quæ præjudicioſa ſit libertati Eccleſiæ. Interim perpetuo cogitandum, Eccleſiam militantem multum diſtare ab Eccleſia Triumphante, atque, in illa multos nævos eſſe tolerandos; cumque Eccleſia militans ſe ſubmittere debeat ut plurimum Politiæ, ratione illius quædam circa regimen Eccleſiaſticum ſæpe aut diſſimulanda, aut admittenda eſſe, quæ alias abeſſe præſtaret. Quiſquis tamen hæc intempeſtive, ſive tollere, ſive traducere inſtituit, quid aliud facit, quam ut prodat ſuam imprudentiam, ſignumque det ad concitationem variarum turbarum, dum inſtituit τὰ ἀκίνητα κινεῖν. Ob conditionem peculiarem militantis Eccleſiæ, mihi admodum probatur talis verbi Divini miniſter, qui non modo ratione regiminis Eccleſiaſtici & rituum, verum etiam naturæ hominum, inter quos vivit, poteſt eſſe (quod Plato ex Æſchylo bis citat & commendat) ἄλλος πρὸς ἄλλην πόλιν πεπαγμένος: ad quod, ut requiritur prudentia, quæ raro in feroces juvenes cadit, ita, qui ea pollet, non mox futurus aut laxus Caſuiſta, aut Proteus, ut à multis jactari audio. Quorum hominum principia ſi quis attenderit, ſanandis Eccleſiæ ulceribus nunquam oportuerit admovere μαλακὴν χεῖρα, ut Pindarus loquitur; ſed perpetuo cauterium & ſcalpellum: graviterque peccarit Paulus, quod *Iudæis non modo factus fuerit Iudæus, ex legibus ex lex, verum etiam omnibus omnia, ut ſaltem aliquos lucrifaceret*, 1. Cor. 9.

XX. Quando ago de Patronatus jure, perpetuo præſuppono eſſe quoddam ἥττημα, & nævum qualemcunque Eccleſiæ, quem quoniam per Belgium Synodus Dordracena ſe deſperabat abſterſuram eſſe, præter rationem, exiſtimo illius turpitudinem exaggerari. Nam, cum conſtet, plurimos per Belgium Paſtores, ſecundum juris quaſi Patronatus formulam, ad paſcendum Chriſti gregem vocari, quid aliud faciunt illi, qui in hoc jure exagitando toti ſunt, quam ut ſuorum Symmiſtarum conſcientias non modo territent, verum etiam eorum miniſterium inutile reddant? ipſis adverſariis Eccleſiæ oſtendendo hoſce, quod legitime non ſint vocati, haut mereri haberi genuinos Chriſti miniſtros. Mihi ſolum propoſitum fuit oſtendere, argumenta, quę plenis pelvibus vulgo adverſus hoc ipſum jus profundi ſolent, adeo valida non eſſe, atque à quibuſdam jactatur. Quando, occaſione hujus juris, excurro circa Diaconos noſtros, ſane nihil omnino iis detractum cupio, quum eorum duntaxat mentionem fecerim, ut oſtenderem, multa recepta eſſe in Eccleſia jure Eccleſiaſtico, innitente regulis generalibus Spiritus Sancti in Scriptura loquentis, quæ neque κατὰ τὸ ῥητὸν invenire liceat in verbo Dei ſcripto, aut obſervata fuerint à primitiva Eccleſia. Alias, aſpirante Dei Opt.

Digitized by Google

Opt. Max. gratia, meam ſententiam de regimine non minus Eccleſiæ, quam de Vocatione Miniſtrorum publici juris faciam, ſperoque me, qui laboravi ipſos fontes excutere, omnibus æquis judicibus probaturum, forte non indignum eſſe, qui collocer proxime eos, qui cum aliud non poſſint quam compilare ſcrinia Centuriatorum Magdeburgenſium, Chemnitii, Pleſſæi, Hoſpiniani, Pleſſæi, Rainoldi, Molinæi, Blondelli, Aubertini, & Dallæi, (quos authores utinam bene legerent!) & quorundam Pontificiorum Doctorum, ſpeciatim Adverſaria la Cerda, ejuſdemque notas in Tertullianum, Petavii Animadverſiones in Epiphanium, Opuſcula Fileſaci, Albaſpinæi notas ad Optatum Milevitanum, &c. ſalutantur tamen publice promi condi Antiquitatis Eccleſiaſticæ. Ego aliis applauſum ſeculi non invideo: cujuſque opus Deus & tempus probabunt.

XXI. Non nemo mihi inclementer quoque dicet, quod videar carni fibulam laxare, propugnando tripudia, pocula ſalutis, denudationem corporis, veſtium mutationem, &c. Alii vitio vertent, quod videar propugnare tolerantiam excelſorum Idololatricorum, &c. At, omnes hos & ſingulos coram Domino obteſtor, dignentur tantiſper judicium ſuſpendere, quam Exercitationes, quibus hoc ago, integras legerint. Si ſecundum Icc. incivile habetur, judicare, niſi tota lege perſpecta; næ injuſtum quoque haberi debet, ex una alterave periodo judicare de alicujus Authoris mente, quæ non poſſit colligi niſi ex comparatione antecedentium cum ſubſequentibus. Et tamen hoc antehac ſæpius mihi accidit, atque ſolemne eſt multis, Reverentiæ licet titulo conſpicuis, qui, ſi judicent librum aliquem ſuis præconceptis opinionibus non favere, mox paratos habent diſcipulos & amicos, qui integras Centurias non modo errorum, ſed, ſi Deo placet, Hæreſium quoque excerpunt. Certe, quotieſcunque ad horum ingenium attendo, compellor meminiſſe dicti Theophraſti: Θυμὸς μεθύων φιλονεικίας ὡς ἔτυχε ὁρμαῖς χρῆται. Ad me quod, ſcio, *legem ſpiritualem eſſe*, ut monet Apoſtolus Rom. 7. verſ. 14. atque, ut recte ad eum locum obſervat D. Pareus, *angelicam & divinam integritatem hominibus præſcribere*, ad hoc, ne minimo quidem peccato conſcientiam gravandam, Pſalm 19. verſ. 12. 13. Non tamen perpeti illos poſſum, qui inſidiantur libertati noſtræ, per Chriſtum partæ, atque ſic laborant in effurcillandis adiaphoris, ut putent eſſe grandia peccata, quæ Lex Dei, per Prophetas & Apoſtolos convenientiſſimo explicata, nullibi notat. Specimen in his Exercitationibus dedi, atque, ſi Deo placuerit vitam prorogare, alio tempore plenam exhibebo meſſem.

XXII. Quum

XXII. Quum Sectione ſuperiori Speciminis, Benivole Lector, mentionem fecerim, ignorare te nolo, me hanc Exercitationum telam abrupiſſe, quod liber jam ad aliquam molem perveniſſet, & minus favente gauderem prælo. Decreveram alias, de quinque materiis adhuc agere, ex quibus tamen quintam ſeu poſtremam poſtea abdicavi. Egiſſem de Organis, ſed, dum examino Diſputationes D. Voetii de iis habitas, atque ex antiquitatis Eccleſiaſticæ penetralibus rationem cantus Sacri examino, liber prodit. Deinde, rationem Spectaculorum expendiſſem; verum liber Prinnii citationibus ἀπροσδιονύσοις ſaburratus, (qui dicitur κατ᾽ ἐπιτομὴν Belgice exhibitus eſſe à Rev. D. Hoornbeeck) amplius quam libelli materiam ſuppeditavit. Tertio, rationem Catechizationum examinaſſem, ſimulque ſub cenſuram vocaſſem, quæ pro illuſtranda quaſi antiquitate Eccleſiaſtica, ex aliis conſcribillavit jam nominatus D. Hoornbeeck: at ubi ad medium vix perveniſſem, jam juſti Tractatus materia collecta erat. Quarto, deſtinaram non ex recentioribus quidem Authoribus, (ex iis amplius quam quadraginta vidi, eadem omnes chorda oberrantes) ſed, ex Patribus atque primis Reformatoribus, rationem legitime concionandi delineare, atque oſtendere, Theologos Anglos, cum ſuis admiratoribus & imitatoribus, dum ex quibuſlibet locis Scripturæ ad modum Textuum arreptis, quidlibet colligere inſtituunt, recta viam ſternere ad Enthuſiaſmum, qui pro dolor! in inſula (heu quondam beata!) videtur meditari Thronum erigere; at poſtea vidi, me publice magis profuturum, ſi hoc ſeorſum juſto volumine ξὺν Θεῷ aliquando præſtitero. Interim noli mirari, Lector, quod ſemel atque iterum oblique in hos Tractatus, adinſtar Exercitationum quaſi exhibendos, digitum intendam. Principio deſtinaram quoque, monſtroſis revera Diſputationibus D. Voetii de Falſo, quoſdam caſus à tam diligenti Theologo eodemque Caſuiſta omiſſos ſuperaddere, (quis enim videt manticæ, quod in tergo eſt?) atque oſtendere, indignum eſſe viro bonam fidem profeſſo, nedum Theologo, falſis citationibus integras paginas replere. At, quod hinc inde in ſubſequentibus Exercitationibus compellerer guſtum hujus rei exhibere, deſtiti, contentus hic adduxiſſe ſolummodo D. Ameſium, ita loquentem lib. 5. de Conſcient., cap. 53. Th. 5. *Si quis falſum teſtetur in eis, quæ ſcire & poteſt, & tenetur, & etiam ſcire ſe profitetur, quamvis verum eſſe putet, ille per interpretationem habetur pro non putante, & eo nomine in Scripturis dicitur mentiri, ſicut in falſis doctoribus apparet: qui omnes in Scriptura paſſim dicuntur* mentiri, *quamvis inter illos non pauci ſint, quibus Deus, (ex juſto ſuo ju-*

dicio) immiſit efficaciam erroris, ut credant mendacio 2. *Theſſal.* 2. *verſ.* 11.

XXIII. Dum myrmecino gradu prorepit verius, quam procedit, Præfationis hujus editio, per Bibliopolam mittitur libellus Belgicus à prælo recens, cui præfixus eſt hic titulus, *Canonicus Ultrajectinus* Αὐτοκατάκριτος (Belg. *Den Overtuyghden Canonick*) qui licet à me poſſit negligi, quod is, cui opponitur, ſufficiat patrocinio, & ad me nulla ratione pertineat, quum ex talibus fundamentis, nullo invitante præmio aut ſpe lucri, laborarim antehac, etiam in ipſis Exercitationibus ordini Canonicorum Ultrajectinorum patrocinari, quæ per conſcientiam putabam ſubſterni poſſe, & tam ſolida eſſe video, ut omnes λόγοι D. Voetii in ſecunda parte Conſ. Theol. ea ne quidem labefactare queant, licet popello, latine neſcio, aliud paſſim perſuadeatur, eiq; per fumi mercatũ & inſulſarũ fabellarũ narrationẽ, placeatur ab hiſtrionibus in ſcena hujus mundi, in qua, quotquot Deum ex animo non timent, tuto perſonam circumferre poſſunt. Author hujus libelli gerit ſe pro Verbi Divini Miniſtro [ſiquidẽ ita videor colligere ex tribus literis in frontiſpicio apparentibus V. D. M.] magnoque zelo, ſed qualem Sp. Sanctus in Jehu notavit, non minus contra Canonicos, quam pro D. Voetio æſtuare videtur. Quod nomen illi ſit neſcio, nec divinare poſſum, quid ſibi velint hæ literæ S. P. quas, qui diligentius dictum Tractatum legerit, poſſet interpretari vel per *Stultum Paſtorem*, vel per *Sacerrimum Paſtorem.* Nam revera quædam occurrunt, quæ arguunt hominem non modo laborare τῆς διανοίας ἀῤῥωςίᾳ, ſed, niſi tempeſtive fuerit curatus, media vena pertuſa, propediem eſſe commendandum non modo agnatis & gentilibus, verum per eos quoque Curatoribus Academiæ, quæ Ultrajecti notatur ad finem plateæ novæ prope Cœmiterium S. Nicolai: niſi forte Pontifex omnium ſtultorum, quem Magiſtratus Ultrajectinus, quod amplius intolerabilis eſſet, proſcribere debuit (alias hic pro Voetiis carmen Latinum & Belgicum evulgavit contra Neceſſariam Defenſionem) huic homini Iſelſtadio ſolemnem ſuum habitum mittere voluerit. Nam cum non norit, quid aut dicat, aut ſcribat, nec alias reſponſiones adferre queat, quam illas, quæ à me aliquoties ſolidiſſime ſunt retuſæ, vice aſyli ſibi propoſito Conſilio Theologico (audet hoc vocare pro ſua ſapientia Præf. alt. ad Lect. *een heerlick, onbeſproken Theologiſch advys*) quotieſcunque tenetur, audet nihilominus non modo ſperare triumphum, verum etiam plane ſe ſimilem reddit fatuo Horatiano, de quo ita Poëta lib. 2. epiſt. 2.

Fuit haud ignobilis Argis,
Qui ſe credebat miros audire tragœdos,
In vacuo lætus ſeſſor, plauſorque, theatro.

Ec-

Digitized by Google

Eodem refero, quod usque adeo amore D. Voetii ſit excæcatus, ut perſuaſum habeat, alios ſecum credituros eſſe, meridie diei profundas tenebras eſſe. Licet enim ſub finem Præf. prioris, occurrat horrendum carmen, hiſce Belgicis verbis conceptum: *Voorts betuyge, ick, voor den Almachtigen, die levendigen en doden oordelen ſal, en oock my, voor wien alle dingen naeckt en bloot zijn, oock mijn gedachten, en beſonder bedrijf in en ontrent dit ſchrijven, dat ick hebbe geſchreven,* proprio motu, *door eygen drift, en aenporringe, ſonder van yemand in de werelt daer toe*, direct. of indirect. *in 't alderminſte beweeght of aengeſtelt te zijn*. Novi tamen, tam certo, quam ſcio per Dei gratiam me vivere, D. Voetium eodem modo, cum hoc ſui admiratore egiſſe, quam mecum agere ſolet; nempe ſi non ſubmiſiſſe chartas per tertium, quartumve, ſaltem libellum, cui quaſi reſpondetur, marginalibus notis caſtigatum. Si neceſſum ſit, duos treſve libellos adhuc exhibebo, manu D. Voetii ſic interpolatos, quo tempore oppido adhuc juvenis, loco illius impetum Remonſtrantium ſuſtinebam. Eoque nota, mi Lector, hunc hominem non dicere, ſe omni ſubſidio fuiſſe deſtitutum cum ad ſcribendum animum appelleret, ſed non fuiſſe incitatum ab alio aut extimulatum: ſiquidem D. Voetius pro ſimplicitate ſua, neminem ad ſcribendum extimulat, quando aut chartas, aut libellos, quos notavi, patitur venire in manus ſuorum Hyperaſpiſtarum. Novi magno meo malo, quomodo mecum antehac fuerit actum. At Deus ſuo tempore omnia manifeſtabit. Viceverſa cogitet aliquis, nec ſine ratione, hominem hunc, cenſeri poſſe *Sacerrimum Paſtorem*, atque ordinis ſui propudium, utut proteſtetur, Dei fidem inclamet, atque abutatur Scriptura, quam toties citat. Nam vide, Lector, quo Genio impellente ad ſcribendum animum appulerit. In priori Præfatione proteſtatur, obteſtando Deum τὸν καρδιογνώστην, quod ſcripſerit absque odio, aut, ut loquitur, *buyten perſoneele haet*; & tamen pag. 3. queritur, quod in ſua Eccleſia [ad quam forte per Canonicos promotus fuit] minus commode per ipſos Canonicos fuerit habitus: ſic enim de illis l. d. loquitur: *Iae ick hebbe wel ghehoort, en oock bevonden, in onſe eyghen kerck, datſe het al nemen, of van andere laten doen.* Quo candore vero agat, hinc diſce, Lector, quod Lectorem ſuum, (ut ſcil. tempeſtive diſcat ſerio odiſſe Canonicos) ablegat ad *Theologicum Conſilium*, *Hoornbeeckii Examen Bullæ Papæ Innocentii*, & *S. C. diſſertationem de bonis Eccleſiaſticis*; profunde diſſimulando, me prolixo libro de bonis vulgo Eccleſiaſticis dictis, totum Conſilium Theologicum, etiam antequam typis exſcriptum eſſet, examinaſſe; Diſſertationi S. C.

 hoc

Digitized by Google

hoc eſt, Nobilis Pauli Voet oppoſuiſſe Diſſertationem Politico-Hiſtoricam de bonis iiſdem; atque D. Hoornbeeckio exiguo libello ſic reſpondiſſe, ut hactenus tantus Theologus taceat, certo per Dei gratiam habiturus reſponſum, ſi ſuis Hypotheſibus adverſus meas reſponſiones deſtinarit patrocinium. Utut ſit, hominem hunc miſſum facio cum cœcis ſuis admiratoribus, ſiquidem indignus eſt, cui reſpondeatur, quod ineptiendo ſeipſum evertat, atque ad ſummum cum D. Voetio [ſic agit hic Theologus altera parte Conſilii Theologici, quando quam ſpecioſiſſime argutari verius, quam argumentari videtur] nihil aliud notare poſſit, quam quoſdam abuſus in ordine Canonicorum Ultrajectinorum, de quorum veritate ubi conſtiterit [hactenus enim adhuc dubia eſt] omnes pacifici Theologi ſerio conſilia inire deberent, de iiſdem, ſalvo ipſo ordine, tollendis. Ego ſupra Rev. D. Voetio conditionem obtuli, atque, ſi nolit me admittere, ad exhibitionem amplius quam trecentorum partim mendaciorum, partim falſitatum, partim ſubleſtarum citationum, occurrentium altera parte Conſilii Theologici, profiteatur publice ſe per ſemetipſum reſponſurum eſſe brevi examini, ſed ſecundum lineas inſtituto, quod tum propediem per gratiam Omnipotentis publice lecturus eſt; ita tamen ut in anteceſſum eundem moneam, dignetur inter ſcribendum memor eſſe admonitionis Ciceronis, ita loquentis Orat. pro Cælio: *Illud te, (ſi quis es) Atratine, eſſe admonitum volo: primum qualis es, talem te eſſe exiſtimes: ut quantum à rerum turpitudine abes, tantum te à verborum libertate ſejungas: deinde, ut ea in alterum ne dicas, quæ cum tibi falſo reſponſa ſint, erubeſcas.*

XXIV. Redeundo ad lineas hujus Præfationis, quæ per interveniontem, ſed vere ἀπροσδιόνυσον libellum τοῦ Δεῖνα aliquatenus turbata eſt, aliquid monere debeo, de quæſtionibus Theologico-Practicis, quas hiſce Exercitationibus plenius diſcutio. Atque, cum conſtet, pleraſque earum moveri, de rebus, quæ ſi abſolute in ſe conſiderentur, haberi debeant Adiaphoræ, iis, quos noto, non aliter ſum infeſtus, quam quatenus circa illas talem faciunt determinationem, ut conſcientiis laqueum injiciant, eripiendo iiſdem libertatem. Novi apprime, Dei admonitionem de obſervanda lege ſua, etiam Chriſtianos ſpectare, atque, ſub ipſis temporibus N. T. audiendum eſſe Deum, ſic loquentem Exod. 23. 13. *In omnibus, quæ edixero vobis, cuſtodite vos.* Interim tamen hoc quoque novi, ex eodem Dei verbo, ut ut commendetur Precisitas, toto cœlo diſtans à Paulina ἀκριβείᾳ, inter ἀδιάφορα, & illa, quæ expreſſe à Deo aut ſunt præcepta, aut prohibita, plurimum intereſſe, atque, per conquiſitas conſequentias verius quam rationes, Adiaphora

phora ſic non eſſe determinanda, ſive pro concione, ſive in Catechizationibus publico-privatis, ſive in lectionibus Academicis, multo minus in publicis ſcriptis, ut condemnentur illi, ſive expreſſe, ſive per conſequentiam, quibus certum fuerit ſua libertate uti. Quis enim non exhorreſcat ad hoc Pauli monitum Rom. 14. 4. *Tu quis es, qui condemnas alienum famulum? proprio Domino perſtat, aut cadit.* Interim viceverſa, abſit, ut condemnem ſimul eos, qui hic ſunt infirmi, & hypocritas mox vocem, qui V. C. nolint aut Santeas bibere, aut barbam detondere, aut promiſſos capillos alere, &c. Dei verbum me docuit, de conſcientia alterius, per neminem mortalium poſſe judicium ferri, antequam à Spiritu Sancto detegatur. Quo ſenſu à Paulo dictum eſt, 1. Cor. 4. 5. *Ne ante præſtitutum tempus quicquam judicate*, id eſt, *uſquedum venerit Dominus.* Eoque hujuſmodi homines ſimiles putaverim eſſe viro illi, cui propter infirmitatem judicii conſilium datur, *ut oleribus veſcatur*, Rom. 14. 2. quod præ ſtupiditate capere non poſſet, per adventum Chriſti in carnem, legem Cæremonialem de differentia ciborum ſublatam eſſe; quales nullatenus humano judicio condemnandos aut vexandos eſſe, idem ipſe Apoſtolus innuit, quando Comm. proximo ſic loquitur: *Qui edit, non edentem ne pro nihilo habeto, & qui non edit, non edentem ne condemnato.* Atque, ut de meipſo pauca interſeram, quanquam puto in ordine Canonicorum Ultrajectinorum nihil occurrere vitii, ut toties docui & probavi, nunquam tamen per Dei gratiam permittam, ut, me vivo, aliquis ex filiis ei adſcribatur, pluribusque conſtat, me proletarium licet, jam bis recuſaſſe admittere Vicariatum, pro continuandis quaſi horum ſtudiis, ne viderer patrocinio bonorum Pſeudo-Sacrorum ſtylum antehac commodaſſe, ut quid ex illis, in uſus meorum redundare poſſet. Ego, per Dei gratiam, didici parvo contentus eſſe, nec aliis divitias invideo, vovendo ſolum, ne plurimi illi, quos pro iis cogendis noctes atque dies, aliis omnibus relictis, laborare video, accenſeri debeant illis, de quibus David dicebat Pſ. 17. 14. *Ab hominibus eripe manu tua, Iehova, ab hominibus è mundo, quorum portio eſt in hac vita, quorum ventrem imples recondito theſauro tuo.* Licet ergo infirmos hos non condemnarim, ita nihilominus condemnare per conſcientiam poſſum, doctrinam minus Orthodoxam de uſu Adiaphororum, quæ ſcil. infirmos illos non modo confirmat, verum etiam aliis laqueos injicit. Nam, licet Paulus Apoſtolus Corinthios, ut modo oſtendi, noluerit perſonæ ſuæ judices eſſe, ad eorum judicium tamen de doctrina, in eadem Epiſtola provocat, quando dicit, *ut intelligentibus loquor: judicate vos, quod ajo*, 1. Cor. 10. 15. & Theſſaloni-

cenſes jubet eodem pacto, *omnia probare, quod bonum eſt, retinere*, 1. Theſſ. 5. 21. Fateor quidem, multos bonos ringi, in Eccleſia Orthodoxa notari hæc certamina inter ipſos Orthodoxos Doctores, & Theologos; atque optandum eſſe, ut *perſtantes in uno Spiritu, poſſemus uno animo concertare per fidem Euangelii*, Phil. 1. 27. At, hoc voveri magis poteſt ab Eccleſia militante, quam impetrari. Cum hac, ex admiranda Dei diſpenſatione, atque, ut vere pii æſtuent vehementiori deſiderio ſuæ patriæ, ferme eodem modo agitur, atque Melanthius apud Plutarch. lib. de aud. Poëtis, dicebat agi cum Athenienſium civitate, quam exiſtimabat *conſervari oratorum diſſidiis atque turbis, quod in diſſidio quid eſſet quod revelleret à damnoſa parte urbem, adeo ut univerſi non inclinarent in unum parietem.* Atque, ut pauca à Nazianzeno commodato accipiam ex prima illius Oratione de Concordia: χρείσσων ἐμπαθοῦς ὁμονοίας ἡ ὑπὲρ ευσεβείας διάστασις: *Melius eſt pro pietate diſſidium, concordia fucata.* Et poſtea ſic per interpretem: *Nemo arbitretur me dicere, omnem pacem acceptandam eſſe. Novi enim, ut diſſenſionem quandam optimam ita & pernicioſiſſimam concordiam: ſed ea demum bona eſt, quæ bono, & ipſi Deo, nos conjungit.*

XXV. Poſtremo, & antequam te miſſum faciam, æquiſſime Lector, verbo de quadam mea cauſſa tecum agere debeo. Noſti [ut perſuaſum habeo] quam duriter à plurimis annis mecum agant Dmn. Voetii, præ cæteris Celeberrimus Doctor Gisbertus: & quidem nullam aliam ob cauſſam, quam quod conſcientiam & veritatis profeſſionem privatæ amicitiæ prætulerim, atque, in cauſſa Carteſii quædam profeſſus fuerim, quæ neque lædere poterant tanti Theologi exiſtimationem, neque ulla ratione eidem præjudicioſa eſſe. Ob hæc vero promerui, non modo violento detineri Arreſto in ipſa patria urbe, & liti moleſtiſſimæ pariter atque ſumptuoſiſſimæ ultra duodecim annos implicari, verum, quod caput, per hos ipſos, eorumque diſcipulos, velut perjurus traduci: quæ omnia ut teſtatiora eſſent, atque non minus per totum terrarum orbem de me crederentur, quam ad ſeram poſteritatem quoque propagarentur, inſtituit Nob. Paulus, ἀπρεσδιονύσως per omnia, ſententiam quandam mirifice & contra ordinarias Juris formulas modificatam (novit Deus qua ratione ea fuerit impetrata) inſerere Rhapſodico libro ſuo, qui inſcribitur *Naturalis Theologia Reformata*, eamque ita interpretari, quaſi parens ſuus de me, tanquam perjurorum maximo, jam triumphaſſet; quum tamen mox à ſententia illa lata, appellationem inſtituerim ad Curiam Provinciæ Ultrajectinæ, & jam à triennio, atque, quod excurrit, ſuſcepto quoque itinere gravi, ac mihi proletario

Digitized by Google

tario admodum moleſto, ſæpius apud Curiam illam, compellato quoque Præſide pro tempore, inſtiterim, cauſſa mea per definitivam ſententiam terminari queat. Antehac, ſive ſub initium hujus litis, libello Latino, eoque tam modeſto, ut provocare ipſam Modeſtiam videretur, coram oculis Dei ſcrutatoris cordium innocentiam meam aſſerui; dein, quum inexſpectata, ſed ſimul modificata ſententia lata eſſet, libello Belgico tam modeſte, & (abſit dicto invidia!) tam ſolide, determinationes Politicas magis quam Juridicas exarmavi, ut ſcribaces Voetii nihil opponere ſuſtinuerint, niſi ſuos κοκκυσμοὺς, ſic adornatos, ut extra Belgium provolare poſſent. Quid hiſce debeam opponere, ambigo. Hoc ferreo ſeculo vivunt quidam homines, neſcio quo fatuo igne accenſi, qui ſi modo calcentur pedibus pediculorum, quos conſtat dentes non habere, non modo ejulant, ſed Quiritium quoque & Summatium fidem (adeo ſunt ſenſibiles) non aliter inclamant, atque ſi jugulum lupus, aut leo peteret: quid eos moveat neſcio. Hoc ſcio, nullius feræ morſum vehementiorem eſſe quam conſcientiæ & ſycophantę. Inde video, pręter integros libellos, volumina quoque convitiorum, dicteriorum, aliorumque mentis minus compoſitæ excrementorum plauſtris onerari, & avidos quoque emptores invenire; quod *totus mundus in illo improbo jaceat*, 1. Joh. 5. 19. ſimulque, authores eorum, uſque adeo (non tamen ex inſtinctu Sp. Sancti, ſed mundi, imo diaboli) ſibi plaudere, atque illam apud Petronium, quæ, quod vitulum ſuſtuliſſet, bovem quoque ſe ſublaturam eſſe ſomniabat: quum tamen his, præ omnibus aliis, exploratiſſimum eſſe deberet, *convitiatores regni Dei hæreditatem non poſſeſſuros*, 1. Cor. 6. 9. 10. atque ultimo judicii die, qui vere decretorius erit, Sophiſticas diſtinctiones haut magis profuturas eſse, quam ficulna folia tegere primos parentes potuerunt. Eoque coram Deo, & omnibus hominibus, profiteor, me nolle horum veſtigiis inſiſtere, exemploque muliercularum in foro olitorio & piſcario, quando ungues præciſi ſunt, pugnare luto, fimo, & famæ incertæ rumuſculis; nec veras narrationes (quas in ipſa mea ſolitudine magno numero exploratas habeo) velut haſtas amentare, quod væ exſpectandum iis ſit, qui ſcandalum dederint: ſed, ſecundum Dei teſtimonium, quocum conſcientia conſpirare debet, ea dicere, quorum non pudeat coram hujus ipſius tribunali. Profeſſione Philoſophus ſum, atque per Dei gratiam novi, non eſse ſapientis recalcitrare, ſi ab aſino calcibus petatur. At, magis tamen memini me Chriſtianum eſse, & Chriſtum ſervatorem meum me per ſuum Apoſtolum docuiſse, ne, ſi *convitiis affectus fuero, viciſſim convitier*, 1. Pet. 2. 23. Ergo, quod aliquid in gratiam liberorum & poſteritatis

tis ſit dicendum, dico initio cum Flacco Horatio lib. 2. Od. 17. *Non ego perfidum dixi ſacramentum.* Porro cogito illud Imperatorum l. 10. Cod. de his, quib. ut ind. hæred. auſ. *Si fiduciam innocentiæ geris, adverſus omnem calumniam maximam habes ſecuritatem.* Aut verius dictum Prophetæ Jeſaiæ cap. 51. 7. *Ne timetote probrum mortalis, & præ contumeliis iſtorum ne conſternamini.* Nam, dicant & ſcribant homines de nobis quicquid modo caro & diabolus ſuggerere potuerint, *ſi cor noſtrum nos non condemnet, libertatem loquendi habemus apud Deum*, 1. Joh. 3. 21. Homines, ſi libertatem loquendi in hoc ſeculo nobis adimant atque invideant, parum eſt. Fateor lubens, me, qui mortuus habeor canis, longe inferiorem eſſe meis adverſariis, atque eos ſingularibus artibus inſtructos eſſe, quibus in ſuam ſententiam pertrahere queant eos ipſos, qui alias de cauſſa noſtra haut male ſentire viſi ſunt; non tamen animum deſpondeo. *Omni tempore officium meum penes Iehovam erit, & opus meum penes Deum meum*, Jeſ. 49. verſ. 4. Is ipſe hactenus *dedit defeſſo virtutem, & defecto viribus copioſe robur ſuppeditavit*, Jeſ. 40. verſ. 26. Eoque, quia *Dominus Iehovi auxiliatur mihi, non ideo afficior ignominia*, Jeſ. 50. 7. Diu eſt, quod ſciam Celeb. D. Gisbertum Voetium cum ſuis hoc agere, ut quando amicorum ſuorum numerus in Curia Provinciali Ultrajectina completus fuerit, ſurreptitiam adverſus me ſententiam obtineat, eamque pro ſingulari ſua charitate divulget. At, pulchrum ducam tali ratione ſuccubuiſſe, bonaque cum venia DD. Judicum (modo vitam prorogaverit illius arbiter) omnia examinabo prælius, atque adhuc liquidius, quam antehac feci, diducam, additis ſummorum Icc. teſtimoniis, de cauſſa mea conſultis. Domino Adverſario non invideo ejuſmodi triumphum, licet ex animo ingemiſcam, quod uſque adeo pendeat à teſtimonio hominum, (qui tamen *omnes ſunt mendaces*, Rom. 3. 4.) maxime à metricis encomiis Virginis, ſexu ſuo auguſtioris; quam ſpero aliquando, ſi Auguſtini libros Retractationum legerit, pœnitentia ductum iri, quod homini tam exquiſitas laudes copioſaſque præſumpſerit deferre, temere judicando de illis, quæ uni Deo, cordium & renum ſcrutatori nota ſunt. Quicquid dicatur, aut ſcribatur, imo quicquid ſomnietur quoque, aut ab hoc homine, aut pro illo, hactenus, prout ex ſcriptis ſuis agnoſci poteſt, meretur accenſeri iis, qui apud Jeſaiam cap. 28. v. 15. dicunt: *Diſponimus fallaciam receptum noſtrum, & in mendacio abſcondimus nos.* Quod an vere à me dicatur, rogo te, mi Lector, extra hunc librum non labores inquirere. Cui in hac ipſa Præf. obſervaveris ex una pagina objecta fuiſſe duodecim mendacia, eum (ſi ſapis) non celebrabis tanquam *vivam virtutis imagi-*

Digitized by Google

imaginem. Sed tantiſper (modo homo ſis) fidem eidem denegabis, quam ſe purgaverit, & veritati litaſſe teſtatum fecerit. Hic ipſe aliqnando per ſuos Dn. Jacobo Ravensbergero (nunc ἐν τοῖς ἁγίοις) author fuit, ut, è lecto ferali, ſuæ innocentiæ in quadam cauſſa (quam hic non diſcutio) coram ſufficientibus teſtibus ederet teſtimonium, Typis poſtea exſcriptum. Exemplum ſequar, &, cum ſciam me quoque, momento nullo, diſtare ab Agonizante, atque lateri huic ubique locorum lethalem arundinem adhærere, operam ξὺν Θεῷ dabo, ut ſimili Teſtamento & meam innocentiam mundo (Deo alias teſtatiſſimam) probem, & irreconciliabilis adverſarii memoriam ad poſteritatem propagem. Fateor ex intimis animi mei viſceribus coram Deo, me omnium peccatorum maximum eſſe, & ipſius miſericordiam infinitam licet, non poſſe mihi veniam concedere, niſi per infiniti valoris λύτρον, à Salvatore meo Chriſto ſolutum, ipſius Juſtitiæ, quæ & infinita, ſatisfactum fuiſſet; imo centum Infernos non ſufficere peccatis meis caſtigandis, ſi in me ipſo conſiderer, quia & opere, & ore, & corde innumeris vicibus adverſus infinitum Deum, creatorem & conſervatorem meum peccavi: interim Α'υτόπτης hic, qui ſolus novit omnia, & perluſtrat interiores fallacis noſtri cordis receſſus, novit me cauſſæ Carteſianæ ratione nihil Voetio aut Dematio affinxiſſe in declaratione, quam coram Senatu hujus Academiæ edidi, licet ſimul fatear, imo calidis lacrymis centies in ſolitudine deplorarim, quod initio, partim ambigue loquendo, partim veritatem reticendo, cum hiſce hominibus, quorum ſtationem in Eccleſia reſpiciebam, colludere inſtituerim. Plura pro me hoc tempore non addam. Sed finiam, cum hac tamen proteſtatione, quod Voetiis, qua patri, qua filiis, imo omnibus fautoribus, & adjutoribus, eorum, ex animo condonem quicquid aut injuriarum mihi intulerunt, aut probrorum ſive ore ſive ſtylo affricare laborarunt, Deum rogando, ut propediem poſſimus nobis invicem occurrere & gratulari in regno cælorum. At, quoniam Doctor Gisbertus Voetius nimis ſatagere mihi videtur pro conſcientia aliena, exiſtimando, nihil occurrere quod circa ſuam examinet, rogo & obteſtor eum, dum tempus eſt, adhuc ſemel, & quidem ſerio, ſeſe ratione cauſſæ Carteſianæ excutere dignetur, atque (ut aliis ſcivit inculcare pag. 192. part. 2. Conſ. Theol.) *excutiat ſe, iterumque excutiat, quum nondum exequutur decretum*, Tzeph. 2. 1. 2. nam *noſter Deus non irridetur*, Gal. 6. 7. Ad me quod, quicquid vitæ ſupereſt, aſpirante Dei Opt. Max. gratia, impendam eruendæ & aſtruendæ veritati Theologicæ, Philoſophicæ, Hiſtoricæ, & Philologicæ; ſic tamen ut perpetuo memor ſim futurus aurei

moniti Auguſtini lib. 1. contra Epiſt. Petil. cap. 29. jam antea exhibiti. Atque hæc ſunt, Benivole Lector, quæ hoc tempore tibi proponere debui. Quod reliquum (ut initio quoque ſtipulatus ſum) de omnibus candide, & ἀπροσωπολήπτως, judica, ſimulque Vale.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHUS
EXERCITATIONUM,
quæ in hoc opere continentur.

[BIBLI]OTECA NAZ. ROMA [VITT]ORIO EMANUELE

Prima Exercitatio de Adiaphoris, ſive indifferentibus. Fol. 1.
II. De Scandalis. 28.
III. De Bonis Pſeudo-Sacris. 39.
IV. An cum Pontificiis colludant, qui agnoſcuntur è titulis in Papatu receptis? 54.
V. Citra colluſionem cum Papatu, reformatus aliquis deſignare poteſt templum ſecundum nomen, quod in Dedicatione accepit. 64.
VI. Num Miniſter verbi, in eo ſummam ſuam gloriationem hoc tempore collocare debeat, quod ſit annunciator Legis? 69.
VII. An Cives Heterodoxi, cæteroquin Politice honeſti, licite recipiuntur in eorum Collegia, privilegiis ſuis gaudentia, cum illis, qui Reformatam profitentur religionem, & agnoſcuntur membra Eccleſiæ? 80.
VIII. An illud quod ex bonis Pſeudo-Sacris ſupereſſe videtur, impendendum ſit converſioni Gentilium? 89.
IX. Quando incipiat ſanctificatio Diei Dominici? à quibus operibus ſit abſtinendum? Item, an liceat illo die vacare honeſtis recreationibus ſpeciatim etiam intereſſe Convivio? 98.
X. An die Dominico omnes Cauponæ claudi debeant? 123.
XI. An dies Feſti omnes, ſpeciatim quinque ſolemnes, debeant abrogari, nec fas ſit iis cœnam Dominicam adminiſtrare? 132.
XII. De Ritu in Precibus. 165.
XIII. Non eſt inſurgendum in Eccleſias Orthodoxas, ſi alio, quam Presbyteriali, Regimine gaudeant. 169.
XIV. Quinam ſint Aſiarchæ apud Lucam, Actor. xix. 183.
XV. De Excelſis. 190.
XVI. De Encæniis. 202.
XVII. Qua quæritur, an liceat Martinalibus anſerem comedere? 205.
XVIII. De Iure Patronatus. 208.
XIX. An miniſtri Eccleſiæ, ſalvo munere ſuo, vacare queant aut exercitio Mechanicæ, aut agriculturæ, aut etiam medicinæ? 267.
XX. An Paſtor Eccleſiæ poſſit intereſſe conviviis? 273.
XXI. De poculis votivis, vulgo ſanteis dictis. 285.

XXII. *Quomodo verè fidelis circa licita, quibus aliquod peccatum ſepe adjungi ſolet, ſe gerere debeat?* 307.
XXIII. *De Choreis, & Tripudiis.* 317.
XXIV. *De modo alendi comam, & barbam, ſimul de fucis.* 332.
XXV. *De veſtibus, & Luxu circa illas.* 372.
XXVI. *De Denudatione colli, partiumque vicinarum.* 389.
XXVII. *De Pœna ſimplicis furti.* 402.
XXVIII. *De Uſura Trapezitica.* 430.
XXIX. *De Comicis & tragicis ſpectaculis.* 499.
XXX. *De Muſica organica in Templis.* 515.
XXXI. *De Reformatione quaſi Intenſiva.* 540.
XXXII. *Qua diſquiritur, an Homini jus Naturale dictet ſacrificandum eſſe?* 549.
XXXIII. *Eſus carnium quando à Deo fuerit conceſſus?* 567.

B. N. C. BIB. NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

EXER-

EXERCITATIO PRIMA.

DE

ADIAPHORIS,

SIVE

INDIFFERENTIBUS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

1. *Vox ἀδιαφόρου Stoicos authores agnoſcens, κατὰ τὸ ῥητὸν non occurrit in Scriptura.*
2. *Quid notet vox ἀδιαφόρου? Cujus & multiplex diſtinctio proponitur.*
3. *De Adiaphoris ex mente Stoicorum.*
4. *Probatur dari Adiaphora: & fuſius docetur, quomodo actiones humanæ, ſecundum ſpeciem conſideratæ, Adiaphoræ ſint.*
5. *Diſtincte docetur, quomodo actiones ſecundum ſpeciem indifferentes, ſecundum individuationem vel bonæ, vel malæ, evadant.*
6. *An dentur aliquæ actiones, uſque adeo adiaphoræ, ut neque bonæ neque malæ queant evadere. Diſputatur contra D. Ameſium.*
7. *Quæ in Eccleſia habeantur ut Adiaphora? Diſtinguitur inter cultum & ceremoniam.*
8. *Quænam actiones ſecundum Theologos Adiaphora cenſeantur.*
9. *Proponuntur tres diſtinctiones diligenter obſervandæ circa uſum Adiaphororum in Eccleſia.*
10. *Traduntur duæ Regulæ, concernentes leges Eccleſiaſticas & Politicas de Adiaphoris: ſimul varia notantur Conſectaria.*
11. *Quantum deferendum ſit legibus Magiſtratus Politicis, & quatenus conſcientiam obligent.*
12. *Non convenit hic diſtinguere inter leges Eccleſiaſticas & Politicas: quarum conſenſus ita indicatur, ut aliquod tamen diſcrimen notetur.*
13. *Statutis Eccleſiaſticis, & Politicis, de Adiaphoris obſequendum eſt.*
14. *Duæ Regulæ obſervandæ circa Ceremonias.*
15. *Proponuntur diſtincti Canones de uſu Adiaphororum.*

 Quod

Digitized by Google

I QUod recudendæ eſſent Exercitationes, populo Reformato, qui idem agnoſci debet populus Dei, antehac exhibitæ, varioſque Tractatus Eccleſiæ profuturos, paratos haberem; operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi, pro commodiori uſu recudendarum Exercitationum, quoſdam ex illis in Exercitationes converterem, atque novas Exercitationes deſtinarem illuſtrationi præcedentium. Omnibus vero in timore Domini excuſſis, viſum fuit, Exercitationi de Adiaphoris primum locum concedere: quod enim, quaque propemodum Exercitatione, Adiaphororum mentio fiat, atque de illis inſtituatur quæſtio; quò ordini conſtaret ratio, atque ſubſequentia ex antecedentibus illuſtrari poſſent, non potuit non Iterata Exercitationum Editio, in ipſo veſtibulo exhibere doctrinam περὶ ἀδιαφόρων, ſive, *de Indifferentibus*. quæ, ut legitime procedat, à nomine incipiendum eſt, quod ipſa ſacra pagina non agnoſcit. Apud Scriptorem Apocryphum libri Eccleſiaſtici, ſive is ſit Philo Judæus, ſive alius aliquis, cap. 27. verſ. 1. ſic legas: Χάριν ἀδιαφόρου πολλοὶ ἥμαρτον. Scriptura nihilominus, prout poſtea liquebit, rem agnoſcit, licet ignoret, vocem, quæ à Stoicis videtur inventa eſſe. Cic. Lucullo: *Huic* (loquitur de Ariſtone) *ſummum bonum eſt, in rebus neutram in partem moveri: quæ* ἀδιαφορία *ab ipſo dicitur.* Fuit vero hic Ariſto Zenonis (qui Stoicæ familiæ ductor) auditor. Laërt. in vita Zen. Ἀρίστων ὁ τὴν ἀδιαφορίαν εἰσηγησάμενος. Sic enim videtur cum Caſaubono legendum eſſe. Qualia vero hæc ipſa τὰ ἀδιάφορα ex ſenſu Stoicorum fuerint, docet idem Laërtius loco dicto, ita per Interpretem loquens: *Eorum quæ ſunt, alia bona, alia mala, alia neutra.* (οὐδέτερα) *Bona quidem, virtutes eſſe, prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam, & cætera id genus: mala vero, his oppoſita vitia, imprudentiam, injuſtitiam, & cætera: neutra vero, quæ neq; proſunt neque obſunt,* (οὐδέτερα δὲ, ὅσα μήτε ὠφελεῖ, μήτε βλάπτει) *ut eſt vita, ſanitas, pulchritudo, voluptas, vires, opes, gloria, nobilitas, & quæ eis oppoſita ſunt: mors, ægritudo, dolor, turpitudo, infirmitas, inopia, obſcuritas atque ignobilitas, & his ſimilia,* &c. *Non enim iſta eſſe bona,* ἀλλ' ἀδιάφορα κατ' εἶδος προηγμένα, *ſed indifferentia, per ſpeciem producta.* Similiter Aulus Gellius lib. 2. Noct. Att. c. 7. *Quæ vero in medio ſunt, & à Græcis tum* ἀδιάφορα *tum* μέσα *appellantur, ut in militiam ire, rus colere, honores capeſſere, cauſſas defendere, uxorem ducere,*

ducere, uti juſſum proficiſci, uti accerſitum venire; quoniam & hæc & his ſimilia per ſeſe ipſa neque honeſta ſunt, neque turpia, ſed, proinde ut à nobis aguntur; ita ipſis actionibus aut probanda fiunt, aut reprehendenda. Quæ ut diſtinctius intelligantur, cuncta aliquanto preſſius expendendenda veniunt.

Ergo priuſquam expendimus, quomodo ex uſu Theologico τὰ ἀδιάφορα accipiantur, vis ipſius vocis ante omnia eſt expendenda. Apud Heſychium ἀδιάφορον redditur per ἀδιάκριτον. In Gloſſario vero quantivis pretii, ἀδιάφορος eſt *promiſcuus*; & ἀδιαφόρως *indifferenter*. quomodo & Ciceroni in Explicatione Dogmatum Stoicorum, *indifferens* & ἀδιάφορον Synonyma ſunt. Nomen autem non minus τοῦ ἀδιαφόρου, quam *indifferentis*, refertur vel ad judicium, vel ad illa ipſa, circa quæ judicium exercetur. Illo modo ſi menti ἡ ἀδιαφορία offeratur, eam quaſi in judicio practico ſuſpendit, adeo ut circa illa, ad quæ eligendo fertur, neque rationem boni moralis, neque mali diſtinctè attendat. Unde ita Baſil. Comm. in Pſal. 37. οὐκ ἀδιαφορῶν ἐπὶ τῶν πεπραγμένων μοι. *Non ut animo indifferens ob ea, quæ admiſi.* Similiter Oppius apud Suetonium lib. 1. cap. 53. teſtatur Julium Cæſarem circa victum *indifferentem* fuiſſe, quod non attenderet, aut parum obſervaret, quidnam comederet. Baſilius quoque, loco jam citato ſub finem, oppido quam eleganter, dicit de iis qui vivebant ἀδιαφόρως· οἱ μὲν γὰρ πολλοὶ λήθην ποιοῦνται τῶν προτέρων ἁμαρτημάτων, ἀδιαφοροῦντες ἐπ' αὐτοῖς καὶ καταφρονοῦντες. *Multi enim priorum peccatorum oblivione capiuntur, nullam eorum rationem habentes, imo & contemnentes.* qui homines ut Atheiſmo quam propinqui erant, ita ad eorum blaſphemias quam proxime illi accedebant, quorum occaſione, Valentinianorum Clemens Alexandrinus meminit, lib. 3. Strom. cap. 6. ubi ita loquitur: ἐπεὶ δὲ οἱ τὴν ἀδιαφορίαν εἰσάγοντες, βιαζόμενοι τινὰς ὀλίγας γραφὰς, συνηγορεῖν αὐτῶν τῇ ἡδυπαθείᾳ οἴονται. Quæ ita reddidit doctiſſimus interpres: *Quoniam autem qui introducunt indifferentiam, paucas quaſdam Scripturas detorquentes, titillanti ſuæ voluptati eas ſuffragari exiſtimant.* Atque, ut deinde proxime eorum rationes examinat; ita oſtendit hos ipſos Adiaphoriſticos, Hæreticos, parum quam diverſos fuiſſe, ab iis, qui nomen Antinomorum ſuperiori jam ſeculo ferre ſolent. In Ipſo quoque ut Theoretico, hæc ἀδιαφορία notari poteſt, atque tum parum, aut nihil diſtat à decantata illa Scepticorum ἐποχῇ. Sextus Empiricus lib. 3. Pyrrhon. Hypoth. cap. 22. enumerans tres τοῦ ἀδιαφόρου ſignificationes, primò illud dicit eſſe ἀδιάφορον, πρὸς ὃ μήτε ὁρμὴ, μήτε ἀφορμὴ II.

γίνεται. Quod ſic reddidit Henricus Stephanus: ***Ad quod neque appetitus, neq; animi inappetentia fertur.*** quum verò pro exemplis adducat ***numerum ſtellarum***, aut ***pilorum capitis***; abunde oſtendit hæc ipſa referenda eſſe non ad mentem practicè ſe habentem, ſed ut ipſa eſt θεωρητός. Similiter Suidas in voce ἀδιαφορία per interpretatem dicit: ***Quod neque appetitionis, neque declinationis movendæ vim habet, ut eſt, pares vel impares habere capitis pilos.*** Altero modo, ſive objectivè, ſi ſpectetur illud, quod eſt ἀδιάφορον, bifariam rurſum conſiderari poteſt, vel enim indifferenter ſe duntaxat habet κατὰ θεωρίαν, vel pariter quoque ſecundum Praxin. De prioris ordinis indifferenti Sextus l. d. agens ita loquitur: καθ᾽ ἕτερον πρὸς ὃ ὁρμὴ ἢ ἀφορμὴ γίνεται· οὐ μᾶλλον ἢ πρὸς τόδε, ἢ τόδε. ***Alio modo*** (Adiaphororum ſcil.) ***ad quod*** ὁρμὴ ***quidem, aut*** ἀφορμὴ ***fit, ſed non magis ad hoc, quam ad illud.*** Quod exemplo duorum numorum tetradrachmorum illuſtrat, ex quibus cum unum ſolum ſit eligendum, ὁρμὴ quidem fertur ad unum illorum, cæterum non magis ad hoc, quam ad illud. Quod ſecundum Praxin ἀδιάφορον eſt, illud ſecundum eundem Sextum eſt συμβαλλόμενον μήτε πρὸς εὐδαιμονίαν, μήτε πρὸς κακοδαιμονίαν, ***neque vergit ad felicitatem, neque ad infelicitatem***: ut ſanitas, divitiæ, &c. Sive, ut dicit Suidas loco dicto de iiſdem: τὰ μήτε πρὸς εὐδαιμονίαν, μήτε πρὸς κακοδαιμονίαν ἐστι συνεργοῦντα: ***Neque ad felicitatem, neque ad infelicitatem homines deducendi vim habent.*** quæ licet gaudeant non minus bonitate Metaphyſica, quam Phyſica, moraliter tamen conſiderata, neque in bonis neque in malis poſſunt cenſeri: ſed ſunt indifferentia ad utrumque, ut poſtea liquebit: unde etiam uſitatè à Græcis τὰ μέσα vocantur; aut, ut pulchre Nazianzenus loquitur Orat. 23. τὰ ἐν μέσῳ κείμενα: à Stoicis quoque, ut antea vidimus, οὐδέτερα. Nec inconvenienter Suidas, loco aliquoties citato, ἀδιαφορίαν explicat per τὴν ἀμέλειαν: quod circa ea, quæ indifferentia ſunt, non conſueverit curari bonitas aut malitia moralis. Atque eſt receptior τοῦ ἀδιαφόρου notatio, quæ & inſtituto noſtro præſenti maximè convenit.

III. Porro hæc ἀδιαφορία in communi hactenus conſideranda (de ſpeciali ratione Adiaphorum in Eccleſia, poſtea agemus) attendi poteſt, vel circa res, vel circa hominis actiones. Illo modo ſi conſideretur, vera eſt illa diſtinctio rerum, (moraliter ſcil. conſideratarum) ſeu diviſio eorum, quæ in hac vita occurrunt, quæ jam olim placuit Cebeti in Tabula, in qua Sphynx αἰνίττεται τάδε, τί ἀγαθὸν, τί κακὸν, τί οὔτε ἀγαθὸν, οὔτε κακὸν ἐστὶν ἐν τῷ βίῳ. ***Ænigma tale proponebat: Quid bonum? Quid malum? Quid id, quod***

neque

neque bonum eſt, neque malum ? Ita, verbi cauſa, ἀδιάφορα ſunt divitiæ. Quare de illis agens Chryſoſtomus hom. 29. in 1. Epiſt. ad Corinth. ſic loquitur: διὰ τοῦτο καὶ αἱ πυκναὶ ἐρωτήσεις, ὅτι τὰ μὲν ἀδιάφορα διαφέρειν αὐτοῖς νομίζουσιν, καὶ πολλὸ, τῶν δὲ διαφερόντων οὐδένα ποιοῦνται λόγον. *Propterea frequentes hæ interrogationes, quod quæ indifferentia ſunt, pertinere ſibi multi arbitrantur, non ut animo propriorum nullam faciunt rationem.* Stoici hic moroſè ſubtiles, τὰ ἀδιάφορα hujus ordinis variè diſtinxerunt, quemadmodum videre eſt apud Lipſium lib. 2. Manud. ad Philoſ. Stoicam Diſſ. 23. circa quæ, licet cenſura cum ratione exerceri poſſet, illud tamen hoc tempore facere non lubet; quod parum inſtituto noſtro ſerviat. Hoc ſolum notamus ex Stoicorum diviſionibus, quod quædam ἀδιάφορα ſint προηγμένα, alia ἀποπροηγμένα, alia vero neque προηγμένα, neque ἀποπροηγμένα. Quod ita per Interpretem ſuum explicat Sextus lib. 3. Pyrrh. Hypoth. cap. 24. τὰ προηγμένα *ea eſſe dicunt, quæ ſufficientem habent dignitatem, ut ſanitatem, divitias.* ἀποπροηγμένα *autem quæ non habent ſufficientem dignitatem*, (Lipſius l. d. in Græco ut ſubſtituit τὴν ἀναξίαν ita vertendum fuerit, *indignitatem*) *ut paupertatem, morbum. Neque* προηγμένα, *neque* ἀποπροηγμένα, *quale eſt extendere aut contrahere digitum.* Laërtius in vita Zenonis, προηγμένα dicit eſſe, τὰ ἀξίαν ἔχοντα: Ἀποπροηγμένα, τὰ ἀναξίαν. Cicero lib. 3. de Finib. verbum προηγμένον vertit, *productum eſſe ad dignitatem*, atque ἀποπροηγμένα ipſi ſunt *rejecta*, quæ alias à Stoïcis vocari ſolent δύσχρηστα. Verba Ciceronis ſunt: *Nemo dicit* (inquit) *in Regia Regem ipſum quaſi productum eſſe ad dignitatem* (*id enim eſt* προηγμένον) *ſed eos, qui in aliquo honore ſunt, quorum ordo accedit proxime ad Regium Principatum: ſic in vita, non quæ primario loco ſunt, ſed quæ ſecundo,* προηγμένα *vocantur.* Inhærentes Stoicorum veſtigiis, forte pro uſu noſtro, non inconvenienter Ἀδιάφορα diſtinxerimus in προηγμένα, & ἀποπροηγμένα. Illa ſunt, quæ in ſe aliquid ſplendoris & dignitatis continent, & per quorum legitimam uſurpationem felicitas auguſtior redditur. Atque hæc rurſum cenſeri poſſunt triplicia, ratione triplicis boni. Nam V. C. in bonis animi ejuſmodi ἀδιάφορον, eſt ingenium acutum, bona indoles, ſcil. Phyſicè conſiderata, &c. In bonis corporis V. C. robur, proſpera valetudo, ſenſuum integritas &c. 3. In bonis externis, V. C. divitiæ, honor, gloria, &c. τὰ Ἀποπροηγμένα ut diſcedunt à felicitate; ita ejuſdem ſplendori maculam quandoq; aſpergunt. Hæc pariter ſunt triplicia, pro triplicis boni reſpectu, Nam 1. V. C. talia ſunt in bonis animi, ſtupor, inertia,

&c. 2. In bonis corporis, V. C. imbecillitas, morbus, &c. 3. In bonis externis V. C. paupertas, neglectus, amicorum inopia, &c. Hæc poſteriora Seneca reſpiciens, dicit ep. 92. *Sumpturum me, ſi detur electio, ſanitatem & vires.* & de vita Beata cap. 25. *Beatus* (inquit) *totum fortunæ regnum deſpiciet, ſed, ex illo tamen ſi dabitur electio, molliora ſumet.* Quod vero res hæ cenſeantur adiaphoræ, ſive, indifferentes, accidit pro diverſa hominis conſideratione. Si homo cenſeatur ſecundum illud quod ei ut homini convenit, ſive, quatenus λογικὸς, ſeu, rationalis eſt, hæ res *indifferentes* ſunt. Non vero quatenus aut corpore conſtat, aut, in ſocietate politica degit. Illo enim modo ſi ſpectetur, ſanitas ei magis congrua eſt, quam morbus: hoc vero modo honor præ ignominia ei convenit. Iidem Stoici docuerunt (& quidem non inconvenienter) τὰ ἀδιάφορα, ſive προηγμένα, ſive ἀποπροηγμένα, proprie neque eligi, aut appeti, neque etiam rejici. Quum enim bona tantum, noſtram appetitionem ſeu amorem; & tantum mala, noſtram averſationem ſeu odium, mercantur; accuratè loquendo, indifferentia nec appetere, nec averſari, poſſumus. Illorum applicationi pro majori commoditate, aut incommoditate, actus remiſſiores (ita loqui fas ſit) ſufficiunt: ſcil. τὸ legere ſive ſumere, τὸ ſecernere. Atq; ita indifferentium habetur delectus, abſq; illorum vel formali appetitione vel averſatione: & producta rejectis præferuntur, ſimul neceſſaria ad vitam corporalem, eamque politicè commodius transigendam, quæruntur legendo ſeu ſumendo, non vero appetendo: ſimiliter rejecta ſecernendo, non vero averſando, quotieſcunq; optio contingit.

IV. Sed miſſis Stoicis, conſideremus diſtincte ἀδιαφορίαν ſive indifferentiam, prout humanis actionibus, iiſdemque liberis accidit. Nonnulli, ſidem faciente Piccolominæo lib. 4. Philoſ. Moral. cap. 31. jam olim inſtituerunt negare, dari ullas actiones humanas, indifferentes, ſeu neutras. Per quos convenit intelligere Scotum cum ſuis aſſeclis, ſiquidem ille expreſſe in 2. ſentent. diſt. 7. qu. nu. art. 1. defendit nullum poſſe eſſe actum moralem indifferentem vel ſecundum ſpeciem. Idem vitio datum eſt (dubito an verè) Johanni Hus, conſtantiſſimo Chriſti Martyri, ſiquidem articulus decimus quintus à Concilio Conſtantienſi condemnatus, ita habet: *Nulla ſunt opera indifferentia.* Interim admittendas eſſe aliquas actiones indifferentes, ex ſubſequentibus liquebit clariſſime. Quò vero omnia pateant, primitus ex Thoma Aquinate notandum eſt, actiones humanas diverſimode ut bonas conſiderari poſſe. Nam (ut idem loquitur 2. 2. qu. 18. art. 4. *In actione humana boni-*

Digitized by Google

bonitas quadruplex conſiderari poteſt. Vna quidem ſecundum genus, prout ſcil. eſt actio, quia quantum habet de actione & entitate, tantum habet de bonitate. Alia vero ſecundum ſpeciem, quæ accipitur ſecundum objectum conveniens. Tertia ſecundum circumſtantias, quaſi ſecundum accidentia quædam. Quarta autem ſecundum finem, quaſi ſecundum habitudinem ad bonitatis cauſſam. Quæ omnia ut diſtinctius pateant, notamus actionem humanam dupliciter conſiderari poſſe, vel in genere entis (ut loquuntur) vel in genere moris. In genere entis omnis actio bona eſt. Nam ut omne ens eſt bonum bonitate tranſcendentali; ſive Metaphyſica; ſic non poteſt non quoque omnis actio hominis, quæ & libera eſt, bona eſſe bonitate tranſcendentali: quod adeo verum eſt, ut actio quoque Phyſica, quatenus ex accidenti eſt ſubjectum mali moralis, privativè ſe habentis ad bonum morale, quatenus Ens manet, hac ipſa bonitate gaudere debeat. Nam ita malum ſemper conjunctum eſt cum bono (non eo quidem, cui opponitur, ſed cum bono alterius generis) ut ne quidem abſque illo eſſe poſſit. Atque mirum eſt Piccolomineum l. d. contendere actiones quaſdam dari, penitus malas, & quibus nihil boni ſit conjunctum: nam hoc idem eſt, atque ſiquis diceret, dari poſſe aliquod accidens, quod per omnia, nempe ſecundum ſuum eſſe atque exiſtere, ſit independens à ſubſtantia, tanquam ſuo ſubjecto inhæſionis. Cùm vero homo ſit pariter Ens Phyſicum, non poſſunt non quoque illius actiones, licet liberæ, (ſecundum generalem conſiderationem τȣ̃ naturalis) cenſeri naturales, & pariter illis præter bonitatem Metaphyſicam, deferri bonitas Phyſica, ſive, naturalis, quę ratione actionis humanę, ut conſideratę hoc reſpectu, reſultat ex aggregatione eorum omnium, quę requiruntur ad perfectionem actus ſecundum ſuam ſpeciem, à certa perſona editi. At, ſepoſita, circa actiones humanas, bonitate qua Metaphyſica qua Phyſica; in iis attendi debet bonitas Ethica ſive moralis, quam cum Thomas l. d. contendat nihil aliud eſſe, quam *plenitudinem eſſendi ipſius actus*: non inconveniens cenſeri poteſt hęc deſcriptio Scoti, ſecundum quem in 2. diſt. 40. qu. 1. hęc bonitas conſiſtit *in aggregatione eorum omnium, quæ conveniunt actui non abſolute ex natura ipſius actus, ſed ſecundum rectam rationem.* Solet vero hominis recta ratio, in ſtatu quoque naturę conſiderata, reſpectu actuum ſuorum ut bonorum, attendere ad quatuor. 1. Objectum. 2. Finem extrinſecum. 3. Circumſtantias. 4. Legem ſe ordinantem. Actibus hiſce, qua talibus, opponitur actio moraliter mala, quę una voce Gręcè dicitur *ἁμαρτία, ἢ ἁμάρτημα*; Latinè

Digitized by Google

Latinè *peccatum*. Habita vero in actionibus humanis ratione tum boni, tum mali moralis; ſtatuendum eſt eas bifariam rurſum conſiderari poſſe, vel in actu ſignato, ſive ſecundum ſpeciem; vel in actu exercito, ſive ſecundum rationem individuam. Hoc modo (ut poſtea fuſius liquebit) ἀδιαφορία quod ad actiones humanas neutiquam admittenda eſt, illo vero modo omninò admitti debet, modò attendantur requiſita proximè explicanda. Et, quod ſecundum actum ſignatum in humanis actionibus, quædam ἀδιαφορία debeat admitti, convenienter probat Thomas Aquinas, quando l. d. art. 18. ita argumentatur: Tales ſunt actus ſecundum ſuam ſpeciem, quales permittuntur à ſuo objecto. Atqui, nonnulli actus ſunt indifferentes quod ad ſuum objectum. Ergo, hi ipſi tales quoque admitti debent ſecundum ſuam ſpeciem. De Majori propoſitione non licet ambigere; ſiquidem re verâ actionum humanarum ſpecificatio ab ipſo objecto deſumitur. Minor vero inde patet, quod quorundam actionum objecta ejuſmodi ſint, ut neglecto ultimo hominis fine, ſive beatitudine, nullum ordinem ad legem Divinam, ſive naturalem, quæ eidem reſpondet, habeant, quo minus aut repugnent, aut adverſentur. Gnarum fuit Hieronymo, ſic ſcribenti in Epiſt. quadam ad Auguſtinum, quæ x1. eſt inter Auguſtini Epiſtolas: *Bonum* (inquit) *eſt continentia, malum luxuria. Inter utrumque indifferens ambulare. Capitis purgamenta naribus projicere; ſputis rheumata jacere. Hoc nec bonum nec malum eſt. Sive enim feceris, ſive non feceris, nec juſtitiam habebis, nec injuſtitiam.* Argumentis autem, quibus Scotus nititur, tantum pondus non ineſt, ut aliquem cum ratione movere poſſint. Si enim ſequentia ſolum notentur, quæ Adiaphororum horum ulteriori explicationi ſerviunt, omnia quam expedita erunt. Ergo notandum, quod quando actionem humanam hic conſideramus ut indifferentem ſecundum τὸ eſſe morale, illud dextrè eſſe intelligendum. Siquidem eſſe illud morale bifariam conſiderari poteſt. 1. Secundum rationem communiſſimam, quatenus omne illud morale cenſetur, quod habet reſpectum ad hominem, ut ſecundum rationem liberè agentem. 2. Strictè magis accipitur, ut morale illud dicatur, quod non modo reſpectum habet ad hominem in agendo intellectu atque voluntate utentem; ſed amplius quoque ad legem ſive Dei, ſive naturæ; habita ſimul ratione ultimi finis, ſive beatitudinis ſupremæ ab ipſo Deo propoſitæ. Atque ut morale poſterius hic conſiderari debet, ita non modo qua tale concurrit ad ſpecificationem actionis vel ut bonæ vel ut malæ; verum etiam hoc

Digitized by Google

hoc reſpectu æſtimari debet ἡ ἀδιαφορία, ſive indifferentia. Unde illa, quæ τὰ ἀδιάφορα cenſentur, neque reſpectum habent ad ultimum hominis finem, ſive ejuſdem beatitudinem, neque etiam, qua talia, ſunt objectum ſive legis Divinæ, ſive naturalis. Intelligendum vero hoc de Adiaphoris, qua talibus: ſiquidem fieri poteſt, ut de re, ſeu actione indifferenti, Lex Divina ex accidenti aliquid præcipiat, ut patet circa eſum carnis ſuillæ, lege Dei poſitiva prohibitum Judæis, qui tamen in ſe indifferens erat. Sed de hac re infra pluribus agendum fuerit. Pręterea quando res, ſeu humana actio, quę hac ratione eſt indifferens, media vocatur, aut τοῦ μέσου rationem habere cenſetur, illud dextre eſt intelligendum. Medium participationis, aut communitatis extremorum (ut in Scholis vulgo loquuntur) hic locum habere non poteſt: ſed medium negationis, ſeu medium per negationem utriuſque extremi, hoc eſt, per negationem conformitatis & difformitatis, æſtimandæ tum ſecundum Legem Dei, tum legem naturę, quę & ipſa Lex Dei eſt, quatenus hæc ipſa non eſt mere poſitiva, licet hoc reſpectu ipſa Dei lex hic etiam conſiderari debeat. Nam ſi pro altero extremorum, ſive per legem Dei, ſive per legem naturę aliquid definitum fuerit, ἡ ἀδιαφορία non habet amplius locum. Deniq; medium negationis ratione extremorum ſe quoq; ęqualiter habere debet, adeo ut illud, quod Adiaphorum, ſeu indifferens cenſetur, æqualiter ab utroq; extremorum recedat. Nam ſi ad unum extremorũ magis inclinaverit, quam ad alterum, hæc ipſa ἀδιαφορία neque in ipſis rebus, neque in actionibus humanis convenienter attendi poterit. Non tamen omnia, quæ hactenus dicta ſunt, ſufficiunt: nam amplius, ipſa Adiaphora conſiderata ſecundum medium negationis ratione actus ſignati, habere debent non repugnantiam, ad hoc, ut ratione actus exerciti, & pro ratione circumſtantiarũ, atq; finis, itemq; pro varia determinatione Legis Dei poſitivę, recipere poſſint formalitatem rei, actioniſque, ſive bonæ, ſive malæ, prout hoc infra fuſius declarabitur.

At, ſi actiones humanę conſiderẽtur in actu exercito, recte ſtatuit communis Schola Thomiſtarum, omnem actum humanum, qui à deliberata ratione procedit, conſideratum ratione finis & circumſtantiarum (addimus nos, ratione legis Divinæ poſitivæ) in individuo conſideratum, evadere bonum vel malum: prout expreſſe ipſe Thomas aſſerit 2. 2. qu. 18. art. 9. cui ex Scholaſticis accedunt Albertus in 2. ſent. Diſt. 40. art. 4. Ægid. ib. qu. 2. Richard. ib. qu. 3. Durandus in ead. Diſt. art. 1. Cajetanus ad d. Thomæ locum. Quibus & communiter aſtipulantur V.

Digitized by Google

omnes Pontificii Doctores, ſpeciatim Bellarminus lib. 4. de Grat. & lib. arb. cap. 1. Euſtach. de S. Paulo Tract. de act. homin. 2. qu. 5. Eadem ſententia eſt Ameſii lib. 3. de Conſcient. cap. 18. Authoris Altaris Damaſceni pag. 496. & ſeqq. item Burnathi lib. 1. Eth. cap. 16. Præiverat Hieronymus in Jeſ. cap 55. quando dicit: *Indifferentia ſunt nec bona, nec mala, & pro utentium qualitate variantur.* Quæ ut diſtinctè innoteſcant, diſtinctè quoque hæc tria membra conſiderabimus. Atque, quod habita ratione finis (is aliàs ad circumſtantias refertur) actus in ſpecie in ſe indifferens, individualiter evadat vel bonus vel malus; inde manifeſtum, quod omne non modò agens rationale, verum etiam naturale, perpetuò agat propter finem, qui licet ratione agentis non poſſit non perpetuo eſſe bonus, actionem tamen non determinat bonam moraliter, niſi in ſe pariter bonus fuerit. Quum ipſa actio evadat mala, ſi finis ratione agentis, ſpeciem ſolummodo boni præ ſe ferens, in ſe res mala fuerit. Nam, quamvis id, propter quod agitur, poſſit eſſe malum moraliter, ſi materaliter conſideretur; quatenus tamen formaliter conſideratur ſub ratione finis, atque, ut appetitur ab agente tanquam finis, omnino boni rationem habere debet. Eoque actio humana in ſe ſecundum ſpeciem indifferens, evadet moraliter bona, ſi agens finem in ſe bonum intenderit; mala vero ſi intenderit finem, apparenter licet bonum, in ſe tamen malum. V. C. Edere atque bibere actiones omnino indifferentes ſunt; quę tamen moraliter bonę redduntur, ſi edens atque bibens edendo & bibendo intenderit ſatisfacere legibus ſobrietatis: malæ vero vice verſa evadent, ſi in actione edendi atque bibendi, gulæ duntaxat oblectamentum intendatur. Quoniam vero Deus nos non vult eſſe velut *equum & mulum*, Pſ. 32. 7. nec *ut bruta animalia, quæ non intelligunt*, Pſ. 73. 22. ſed, *intelligentes ſuæ voluntatis*, Rom. 12. 2. ideo idem Apoſtolus omnibus Chriſti diſcipulis 1 Cor. 10. 31. hanc regulam proponit: *Sive editis, ſive bibitis, ſive quid facitis, omnia in Dei gloriam facite.* Atque, ſimul conſequens eſt, hominem Chriſtianum, eundemque Scripturę filium, ratione finis, ipſas actiones naturales taliter debere inſtituere, ut, licet moraliter ſecundum ſpeciem indifferentes ſint, individualiter tamen, atq; exercitii ratione, non niſi moraliter bonæ evadant, & conſequenter, ut *omnis planta Iehovæ ei glorioſa evadat.* Eſ. 61. 3. Prout infra diſtinctius patebit. Ex iis quæ hactenus ratione finis dicta ſunt, quivis, qui in ſacris Philoſophicis non eſt peregrinus, facile perſpicere poteſt, hic non eſſe conſiderandum finem internum actuum humanorum,

ſed

Digitized by Google

ſed externum duntaxat. ſiquidem ut tironibus quoq; Metaphyſicæ & Ethicæ notum eſt, hic ſolum eſt finis agentis; quum finis internus cenſeri conſueverit finis ipſius operis. Nam, ſi finis internus hic foret attendendus, nulla differentia & varietas occurrerent, quod ille ſub deliberationem, & conſequenter prudentiæ regulas non cudat: quum finis externus, ſive finis ipſius agentis, ſit arbitrarius & mutabilis, ac proinde ſecundum rectam rationem ſit ordinandus ſecundũ prudentiæ regulas, ad hoc ut bonus evadat. *Secundo* loco occurrunt circumſtantię ipſarũ actionum humanarum, quas Ariſtoteles quoque attendi vult circa eaſdem, ad hoc, ut ſive bonę, ſive malę cenſeantur, lib. 3. Eth. Nicom. cap. 1. quibus licet ipſe finis accenſeri conſueverit, juxta verſiculum in Scholis receptum:

Quis? Quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando? maluimus tamen eum diſtinctè attendere, quemadmodum antea quoque ſeorſim conſideravimus objectum ipſi verſiculo incluſum. Eoque per circumſtantias hic intelligimus. 1. Perſonas. 2. Modum actionis. 3. Locum. 4. Inſtrumenta, ad quæ quoque referre convenit ſocias in actione cauſſas. 5. Tempus. Per hæc omnia enim, non modo conjunctim & ſimul, verum diviſim quoque & ſejunctim conſidarata, actio vel bona vel mala redditur: uſque adeo, ut minima quoque ex his circumſtantiis non modo actiones variare poſſit; verum etiam, ſi ea ipſa indifferens fuerit, malum reddere. Ut enim bona ſit, omnes circumſtantię concurrere in bonum debent: cum bonum (ut loquuntur Scholaſtici) non oriatur niſi ex integra cauſſa, malum autem ex minimo quoque defectu, ut vel ex hoc uno exemplo liquere poteſt. Bibere vinum, tanquam actionem naturalem circa objectum naturale in ſe indifferentem eſſe, cui non eſt notum? & tamen malum evadit, ratione ſingularum harum circumſtantiarum, prout ex ipſa Scriptura liquere poteſt, quę ratione primę circumſtantię actionem hanc indifferentem determinando Prov. 31. 4. ſic ſancit: *Abſit regibus, abſit regibus bibere vinum* (ſcil. uſq; ad animi exhilarationem majorem, quod alias ſimpliciter non illicitum) *& dominantibus deſiderium potus inebriantis.* Ratione ſecundę circumſtantię omnes illi arguuntur, qui *multo vino fuerint addicti*, 1 Tim. 3. 8. &, *quos ſuperat vinum*, Jirm. 23. 9. Ratione tertię circumſtantię notantur, qui vinum bibunt in templo idolorum, Amoſ. 2. 8. Ratione quartę circumſtantię non modo peccavit, ſed Deum quoque in ſe concitavit Rex Belſchatzar, quod biberet ex aureis & argenteis vaſis, ſubductis domui Jehovæ, Dan. 5. 2. Similiter Apoſtolus Rom. 14. 21. ut laudat

Digitized by Google

illos, qui vino abſtinent, ne fratri ſcandalum præbeant; ita illos oblique notat, qui illud bibendo, eum offendunt. Ratione quoque temporis, ſeu, quintæ circumſtantiæ, obſervatu digna eſt hæc Salomonis admonitio: *O te beatam regionem, cujus Rex natus eſt clariſſimis; & cujus principes ſuo tempore comedunt, ad robur, non autem ad compotationem*, Eccleſiaſt. 10. verſ. 14. Item illud Eſaiæ, cap. 5. verſ. 11. *Væ ſurgentibus ſummo mane, ut potum inebriantem ſectentur, prorogantibus ad crepuſculum uſque, ut vinum incendat illos.* Hic nobis non convenit cum τῷ πάνυ D. Ameſio, qui l. d. Th. 13. ſic ſcribit: *Circumſtantia una aut altera actionis alicujus poteſt eſſe indifferens, ut ſi ſtudioſus unus cum alio ſermonem conferat, indifferens eſt ſæpe numero utrum vernaculo utatur ſermone, an Latino, &c. Ratio eſt quia determinatio actionis non dependet ab una circumſtantia ſeorſim, ſed ab omnibus conjunctim.* Nam quamvis hoc verum ſit, ut jam antea vidimus, ratione actionis indifferentis, ad hoc ut mala evadat, oppoſiti tamen ratione idem non obtinet. Nec contrarium ſuadere poteſt exemplum quod adfertur. Præterquam enim quod adjunctam non habet rationem circumſtantiæ proprie dictę; minime vero alicujus ex circumſtantiis, antea conſideratis: Amplius hoc dici poteſt, ſtudioſum, qua ſtudioſum, teneri potius uti lingua eruditorum, ſive Latina, quam alia; ſi res ei ſit cum condiſcipulo, aut cum præceptore. Siquidem, ut hoc alicubi exigunt ipſæ leges Scholaſticæ; ita idem quoque ſuadet τὸ πρέπον ſtudioſi, qua talis. *Tertio* & poſtremo, poſt circumſtantias conſiderari debet Lex Dei poſitiva, per quam τὰ ἀδιάφορα redduntur ſive bona, ſive mala. Prout evincunt vel ſolę leges Politicæ & Cæremoniales populo Iſraëlitico latæ. Alia ne adferam exempla, ſolummodo attendantur Dei interdicta, de non comedendis quibuſdam animalibus, Lev. 11. quibus cum licite, tanquam rebus in ſe indifferentibus, aliæ gentes veſci potuerint, iis tamen Iſraëlitæ abſtinere debuerunt, ob ſpeciale Dei præceptum, qui agnoſcendus ſupremus Legiſlator. Quum vero Magiſtratus, Dei ſit vicarius, Rom. 13. verſ. 1. illiuſque leges non quidem directe, ſed indirecte, obligent conſcientiam hominis Chriſtiani, è Scriptura edocti, ſe *propter Dominum ſubjectum eſſe debere cuivis humanæ ordinationi*, 1 Petr. 2. verſ. 13. etenim attendi quoque debent leges ipſius circa τὰ ἀδιάφορα, modo non confligant cum ipſis Dei legibus. Atque hoc ipſum docet Theodorus Beza, Theologus

gus ſummus, Epiſtol. 24. ubi hæc inter *alia habet*: Res alioqui per ſe mediæ mutant quodammodo naturam, quum aliquo legitimo mandato vel præcipiuntur, vel prohibentur: quia neque contra juſtum prçceptum omitti poſſunt, ſi prçcipiantur, neque contra interdictum fieri, ſi prohibeantur, ſicut ex lege Cçremoniali apparet, &c. In ſpecie vero coërcetur earum rerum uſus ex conſtitutione vel Politica, vel Eccleſiaſtica: Etſi enim conſcientias proprie ſolus Deus ligat, tamen quatenus vel Magiſtratus, qui Dei miniſter eſt, indicat intereſſe Reipubl. ut quippiam per ſe licitum non fiat; vel Eccleſia ordinis & decori, adeoque ædificationis rationem habens, leges aliquas de rebus mediis rite condit: ejuſmodi leges piis omnino ſunt obſervandæ, & eatenus conſcientias ligant, ut nemo ſciens & prudens, rebellandi animo, poſſit abſque peccato, vel facere quç ita prohibentur, vel omittere quç ſic prçcipiuntur: *Hæc Beza*. Et ſic jam liquet, quomodo ſive res, ſive actiones, ſecundum ſpeciem indifferentes, in actu exercito, ſive ſecundum individuationem vel bonç, vel malç reddantur.

Cæterum hic dubium emergit, an ſcil. quçdam actiones humanæ occurrant, uſque adeo indifferentes, ut ne quidem ratione circumſtantiarum ſint determinabiles? Statuere hoc videtur D. Ameſius l. d. Th. 10. *ſic loquens*: Actiones quædam ita ſunt hominis, ut non ſint proprie humanæ, illæ ſcil. quæ procedunt ab imaginatione nuda, & non à ratione deliberata; ut fricare manus, aut barbam, ſcalpere caput, levare feſtucam, &c. dum aliud aliquid cogitamus. Hujuſmodi actiones non ſunt moraliter bonæ aut malæ: quia non ſunt in genere moris conſtitutæ, dum omni conſilio deſtituuntur. Quamvis enim iſtis etiam poſſit quis peccare, ut ſi tempore precum vagari ſineret imaginationem ſuam, & hujuſmodi nugis indulgeret: ipſæ tamen actiones per ſe neque bonæ ſunt, neque malæ. Subjiciuntur quidem ejuſmodi motus imperio arbitrii humani: ſed ita ſubjiciuntur, ut poſſint exerceri nullo rationis actu præeunte: neque ulterius illas ratione prævenire tenemur, quam ut officiis non obſint. Sicut in oculorum palpebris movendis, moderandi poteſtatem habet ratio & voluntas: ſed non eſt operæ pretium obſervare, quoties connivemus, ſi modo caveamus, ne præter decorum, aut officium, aliquid in iſtis admittatur. *Hactenus D. Ameſius.* VI.

Cui adverſatur Author Altaris Damaſceni pag. 499. *ſic diſputans*: Reſpondetur, imperio rationis & voluntatis ſubeſſe motus iſtos locales membrorum exteriorum, quos prævenire debebat ratio, &c. Certe ſi ratio tenetur eſſe pervigil, ne tranſgrediatur labia noſtra verbum otioſum, quia de eo rationem reddituri ſumus in die judicii, vigilare etiam debet nè prodat actus aliquis otioſus. Rigidum jus legis Divinæ mihi minuere videntur, qui iſta negant, &c. Dico igitur nullum actum à deliberativa ratione procedentem eſſe in individuo indifferentem; ſed, vel eſſe veſtitum omnibus debitis circumſtantiis, maxime finis; vel non eſſe: ſi prius, erit actus bonus; ſi poſterius, malus, &c. Uſus rerum indifferentium determinandus eſt regulis ſobrietatis, charitatis, & pietatis, &c. *Hæc ille*: cujus ſane ſententia non poteſt non mihi magis probari, licet contra opinionem ipſius D. Præceptoris, jucundiſſimæ alias recordationis. Ne enim jam dicam de argumento, deſumpto ex loco Matth. 12. ſecundum locum Comparatorum hic vulgo negari ſolito; amplius ratio habeatur ſolius hominis, conſiderandi vel in ſtatu naturæ corruptæ, vel in ſtatu gratiæ. Utriuſque ratione quid ſtatuendum ſit, docet Apoſtolus, quando Tit. 1. verſ. 15. dicit; *Omnia quidem munda mundis: pollutis autem & incredulis nihil eſt mundum.* Etenim, ut reprobus, idemque irregenitus, Deo ſecundum ſe totum diſplicet; ita non poſſunt non quoque Deo diſplicere ejuſdem actiones, quæ duntaxat naturæ ſunt, nec moderamen rationis definitum præſupponunt. Contrarium autem ſtatuendum de Electis & regenitis; quorum actiones non poſſunt non, ſecundum rationem oppoſitorum, Deo placere, ut bonæ: unde & David dicit Pſ. 1. 3. de homine hujus notæ: *Quicquid faciet, proſperabitur.* Fide ſiquidem ut corda purificantur, Act. 15. 9. Ità non poſſunt non quoque actiones horum, adiaphoræ alias ſecundum ſpeciem, Deo juſtiſſimo judici atque æſtimatori placere: atque vice verſa, omnes actiones impiorum, licet in ſe alias indifferentes, Deo ut malę diſplicere. Nam ut loquitur Theophylactus ad dictum Pauli locum: *Mens ſordida perperam de his cogitans & judicans, ſibi hæc coinquinat, quæ tamen natura haut ſunt ejuſmodi.* Præterea, quum in homine, actiones quoque quæ ab imaginatione in belluis pendent, moderamini rationis ſubſint; næ pariter conſequens eſt, hominem tanquam ζῶον λογικὸν, eaſdem non poſſe non edere, ſecundum dictamen rationis, attendentis ad finem & circumſtantias. Nec tamen idem dixerim de actionibus naturalibus, in quas homo nullum imperium exercere poteſt:

teſt: licet hæ ipſæ quoque non poſſint non in homine irregenito Deo diſplicere, quod totus is Deo diſpliceat.

Præmiſſis his hactenus in genere, diſpiciendum dein ulterius quomodo Adiaphoris Eccleſia Chriſti uti debeat. Quæ vero ab ea ut talia agnoſcuntur, ſunt cæremoniæ, res, actiones, opera & negotia, certis ritibus adminiſtrari & peragi ſolita: quatenus ſcil. Eccleſia eadem diſponere atque ordinare poteſt ad ſui conſervationem, utilitatem, decus, ordinem, & diſciplinam, præſuppoſito quod Deus in ſuo verbo de iis nihil præceperit: neutiquam enim Adiaphora haberi poſſunt, de quibus Deus certi quid præcepit: multo minus talia haberi debent, quæ Divina authoritate ſunt prohibita. Qualia ſunt peccata contra ſingula Dei præcepta, licet homines profani plurima ex illis inter Adiaphora recenſeant, ſpeciatim blaſphemiam, ebrietatem, lucrum cum proximi damno ſingulari quæſitum, fraudes mercatorias, deceptiones politicas, mendacia officioſa, Simoniam, luxum, licentiam, & id genus alia. Quod vero in cenſu Adiaphororum veniant Cęremonię, atque omni tempore de iis fuerit contentio, operę pretium erit, de iis aliquanto diſtinctius egiſſe. Atque initio, in genere quoque ſi conſiderentur, non debent, prout à multis per errorem factum fuit, confundi cum ipſo Dei cultu (vero ſcil. falſi ſiquidem hic nulla habenda ratio eſt) per quem intelligo omne opus, internum vel externum, mandatum à Deo, & factum in fide, hoc principali fine, ut Deus glorificetur. Non ſufficit vero ad cultum Dei, opus aliquod non eſſe malum, vel non prohibitum, ſed oportet quoque à Deo præceptum eſſe, 1. Sam. 15. 22. Eſ. 29. 13. Ezech. 20. 19. Matth. 15. 9. eoque quædam, à magnis Theologis quoque ad Cæremonias referri ſolita, ſimpliciter Cæremoniæ haberi non poſſunt, ſed cenſeri pars cultus Dei: ut V. C. ritus à Chriſto ſic in Baptiſmo & Cœna adhibiti, ut ſimul pertineant ad formam alterutrius ſacramenti. Hoc poſtremum enim eſt neceſſarium, ſi enim non pertineant ad formalitatem ſacramenti, ſimplices Cæremoniæ, aut, ut alii loquuntur, non neceſſariæ Cæremoniæ haberi debent. V. C. ſedendo, aut ſtando, indifferenter percipere licet Sacramentum Euchariſtiæ, non æquè vero pro arbitratu, aut adhibere aut intermittere fractionem ipſius panis. Cæremoniæ vero, hic diligenter à cultu Dei, ſecernendæ, ſunt ritus in publicis Eccleſiæ congreſſibus ſic uſitati, ut cum non nitantur definito præcepto aut inſtitutione Chriſti, inſtitui, retineri, aut etiam abrogari poſſint, pro Eccleſiarum, Gentium,

VII.

loco-

locorum, adverſariorum, & aliarum circumſtantiarum varietate. Obſervat vero Eccleſia hoſce ritus ſolummodo εὐταξίας gratia, (ideo eos à cultu Dei jam antea diſtinximus) & ut Eccleſiæ membra convenientem Pædagogiam habeant. Prout graphice oſtendit Epiphanius, diſputans contra Encratitas, qui fingebant (ut hodie Papani) humanas obſervationes eſſe cultum Dei, & juſtitiam, propter quam non modo Deo accepti eſſent; ſed etiam Dei iram placarent. Hanc opinionem ſerio improbat Epiphanius, & alios fines eſſe cæremoniarum oſtendit; dicit enim obſervari διὰ τὴν ἐγκράτειαν, ἢ διὰ τὴν πολιτείαν: hoc eſt, aut ad coërcendam carnem propter diſciplinam rudium, aut propter Politicum ordinem.

VIII. De *rebus* ipſis ſecundum uſum Eccleſiaſticum ut Adiaphoris, non eſt neceſſum aliquid diſtinctè moneam, cum, quæ in antecedentibus propoſui, hic uſum quoque habeant. Actiones vero, quæ ut mediæ, ſeu Adiaphoræ, hic attenduntur, ſunt illæ, quæ à Deo neque præcipiuntur neque prohibentur, atque illo ipſo, per ſe nec bonæ, nec malæ ſunt, ſed liberæ; ita, ut illas abſque peccato poſſis vel facere, vel omittere, modo attendantur illa, quę deinceps circa uſum Adiaphororum diſtinctè annotabuntur. Interim qua in cęremoniis, qua in rebus, qua in actionibus Adiaphoris tres gradus dantur, qui quam diligenter hic ſunt diſtinguendi. Nam, ſecundum Scholaſticos, quædam eorum in bonum ſonant: quędam in malum: quędam inter utrumque quaſi nutant. Quæ diſtinctio quamvis in Praxi ſummum uſum habeat, natura tamen ipſius Adiaphori perpetuo obverſari debet, ſcilicet, illud neque præceptum, neque prohibitum eſſe à Deo, ſed, liberum relictum; vel ab hominibus, abſque ullius legis Divinę violatione, ordinis & decori cauſſa introductum. Quod Deus enim juſſit, illud neceſſario eſt faciendum; ac vice verſa, quod prohibuit, neceſſario eſt omittendum: quod autem ſecus ſe habet, facere, vel omittere licet; adeo ut ſi illud facias, vel non facias, te Deo neque charum, neque exoſum reddat, juxta illud, quod Paulus dicit 1. Cor. 8. 8.

IX. Ut dein pateat, quomodo Chriſtianus ſe gerere debeat circa uſum Adiaphororum, tria ulterius à nobis videntur præſtanda eſſe. I. Diſtinctiones quædam ſunt notandæ. 2. Regula generalis tradenda. 3. Uſus Adiaphororum ſecundum leges certas veniet definiendus. Quod ad Diſtinctiones, tres potiſſimum occurrunt, ex quibus hæc *prima*: Genus quorumcunque Adiaphororum, aut eſt *à Deo præceptum*: aut omnino

omnino *à Deo prohibitum.* Si *Præceptum* ſit genus, tum ſpecies, opusres, actio, ſive factum ipſum recte cenſetur ἀδιάφορον eſſe. Exemplo ſit. Hoc genus, *Ordo aut decorum in Eccleſia ſervandum*, pręcipitur à Deo, per Paulum 1. Cor. 14. 40. Ergo, omnes hujus generis ſpecies, qualeſcunque fuerint, ſunt liberæ & indifferentes, modo juxta hanc regulam ordinatæ fuerint. Quod ſi vero genus fuerit *prohibitum*, quod ſub eo continetur, nulla ratione medium ſeu indifferens cenſeri poteſt. V. C. Prohibitum eſt, nequis Deum colat mandatis hominum. Ergo Miſſa, & aliæ hujus generis ἐθελοθρησκείας ſpecies, quod ſub vetito genere contineantur, neutiquam Adiaphoris accenſeri poſſunt. *Secunda* diſtinctio ſit hęc: Adiaphora quædam *certo ſolum tempore* ſunt libera: Quædam vero *ſemper* ſunt talia. *Certi* ſolum *temporis* Adiaphora fuerunt in primitiva Eccleſia Apoſtolica, Feſtorum Moſaicorum obſervatio, Circumciſio, & ſimilia Cæremonialia Moſis: nam ut licebat infirmioribus hæc obſervare; ita alias liberum erat eadem negligere. Cæterum non erant hęc ipſa ante Chriſti adventum indifferentia; ſed neceſſaria pars cultus Dei, quod à Deo pręcepta eſſent. At tempore Apoſtolorum, abrogata licet, indifferentia tamen facta ſunt, adeo ut ſi quis ad tempus illa obſervaret, pacis cauſſa, non peccaret. Fuit ſiquidem hæc Dei voluntas, ut non ſtatim ſed paulatim Cæremonię Moſaicę tollerentur: quod quamdiu ſtaret Templum, non potuerit carere Cæremoniis. Quo diruto, omnes in univerſum Cęremonias ſepeliri voluit. Atq; hoc eſt, quod Auguſtinus ſcripſit ad Hieronymum: *Deducendam fuiſſe Synagogam cum pompa ad tumulum, atque cum bonore ſepeliendam.* Eoq; mox Eccleſia confirmata, Adiaphora eſſe deſierunt: prout adhuc hodie prohibita ſunt, Paulo edicente Gal. 5. 2. *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Semper Adiaphora ſunt V. C. hæc: matrimonium contrahere vel in cœlibatu manere, 1. Cor. 7. 36. & 1. Cor. 9. quocunque cibo vecti, 1 Cor. 8. 8. 1. Cor. 10. 25. Col. 2. 16. & ſexcenta alia, quæ enumerare longum foret, & circa quę in ſequentibus Exercitationibus diſtincte inquiretur. *Tertia* diſtinctio hæc ſit: *Adiaphora* dupliciter conſiderantur: *Primo in ſe*, & ut ſunt res medię, abſq; relatione ad perſonas. *Secundo ex ratione perſonarum*, quę illis utuntur. In ſe conſiderata, & ſecundum naturam ſuam, omnia Adiaphora ſunt libera, & talia, quæ neque placeant neque diſpliceant Deo, ut quę nec ſub pręceptum, nec ſub interdictum ipſius cadant. At, ſi ex perſonis conſiderantur, tum poſſunt eſſe vel *licita*, vel *illicita*, pro ratione nimirum perſonarum aut hominum illis utentium. Sunt vero homi-

nes duplicis generis. Alii enim *Renati* ſunt, alii adhuc *Irregeniti.* Renatorum iterum alii in fide *firmi* ſunt, alii *infirmi.* Si *Renati* Adiaphoris utentes, *in fide firmi* ſint, hoc eſt, ſi de fide, non autem dubitante conſcientia, (quæ ſcrupulum injiciat, utrum illa re eis uti liceat; aut hoc illudve agere bona conſcientia, vel non?) aliquid agant, aut utantur: tum licita ſunt illis omnia, & Deo placet eorum in Adiaphoris obedientia. Ex Dei enim verbo perſuaſum habere debemus, quid nobis permiſſum, quid præceptum, quid prohibitum ſit, juxta illud Rom. 14. 5. ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω. Et verſ. 14. *Nihil eſt impurum per ſe: ſed ei, qui exiſtimat aliquid eſſe impurum, ei impurum eſt.* Et verſ. 22. & 23. *Beatus, qui non condemnat ſeipſum in eo, quod approbat*, &c. Nec obſtat, quod Paulus dicat Rom. 14. verſ. ult. *Quicquid non fit ex fide, peccatum eſt*: ſiquidem Adiaphora non carent omni verbo; ſed habent verbum, quod attinet genus facti, quare, ſi acceſſerit fides; ipſum quoque opus æſtimatur à Deo, 1. Cor. 14. verſ 37. Ezechias non habuit expreſſum verbum de tollendo æneo ſerpente, & tamen hoc placuit Deo: quod genus facti mandatum ſit, nimirum tollere omnia inſtrumenta Idololatriæ, illiuſque occaſiones. Quod ſi vero *Renati* in fide adhuc *infirmi* fuerint, hoc eſt, ſi cum ſcandalo Adiaphoris utantur, & conſcientia fluctuante, tum illis evadunt *illicita*, ut ex præcedentibus liquet. Denique ſi utentes Adiaphoris, adhuc fuerint *irregent*, & *infideles*, his omnino omnia (ut ſupra quoque animadvertebamus) ſunt *illicita*: nam polluta ſunt mens & conſcientia illorum, Tit. 1. verſ. 15. atque hic demum valet illud Apoſtoli: *Quicquid non fit ex fide, peccatum eſt*: hoc eſt, pollutum, impurum, atque maledictum coram Deo.

X. Poſt tres has diſtinctiones, notari debet gemina regula reſpiciens leges & conſtitutiones ſive Eccleſiaſticas, ſive Politicas, de rebus Adiaphoris: *prior* regula agit de illis, ut ſecundum Conſtitutiones Eccleſicas pro uſu Eccleſiæ uſurpandis. Eſt vero hæc: Omnes hæ Conſtitutiones duo complecti debent: *primo* debent habere fundamentum in Dei verbo: *ſecundo* debent ordinatæ eſſe ad promovendam pietatem, & Eccleſiæ ædificationem. Quod dupliciter probari poteſt. 1. Ex generali regula, quam Apoſtolus de iis rebus præſcribit, 1. Cor. 14. *Omnia ad ædificationem fiant.* Item: *Omnia decenter & ſecundum ordinem fiant.* 2. Idem patet ex particulari locorum inductione, in quibus Scriptura agit de Conſtitutionibus Apoſtolorum. Duo exempla ſint inſtar omnium. 1. Cor. 11. Inſtituit Apoſtolus, ut mulieres in Eccleſia Co-

rinthiaca

rinthiaca orent capite tecto, viri detecto. Fundamentum licet non probet ex Scriptura Apoſtolus, non tamen Scriptura conſtitutioni huic adverſatur, quod hactenus ſufficere poteſt. *Secundo*, finis hujus conſtitutionis eſt honeſtas, & decorum in Eccleſia ſervandum, eoque ędificatio Eccleſiæ; hoc eſt, ut externus cultus majori cum honeſtate & decoro exerceatur. Item, ut quiſque ea cæremonia moneatur ſui officii, hoc eſt, ut agnoſcat vir ſe caput eſſe mulieris: mulier vero memor ſit ſuæ ſubjectionis, qua viro ſubjecta eſt. Præterea 1. Cor. 14. idem Apoſtolus ſancit, quomodo Corinthii uti debeant linguis: nimirum, ut non loquantur linguis ſine explicatione & interpretatione. Atque 1. fundamentum hujus Conſtitutionis è Scriptura probat: Nam poſt varia adducta, affert quoque Scripturam, dicendo: *In lege ſcriptum eſt, variis linguis, & labiis variis loquar populo huic* (infideli) *& ne ſic quidem audient me.* Quaſi dicat Apoſtolus: Ne ſinatis hujuſmodi homines loqui in Eccleſia, qui exoticis linguis loquuntur abſque explicatione: Hoc ſiquidem argueret, Deum vos non amare, quod tales ſoleat mittere Prophetas populo infideli, quem non vult veritatem intelligere. 2. Finem hujus inſtitutionis manifeſto dicit eſſe ædificationem Eccleſiæ, ut ſcil. Corinthii habeant conſolationem, exhortationem, &c. Plura exempla adferre liceret, ſed hæc duo ſint inſtar omnium. Ex his, quę hactenus diximus, hęc Conſectaria elici neceſſario debent: I. Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, quæ ſua natura pugnant cum verbo & mandato Dei, vel, quæ abſque peccato obſervari non poſſunt, neutiquam inter Adiaphora numerari debent, quod ſint res ſua natura impiæ. II. Quando etiam conſtitutiones factæ ſunt de rebus ſua natura Adiaphoris, ex accidenti fiunt impiæ, & doctrina Dæmoniorum, ſi acceſſerit opinio 1. Meriti, quaſi earum obſervatio promereatur remiſſionem peccatorum. 2. Cultus, jam antea à Cęremonia diſtincti: quaſi Deus iis coli velit, contra expreſſum dictum Chriſti, Matth. 15. verſ. *Fruſtra me colunt mandatis hominum.* 3. Perfectionis, quaſi earundem obſervatio nos perfectos redderet. 4. Neceſſitatis abſolutæ, quaſi ſimpliciter neceſſarium foret eas, qua tales, obſervare propter conſcientiam. III. Geſtus ridiculi & ſcenici, otioſæ & inutiles Cæremoniæ, quæ nec diſciplinæ nec ordini ſerviunt, ſed Ethnicam vanitatem præ ſe ferunt, ſimul Religionem ludibrio exponunt, doctrinam obſcurant, ſuperſtitionum Papiſticarum imitamenta ſunt, & homines profanos reddunt, V. C. Ridiculæ geſticulationes, circuitus cœmiterii, cir-

Digitized by Google

cumgeſtationes ſtatuarum & reliquiarum, depoſitio crucis in ſepulchrum, ludus aſcenſionis Chriſti, & ſimiles ineptiæ ſine numero, neutiquam condecorari merentur vocabulo rerum Adiaphorarum, prout Eccleſia de illis loquitur. Convenienter Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 10. §. 14. *An non hoc dignum inſectatione vitium eſt, quod non intellectas caremonias, velut hiſtrionicam ſcenam aut magicam incantationem* (Pontificii) *oſtentant? Certum enim eſt, Caremonias omnes corruptas eſſe & noxias, niſi per eas homines ad Chriſtum dirigantur: Quæ autem in uſu ſunt Ceremoniæ ſub Papatu, à doctrina ſeparantur, ut homines in ſignis omni ſignificatione carentibus retineant.* IV. Cæremoniæ, quæ ſunt vel ſcaturigo ſuperſtitionis, vel abſque ſpecie ſuperſtitionis uſurpari non poſſunt, (ut ut de iis latæ ſint variæ leges Eccleſiaſticæ) neutiquam rebus Adiaphoris accenſeri debent. Ut vero ſuperſtitio (Græcis eſt ἐθελοθρήσκεια, ſeu δεισιδαιμονία) deſcribi poteſt, quod ſit cultus Dei fictitius, cum opinione neceſſitatis, perfectionis, & meriti; Ita non inconvenienter diſtinguitur, in ſuperſtitionem *Theoreticam*, (quam alii *Theologicam* vocant) & *Practicam*. Superſtitio *Theoretica*, ſeu, *Speculativa* eſt, cum quis aliter ſentit aut de cultu divinitus inſtituto, aut de conſtitutionibus Eccleſiaſticis, quam ſentire debeat, iis affingendo aliquam virtutem aut perfectionem, quæ iis non competit. Ut V. C. ſi quis aut putet ſigna ſacramentalia habere vim juſtificandi; aut plus energiæ ſpiritualis in ſe redundaturum eſſe, ſi ad menſam ſedens Euchariſtiam acceperit. *Practica* ſuperſtitio eſt, ſi quis Deum aut alio modo colit quam voluit, aut conſtitutiones Eccleſiaſticus ad alium finem dirigat, quam ab Eccleſia ſunt conſtitutæ. V. C. Si quis aut in abſtinentia à carnibus cultum Dei collocet, aut putet, placere ſe Deo magis, ſi rigide ſe componat ad obſervationem Conſtitutionum Eccleſiaſticarum. Utraque Superſtitio ut hic debet intelligi, ita utraque varios quoque gradus admittit. V. Neque illi ritus convenienter ad Adiaphora referuntur, quorum obſervatione hoſtes veræ doctrinæ confirmantur, imbecilliores autem offenduntur & langueſcunt. Convenit enim Cæremonias eſſe adminicula, incitamenta & vincula veræ pietatis, ædificationis, charitatis, officiorum, ordinis atque decori.

XI. Quum vero circa ipſa Adiaphora ſæpe notentur leges Magiſtratus politicæ, quantum Chriſtianus, ſive fidelis, iis deferre debeat, hoc loco diſtincte inquirendum eſt. Atque initio quidem præſupponendum eſt, Civiles & Eccleſiaſticas adminiſtrationes diſtinctas & diverſas

eſſe,

Digitized by Google

eſſe, quas cum mirificie diabolus in Papatu confuderit, invigilandum nobis eſt, ut inconfuſæ maneant. Nec tamen omnis Eccleſiæ cura Magiſtratui denegari poteſt: ſiquidem in rebus Eccleſiaſticis triplex ejuſdem officium notari poteſt. *Primum*, ut puræ doctrinæ & cultus exercitium in toto ipſius territorio floreat, adeoque Eccleſiæ per legitimas perſonas conſtituantur, prout Davidem feciſſe legimus, 1. Paral. 16. 37. & ſeq. *Secundum*, ut ordo à Deo in hunc finem conſtitutus, publica Magiſtratus authoritate ſanciatur & conſtituatur. Quemadmodum pius Joſaphatus excelſa & lucos de Juda abſtulit, & principes ſuos cum Levitis atque Sacerdotibus cum libro Legis, qui cum ipſis fuit, miſit, ut per univerſas civitates Judæ circumirent, & docerent populum, 2. Paral. 17. 6. Pariter Ezechias per univerſum Iſraëlem legatos & literas miſit, ut Hieroſolymam venirent in domum Jehovæ, ad faciendum Paſcha Jehovæ Deo Iſraëlis. Similiter Nehemias librum legis in auribus populi legi curat, & ſimul juxta illius præſcriptum omnes alienigenas mulieres, quas Iſraëlitæ uxores duxerant, ſeparat ab Iſraële, Nehem 13. 1. & ſeqq. *Tertio*, licet quæ Dei ſunt, & hominum conſcientias concernunt, per Eccleſiæ duntaxat miniſtros adminiſtrentur: eorundem tamen adminiſtratio muniri debet Magiſtratus præſentia, conſilio, patrocinio, & auctoritate; ita tamen ut non confuſio, ſed conjunctio utriuſque ordinis hinc proveniat. Vnde David 1. Chron. 28. 21. filium Salomonem ad templi ſtructuram, & cultus Divini curam ſeriam exhortans, dicit: *Turma Sacerdotum & Levitarum aderunt tibi in omni miniſterio domus Dei.* In ſumma, Magiſtratus civilis cuſtos eſt Legis, quod attinet ad externam diſciplinam, ad hoc ut conſervetur diſcrimen inter *Miniſterium Euangelii*, & *Magiſtratum*. Miniſtri Euangelii proponunt Euangelium, per quod Spiritus Sanctus eſt efficax in credentibus, unde Paulus dicit 2. Cor. 3. 6. *Fecit nos miniſtros Novi Teſtamenti.* Interea tamen Magiſtratus non debet deeſſe officio ſuo externo, ne ſcandala proveniant, quem in finem varias leges fert, ſæpe etiam de uſu rerum, alias in ſe indifferentium, quæ an & quatenus conſcientiam obligent, inquiritur & anxie diſputatur. Ut vero, quod ſentio, libere & ingenue proponam, ac ſimul breviter omnibus defungar, ſalvo meliori judicio, omnino mihi videtur hic diſtinguendum eſſe inter regimen hominis *ſpirituale* aut internum, & regimen *politicum* aut externum: quorum illo conſcientia ad pietatem & cultum Dei informatur; hoc vero ad humanitatis & civilis

 vitæ

BIBLIOTECA

Digitized by Google

vitæ officia inſtituitur. Qua diſtinctione ſuppoſita, dico omnes Chriſtianos, ſecundum regimen externum & politicum, ſubjici humanis legibus, (modo juſtis, nec adverſantibus Dei legibus) ſive à Magiſtratu civili, ſive ab Eccleſia latis: quum interim ſecundum *ſpirituale* & *internum regimen*, coram Deo, legibus illis Chriſtianorum conſcientię ſolutæ ſint. Nam ea ſolum lex conſcientiam obſtingere dicitur, quæ hominem ſimpliciter obligat, abſque reſpectu aut intuitu circumſtantiarum aut hominum, ſeu, non habita ulla horum omnium ratione. Quomodo & Divinis legibus ſimpliciter obſequendum eſt, ſine ulla aut hominum, aut temporum, aut locorum, aut circumſtantiarum ratione & diſcrimine. At humanis legibus, (qua talibus ſcil. ſecus enim ſtatuendum eſt, ſi Magiſtratus leges Divinas V. C. de Sabbato ſanctificando, & non temerando Dei nomine, pœnis ſpecialibus adjectis, ſuis ſubditis inculcet) duntaxat obſequium præſtandum eſt, quia ad colendam pacem & tranquillitatem publicam ſunt neceſſariæ; eoque, non ſimpliciter, ſed quatenus circumſtantiæ ſuadent. Veluti ſi Belga in Belgio vivat, legibus Belgici magiſtratus, cui ſubeſt, obedire debet; at ſi in Angliam commigret & ibi ſedes ſuas ſtatuat, non obſtringitur ulterius obſervare leges Belgicas. Certo indicio Belgę illius conſcientiam non fuiſſe alligatam legibus Magiſtratus Belgici; alias enim & in Anglia & ubivis locorum leges (quibus in Belgio ſubjectus fuit) obſervare deberet. Nec contrarium colligi cum ratione poteſt, ex loco Apoſtoli Rom. 13. 5. quo vult omnem animam poteſtatibus ſupereminentibus eſſe ſubjectam, *non ſolum propter iram, verum etiam propter conſcientiam.* Siquidem hoc ſolum Apoſtolus vult innuere, quod qui juſta & licita Magiſtratus ſtatuta atque leges negligit, vel illorum poteſtati & imperio, cujus ipſe Deus author eſt, reſiſtit, is lędat ſuam conſcientiam. Adeo, ut iis (nimirum officio ſuo legitime fungentibus) reſiſti non queat, aut imperium ipſorum negligi, quin ſimul Deo ipſi reſiſtatur, ac mandatum ipſius, quo Magiſtratui obſequium pręſtandum eſſe ſancivit, violetur. Senſus hic (quicquid tandem aliis videatur) manifeſtus eſt ex Antitheſi, quę occurrit in Textu Paulino: *Non tantum propter iram, verum etiam propter conſcientiam.* Quod idem eſſet, ac ſi dixiſſet Apoſtolus, non tantum parendum eſſe Magiſtratibus, ad vitandam pœnam, quam infligere poſſunt, quod gladio armati ſint; (ut dicitur verſu pręcedenti) verum etiam ad vitandum peccatum in Deum, quod ſolum conſcientiam lędere poteſt. Eſt enim Dei pręceptum, (videatur

Digitized by Google

deatur verſus 1. hujus capitis XIII. ad Rom.) ut Magiſtratui noſmet ipſos ſubjiciamus, & hoc Dei præceptum conſcientiam concernit. Eoque Magiſtratui, quod ad genus, parendum eſt, *propter conſcientiam*: quod generali præcepto jubeamur Magiſtratui parere; quum particulares Magiſtratuum leges in conſcientiam nullum omnino dominatum habeant. Paulum explicat & illuſtrat Petrus 1. ep. 2. 19. ubi poſtquam ſervis præceptum dediſſet, ut non tantum dominis bonis & æquis, verum etiam pravis ſe ſubjicerent, hanc præcepti ſui rationem reddit: *Hoc enim cedit gratiæ, ſi quis, propter conſcientiam Dei, ſuffert moleſtias, injuſte afflictus.* Quo loco per *conſcientiam Dei* aliud non poteſt intelligi, quam divinę voluntatis conſcientia, ad quam fidelis reſpiciens, hominum iniquitatem patienti animo fert, quod novit Deum hoc ita ordinaſſe in ſuo verbo, ut hoc ſibi gratum ſit. Eoque, ut ad Adiaphora redeamus, quando Magiſtratus de iis leges fert, omnino illæ à piis obſervari debent, &, quanquam conſcientiam, qua tales leges agnoſcuntur, non obligant; nemo tamen abſque peccato, (& quod Magiſtratui ſecundum genus ſit obſequendum) ſciens & volens eas aut omittendo, aut committendo, (quemadmodum in ſcholis loquuntur) violare poteſt.

Nec tamen ſufficit, ſic definiviſſe circa leges à Magiſtratu latas; ſi- XII.
quidem Papani Doctores (quos, utinam multi ex Reformatis non ſequerentur!) plurimum intereſſe volunt inter leges Politicas Magiſtratus, & leges Eccleſiaſticas. Quum tamen hæ ipſæ, haud magis atque leges Politicæ, fidelium conſcientias premere & urgere poſſint, &, ab omnibus Eccleſiæ filiis, aliter ſecundum libertatem Chriſtianam, non obſerventur, quam quatenus Eccleſiæ paci, ordini, honeſtati, decoro, atque ędificationi inſerviunt. Hic enim diſtingui non oportere inter leges Magiſtratus Politicas, atque Eccleſiaſticas, patebit, ſi modo conferantur dicta παράλληλα, de Magiſtratu Eccleſiaſtico, & Civili, in Scriptura occurrentia. De Eccleſiaſtico quidem ſuffecerit ex N. T. duntaxat hæc dicta notaſſe: Matth. 18. 17. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Luc. 10. 16. *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit.* 1. Theſſ. 4. verſ. 2. & 8. *Noſtis qua mandata dederimus vobis per Dominum Ieſum. Proinde qui hac rejicit, non rejicit hominem, ſed Deum, qui etiam dedit nobis Spiritum ſuum Sanctum.* & Hebr. 13. 17. *Obedite præpoſitis veſtris, & obſecundate;* (καὶ ὑπείκετε, quod proprie idem eſt, atque *ſubjacete*) *excubant enim ipſi pro animabus veſtris, tanquam ratio-*

rationem reddituri. De Civili vero Magiſtratu hęc dicta extant: Rom. 13. 1. 2. *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta eſto, non enim eſt poteſtas, niſi à Deo,* &c. *Itaque quiſquis obſiſtit poteſtati, Dei ordinationi obſiſtit.* Tit. 3. 1. *Suggere ipſis, ut ſeſe ſubjiciant principatibus ac poteſtatibus.* Similia occurrunt Eph. 6. 1. Col. 3. 22. 23. Ex quibus dictis, inter ſe comparatis, quis non colligat, quod ad Leges, eandem poteſtatem eſſe Politici atque Eccleſiaſtici Magiſtratus? Quomodo & duæ hæ poteſtates dici poſſunt, quadantenus ſecundum materiam objectam, ſeu objectum, conſentire. Ut enim civilis poteſtatis materia, ſive objectum, eſt ſocietas hominum, illiuſque conſervatio, ad corporalem hanc vitam tranſigendam, ſub uno eodemque Magiſtratu: Ita etiam Eccleſiaſticæ poteſtatis objectum eſt Eccleſia, ſive, cætus hominum Chriſtianorum, quatenus à Deo ſunt vocati, & per hanc vocationem conſecrati ad vitam tranſigendam in ſincera Dei obedientia. Quid quod idem finis, qui hic communis eſt, ſuadeat? Eccleſiæ Antiſtitum directus finis eſt, ut civium Eccleſię conſcientias ædificent, regant, atque ſic informent ex Dei verbo, ut in hoc ipſo mundi exilio, ſe gerant tanquam cœlorum municipes, Eph. 1. 18. Phil. 3. 20. Col. 3. 2. 3. Similiter Magiſtratus finis eſt, ut humanam ſocietatem tueatur, legibus bonis informet, & tueatur tum vitam tum fortunas civium ſuorum, adverſus quoſcunquo, qui lędere voluerint, Rom. 13. 1. & ſeqq. Hoc ſolum ratione executionis intereſt, quod cum Magiſtratus civilis geſtet gladium, ſuas leges aut gladio aut mulcta pecuniaria vindicare poſſit, ſi violentur; quum Magiſtratus Eccleſiaſticus, ultra admonitiones & cenſuras Eccleſiaſticas, propter ſcandalum datum, progredi non poſſit.

XIII. Ut ergo, propter generale Dei pręceptum, Magiſtratui Politico circa Adiaphora leges ferenti obſequium pręſtari debet; ita pariter obſequium præſtandum eſt Magiſtratui Eccleſiaſtico, hæc ipſa quoque ordinanti legitime, & citra præjudicium Divinarum legum; cum quibus ſi ſtatuta Eccleſiaſtica confligant, obſervari debet illud Thomę Aquinatis quęſt. diſput. de conſcient. qu. 4. *Inferiori poteſtati non eſt obediendum, contra præceptum ſuperioris.* In confeſſo vero eſt apud omnes, qui homines ſunt, Magiſtratum Civilem Deo inferiorem eſſe. Interim nemo, (niſi contentioſus velit haberi) temere illis reſiſtere poteſt, quæ ſive hæc illave Eccleſia particularis, in qua vivit, ſive plures Eccleſiæ ejuſdem confeſſionis, circa Adiaphora, decori, εὐταξίας, & pacis ergo conſtituerunt. Nec monitum Gerſonis, de relig. part. 3. inſuper haberi

Digitized by Google

beri debet: *In Adiaphoris* (inquit) *ſuperioris judicio maxime credendum, quoniam ille vice Dei tibi dicit, quid expedit, & quid decet.* Et quiſquis prudens ac pacis ſtudioſus eſt, quod ad Cæremonias, & ſimiles ritus ab Eccleſia definitos, libenter amplectetur regulam Auguſtini, Ep. 118. ad Januarium, cap. 22. *In his* (inquit) *nulla melior diſciplina prudenti Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agit Eccleſia, ad quamcumque devenerit: quod enim nec contra fidem, nec bonos mores injungitur, indifferenter habendum eſt.* Præclare quoque Calvinus lib. 4. Inſt. c. 10. §. 30. *Quia in externa* (dicit) *Eccleſiæ diſciplina & caremoniis, non voluit* Deus *ſigillatim præſcribere quid ſequi debeamus (quod iſtud pendere à temporum conditione prævideret, neq; judicavit unam ſeculis omnibus formam convenire) confugere hic oportet ad generales quas dedit regulas, ut ad eas exigantur, quæcunque ad ordinem & decorum præcipi, neceßitas Eccleſiæ poſtulabit. Ideo nihil expreſſum tradidit, quia nec ad ſalutem hæc neceſſaria ſunt; & pro moribus uniuſcujuſq; gentis ac ſeculi varie accommodari debent ad Eccleſiæ ædificationem, prout Eccleſiæ utilitas requiret, tam uſitatas mutare & abrogare, quam novas inſtituere conveniet.* Eoq; non probantur mihi, qui (ut ſerviant præconceptæ ſuæ opinioni, V. C. de Feſtis omnibus abolendis, &c.) ita temere violare præſumunt decreta Eccleſiæ, in ſe nihil complectentia, quod Dei verbo adverſetur. Fateor lubens, transgreſſionem decretorum Eccleſiaſticorum circa indifferentia, ſtatim peccatum non implicare; interim dum quis ea præfracto & obſtinato animo, (tantũ ut ſingularis videatur) violat, ſimul in regulam pacis, charitatis, honeſtatis, & ædificationis, à Deo generalibus præceptis injunctam, impingit. Amplector quidem utraq; manu illud D. Piſcatoris in Obſervat. ad Galat. 2. 3. *Quum adiaphora obruduntur Eccleſiæ, tanquam obſervatu neceſſaria ad ſalutẽ: miniſter Verbi conſtanter iſtiuſmodi doctoribus reſiſtere debet, exẽplo Pauli.* At quomodo ex his collegeris, ſtatuta Eccleſiæ, antiquæ quoque, de Feſtis anniverſariis, Synodo Dodracena confirmata, impune violare licere? prout D. *Voetius ſuum Reyneßium* docuit, pag. 71.

Velim tamen circa Cæremonias & ritus Eccleſiaſticos, duas neceſſarias cautiones quam diligẽter attendi. I. Cavendũ ſedulo, ne ſtatuta Eccleſiæ de ritibus, aliiſq; rebus ſua natura Adiaphoris, aut ea intẽtione ſanciantur à ſuperioribus, aut etiã ab inferioribus (quibus obſequii gloria relicta eſt) recipiãtur, quaſi pariter conſcientiã obligarent, atq; leges Divinæ: id eſt, quaſi reatus Gehennæ incurratur, ex illorum quacũq; violatione, licet id accidat aut abſq; contẽptu præcipientium, aut ſcandalo aliorũ. Prudenter & verè Gerſon. l. d. *Abutũtur ſua poteſtate, qui volũt ſuas omnes ordinationes* XIV

robur habere, per obligationem ad pœnam æternam. II. Cavendum quoque Eccleſiæ Antiſtitibus, ne cumulentur nimis Cæremoniæ, prout factum eſt in Papatu. Quod cum diſpliceret ipſi Gerſoni part. 1. de nupt. Chriſti & Eccleſiæ, erupit in hæc verba: *Quid vult conſtitutionum talis multiplicatio, Euangelio nec cognito, nec obſervato? Sciatur in primis, & ſervetur Euangelium.* Et de vita Spirituali Coroll. 14. part. 3. *Tanta eſt hujuſmodi conſtitutionum multitudo, ut, ſi tenerentur in ſuo rigore, maxima pars Eccleſiæ damnaretur.* Modus ergo ſervetur, quem prudenter definit Calvinus l. d. 5. 14. *Modus* (inquit) *in Cæremoniis tria ſpectat.* 1. *In numero paucitatem.* 2. *In obſervatione facilitatem.* 3. *In ſignificatione dignitatem, quæ etiam claritate conſtet.* Secundum quas regulas ſi Cæremoniæ Eccleſiaſticæ exactæ fuerint, ne quidem ipſe Calvinus atro carbone eas notare ſuſtinet. Sic enim loquitur in Tract. de optimo Eccleſias Reformandi genere, cap. 6. *Verum ne quis calumnietur, nos in rebus externis nimium eſſe moroſos, qui adeo præciſe tollamus omnem libertatem: hic teſtatum velim piis Lectoribus, me non de Cæremoniis litigare, quæ decoro tantum & ordini ſerviunt; vel etiam ſymbola ſunt & incitamenta ejus, quam Deo deferimus, reverentiæ.*

XV. Reliquum eſt, ut definiamus ſecundum certa præcepta, quomodo unuſquiſque tum ratione ſui, tum aliorum, ſe gerere debeat in legitimo Adiaphororum uſu. Eoque veris Adiaphoris quivis Chriſtianus fidelis (niſi forte Magiſtratui aut Politico aut Civili aliter ſtatuere placuerit) quovis tempore & loco, pro ratione ſui commodi aut uti, aut etiam abſtinere poteſt. Quare Apoſtolus edicit Col. 2. 16. *Ne quis vos judicet in cibo & potu.* & 1. Tim. 4. de ciborũ indifferente uſu, ita loquitur: *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum quod cum gratiarũ actione ſumitur. Sanctificatur enim per verbum Dei, & per orationem.* Cum vero duplex humanæ vitæ conditio ſit, una ψυχικὴ, quæ concernit præſens ſeculum, & altera πνευματικὴ, quę futurum reſpicit: Ad animalem illam vitam pertinet cibus, potus, amictus (ut & quodlibet aliud externum, ἀδιάφορον) neque illius uſurpatio cum ſpirituali vita confundi debet. *Eſca* (inquit Paulus 1. Cor. 6. 13.) *ventri & venter eſcis conditus eſt.* & 1. Cor. 8. 7. *Eſca non commendat nos Deo. Neque enim ſi manducaverimus, quicquam amplius habebimus, neq; ſi non manducaverimus, quicquam minus.* Unde occurrunt hęc verba Pauli 1. Cor. 10. 25. de ἐξουσίᾳ & libertate Chriſtiana, oppoſita Judaicis traditionibus: *Quicquid in macello venditur, edite, nihil interrogantes propter conſcientiam. Domini enim eſt terra, & plenitudo ejus.* Omnium

vero

Digitized by Google

vero clariſſimus eſt locus Pauli, de uſu τῶν ἀδιαφόρων, ad Rom. c. 14. ubi tribus regulis, omnia, quę hic obſervanda ſint, complectitur. 1. Infirmos in fide non eſſe rejiciendos. 2. Conſcientias non eſſe turbandas. 3. Ex rebus adiaphoris & mere externis non eſſe judicandum de doctrina & fide aliorum. Magnus ille Chamierus, comparando hunc locum cum aliis locis παραλλήλοις, apud eundem Paulum occurrentibus, tom. 3. lib. 17. cap. 7. Adiaphora dicit regulari duobus pręceptis, quorum prius ex Rom. 14. 14. appellat *regulam conſcientiæ*: poſterius, adducto loco 1. Cor. 6. 10. & 10. 23. vocat, *regulam prudentiæ*. Alii attendi hic volunt tres regulas. 1. *Regulam fidei*, Deum reſpicientem, ut certo ſcil. conſtet, hoc illud ve eſſe rem indifferentem. 2. *Regulam charitatis*, quæ concernit nos ipſos, ne ſcilicet ſcandalum demus. & 3. *Regulam prudentiæ*, quæ concernit proximum, ut ſcil. habeatur ratio circumſtantiarum. Quo omnia tamen diſtinctius atque explicatius cognoſcantur, ſubſequentes regulæ diſtincte proponendæ videntur. I. Perpetuo fidei cauſſa præferri debet charitati. Et conſequenter Deus aliquid præcipiens definite, æſtimari debet præ hominibus determinationem facientibus circa Indifferentia. Peremptoria ſiquidem (fas fuerit ita loqui) hæc Dei Lex eſt, ab Apoſtolis hoc verborum compendio comprehenſa, Act. 4. 19. *Oportet Deo magis obedire, quam hominibus*. II. Neceſſaria fieri debent: In non neceſſariis, quæ tamen licita ſunt, ea moderatio obſervari debet, ne aut exempla noſtra aliorum conſcientias lędant, aut publicæ concordiæ officiant. Mihi hic ſemper Juriſconſultorum regula arriſit: *Quod tibi non nocet, & alteri prodeſt, hoc præſtari debet*. III. Adiaphora per accidens fiunt obſervatu neceſſaria, quando de iis aliquid definit ſive Eccleſia, (exemplum occurrit Act. 15. 28.) ſive Magiſtratus. IV. Interim, quæ ita definita ſunt, ſive à Senatu Eccleſiaſtico, ſive Politico, in caſu neceſſitatis intermitti poſſunt. Vnde & Chriſtus de lege Divina diſpenſavit, quum diſcipuli illius ſpicas vellerent, Matt. 12. 1. atque tum de legibus Eccleſiaſticis, tum Politicis circa Adiaphora (propter varia pericula, quæ ſępe oboriuntur) diſpenſari poſſe, videtur colligi poſſe ex hoc Pauli dicto 2. Cor. 13. 10. *Data eſt nobis poteſtas in ædificationem, non in deſtructionem*. V. Contradici conſtanter debet adverſariis, quotieſcunque ita pręfracte urgent traditionum ſuarum obſervationem, ut putent hoc conducere ſaluti æternæ. Hoc in caſu inſidiatoribus libertatis noſtræ nihil eſt largiendum, quo Chriſtiana libertas incolumis ſit. Quum ipſi diſcipuli Chriſto

Digitized by Google

Matth. 15. 12. non ſine ſtomacho objicerent: *Noſti Phariſæos, audito iſto ſermone, offenſos fuiſſe?* Chriſtus reſpondit: *Omnis planta, quam non plantavit Pater ille meus cœleſtis, eradicabitur. Omittite illos, duces ſunt cæci cæcorum*, &c. Quo pertinet & illud Pauli factum, quod noluerit circumcidere Titum, Iudæis hoc efflagitantibus, velut rem neceſſariam. VI. At, ſi quis fuerit apud infirmos, quos erudire & eoſdem traducendo ad meliorem ſenſum lucrifacere poſſit; ſuam libertatem aſſerendo, eam, (quicunque etiam obloqui voluerint) ſibi ſartam atque tectam præſtare debet, eo uſque quoque, ut alios auſit reprehendere, qui ſecus fecerint. Sic Paulus Petrum reprehendit, quod infirmorum, qui ex Gentibus acceſſerant, conſcientiam vacillantem ſuo exemplo non confirmaſſet Gal.2. 11. VII. Quod ſi ejuſmodi infirmi occurrerint, qui facile erudiri non queant, ac habeant conſcientiam teneriorem, faciendum eſt Charitatis officium, & inſerviendum eorundem opinioni. Obſervavit hoc Paulus, cum veniſſet Hieroſolymam. Nam cum in tanta multitudine, pauci aut nulli eſſent, qui ſufficienter edocti forent de libertate Euangelica, plurium opinioni acceſſit, atque cum iis una raſus fuit, Act.21 Hinc & idem Paulus hanc fert legem, Rom. 14.1. *Infirmum fide aſſumite*. Et hæc ſunt, quę, ad modum regularum, putavimus ulterius circa Adiaphora annotanda eſſe, quæ ſi libuerit alicui componere cum præcedentibus, ſpeciatim cum illis, quæ propoſuimus ſect. 9. hujus Exercitationis primæ, nihil à nobis præteritum eſſe videbit. Omnia vero ſubjecta ſunto judicio Eccleſiæ Orthodoxæ, & filiorum Prophetarum, quorum labia hactenus ſapientiam cenſentur cuſtodire, quam ipſi non recedant ab ipſo Dei verbo.

EXERCITATIO II.

DE

SCANDALIS.

1. *De voce Scandali, & de varia illius diſtinctione.*
2. *Scandalum hic conſiderandum definitur, illiuſq; requiſita notantur.*
3. *Scandalum dividitur in datum & acceptum. Speciatim agitur de Scandalo, occaſione rei malæ dato.*
4. *Agitur de Scandalo, dato occaſione rei indifferentis.*

5. *Quid*

5. *Quid ſit ſcandalum acceptum; ſimul arguitur Reyneſſius, diſtinguens inter Scandalum acceptum & arreptum.*
6. *De ſubdiviſione Scandali accepti. Speciatim de eo, quod humanum dicitur, & de variis illius differentiis.*
7. *De ſcandalo accepto piorum.*
8 *De ſcandalo diabolico, quod potius ad datum ſcandalum referendum eſſe oſtenditur.*
9. *Reſpondetur ad duas quaſtiones Scandalum concernentes.*
10. *Diviſio ſcandali in publicum & privatum.*
11. *Diviſio Scandali ratione perſonarum.*
12. *Quam ſcrupuloſe cavendum ſit, ne cui ſimus ſcandalo.*

POſt Homerum Iliada ſcripturus videar, quod, poſt accuratam maximi Calvini, incomparabilis Gomari, (egit hoc in appendice, ad cap. 14. ad Romanos) ſubtiliſſimique Cameronis de Scandalo Diatribam, meas qualeſcumque commentationes, ad modum Exercitationis, de eadem materia proponere ſuſtineam. Sed, quod in ſubſequentibus Exercitationibus, ſæpiſſime recurrat diſtinctio in Scandalum datum & acceptum, atque perſonatus Reyneſſius, à ſuo Doctore (qui eum ſubornavit) novarum diſtinctionum pulverem ſpargere edoctus ſit, neceſſitas quadantenus impoſita fuit, hoc agendi. De vocis Etymologia nihil addimus, quod omnia, quæ hic dici poſſent, complexus ſit ὁ πάνυ D. Gomarus. Vox, origine Græca, Latina quoque civitate donata eſt. Sic enim legas in Gloſſario quantivis pretii: Σκάνδαλον, *Scandalum.* In eodem Gloſſario, vox Synonyma πρόσκομμα redditur offendiculum. Proprie vero σκάνδαλον notat lapidem aut ſimile quid, ad quod aliquis offendendo pedem, poſſit impingere. Quomodo legitur de Iudæis in libro Iudith cap. 5. verſ. 1. quod ἔθηκαν ἐν τοῖς πεδίοις σκάνδαλα. Quibuſdam placet diſtinguere inter ſcandalum corporis, & ſcandalum animi. Ad ſcandalum corporis, quod fuerit offendiculum corpori objectum, quo minus functionibus ſuis ſufficere queat, vulgo referunt illud, quod dicitur Levit. 19. 14. *Ante cæcum ne ponito offendiculum.* At tale offendiculum, hic non reſpicitur. Scandalum animi eſt, quando intellectus ex apprehenſione alicujus rei, quam malam eſſe putat, ſic dejicitur & infirmatur, obveniente quoque inferioribus facultatibus triſtitia, ut voluntas aut prona feratur ad imitan- I.

Digitized by Google

dum illud, ob quod intellectus turbatur: aut etiam ad averſandum illud, quod aliâs argui non meretur. Scandalum hoc, ita late hactenus conſideratum, non inconvenienter diſtingui poteſt in ***internum*** & ***externum.*** Scandalum ***internum*** eſt, quando vetus homo offendiculum prębet novo homini, eique obſtaculo eſt, quo minus obſequi poſſit Spiritui regeneranti. Huc facit Chriſti dictum Matt. 5. 29. ***Si oculus dexter te ſcandalizat.*** (*σκανδαλίζει*) Et, quãta inde triſtitia ſępe oboriatur, patet ex querela Pauli, Rom. 7. 24. ***Ærumnoſus ego homo, quis me eripiet ex iſto corpore mortis?***

II. At ***internum*** ſcandalum hic non reſpicitur, verum ***externum***, quod foris quaſi accidit, & eſt omne illud, quod alicui prębere poteſt, ſi non cauſſam, ſaltem occaſionem ruinæ. In iis, quæ ſub titulo *Ἀσκητικῶν* Baſilio aſſcribuntur, (judicio quorundam, ut refert Sozomenus lib 3. cap. 14. Author illorum fuerit Euſtathius Sebaſtenus) Scandalum ſic definitur: *Σκάνδαλόν ἐςιν ὡς ἐγὼ λογίζομαι ἐκ τῶν γεγραμμένων ὁδηγούμενος· πᾶν τὸ, ἤτοι εἰς ἀποςασίαν τινὰ τῆς κατ᾽ εὐσέβειαν ἀληθείας ἄγον, ἢ προσέλκησιν τῆς πλάνης ἐμποιοῦν, ἢ οἰκοδομοῦν εἰς ἀσέβειαν, ἢ καθόλου πᾶν τὸ κωλῦον τῇ ἐντολῇ τοῦ Θεοῦ ὑπακούειν, μέχρι καὶ αὐτοῦ τοῦ θανάτου.* ***Scandalum eſt, quemadmodum ego ratiocinor ſecundum ductum Scripturarum: Quicquid vel ad defectionem, à veritate pietatis abducit, vel efficit ut error alliciatur, vel adjuvat impietatis ædificationem, vel omnino quicquid impedimentum infert, & prohibet, quo minus obediatur mandato Dei, etiamſi ipſa mors oppetenda ſit.*** Ex Hieronymo tom. 9. ſive in cap. 15. Matthæi, alia definitio colligi poteſt, quando ibid. ſic loquitur: ***Quia crebro teritur in Eccleſiaſticis Scripturis, ſcandalum: breviter dicamus quid ſignificet*** *σκολιὸν* ***& ſcandalum nos offendiculum, vel ruinam & impactionem pedis poſſumus dicere. Quando ergo legimus, de minimis iſtis ſcandalizaverit quempiam, hoc intelligimus, qui dicto factove occaſionem ruinæ cuiquam dederit.*** Brevi noſtræ deſcriptioni, pauciſſimis verbis comprehenſæ, nihil hactenus ſuperaddo. & recte obſervavit D. Gomarus, vulgarem deſcriptionem, quæ vulgo colligitur ex verbis Hieronymi, æquo anguſtiorem eſſe, quum ſilentium & perpeſſio, ſcandali quoque materiam exhibere queant. quæ ulteriori declarationi ſerviunt, in ſubſequentibus convenienter exhibebuntur. In ſcandalo autem quatuor occurrunt, diſtincte conſideranda pro perfecta illius cognitione. 1. Principium fundamentale. 2. Res, ſeu materiale, in quo occurrit ſcandalum. 3. Formale ejuſdem. Et 4. conſequens. Quod ad principium fundamentale, eſt Dei Lex, cui ſi quid adverſetur, datur ſcandalum; quod accipi quoque poteſt, ratione

tione facti, aut dicti, Legi Dei alias non adverſantis, ratione illius, qui aut principium fundamentale non bene intelligit, aut non legitime applicat. Quum vero principium hoc fundamentale invariabiliter ſe habeat, & ſit perpetua regula eorum, quæ agimus: aliter fieri non poteſt, quin æque à parte Dei, ut judicis, ſcandalum deur, quando aliquid à Lege recedens, ab hominibus non cognoſcitur, aut ſaltem ut Dei Legi adverſans non cognoſcitur; atque cum homo illud, qua tale cognoſcit. Nam, ut de Davide, qui clam peccaverat, Deus per Nathanem edicit, quod *occaſionem dederit irritandi contemptim Iehovam inimicis ejus*, 2. Sam. 12. 13. 14. ita illa quoque res, velut Dei Legi adverſans, ſcandaloſa judicatur, quæ alios offendere poteſt, licet actu non offendat. Non enim Deus tam rei eventum, quam agentis voluntatem, intentionem, & operis à ſua Lege deviationem reſpicit. Quomodo Chriſtus Matth. 16. 23. Petro dicit: *Vade poſt me Satan, ſcandalum es mihi*. Nec tamen ipſe Chriſtus actu à Petro ſcandalizari poterat: propterea tamen ſcandalum dixit, quod talia diceret Petrus, quæ aliis ſcandalo eſſe poterant. Et juxta Paulum 1. Cor. 8. 13. Eſca vitanda eſſe dicitur, quæ ſcandalo eſſe poteſt, licet ſemper actu ſcandalo non ſit. 2. Res, ſeu materiale in quo ſcandalum occurrit, eſt omne illud, quod aut Legi Dei eſt conſentaneum, aut ei adverſarium, aut indifferens. 3. Formale, eſt judicium alterius de ejuſmodi re, ratione cujus ſi mox non obveniat inclinatio ad imitandum, oboritur tamen offenſio, ſæpe quam gravis, atque conjuncta cum indignatione. Hoc judicium cum errore ſemper conjunctum eſſe, dein liquebit. 4. Conſequentia ſcandali ſunt varia & multiplicia: cæterum pro diſtincta ratione ſcandali, *vel dati*, *vel accepti*, diſtincte poſtea conſideranda venient.

Scandalum in genere hactenus conſideratum, vulgo, nec inconvenienter diſtingui ſolet in ſcandalum *datum ſeu activum*, *& acceptum ſeu paſſivum*. *Activum*, ſive *datum* ſcandalum eſt, cujus culpa provenit à rei ipſius Authore. Sive, eſt illud cum aliquis alteri ſi non efficacem cauſſam lapſus præbet; offerat ſaltem expeditam labendi occaſionem. Hoc ſi ſecundum materiale ſpectetur, aut oritur ex eo, quod per ſe malum eſt, hoc eſt, diſerte Lege Dei prohibitum: aut ex eo, quod cum in ſe Indifferens ſit, intempeſtive tamen vel fit, vel omittitur, contra charitatis legem. Qui ſcandalum dat priori modo, is vel deſtinato conſilio hoc agit, vel deſtinatum conſilium non habet. Illo modo ſi agat, hoc agit, ut, quod ipſe agit, perperam alii imitentur; quemadmodum factum III.
fuit

fuit à Bileamo, de quo dicitur Apoc. 2. 14. quod *docuerit Balacum objicere offendiculum coram filiis Iiſraëlis, ut ederent ex iis, quæ ſimulacris erant immolata, & ut ſcortarentur.* Non deſtinato vero conſilio eorum, qui delinquunt, ſcandali materia evadunt omnes hęreſes, omnia flagitia, omnes actiones aut omiſſiones pugnantes cum lege Dei; &,ut uno verbo multa complectar, quicquid adverſatur dilectioni Dei aut proximi. Sive vero hoc, ſive illo modo ſcandalum detur, applicare licet duram illam & tremendam Chriſti ſententiam Matth. 18. 6. *Quiſquis offendiculo fuerit uni ex parvis iſtis, qui in me credunt, præſtiterit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, ac demergatur in profundo maris.* At deveniendo ad formale ſcandali hoc modo dati, quicumque malum perpetratum, aut ea deſtinatione ut cedat in ſcandalum, aut abſque tali deſtinatione, ad modum remorę & impedimenti ſibi eſſe deputant, quo minus alacriter propoſitum ſibi ſtadium per obſervationem Divinorum pręceptorum decurrant judicio ſe vacillare oſtendunt. Nam qui confirmatiores ſunt, talibus non moventur. Patet in Pinees, qui tot millibus Iſraëlitarum pellectis ad ſcortationem, non modo immotus perſtitit, Num. 25. Verum etiam *judicium* in alios *exercuit*, Pſal. 106. 30. Atque cum omnes ſpectet admonitio Pauli Rom. 12. 2. *Ne vos configurate ſeculo iſti.* vereq; fideles, quotidie cum Davide dicant, *Ne ſinas inclinari animum meum ad rem malam, ad agitandum actiones per improbitatem cum ſtrenuis operam dantibus iniquitati: etiam ne veſcer rebus amœnis eorum.* Pſal. 141. 4. neceſſum eſt ut illi ex fidelibus quoque, qui pervertuntur, (Deo quaſi manum ſuam ſubducente) judicio antea vacillent, quam exemplo aliorum ad peccata ſe accingant: quod in irregenitis nemo mirari poteſt, quum juxta Apoſtolum, *ambulent in vanitate mentis ſuæ, tenebris obſcuratam mentem habentes*, Eph. 4. 16. 17. quare & præcipites ad Infernum tendunt, quod eò promiſcuam multitudinem ruere videant. Scandali vero hac ratione ſecundum ſuum materiale & formale definiti, quæ non ſunt conſectaria, ſi illa dentur ab iis, qui cenſentur eſſe in communione Eccleſiæ? Bifariam illa poſſunt attendi, vel ratione eorum, qui ſunt ἔξω, ſive *foris*; vel ratione eorum, qui ſunt ἔσω, ſive intus, prout Apoſtolus diſtinguit, 1. Cor. 5. 12. Quod ad illos, qui *extra* ſeu *foris* ſunt (quales non agnoſcuntur in cætu fidelium) illis offertur occaſio traducendi doctrinam ipſius Eccleſiæ, dum metiuntur eam ex moribus illorum, qui eandem profitentur. Quare Apoſtolus dicit Iudæis, qui degeneres erant, Rom. 2. 13. *Dei nomen*

nomen propter vos blaſphematur inter gentes. Quo ſpectat quoque hæc ejuſdem admonitio, 1. Tim. 6. 1. *Quicunque ſub jugo ſunt ſervi, ſuos dominos omni honore dignos ducunto, ne Dei nomen & doctrina blaſphementur.* & Tit. 2. 5. Anus vult eſſe *temperantes, caſtas, domi manentes, bonas, quæ ſeſe ſubjiciant ſuis viris: ne ſermo Dei blaſphemetur.* Qui vero ſunt in ipſo cætu fidelium, ſi modo genuini Chriſtiani nominis profeſſores fuerint, ſerio contriſtantur, uſque adeo ut dicant cum Davide, *ſimul ac video perfide agentes, faſtidio me ipſum torqueo; quod ſermonem tuum non obſervent*, Pſal. 119. 158. Qui active hic ſeſe habent, ſive fuerint ſcandaloſi in doctrina, ſive in moribus, ſi admoniti ab Eccleſia, non reſipiſcant, tollendi ſunt è medio, 1. Cor. 5. 2. 11. atque caſtigandi, ne probro amplius ſint Eccleſiæ. Quod, quomodo & quo ordine fieri debeat, hic non definio, aliquando, ſi annuerit Juſtiſſimus & certiſſimus omnium ſcandalorum vindex, ex profeſſo hoc acturus.

IV. Ratione rei, quæ in ſe eſt Adiaphora, Scandalum quoque datur, quotieſcunq; circa uſum illius aliquis abutitur ſua libertate per Chriſtum parta. Cujus Scandali materiale ſi conſideretur, ſane illud in ſe neque malum, neque peccatum eſt; ſed conſideratum ratione animi & intentionis illius, qui eo utitur, illudque ſibi mancipat, peccatum evadit: &, ut ad formale quoque accedamus, illud ipſum Scandali faciem induit, ratione illorum, qui de uſu talis rei ſufficienter non ſunt eruditi. Hic enim notari debent tria diſtincta hominum genera. I. Quidam ſunt docti Chriſtianam libertatem, eoque firmi & validi cenſentur. His Scandalo neutiquam eſt factum Adiaphorum, ſed potius gaudio & conſolationi. II. Quidam ſunt obſtinati atque indociles, de quibus obſervari debet hæc Chriſti regula: *Omittite eos, quia cæci ſunt, & duces cæcorum;* quod licet Chriſtus Matt. 15. 14. de Phariſæis dixerit, convenienter tamen omnibus hujus ordinis applicari poteſt. III. Quidam ſunt infirmi & veluti puſilli in Schola Chriſti. Horum ratio habenda eſt accurata in uſu τῶν ἀδιαφόρων. Quiſquis enim, cum Scandalo talium, utitur Adiaphoris, charitatis legem violat ſimulque Chriſti fidem abnegat. Hoc Scandalum vulgo vocatur *Scandalum infirmorum*, atque de eo accurate diſputat Paulus Rom. 14. & 1. Cor. 8.

V. Succedit *Scandalum paſſivū*, ſive *Scandalum acceptū*, ſic vocari ſolitum, quod homines illud ſibi accipiant, vel ex aliorum recte factis, dictis,

conſiliis; vel ex doctrina recta & externa Eccleſiæ forma; vel in genere, ex aliis rebus quibuſcunque. In ſpecie vero, eſt dictum aliquod noſtrum, conſilium, aut factum pium, juſtum, aut per ſe honeſtum, aut ſaltem non improbe aut importune admiſſum, propter quod tamen quiſpiam male de nobis, ſed tamen immerito, vel ex quadam perverſitate, aut ſiniſtra quadam animi malignitate, aut errore judicat, ſimulq; in offenſionis occaſionem rapit. Chryſippus noſter Reyneſſius, forte à D. Voetio edoctus, videtur hic idem inveniſſe, quod pueri in faba ſolent: ſic enim pag. 171. philoſophatur: *Diſtingui* (inquit) *debet*, dare *ſcandalum, &* pati *ſcandalum; quemadmodum ſæpe ſcandalum* accipitur, *ubi non* datur, *ita ſæpe* datur, *ubi non* accipitur; datur *quoties quis imprudentia aut impudentia ſua alteri labendi occaſionem objicit*, accipitur *quoties quis ad oblatam occaſionem offenditur: Quod enim vulgo* acceptum *dicitur, id* arreptum *potius quam* acceptum *dicendum. Atque ita ſcandalum diſtingui poſſet: quod aliud eſſet* datum; *aliud* acceptum *cum datur*; *aliud* arreptum *cum ne datur quidem.* Sed, mira hæc ſubtilitas! quis negavit unquam ſcandalum datum materialiter committi poſſe, ut tamen formale, ſeu offenſio, à parte proximi non accedat? Supra nos hoc docuimus *Diſtinct.* 2. ex Matt. 16. *Acceptio* illa ſcandali, unde homo noſter fabricatur tertiam, ſed intermediam quaſi, ſcandali ſpeciem, provenit ex natura ipſius dicti vel facti, quod, ſi non adverſetur legi Dei, atque *Adiaphorum* agnoſci queat, ſaltem non habet circa ſe omnes requiſitas circumſtantias: & tale ſeu dictum, ſeu factum, in ſe ſcandaloſum eſt, etiamſi ad offenſionem actualem alterius (in hoc conſiſtit ſcandali completi quaſi formalitas) non pertingat. Accidit vero hoc vel ex conditione perſonæ, quæ non offenditur, vel ex ſingulari gratia, quæ divinitus alicui conceſſa fuerit. Prioris exemplum habemus in Chriſto, Petri ſcandalum (omnino ad ſcandalum datum pertinens, eo ſenſu, quem antea propoſuimus) retundente, Matt. 16. 23. Poſterioris exempla in multis fidelibus occurrunt. Hinc dicitur Pſal. 119. 165. *Pacem multam eſſe diligentibus legem tuam, neque eſſe eis offendiculum.* Pulchre Macarius Homil. 25. ὅις ἐνυπάρχει ὁ θεῖος νόμος οὐκ ἐν μέλανι καὶ γράμμασιν ἐγγεγραμμένος, ἀλλ' ἐν καρδίαις σαρκίναις ἐμπεφυτευμένος, οὗτοι τοὺς τῆς διανοίας ὀφθαλμοὺς φωτισθέντες, καὶ ἀεὶ ὀρεγόμενοι, οὐ τῆς αἰσθητῆς καὶ βλεπομένης ἐλπίδος, ἀλλὰ τῆς ἀοράτου καὶ νοητῆς περιγίνεσθαι τῶν τοῦ πονηροῦ σκανδάλων ἰσχύουσιν, ἀλλ' ἐκ τῆς ἀηττήτου δυνάμεως. *Quibus ineſt divina lex, non atramento, aut literis ſcripta, ſed in cordibus plantata,*

plantata, bi oculis intellectus illuminati, perpetuoq; deſiderio capti non ſenſibilis, aut viſibili ſpei, ſed inviſibilis & intellectualis, ſuperare nequiſsimi ſcandala poſſunt, per invictam tamen virtutem. Neque enim eſt cujuſvis, ſed in quo occurrit plenitudo Sp. Sancti, non offendi in re quaquam. Interim nulla eſt ratio cur hoc contingens, ſuperveniens ſcandalo dato, conſtituat diſtinctam ab eo ſpeciem, & quod in Scholis vulgo *acceptum* ſcandalum dicitur, *arreptum* vocetur. Convenientius ab aliis *Scandalum per accidens* vocatur, quum non ſecundum naturam ſuam peccatum efficiat, ſed, duntaxat vitio alterius, rei, in ſe haut malæ, peccatum accedat. Materiale hujus Scandali eſt res in ſe bona: formale vero conſiſtit in erroneo judicio, ſiniſtre apprehendente quod bonum eſt.

Paſſivum hoc, ſeu *acceptum* Scandalum vulgo rurſum diſtingui ſolet in *Scandalum humanum*, & Scandalum *diabolicum*. Illud iterum eſt duplex, vel *impiorum*, vel *piorum infirmorum*. Impii vel ſunt extra Eccleſiam, vel in externo Eccleſię cœtu: his ut genuinis hypocritis ſi ſcandalum detur, ſcandalum hoc *Phariſaicum* dicitur, quod Phariſæis fuerit familiare. Sic Phariſæi *audito ſermone Chriſti* de vanitate humanarum traditionum, *offenſi ſunt*, Matth. 15. 12. & *temporarii, orta perſecutione propter ſermonem* Dei, *ſtatim offenduntur*, Matt. 13. 21. Contingit vero utroſque offendi 1. vel infima ſpecie, humilitate, & cruce Chriſti in aſſumpta carne, 1. Cor. 1. 23. Vel 2. Euangelii abſurditate imprudenter concepta, novitatis ſuſpicione, ſimplicitate doctrinæ Euangelii, gratiæ prædicatione, prædeſtinationis articulo, veteris hominis mortificatione, Matth. 15. 12. Vel 3, externa Eccleſiæ forma. 4. Vel priorum vita & actionibus, quibus ſentiunt ſe redargui libero Adiaphororum uſu. Vel 5. cruce & perſecutionibus, quę profeſſionem Euangelii comitantur. Vel alia quoque ratione. Sed unde quoque hoc ſcandalum oriatur, pii nihili illud facere debent, exemplo Chriſti, cujus hæc vox eſt, Matth. 15. 14. *Omittite illos: duces ſunt cæci cæcorum.* & Prophetarum, ſpeciatim Eliæ, 1. Reg. 18. 17. 18. & Amoſi, Amos. 7. 10. & ſeqq. ſimiliter fidelium, Act. 17. 6. Hic locum habet illud Tertulliani de veland. virgin. cap. 3. *Scandalum niſi fallor, non bona rei, ſed mala rei exemplum eſt, ædificans ad delictum. Bona res neminem ſcandalizant, niſi malam mentem.* Item illud Gregorii Magni hom. 7. in Ezech. quod inſertum quoq; eſt regulis lib. 5. Decret. *In quantum* (inquit) *ſine peccato poſſumus, vitare proximorum ſcandalum debemus: ſi autem de veritate ſcandalum ſumitur, utilius permittitur naſci ſcandalum, quam veritas relinquatur.* Quod ipſũ reſpiciens Bernardus epiſt. 78. VI.

dicit:

dicit: *Nec cautior ſum in verbo, nec circumſpectior in ſenſu, illo qui ait: Melius eſt, ut ſcandalum oriatur, quam veritas relinquatur.*

VII. Scandalum *acceptum* piorum eſt, quod ab infirmis adhuc in Eccleſia, aut minime malis, accipitur; invigilantibus tamen ad hoc malignioribus, qui occaſione hujus ſcandali, Euangelii doctrinam rudioribus incertam reddere ſtudent. Ei ratione piorum occaſionem præbent 1. vel Eccleſię perſecutio, oppreſſio, & innocentium ſupplicia. Vel 2. hęreſes & diſſenſiones in Eccleſia. Vel 3. Adverſariorum Eccleſiæ multitudo, potentia, & auctoritas. Vel 4. florens impiorum fortuna, & proſper rerum ſucceſſus, Pſ. 73. 2. Hoc vero ſcandalum rurſus pii ſuperant, confirmante eos Sp. Sancto: atque, ut hic multum eos juvare poſſunt preces; ita diligenter attendere convenit, ad conditionem regni Chriſti, ad regimen Dei circa ſuos & impios, quod & Aſaph attendit d. Pſalm. verſ. 20. ad Dei occulta judicia, & immutabile decretum; ſpeciatim Dei imperſcrutabilem ſapientiam, liberam voluntatem, & ſanctiſſimam juſtitiam. Nos homines duntaxat œconomi ſumus, Deus eſt Paterfamilias, cujus ſumptu omnia fiunt. Si quam ergo offenſionem arripiamus ex impiorum in aſpernando Euangelio indigniſſima perverſitate, eam referamus ad rectiſſimam & liberrimam Dei voluntatem: ſi horum injuſtitia nos offendat, recreet nos juſtitiæ Dei memoria: ſi horum in conculcandis margaritis ſtultitia nos ad impatientiam irritet, eandem placet ſapientiæ Dei cogitatio, quæ id ſapienter faciendum decernit, quod illi prę ſtultitia faciunt: ſi quorundam levitas nos vellicet, quod illud faſtidioſe & ſubito reſpuant, quod primum avide arripuerunt, medeatur conſtans & immutabile Dei decretum, quod ita fieri ab æterno conſtituit. In ſumma tanto magis nos conſolemur & erigamus, quanto Dei juſtitia, ſapientia, & conſtantia, hominum flagitioſiſſimâ injuſtitiâ major & excelſior eſt.

VIII. *Scandalum diabolicum* ſic communiter deſcribunt Theologi, quod ſit illud, cum proterve homines carnales ſanctorum lapſus & vitia captant ad peccandi licentiam; eum in finem, ut poſſint impune præcipites proruere in quæcunq; flagitia: addunt Diabolicum vocari, non à ſubjecto, ſed à qualitate, quod malitioſe non tam in dedecus Sanctorum, quam in contumeliam Dei velut velamen malitiæ apprehendatur. Sed, quod pace eorum dictum ſit, male hoc ſcandalum refertur ad ſcandalum acceptum. Nam, ſi Sanctorum lapſus (non fuerunt unquam ulli illorum, in hoc mundo plene ſanctificati) vere fuerint lapſus, quod legi Dei adver-

verſarentur; etenim à parte peccantium habuerunt rationem ſcandali activi, ſive dati. Quomodo ęque Noach inebriatus Gen. 9. 22. Loth inceſtuoſus, Gen. 19. 30. 31. & David adulter, 2. Sam. 11. 2. 3. 15. dederunt ſcandalũ, atq; Petrus, abnegando ſuum Dominum Ieſum Chriſtũ, Matt. 26. quod vero per artes diaboli, ſecundum ſtupendum judicium Dei, quidã in peccando obfirmati, lapſus, Sanctorum alias virorum, velut pulvinar apprehendant, quò ſecurius ex ſuo ſenſu peccata perpetrare poſſint, hoc non magis eos poteſt excuſare, atque ſcandali dati indolem pervertere.

Poſſemus videri omnibus eſſe defuncti, niſi ratione ſcandali qua dati qua accepti, ſimulque utriuſque ratione, & quædam dubia eſſent ſolvenda, & quædam communes diſtinctiones elucidandæ. Dubia duo potiſſimum ſunt, qua datum qua acceptum ſcandalum reſpiciẽtia I. Ut ratione illegitimi uſus circa *adiaphora*, prout antea patuit, ſcandalum dari poteſt, atq; illud etiam accipi; quæritur, quod ſi occurrant ratione uſus Adiaphororum & validi & invalidi, an validorum præ invalidis habenda ſit ratio? Si ſoli invalidi occurrant, quin illi debeant reſpici nullum dubium eſt: Sed, ſi permixti fuerint, validorum potior ratio eſſe debet: ut patet ex reprehenſione Petri Apoſtoli per Paulum, Gal 2. 14. quum enim Petrus potiorem haberet rationem Iudaizantium fratrum per errorem, quam Gentilium, & probe edoctorum, & dę Chriſtiana libertate probe ſẽntientium, Paulus in os recte ei reſtitit. Nam qui veræ doctrinæ jam initiati ſunt, potiores cenſeri debent iis, qui erroneæ opinioni nondum renunciarunt. Interim hi ipſi validi, (prout ſuperiori Exercitatione attendimus) ſuo modo ut infirmi conſiderari poſſunt. Eoque volumus hęc comparative intelligi. II. An is, qui proponit aliquid in Eccleſia, quod Scripturæ eſt conſentaneum, itemque Orthodoxæ religionis formulis, cenſeri poteſt ſcandalum dare? Dubitare non licet, V. C. ſi quis Catechumenis, & infirmis fratribus, intempeſtive ea Chriſtianæ religionis myſteria proponat, quæ capere non queant, & per quorum meditationem ſic turbentur eorum conſcientiæ, ut ſimul minus attendant ad illa, quæ ad ſalutem magis neceſſaria ſunt. Obſervatu dignum eſt, quod Paulus ſcribit ad Corinthios ep. 1. cap. 3. verſ. 2. *Lactis potu vos alui, & non ſeca: nondum enim poteratis id ferre.* Valde quoque mihi probantur hæc Cameronis: *Unde* (inquit) *deprehendere poſſumus qui ſint ſchiſmatici, qui minus: non enim ſchiſmaticus eo agnoſcitur, quod fovet perverſum dogma; immo contingit aliquando ut ſententia hominis ſchiſma-*

ſchiſmatici veriſſima ſit, tamen quia eam neque loco, neque tempore, nullaq; neceſſitate urget, ſchiſmaticus eſt, & ſcandalum objicit Dei populo. Cum enim non agatur ſalus Eccleſiæ, oſtendit ſe non adductum ſtudio gloriæ Dei, ſed ſuæ potius exiſtimationis, Eccleſiam turbaſſe.

X. Diviſiones qua dato qua accepto ſcandalo communes, duæ ſunt. Utrumque eſt vel publicum, vel privatum. Illud ſi detur maxime in publico loco, non modo publice innoteſcit, ſed plures quoque offendit: accipi vero dicitur quando ex concione, quæ publice habetur, aut ex alio actu publico, à pluribus per erroneum judicium, accipitur. Privatum ſcandalum dari cenſetur, ſi aliquid in occulto fiat, quod Dei legi adverſetur: quod ſi neminem quoque offenderit, propter illa tamen, quæ antea notata fuerunt, ſcandalum cenſeri debet; & quoniam privatum vocatur, eo ipſo etiam quando innoteſcit, pauciores offendit, quoniam paucioribus notum eſt.

XI. Ratione quoque perſonarum, qua datum, qua acceptum ſcandalum variat. Nam, ſi datur à perſona, quæ verſatur in mundi illuſtri theatro, & in aliqua dignitate eſt conſtituta, magis nocet exemplum, & pluribus ruinam procurat, quam ſi privatam vitam ageret, aut alioqui obſcura eſſet perſona. Ut enim quo majus fuerit ſaxum, quod ab alta turri ruit, eo quoque in plurima fragmenta diſſilit: ita quo dignior fuerit perſona, & in excelſiori dignitatis culmine conſtituta, eo plures quoque, ſi cadat, ſecum in lapſum trahit, atque majorem quoque pœnam meretur. Si is quoque qui alios docet, & ſenſus exercitatos habet ad diſcretionem boni & mali, ex doctrina aut orthodoxa, aut re bona ſcandalum accipiat, argui magis meretur, atque quivis de trivio Chriſtianus.

XII. Et tantum quoque de Scandalis. Faxit Deus, *ut nullam ulla in re præbeamus impingendi cauſſam*, 2. Cor. 6. 3. & perpetuo *ſimus ſine offendiculo Eccleſiæ Dei*. 1. Cor. 10. 32. Egregie Nazianzenus Orat. 1. καλὸν γὰρ μήτε ἁμαρτάνοντα, μήτε ὑπονοούμενον, ἕως ἂν οἷόν τε ᾖ, καὶ ὁ λόγος αἱρῇ, τιθέναι πρόσκομμα τοῖς πολλοῖς ἢ σκάνδαλον. *Pulchrum eſt enim, nec peccando, nec ſuſpicionem ſubeundo, quamdiu fieri poteſt, ac ratio dominatur, offendiculum aut ſcandalum multis ponere.* Attendi hoc quoque debet ratione ipſius ſcandali accepti, quod quanquam, ut antea vidimus, imputatur ipſi σκανδαλιζομένῳ: quiſquis tamen Deum ex animo timet, quoad fieri poteſt, ex Chriſtiana charitate, etiam in his infirmorum rationem habere debet, in iis maxime, quorum omiſſio nec

Digitized by Google

nec officium violat, nec conſcientiam lædit. Ita Chriſtus ipſe Matth. 17. 27. etiamſi omni jure, puta Rex cœli & terræ, tributi immunitatem vindicare ſibi potuiſſet: Noluit tamen ea uti, ne alii ſcandalum inde accipere poſſent, (ipſe dicit, Petro *ἵνα μὴ σκανδαλίσωμεν ἀυτὸς*, *Ne ſimus offendiculo eis*). Ita & Paulus, etiamſi idolothytorum eſum certo modo conceſſum eſſe, dixit; ſe tamen eo abſtinere velle innuit, propter infirmos, qui non recte informati inde ſcandalum accipere poſſent, 1. Cor. 8. 13. *Quapropter ſi eſca offendiculo eſt fratri, non edam carnes in æternum, ne ſim offendiculo fratri meo.* & Rom. 14. 21. *Bonum eſt non edere carnes, neque bibere vinum, neque quicquam facere in quo frater tuus impingit, vel offenditur, vel infirmus eſt.* Non enim omnia, quæ licent, etiam proſunt, 1. Cor. 6. 12. nec omnia, quæ licent, ædificant, 1. Cor. 10. 23.

EXERCITATIO III.

DE

BONIS PSEUDO-SACRIS.

1. *AVthorum multitudini, ſæpe præferendus unus, ſi cum judicio tractarit materiam, circa quam occupatus fuit.*
2. *Nulli probro ducendum, ſi fateatur ſe ſcribendo proficere, etiam uſque ad ſententiæ mutationem.*
3. *Eccleſiæ* N. T. *Chriſtus non eſt ſtipulatus divitias, & poſſeſſiones, nedum bona immobilia.*
4. *Eccleſia V. T. κτήσει non poſſedit immobilia, ſed χρήσει.*
5. *Uſque ad Conſtantinum Magnum Eccleſia* N. T. *caruit bonis immobilibus.*
6. *Bona fanorum Paganicorum non dedit Conſtantinus M. Eccleſiæ; ſed fiſco vindicavit.*
7. *Conſtantini exemplo ſequentes Impp. Chriſtiani templa ipſa locarunt.*
8. *Ut concedente Conſtantino M. Eccleſiaſtici per legata ditari cœperunt, ita bona hæc omnia ſunt carnalia, & poſſidentur jure humano. Simul vindicatur locus Matth. 23. 17.*
9. *Eccleſias brevi corruperunt divitiæ, debuitque per Impp. prohiberi, ne aut Eccleſiis, aut Eccleſiaſticis, aliquid legaretur.*

10. *Mo-*

10. *Monachorum inſatiabilis avaritia in occupandis fundis.*
11. *Exorieute jam Antichriſto, atque à ſeculo* VI. *quicquid legatum eſt Ecclesia, ad uſum idololatricum legatum eſt.*
12. *Omnia hæc bona ad curam ſolius Magiſtratus pertinent.*
13. *Inique traducuntur Canonici Ultrajectini, ut malæ fidei poſſeſſores.*
14. *Nec fas eſt eorum conſcientias ſub quocunque prætextu turbare.*
15. *In rebus hujuſmodi mediis habenda eſt ratio charitatis.*
16. *Helfricus Vlricus Hunnius, miſer & famelicus Apoſtata, inſtruxit architectos Conſilii Theologici.*
17. *Qui ex verbi Divini miniſtris Ultrajecti Canonicorum conſcientias turbant, ultro pacis ergo potius ſecedere deberent.*
18. *Supremæ Poteſtates in Diœceſi Ultrajectina probarunt meam ſententiam, cui & acceſſerunt quatuor ex Reverendis Eccleſiæ Vltrajectinæ Miniſtris.*

I. QUæ hac exercitatione diſcuſſurus ſum, ſi non tam ſecundum authoritatem legitimam, quam diſſidentium numerum expendenda forent, deſperarem de ſucceſſu, paratuſq; foret triumphus iis, qui copias ſuas ſecundum unum numerum cenſere ſciunt. Sed, quod in veſtibulo Geographiæ Strabo dicit, pro me in anteceſſum laudo: οὐ γὰρ πρόκειται πρὸς ἅπαντας ἀντιλέγειν, ἀλλὰ τοὺς μὲν πολλοὺς ἐᾶν, οἷς μηδὲ ἀκολουθεῖν ἄξιον, ἐκείνους δὲ διαιτᾶν, οὓς ἐν τοῖς πλείστοις κατορθωκότας ἴσμεν ἐπεὶ οὐδὲ πρὸς ἅπαντας φιλοσοφεῖν ἄξιον. *Neque enim propoſitum eſt adverſus omnes dicere, ſed pleroſque miſſos facere, quos ſequi non decet: illos vero indicare, quos in pleriſque cum laude egiſſe novimus.* Quicunque ad lectionem authorum vagam, exalciatum judicium non adferunt, atque phantaſiâ magis hærent circa paginas in præſidium memoriæ, quam mente circa rationes, apud ſui ſimiles, nullo ferme negotio, vaſtæ, & tumultuariæ eruditionis opinionem concitare poſſunt, haut pariter vero ſapientiæ, apud illos, qui ſuo merito cenſeri merentur, corcula. Unus ſcriptor plurium inſtar ſæpe habendus eſt, ſi maturo judicio, præmeditato conſilio, & citra ullius reſpectum ea tractarit, à quibus, brevi licet libello comprehenſis, maluit apud judicioſam poſteritatem agnoſci & commendari, quam ex libris Elephantinis, vix per indicem ipſis Criticorum filiis notis. Qui gloriam ex librorum multitudine venantur, cum ſint homines, per oblivionem ea ſæpe jugulant,

gulant, quibus aſtruendis alibi operoſe vacarunt. Quod ſæpiſſime Chryſippo Stoico contigiſſe, obſervat Plutarch. in lib. περὶ Στοιχ. ἐναντιωμ. & Diogenes Laërtius in Chryſippo: item Didymo Grammatico, teſte Athen. lib. 4. Δειπνοσοφ. Qui tam multa ſcripſerat, (tria millia librorum & quingentos) ut ſuorum librorum eſſet immemor, qui & ideo βιβλιολάθας dicebatur. Judicio ergo ſingulari opus eſt, non minus in diſcutiendis opinionibus, ubi earum delectus occurrit, quam ſeligendis Authoribus, qui hic duces eſſe ſolent: nec pluribus libris in materia certa indiget, qui in optimum incidit. Non inconvenienter Gregorius Nazianzen. de Baſilio, Oration. 20. ἤρκεσε γὰρ εἷς ἀντὶ πάντων τοῖς σπουδαιοτέροις εἰς παίδευσιν: *Sufficit unus omnium loco ſtudioſis ad eruditionem.* Quod deinceps ulterius oſtendit, quando ait, cum eruditiſſimum haberi, qui Baſilii libros intelligat, quique eos poſſit explicare. Atque, ſi dicere debeamus, quod res eſt, pleræque in Theologia hæreſes originem trahunt ab hominibus ingenioſis, & lectionis inexhauſtæ: quos cum inanis gloriæ ſidus temperaret, vellentque videri non fruſtra nocturnis chartis impalluiſſe, ingenium intenderunt, ut novi aliquid invenire poſſent; atque cum hanc ſuam Helenam nimis impenſe diligerent, judicio haut quaquam ingenio reſpondente, errorum periculoſorum deprehenſi ſunt fautores.

Eo hæc præmitto, quo poſſim viam mihi ſternere ad illa, quæ præſenti Exercitatione aſtruere laboro, de bonis *Pſeudo-ſacris*, per abuſum vulgo *Eccleſiaſticis* dictis: de quibus licet egerim juſto opere, ſuis irrefragabilibus vindiciis munito; quod tamen reliquiæ quædam illius doctrinæ adhuc ſupereſſent, viſum fuit eas præſenti Exercitatione apponere veritatis ſtudioſo Lectori; qui, ſi notaverit forte, in quibuſdam me ſententiam mutaſſe, obſervet velim, me adverſariis quam diſſimillimum eſſe, & in laude ponere, quod accenſeri merear illis, qui ſcribendo proficiunt, quibus perpetuo, ne cum turba errent, obverſantur illa Fabii Quintiliani lib. 10. Orator. Inſtitut. cap. 1. *Neque id ſtatim legenti perſuaſum ſit, omnia quæ magni authores dixerint, utique eſſe perfecta: nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati, nec ſemper intendunt animum; cum Ciceroni dormitare interdum Demoſthenes, Horatio vero etiam Homerus ipſe videatur. Summi enim ſunt, homines tamen. Acciditque iis, qui quicquid apud illos repererunt, dicendi legem putant, ut deteriora imitentur, (id* II.

Digitized by Google

enim eſt facilius) ac ſe abunde ſimiles putent, ſi vitia magnorum conſequantur. Sed hoc agamus.

III. Ut ergo cuncta ab ovo, & ſimul quam ſuccincte, accerſam, in toto N.T. ne γρῦ quidem occurrit, ex quo colligi poſſit, Eccleſię, tempore ejuſdem colligendæ, deberi bona hujus ſeculi, ſpeciatim fundos, ac ea, quæ immobilia bona vulgo habentur; cum contrarium potius non inconvenienter ex ſcriptis Apoſtolorum & Euangeliſtarum erui queat. Nam cum, teſte Propheta Davide Pſ. 45. 14. *tota filiæ Regis*, genuini Salomonis ſponſæ, *gloria ab intus eſſe debeat*; næ pariter, divitiarum ſplendor, & poſſeſſionum terrenarum inanis fiducia, ab ea quam procul eſſe debent, quum ad thalamum illius propius pauperes, quam divites pertineant: Chriſto, Matth. 11. 5. edicente, quod *pauperibus Euangelizetur;* & Paulo expreſſe monente, 1. Cor. 1. 26. eos, qui vocandi eſſent ad communionem Eccleſiæ, *non eſſe multos ſapientes ſecundum carnem, non multos nobiles.* Unde expreſſe quoque, poſt ipſam Chriſti reſurrectionem Petrus dicit Act. 3. 6. *Argentum & aurum non eſt mihi.* Fateor quidem, Gloſſam ordinariam, hanc affingere mentem Apoſtoli verbis, quaſi diceret: *Non habeo hic.* At longe circumſpectius Chryſoſtomus: *Non dixit, non habeo hic, qualia nos dicimus: ſed prorſus non habeo.* David in Pſalmo Myſtico ne nobis faveat, adducta D. Riveti Gloſſa, laborat oſtendere larvatus D. Voetii Hyperaſpiſtes: at fide Voetiana. Sic enim Rivetus ad comma 14. dicti Pſal. pag. 465. *commentatur*: Nolim recedere à communi interpretum *ſenſu*, id referentium ad ornatum interiorem ſponſę pręcipuum illum quidem, etſi exterius etiam appareat aliquid, quod eam commendet, ſed exiguum id & pretii plane nullius, ſi cum internis ornamentis comparetur, aut ſine illis compareat. Hanc intelligentiam ſuggerunt omnes fere veteres interpretes, & recentiores, quam ſic expreſſit venerabilis Beza in Paraphraſi Poëtica:

Nec modo tu ſpecioſa foris, pars maxima longe
Intus opum, decoriſque tui.

Quaſi diceret; præcipua ornamenta ſpiritualia ſunt interna, in corde requirenda. *Hac Rivetus*, quæ nobis ſufficiunt. Nec inconvenienter adductus locus Matt. 11. 5. Nam quamvis plerique interpretes intelligant pauperes Spiritu, Theophylactus tamen intelligit pauperes re ipſa Apoſtolos. Quod & ſuadere videntur antecedentia. Verum quidem eſt, Apoſtolos ſub N. T. quoque docere, miniſtris Euangelii deberi τὰ πρὸς τὸ βίον: interim quam modeſtiſſime docent, Domini Jeſu Chriſti

Chriſti inſtitutum eſſe, (1. Cor. 9. 14.) *ut qui Euangelium annunciat, de Euangelio vivat*;idque,non ut principi *tributum pendi*,ſed ut (*ibid verſ.* 7.) *militi ſtipendium reddi volunt*; quamvis ne ipſi quidem (*ibid verſ.* 15.) hoc exigant ſummo jure. Tantum gregibus demonſtrant, quid æquitas, quid gratitudo ab ipſis hoc loco requirat; ut ii, ſponte, proprioque judicio impulſi, magis quam juſſi, ſuas partes exſequantur; nedum ut anxie, ac moroſe, primitias, decimas, fundos, aliaque quæ ultimis tabulis legari ſolent, à ſubditis ſigillatim ſibi aut offerenda, aut pendenda indicant. Contrarium non evincunt pauci illi divites, qui ab Apoſtolis vocati ſunt ad communionem Eccleſiæ, quorum ſit mentio Matth. 27. 57. Luc. 19. 2. Act. 8. 27 & 1. Tim. 6. 17. quoſque objicit *Reineſſius*, ſiquidem vocati ſunt ut eſſent membra Eccleſiæ, non vero illius anteceſſores & paſtores. Pręterea hi divites & potentes adeo pauci fuerunt, ut Ioh 7. 48. Phariſæi ex ſuis diſcipulis quærant: *Num quis ex primoribus* (ἐκ τῶν ἀρχόντων) credidit in eum?

Nec eſt, quod aliquis exiſtimet, deteriorem hac ratione conſtitui IV. ſtatum Eccleſiæ N. T. præ conditione Eccleſiæ V. T. Siquidem ne quidem hæc ipſa (quicquid clamitent nonnulli) unquam immobilia bona nexu mancipioque poſſedit, prout recte judicat Theologorum Orthodoxorum aquila Franc. Junius, alibi à nobis ad ſuffragium ſuper hac re vocatus, ante quem, quod idem ſtatuiſſet Nicolaus Liranus, Junius vindicando Liranum à Bellarmini detorſionibus, *ad lib.* 1. *Animadv. Bellarm. cap.* 26. *ſic loquitur*: Non fallitur Liranus; ſed ſermone non adeo diſtincte expreſſit, quod Bellarminus intelligeret. Sic ergo diſtinguamus. Chananæa fuit Dei, dominio proprietario: fuit Iſraëlitarum dominio emphyteutico, & quaſi proprietario: quod autem Sacerdotibus in eo fuit attributum, id Sacerdotum Levitarumque fuit lege uſus & habitationis (ut Iureconſſ. ſolent diſtinguere) atque uſufructus. Hoc non intellecto, quod ſibi Liranus voluit, Bellarminus bellas narrat fabulas. Hebronem Caleb proprietate tenuit, Sacerdotes uſu & habitatione. *Hæc Iunius.* quæ ſi quis compoſita mente expendat, videbit plus quam πασπίζειν Stentores illos, qui plenis buccis identidem clamant, bona immobilia Eccleſiæ N.T. vindicanda, atque in ſolidum aſſerenda eſſe, tanquam bona mancipi. Quæ contra Junium cornicatur Reineſſius, pilinon ſunt facienda, & à nobis jam anno 1651. caſtigata fuerunt in Nob. Paulo Voet (qui cum ſub literis S. C. videri vellet *ſeverus caſtigator*, prodidit ſe eſſe *Sceleſtum Calumniatorem*) Differt.

Polit. Hiſt. de Bonis Eccleſiaſt. Sect. 3. cap. 1. §. 5. quod diſsimulare non debuiſſet Reineſius. Nec contrarium ſuadent Urbes, quas Levitæ poſſederunt Joſ. 21. ſiquidem earum uſum ſolum habuerunt. Contrarium quoque non erueris ex Levitic. 27. verſ. 15. 16. 21. Nam non negandum agros & domos potuiſſe Jehovæ ſanctificari, ſed ut pari jure, hoc eſt, uſufructuario à Levitis poſsiderentur: Unde recte dicit Junius in Anal. ad verſ. 21. agrum votivum poſt Jubilæum, ſi non fuerit redemptus, *ſanctum fore Domino, & utilem ſacerdoti poſſeſſionem ejus.* De Emphyteuſi quæ ineptit ex Icc. quaſi, hominis imperitiam arguunt: quum ruſticis notum ſit, multum intereſſe inter Emphyteutam, & dominum proprietarium, atque inter Emphyteuſin & bona mancipi. Quomodo & Theſauri ſub V. T. commemorati 1. Chron. 26. & 28. pertinuerunt ſolum ad bona mobilia, non vero immobilia, de quibus eſt Quæſtio. Porro ipſi Pontificii magis ingenui ſunt circa originem bonorum Pſeudo-ſacrorum, quam D. Voetius cum ſuis admiratoribus. Certe apud Servinum in Vindiciis Eccleſiæ Gallicanæ, hæc inter alia legas: *Olim* (inquit) *Levitæ in terra Sancta prædia non poſſidebant, ſaltem hæreditario jure, ut ex Deuter. 10. & 18. & Levit. 25. capitib. diſcimus. Sic neque teſte Plinio Druidæ in Galliis. Clericis vero & Monachis Chriſtianis, ſub veteribus Principibus prohibitum fuit, ne quid ex donatione, ſive ex teſtamento caperent.*

V. Nec æternum à quoquam probabitur, ante tempora Conſtantini Magni, Eccleſiam fundos, ſimiliaque bona poſſediſſe. Imo his omnibus eam caruiſſe abunde patet ex Cod. Theodoſ. lib. 11. de Epiſc. leg. 11. quæ ita incipit atque poſt exceſſum quoque Conſtantini lata eſt à Conſtantio & Conſtante: *Iam pridem ſanximus ut Catholicæ legis antiſtes, & clerici, qui in totum nihil poſſident, ac patrimonio inutiles ſunt, ad munera curialia minime devocentur.* Etenim ſi univerſus Clerus, *patrimonio* primum *inutilis* fuit, *& in totum nihil poſſidens*, quis, niſi amens, aut præ febri delirans, ſomniare auſit Chriſti Eccleſiam ante tempora Conſtantini Magni dotatam fuiſſe, atque bona immobilia poſſediſſe? maxime quum Impp. Chriſtiani quoque, teſtentur eam etiam poſt mortem Conſtantini Magni nihil poſſediſſe? Quod ut probet Bellarminus (hic, quod deteſtandum, circa præſentem controverſiam agnoſci debet Doctor quorundam Theologorum Reformatorum) alia

alia non poteſt adducere documenta, quam ex ſcriptis, quæ, judicio ipſorum Doctorum Pontificiorum, habentur Apocrypha.

Nec tamen Conſtantinus Magnus poſſeſſiones, ſacratas fanis Gentilium, Clericis poſsidendas dedit. Fateor, me antehac in eadem fuiſſe ſententia: ſed decepit me, qui & plures alios, Cedrenus, qui ſolus in ſua Hiſtoria p. m. 234. perhibet Conſtantinum juſſiſſe, *τὰς τῶν ναῶν προσόδους ἐκκλησίαις δωρεῖσθαι.* At hoc non teſtantur aut Socrates & Sozomenus, aut incertus Author, qui vitam Conſtantini deſcripſit: nec obliti fuiſſent objicere Conſtantino Libanius, Zoſimus, Eunapius, & alii è Gentilibus. Hoc certum, Conſtantinum donaria, reditusque, templis detraxiſſe, ut teſtatur author, additus *Notitiæ Imperii.* 2. eaque, maxime ſimulacra, convertiſſe ad ornatum Urbis, à ſe denominatæ, prout referunt *Socrat. lib.* 1. *cap.* 12. *Sozom. lib.* 2. *cap.* 4. & *auctor vitæ Conſtantini lib.* 3. *cap.* 52. atque hanc ob cauſſam potiſſimum obnoxium fuiſſe calumniæ apud Gentiles, ut patet ex *Zoſimo lib.* 2. *Libanio Orat. de Templis, ac de Divitiis, & Eunapio in Ædeſio.* VI.

Conſtantini exemplum imitati fuerunt ſubſequentes Impp. Chriſtiani, qui, reclamante nullo, ipſa Gentilium templa, velut ad fiſcum ſuum pertinentia, in alios uſus, quam ſacros converterunt, prout diſcere eſt ex Auguſtini *epiſt. ad Maximum Madaurenſem.* imo, eadem elocarunt, prout manifeſto colligere licet *ex leg.* 4. *&* 5. *Cod. Theod. de locat. fund. juris emphyt. & templ.* VII.

Eccleſiæ vero, earumque antiſtites, uſque à tempore Conſtantini M. cœperunt ditari, quod Imp. (hoc alias notavimus) anno à Chriſto Nato 321. d. Julii 7. licentiam dediſſet Clericis aliquid legandi, quum antea ex teſtamento nihil poſſent percipere. Sed, ut, per conceſsionem Imperatoriam, Eccleſiæ ab hoc tempore, bona immobilia poſſederunt; ita, quicquid ſive ab Eccleſiis, perſoniſque ad eas pertinentibus, imo ab aliis quoque poſſidetur, non niſi jure humano poſsidetur, prout recte docet Auguſtinus in Joan. Tract. *6. ubi ſequentia offendo*: Unde quiſque poſſidet, quod poſſidet? nonne jure humano? nam jure divino *Domini eſt terra & plenitudo ejus*: Pauperes & divites Deus de uno limo fecit, & pauperes & divites una terra ſupportat; jure tamen humano dicit; VIII.

 hæc

hac villa mea eſt, hac domus mea, hic ſervus meus eſt: jure ergo humano, Iure Imperatorum. Quare? quia ipſa jura humana, per Imperatores & Reges ſeculi, Deus diſtribuit generi humano, *&c.* Sed dicis, Quid mihi & Imperatori? Secundum jus ipſius poſſides terrena. Tolle jura Imperatorum, & quis audet dicere, mea eſt illa villa, aut meus eſt ille ſervus, aut domus hęc mea eſt? *Hac Auguſtinus*, quæ ſi quis paulo attentius expendat, non poterit non mirari, quod Theologi, iique Reformati, non ſolum in ſuis concionibus, verum etiam in libris editis, illa, quę ab Idololatris per errorem ſummum Eccleſiis donata ſunt, auſint vocare, non ſolum *Eccleſiaſtica*: verum etiam *ſpiritualia*, imo ipſum *Chriſti patrimonium*. Quaſi vero, circa ea, quando Eccleſiæ deſtinantur, occurrat aliquis Judæus, *urceos baptizans, & calices (quaſi & inſenſibilia vel culpam recipere poßint, vel gratiam)* prout falſe loquitur *Ambroſ. de iis, qui myſt. init. cap.* 4. Quicunque ex Pontificiis unquam judicio modo ſano gaviſi fuerunt, ſequius exiſtimarunt, atque pro dolor! in ruborem dant illos, qui proſperorum ſucceſſuum typho elati, jactant ſe ſolos habere clavem ſcientiæ. Alios alibi adduxi. Hic ſolum notari velim ea, quæ habet P. Paulus Servita in Hiſt. Concil. Trident. lib. 6. Edit. Lat. pag. 552. quæ, ut mei cives poſſint legere, *bona fide hic exhibeo*: Ab eo longe diverſum ſentiebat *Gabriel le Veneur* Gallus, Epiſcopus Vivarienſis, affirmans patrimonium Clericorum eſſe quid ſeculare, de quo Eccleſiaſticus nulla lege poſſit ſtatuere. Multa quidem poſſe intervenire, propter quæ lex, aut Magiſtratus legitime imperare poſſit, ut illud alienetur. *Hac ibi* Imo, quis, qui modo Scripturæ authoritatem agnoſcit, aliter auſit ſtatuere? cum Apoſtolus Paulus bona hujus ordinis, bona quoq; intentione & legitime Eccleſiæ conſecrata, duobus in locis *σαρκικὰ*, ſive *carnalia* vocet, Rom. 15. 27. & 1. Cor. 9. 11. Henricus Andreas Cranius IC. & Profeſſor Helmſtadienſis, in conſilio evulgato per Apoſtatam Hunnium (de hoc vide Num. 16.) contrarium probare nititur ex dicto Chriſti, Matth. 23. verſ. 17. *Dicentis templum ſanctificare aurum*: unde & ipſe per largam conſequentiam colligit, ea quæ quocunque modo Deo ſemel conſecrata ſunt, ſemper ſacra debere cenſeri. Sed *ἁγιάζειν* eo loco nihil aliud eſt, quam ſacro uſui deſtinare: prout recte Beza obſervavit, qui hęc in Notis habet: *Templum facit ut aurum pro re ſancta habeatur, divinis nimirum uſibus conſecratum.* Si valeret Cranii argumentatio, pari ratione concludere liceret, omnes illas ſpeluncas & domos, fuiſſe perpetuo habendas pro rebus ſacris, in quibus

Chriſtiani

Digitized by Google

Chriſtiani tempore perſecutionis ſacra ſua peragere ſolent, quod ad tempus uſui ſacro conſecratę fuerint. At quis ita ineptiat? Quæ uſui ſacro deſtinantur, ratione illius uſus ſic ſacra ſunt, ut ſubjective tamen nullam ſanctimoniam recipiant, atque ad ſuam naturam extra illum uſum redeant: quomodo panis, reliquus poſt adminiſtratam Domini cænam, à pane communi nihil diſtat. Longe infelicior Diſputator eſt D. Voetius, ſub pelle Reineſſii deliteſcens, quando pag. 21. ideo hęc bona vult haberi ſacra, quod *de iis vota eſſent*, Lev. 27. ſed votum, quod ut legitimum, cenſetur ex conceſſione adimpletum eſſe, uſum ſolummodo ſacrum evincit, de quo non eſt quæſtio. Mirum vero mihi ab impudentiſſimo Reineſſio, qui ne quidem ſtatum controverſiæ intellexit, objici iterum S. C. ſive Paulum Voet, uſque ad ἐχεμυθίαν jam à ſeprennio per me caſtigatum. Sed ita agunt hi homines.

Ex quo ſacrorum Antiſtites divitiarum dulcedinem deguſtarunt, mirum eſt, quam loto illa inebriati fuerint, ęſtuarintque inſatiabili deſiderio, ſub quocunque etiam prętextu adaugendi Theſaurum ſacrum. Infulati vero Tantali ſocii, tanti extiterunt captatores, & pro tam impudentibus vulturibus ſe geſſerunt, ut non multis annis poſt, primo Impp. Chriſtiani Valentinianus, Valens, & Gratianus; atq; poſtea quoque Arcadius Imp. ſpecialibus Conſtitutionibus (alibi eas exhibuimus) prohibere debuerint, ne quid perſonis Eccleſiaſticis legaretur: quas conſtitutiones reſpiciens Hieronymus, A. D. 393. *ita ſcribebat ad Nepotianum*: Pudet dicere, Sacerdotes Idolorum, mimi, & aurigæ, & ſcorta hæreditates capiunt; ſolum Clericis & Monachis hoc lege prohibetur, & prohibetur non à perſecutoribus, ſed à Principibus: nec de lege conqueror; ſed doleo cur meruerimus hanc legem, cauterium bonum eſt, ſed quo mihi vulnus, ut indigeam cauterio? provida ſeveraq; legis cautio, & tamen nec ſic refręnatur avaritia: per fideicommiſſa legibus illudimus; & (quaſi majora ſint Imperatorum ſcita, quam Chriſti leges) timemus, Euangelia contemnimus. *Hactenus Hieronymus*, alio loco etiam ante hac à nobis exhibitus. IX.

Præ cęteris autem Monachorum habendi libido ſe exeruit, qui templorum ruralium diruendorum obtentu ſpecieque, ſua ruſticis ereptum ibant, atque in ipſas eorum poſſeſſiones involarunt, quaſi Dis ſacratas. Non diſſimulat Libanius Sophiſta Gentilis, qui Orat. de Templis, ſcripta ad Theodoſium M. Imperatorem Chriſtianum, *interprete Cl. V. Iacobo Gothofredo, ſic loquitur*: Ita ad maxima procedunt ea, quæ per laſciviam X.

viam

viam horum in agris patrantur: qui quidem ajunt, *ſe Templis bellum inferre*; at enim bellum iſtud, proventus eſt eorum qui populis incumbunt, miſeriſque ſua raptum eunt, quæ ipſis repoſita ſunt è fructibus terræ, atque alimenta: ſicut aggreſſores eorum, quos expugnarunt, bona auferentes diſcedunt. His vero neque hæc ſufficiunt, verum & terram intervertunt, hujus aut illius, *ſacram eam eſſe*, dicentes, multiq; adeo paternis ſpoliati ſunt ſub falſi nominis obtentu. Hi vero alienis malis luxuriant, qui, ut quidem ajunt, *jejuniis Deum colunt*. Hæc *Libanius*. Quæ ſi quis conſideret, judicabit haut fruſtra fuiſſe, Marcellinum & Fauſtinum Eccleſię ipſius Romanæ Presbyteros, & Ambroſii coætaneos cum in libello precum A. D. 384. Imp. oblato, ſic loquerentur: *Ideo nominis iſtius* (Epiſcopalis) *etiam cum omni dedecore quærebatur auctoritas, ne illis poſſeſſiones Eccleſiæ tollerentur; quas utinam nunquam* (NB.) *poſſediſſet Eccleſia, ut Apoſtolico more vivens fidem integram inviolabiliter poſſideret.*

XI. At à quo tempore cœpit peragi grande illud Iniquitatis Myſterium, ſuccrevitque Antichriſtus, invaleſcente ſimul errore de Purgatorio, atque Eleemoſynarum meritis, ingentes opes non ſolum acceſſerunt Epiſcopo Romano, verum etiam paſſim Clericis & Monachis per orbem Chriſtianum: at omnes hæ donationes, à *ſeculo ſexto* quoque, nituntur non modo fundamento erroneo, Deique gloriæ multis modis præjudicioſo, verum etiam factæ ſunt in uſum Idololatricum, ut ingenue & aperte fatentur Theologi ſummi, *Calvinus*, *Danæus*, *Rivetus*, *& Triglandius*, alibi à nobis ad ſuffragium vocati: quibus ſane plus deferendum eſt, quam paucis νεοφύτοις Miniſtris, communi pede ſe metientibus. Nec contrarium ſuadere poteſt Perkinſius, à Reineſſio pag. 17. ex Problem. adductus, quod *vox meriti per mille annos à nato Chriſto in Eccleſia non fuerit recepta*; licet enim hæc vox in ſenſu Papiſtico in Eccleſia per plura ſecula non fuerit agnita, interim à ſeculo ſexto omnes Eccleſiaſticæ donationes factæ fuerunt, nullum alium in finem, quam ut *eſſent ſatisfactio, pro peccato, & meritoria majoris gratiæ & gloriæ*: Ut jam anno 1653. invictis argumentis probavi in epiſt. ad D. Hoornbeeck pag. 7. & ſeqq. contra quæ tantus Theologus hactenus non ſuſtinet hiſcere.

XII. Ergo conſequens eſt, hæc bona Idololatrica, (ne quidem, ſi legitime oblata forent, ab Eccleſia velut bona ſacra poſſidenda) ad unius Magi-

Magiſtratus curam & ordinationem pertinere. Nam I. ſi Magiſtratus, tanquam Dei vicarius, (prout ſupra docuit Auguſtinus) ſolus arbiter eſt eorum, quę à quoque poſſidenda ſunt, nę pariter hic intervenire debet ejuſdem arbitrium. II. Quum à pluribus ſeculis, (prout alibi oſtendimus) viri Principes & Magiſtratus per omnia ferme regna & Provincias Europæ, legibus ſpecialibus, iiſque ſeveris admodum, prohibuerint Donationes ſacras, velut reip. mirum quam pręjudicioſas, eorumque juſſa nihilominus violata fuerint, omnino jus ſucceſſoribus eorum competit, bona ejuſmodi fiſco ſuo adjudicandi. In hunc ſenſum loquuntur trium-viri Impp. Chriſtiani, in quos ſupra digitum intendi, in leg. 20. Cod. Theod. de Epiſc. & Cler. *Quin etiam ſi forte poſt admonitionem legis noſtra, aliquid ex fœmina vel donatione, vel extremo judicio, putaverint relinquendum, id fiſcus uſurpet.* III. Quis non exiſtimet, tum optimos reges fuiſſe Aſam & Ezechiam, tum donaria ab ipſo Deo aſsignata Levitis & cultui ſacro V. T. multo majorem ſpeciem ſanctimoniæ præ ſe tuliſſe, atque falſo affingitur bonis Idololatricis per omnia, hodie occurrentibus ſub N.T? & tamen Aſa *omne argentum & aurum, qua reliqua erant in theſauris Iehova, etiam theſauros domus regia tradidit Benhadado Regi Syriæ*, 1. Reg. 15. 18. Ezechias vero, *confractas Dominici templi valvas, quaſque ipſe affixerat auri laminas, detraxit, ut eas traderet Aſſyriorum Regi*, 2. Reg. 18. v. 16. Fateor quidem, utriq; Regi hoc ſuaſiſſe neceſsitatem; ſed, ut neuter in hoc caſu conſuluit Sacerdotes & Levitas, quod noſſent, quæ ſui juris eſſent, ita hinc manifeſto patet, penes Iſraëliticos Reges, non minus poteſtatem fuiſſe arbitrandi de ejuſmodi neceſſitatis articulo, quam libere per ſe ſtatuendi de bonis quaſi ſacris. Nec eos, quia nunquam hoc nomine arguuntur, peccaſſe magis probaveris, quam Davidem (exemplum hoc imprudenter adducit Reineſſius pag. 22.) veſcentem panibus propoſitionis, Matth. 12. 4. Nam nec Davidem, nec ſacerdotem Abimelechum, panes ſacratos concedentem, peccaſſe, (ut alios jam non adducam) ſolide in comm. probat Paræus, addita hac ratione, *quod cæremonialia debeant cedere moralibus. Moralis autem lex jubebat eſurientes paſcere.* IV. Quare & Ambroſius fatetur, Imperatori jus eſſe vindicandi agros quaſi Eccleſiaſticos Serm. adverſus Auxentium: *Si tributum* (inquit) *petit, non negamus; agri Eccleſiæ ſolvunt tributum; ſi agros deſiderat Imperator, poteſtatem habet vindicandorum; nemo noſtrum intervenit; poteſt pauperibus collatio populi redundare: non faciant de agris invidiam, tollant eos, ſi lubitum eſt.*

XIII. Quæ omnia ſi notentur, omnibus non minus veritatis, quam æquitatis ſtudioſis liquebit, quam inique, imo injuſte, quidam ab aliquot annis inſtituerint debacchari non minus pro ſuggeſtu ſacro, quam in variis libellis, contra Canonicos Ultrajectinos, eorumque Collegia, quibus, ut loquitur D. Voetius in Confrat. Marian. pag. 445. *implicita eſt ſuprema & prima auctoritas ac poteſtas politica*, *Theologis etiam ſacra atque inviolabilis.* Nam, ſi teſte eodem D. Voetio ibid. pag. 445. & 446. *Canonici in mutatione Reip. & vindicatione communis libertatis contra tyrannidem Hiſpanicam, non tanquam ſubditi, aut optimates, ſed tanquam domini ſupremi (pro ſua parte) & tanquam pars magna, imo potior, ac prima regiminis ac conſeſſus Illuſtr. Ord. Provinciæ Ultrajectinæ, talis ſtatus ſui cum reditibus perpetuationem & ſtipulati ſunt pariter, ut pars contrahens, & autocratorice approbarunt, ſimul pro parte ſua, ut primum membrum Ordinum, qui magnam, imo maximam partem prædiorum & dominiorum in Provincia prædicta poſſident*: Nę, certiſſimum eſt, per ſummam injuriam eos inquietari circa bonorum Capitularium poſſeſſionem. Si enim, ut modo nos docuit è Dei verbo Auguſtinus, poſſeſſionum diſtributio & diſtinctio pendet à beneplacito Magiſtratus, atque ſecundum Icc. *l.* 11. *D. de acq. vel amitt. poſſeſſ. & l.* 137. *ff. de reg. Iur.* qui auctore Prætore poſſidet, juſte poſſidet; nullus (Sycophantas excludere fas eſt) ambigere poteſt, quin legitimo & juſto titulo bona ſua Canonici Ultrajectini poſſideant, quum ab Ill. Ordd. Provinciæ, poſtquam abunde miniſterio & Scholis provinciæ illius proſpectum eſſet, ordo eorum cum bonorum omnium appendice, ſpeciatim libera eorundem poſſeſſione & adminiſtratione, multoties approbatus fuerit. Ineptiſſimum vero ſe exhibet Reineſſius, quando pag. 22. ſic loquitur: *An non ſi fur Patrimonii Schoockii, furto quondam ablati, hæredem S. C. ſcribat, an non inquam S. C. illud bona fide poſſideret? Qui enim juſto titulo (ut eſt hæreditatis) poſſidet, is bonæ fidei poſſeſſor eſt.* Siquidem in fure nondum purgatum eſt furtum, atque ſic recte Icc. docent in heredem furis non quidem dari actionem furti, ſed rei furtivæ, quæ non ſit pœnalis, ſed rei perſecutoria *l.* 1. *& 9. ff. de cond. furt. l.* 1. *ff. de Privat. del.* Sed pone hunc caſum; per judicium Magiſtratus, alicui tanquam Majeſtatis reo ablata eſſe bona, & donata Titio, certe heres Titii ea legitime poſſidebit. Bona vero, de quibus contendimus, fiſco ut idololatrica ſunt addicta, & judicio ſupremarum Poteſtatum aliquibus Collegiis ad poſſeſſionem conceſſa.

Sed

Sed dicunt viri boni, ſe velut magiſtros conſcientiarum (dicere vo- XIV.
lui medicos) debere conſulere ſaluti ſui gregis, atque operam dare, ne
quid alicui imponat ſub ſpecie boni. Hæc quidem ſpecioſe dicuntur:
& nuper Ultrajecti ad modum ἀπροσδιονύσως repeti audivi coram pro-
miſcuis concionis ſacræ auditoribus. At, num ut eximantur ſcrupuli
conſcientiarum, eos admodum laqueorum antea injicere oportet?
Idem jactabant & prætexebant illi Pſeudo-zelotæ, qui ab ipſo Spiritu
Sancto Act. 15. 24. notantur velut ἀνασκευάζοντες τὰς ψυχὰς, *labefa-
ctantes animas*, Quales ſecundum Paulum Gal. 1. 7. ſciunt duntaxat
ταράσσειν, ſeu *turbare conſcientias*. Conſcientias tranquillare poteſt ſo-
lum Dei verbum, & Chriſtus, ſecundum illud legitime iis turbatis ap-
plicatus: at cedo Dei verbum liquidum, quod tum arguat Canonicos
malæ fidei poſſeſſores eſſe, tum jubeat valedicere huic vitæ generi? Si
hi ſpirituales aliptæ ſuos excuterent, invenirent forte non neminem
qui ædes, loco quondam ſacro poſitas, à pluribus annis ſibi citra ſcru-
pulum ullum conſcientiæ comparare potuerit: Qui quando iis mini-
mum favet, qui inquietandis Canonicorum conſcientiis incumbunt,
viderit quomodo notam hypocritæ effugiat. Ut enim pro ſua poſſeſ-
ſione, velut bonæ fidei, aliud prætexere non poteſt, quam quod legiti-
mus Magiſtratus alias conſenſerit in talium locorum diſtractionem:
ſic, ęque ſecure Canonici aquieſcere poſſunt in poſſeſſione ſuorum bo-
norum, quod ea ſæpius conſenſu Illuſt. Ordinum Ultrajectinorum,
quorum ipſi primum membrum conſtituunt, approbata fuerit. Si Ca-
nonici vero propterea Poſſeſſores malæ fidei haberi debeant, quod hoc
illi dicant, qui perperam ſibi applicant illud Malachiæ cap. 2. 7. *labia
Sacerdotis obſervabunt ſcientiam*: pari ratione ab iiſdem inquietari poſ-
ſent, quotquot aliquid poſſident, quum circa titulum, quo illud poſ-
ſident, multa notari queant, quam injuſtitiam redolentia. At μέγ'
ὄνειαρ occurrit circa Canonicos, danturque ſpeciales rationes, at pro-
funde reticendæ, cur eos pro aliis oporteat θεατρίζεσθαι.

Qui zelum ſuum ad genuini uſque fractionem exercent in Canoni- XV.
cos, glorIantur de eo, quod publice habeantur Præciſiſtæ: ſed, ſi qua
in re Scriptura nos vult eſſe Præciſos, omnino charitas eſt, Apoſtolo
Petro edicente Ep. 1. cap. 4. verſ. 8. *Ante omnia charitatem alii in alios
(ἐκτενῆ) intenſam habentes*. Charitas vero cum maxime ſe prodere de-
bet in rebus mediis, ad quas quis neget referenda eſſe illa, de quibus
tam fervide contenditur? Præclare Calvinus in Comment. ad cap. 15.

 Act.

Act. *Si aliud quicquam*, (inquit) *hoc certe ex Dei verbo eſſe fatebimur, ut in rebus mediis dominetur inter nos Charitas: hoc eſt, ut earum rerum, quæ per ſe liberæ ſunt, externus uſus ad charitatis regulam flectatur. In ſumma, ſi charitas eſt perfectionis vinculum & finis Legis, ſi Dei mandatum eſt, ut mutua unitati ſtudeant fideles, & quiſque proximis ſerviat in ædificationem: nemo tam rudis eſt, qui hoc Dei verbo contineri non proſpiciat.*

XVI. At, fruſtra viris hiſce hanc de charitate cantilenam occino. Antequam Theſin ſuam miſſam faciant, potius perreptabunt Babylonicum illud Augiæ ſtabulum, ſive, ſterquilinium Canoniſtarum, in quo cum non induſtria alicujus galli, verum ſcarabæi, inventa fuerit benedicta illa gemma, ſeu Theologicum conſilium, ſic iteratò noto, pellucentem illum centonem, magnam partem conſarcinatum eſſe ex duodecim conſiliis Lutheranorum, (ſapientium ex formula unius Juris Canonici, publice à Luthero concremati) ſimul editis per Helfricum Ulricum Hunnium, JC. filium Ægidii Hunnii, celebris quondam Theologiæ Doctoris & Profeſſoris in Academia Witebergenſi, qui pellectus offa Antichriſtiana, c̀um turpiſſime defeciſſet ad Pontificios, atque ſecundum fatum Apoſtatarum, negligeretur ab iis, qui exemplo diaboli Matth.4.9. plurimos ſectatores ſibi colligere ſolent, per myſticam illam vocem: *Hæc tibi dabo*: Coloniȩ Agrippinȩ anno 1633. evulgavit duodecim illa Reſponſa, ſeu, ut ipſe pariter vocat, *Præjudicia*, inſcripta Abbati Fuldenſi, eum in finem, ut evinci poſſet, Lutheranos (per errorem ſummum iis conjungit Calviniſtas, quum neq; Matthȩus Weſenbecius, neque Hieronymus Treutlerus, prout fingit Hunnius, unquam vixerint in communione eorum, qui Calviniſtæ audiunt) eſſe αὐτοκατακρίτους, atq; dictante propria conſcientia, debere reſtituere bona Eccleſiaſtica, à ſe *invaſa*, *occupata*, *direpta*, *ac prophanata*, ut loquitur famelicus Apoſtata in titulo. Verum eſſe quod dico, quivis cognoſcet, ſi inſtituerit Conſilium Theologicum comparare cum hiſce Reſponſis; ubi aut Hunnius, aut ejus Typographus erravit in citandis authoribus, maxime juris Canonici textibus, pariter (reſpicio primam editionem) errant Architecti hujus, Κατ' ἀντίφρασιν, Conſilii Theologici; quod adeo impudens, ut pag. 25. ſpeciatim in hunc Hunnii tractatum digitum intendat.

XVII. Etenim mecum plurimi, qui ſunt pacis ſtudioſi, dolent concitatos ab anno 1645. in Provincia & Eccleſia Ultrajectina ſuper hac re fluctus, nondum, quæcunque etiam tentata fuerint, compoſitos eſſe. Si docerent

docerent ibi Clementes, Nazianzeni, & Auguſtini, brevi remedium adhiberetur. Ex re eſt ſingulos audire. Ita ergo Clemens Romanus Pontifex per ſuum interpretem loquitur in Epiſt. ad Corinthios, ſcripta circa A. D. Lxx. *Quis* (inquit) *inter vos generoſus? quis per miſericordiam moveri facilis? quis charitate confidentior factus? dicat, ſi propter me ſeditio, contentio, & ſchiſmata: ſecedo, abeo, quocunque volueritis, quæque à multitudine præſcripta fuerint, facio, ovile ſolum Chriſti pace cum conſtitutis presbyteris fruatur.* De Gregorio Nazianzeno vero hæc habet incertus vitæ Author, ſimiliter *per interpretem hic exhibendus*: Si quomodocunque vobis diſſidii cauſa ſum, Jona Propheta venerabilior non ſum; in mare me projicite, & tumultum procella vobis relictis ponet; ut ut à culpa immunis ſim, concordiæ veſtræ cauſſa, quicquid volueritis pati elegerim; throno deturbate, urbe expellite, veritatem duntaxat pacemque (prout Zacharias dicit) amate. *Hæc ille.* Denique de Auguſtino Poſsidius Calamenſis Eccleſiæ antiſtes *in vita illius cap.* 23. Dum forte (*inquit*) de poſſeſsionibus ipſis invidia Clericis fieret, alloquebatur plebem Dei, malle ſe ex collationibus plebis Dei vivere, quam illarum poſſeſsionum curam vel gubernationem pati, & paratum ſe eſſe illis cedere, ut eo modo omnes Dei ſervi, & miniſtri viverent, quo in Veteri teſtamento leguntur altari deſervientes, de eodem comparticipati; ſed nunquam id laici ſuſcipere voluerunt. *Huc uſque Poſſidius de Auguſtino.* Sed cur his immoror, ac pergo ſurdis fabulam narrare? Finio ergo hanc Exercitationem, quam ſuperaddi velim illis, quæ alias de hac eadem re ſum commentatus.

Quam admirandus vero Deus eſt! ut eſt ipſa *Veritas*, tandem triumphum quoque veritati, ut ut oppreſſæ diu, concedit. Primus bona conſcientia, & amore ſolius veritatis, oppugnare inſtitui Conſilium Theologicum: ſed ob difficilia tempora Ill. & Potentes Ultrajectinæ Provinciæ Ordines anno 1650. renuerunt admittere grandius meum volumen, *de Bonis vulgo Eccleſiaſticis dictis*, quod iis inſcripſeram: & ſimul cornua tanta non modo D. Voetio, architecto illius Conſilii, verum etiam ejus aſſeclis addiderunt, ut non modo inſtituerint hoc nomine publice mihi inſultare, verum ipſis ſupremis quoque Poteſtatibus. quibus cum non ceſſarent inclementer dicere, fatigata tandem fuit Earundem patientia, adeo ut menſe Julio anni 1660. proſcriptis duobus ex his XVIII.

Tribunis plebis, perpetuo Edicto caverint, ne cui ex Miniſtris, Euangelium in Diœceſi Ultrajectina annunciantibus, fas ſit aut publice aut privatim Canonicorum ordinem traducere. Quum quatuor Reverendi verbi Divini Miniſtri in Eccleſia Ultrajectina, nempe *D. Arnoldus Teekmannus, D. Iohannes Flaman, D. Daniel van Hengel, & D. Iohannes van Heimenbergh*, ſuam ſententiam, meæ per omnia conſentaneam, paucis menſibus ante, Ampliſſimo Magiſtratui Ultrajectino communicaſſent. Ita mirabilis eſt Dominus, qui *dat ſalutem rectis corde.*

EXERCITATIO IV.

An cum Pontificiis colludant, qui agnoſcuntur è titulis, in Papatu receptis?

1. *Licet Reformato nihil commercii intercedere debeat, cum ritibus Idololatricis Pontificiorum:*
2. *Mox tamen communionis cum Papanis non ſunt inſimulandi, qui titulo in Papatu recepto, diſtinguuntur: Quando Sp. Sanctus non abhorruit à voce τῆ μυςηρίȣ.*
3. *Impp. Chriſtiani ſalutati ſunt à Chriſtianis Pontifices.*
4. *Moſes à Paulo vocatur* θεράπων.
5. *A talibus Titulis fruſtra periculum timetur.*
6. *Frequentari poteſt vox, gaudens ſignificatione, aliena à prima & propria ſua ſignificatione; ut oſtendit vox Baptiſmi.*
7. *Sæpe vox ratione primæ ſignificationis rem abominandam ſignat, quæ degenerat dein ad uſum honeſtum.*
8. *Canonici Ultrajectini cum ratione retinent titulos, hodie adhuc receptos in Reformatis eorum Capitulis.*
9. *Exemplo Apoſtoli Pauli, & Patrum in Primitiva Eccleſia progreſſi ſunt Illuſt. Ordd. Ultrajectini in reformandis Canonicorum capitulis.*
10. *In Capitulis illis nihil occurrit, quod Papiſmum redoleat, nec Canonici ſimiles ſunt Dendrophoris.*
11. *Illuſtratur locus Act. 14. 12. & Act. 17. 28. Canonici recte ferunt uſitata ſua nomina, etiamſi non fungantur officio Papiſtico.*

I. Quan-

QUanquam libenter agnoſcimus ſic eſſe exeundum è Babylone, ut nunquam aut facies cum uxore Lothi ad peſtiferum illius aëris convertatur, aut communio idololatrica cum Antichriſti ſatellitibus colatur, prout Patres primitivos Chriſtianos ratione Gentiliſmi recte monebant, ex quibus Tertullianus dehortando Chriſtianos ab obſervando ritu ſolemnium Paganicorum, inter alia lib. de Idololatr. cap. 17. dicit: *O melior fides nationum in ſectam ſuam, quæ nullam ſolemnitatem Chriſtianorum ſibi vendicat, non Dominicum diem, non Pentecoſten! Etiamſi noviſſent, nobiſcum non communicaſſent: timerent enim ne Chriſtiani viderentur: nos ne Ethnici pronunciemur, non veremur?* & Auguſtin. Serm. 6. de verbis Domini: *Si quæritis, unde vincantur Pagani, unde illuminentur, unde ad ſalutem adducantur? Deſerite omnes ſolemnitates ipſorum, deſerite nugas eorum, & ſi non conſentiant veritati noſtræ, ſaltem pudeat pravitatis ſuæ.* I.

Mox tamen cenſeri non debet μετοχὴν, ſeu communionem cum Papiſmo colere, quiſquis in Collegio aliquo Politice ordinato, atque ab omni fermento Papano defæcato, nomen fert, quod alias in Papatu ferre ſolent, ſacrorum Idololatricorum, aut miniſtri, aut antiſtites. Nam ſi Paulus Apoſtolus, qui de eo gloriatur, quod *omnibus omnia factus fuerit*, 1. Cor. 9. 22. non ſolum (ut recte & vere obſervavit Hieronymus *ep. ad Algaſiam,*) multis verbis, *juxta morem Urbis & Provinciæ ſuæ Tarſi & Ciliciæ*, familiarius uſus fuit; actus ab ipſo Spiritu Sancto, adorandum illud arcanum, atque ne quidem ipſis angelis penetrabile, Incarnationem ſcil. Filii Dei, 1. Timoth. 3. 16. explicuit terminis, propriis Eleuſiniæ Cereris abominandis ſacris, prout erudite obſervabit ὁ ἐν ἁγίοις *Iacob. Gothofredus* in longe accuratiſſima Exercitatione ſuper illo loco; placuitque Spiritu Sancto vicies ſepties in N. T. uti voce μυστήριον in ſe abominanda, peculiarique ratione ac proprie conveniente Eleuſiniis ſacris, in terra Attica celebrari ſolitis, ſignificationes longe ſublimiores, rebuſque ſacris ſervientes eidem aptando; (ut de aliis, ſimilibus plane vocabulis, alibi exhibitis, jam non dicam) quis cui modo conſtat ratio, pariter non ſtatuat poſſe quempiam titulum functionis Papanæ ferre, ordinis Politici ergo, atque nihil eorum tamen facere, quæ in Papatu fieri ſolent? Noat Gregorius Magnus, ſiquidem lib. 9. Moral. cap. 6. circa illud *qui facis Arcturum, & Orionas,* II.

Digitized by Google

Orionas, & hyadas, & interiora Auſtri, tradit eo loco, Scripturam, nomina illa, plane fabuloſa uſurpaſſe, non ex mente Heſiodi, Arati, aliorumque Poëtarum, ſed, *ut res quas inſinuare appetit, notitia uſitatæ appellationis exprimantur. Nam ſi Aſtra quæ vellet, per ignota nobis nomina diceret; homo pro quo hæc eadem Scriptura facta eſt, neſciret procul dubio quid audiret. Sic igitur in ſacro eloquio, ſapientes Dei ſermonem trahunt à ſapientibus ſeculi: ſicut in eo pro utilitate hominis, vocem in ſe humanæ paſſionis ipſe ſumit.* Quod ſi vero Deus per locutiones à ſe ipſo deſumptas, nec tamen ſibi convenientes, ſuccurrat humanæ imbecillitati, cur non magis ſuccurrat eidem, per adæquata ſcruta? ſcruta, inquam, humana & hominem imperfectum arguentia. Uſitatum amplius eſt Sp. Sancto, ut antehac prolixo exhibito Catalogo evici, nomina ratione aut primæ ſuæ originis, aut ordinarii uſus, quam abominanda, transferre ad uſum ſacrum, iiſque ejuſmodi attribuere ſignificationem, quæ plane recedat à primigenio, & ordinario ſignificatu. Nam, ut dicit ter maximus Caſaubonus Exerc. 16. ſect. 43. adverſ. Caſ. Baronium, poſtquam prolixe conſideraſſet *μυστηρίου vocem*: Ex iis, quæ diximus, utcunque poteſt cognoſci, quas opiniones de ſuis myſteriis Pagani haberent; quos ritus in illis ſervarent: de quibus plurima afferre cum poſſemus, ea duntaxat hoc loco attigimus, quæ aliquam cum ſanctiſſimis Chriſtianæ pietatis inſtitutis, ſpeciem affinitatis habere videbantur. Quod pii Patres quum intelligerent, quo facilius ad veritatis amorem corruptas ſuperſtitione mentes traducerent; & verba ſacrorum illorum quam plurima, in ſuos uſus tranſtulerunt; & cum doctrinæ veræ capita aliquot ſic tractarunt, tum ritus etiam nonnullos ejuſmodi inſtituerunt, ut videantur cum Paulo dicere Gentibus voluiſſe, *ἃ ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, ταῦτα καταγγέλλομεν ὑμῖν*: quæ creditis, & facitis, ut pii ſitis, ea quæ poſſint ac debeant vere credi fierive, ut ſitis revera pii, vos docere volumus. Hinc igitur eſt, quod ſacramenta Patres appellarunt *Myſteria*, *μυήσεις*, *τελετάς*, *τελειώσεις*, *ἐποπτείας*, ſive *ἐποψείας*, *τελεστήρια*; item *τελεστικὰ*, aut *τελειωτικὰ μυστήρια*, *τελεστικὰς θεώσεις*, *ἱεραρχικὰς τελετάς*: interdum etiam *ὄργια*, ſed rarius; & *συμβολικὴν θεολογίαν*, ſive *ἱεραρχίαν*, peculiariter vero Euchariſtiam *τελετῶν τελετήν*, &c. *Hactenus Caſaubonus*: quæ ſi quis diligenter attendat, patebit, quam longe præ zeli inconſiderati temerario impetu, à prudentia tum Apoſtolica, tum Patrum in primitiva Eccleſia, illi recedant, qui hic à nobis diſſentiunt. Nec quicquam huic meo argumento decedit per ſtolidam Reineſii

cornica-

cornicationem pag. 24. contendentis vocem τοῦ μυστηρίου, origine quaſi Ebræam eſſe. Hoc docuerat jam antea Caſaubonus lib. 1. de Sat. cap. 2. contendens, à voce *Miſter*, ſeu *Miſtur*, quæ Ebræis eſt locus, ſeu res abſcondita, deſcendere Myſterium. Sed quomodo hinc argumentum noſtrum poteſt infirmari? Quum vox remote Ebręa, ſecundum profanationes Idololatricas inter Gręcos admiſerit aliquid, quod ipſo Caſaubono teſte Spiritus Sanctus κατ' ἀπόδοσιν voluerit arcanis Euangelicis applicare. Licet vox originalis, in Ebræa lingua quaſi inventa, Ebræis fuerit nota, vox derivativa tamen μυστηρίου prius nota fuit Eccleſiæ Paganicę, quæ Synagoga Sathanæ, quam verę Chriſti Eccleſię; licet ſecundum Apoſtolorum ſingularem prudentiam, uſibus verę Eccleſię mancipata fuerit.

Porro, nolim quidem contendere cum Baronio, aliiſque viris III.
doctis, Impp. ipſos Chriſtianos, ſpeciatim poſt Gratianum, exemplo Impp. Gentilium ſibi arrogaſſe titulum Pontificis Maximi: (contrarium ſiquidem ſolide videtur probaſſe ὁ πάνυ *D. Iacob. Gothofredus* in accurata Diſſertatione de non colenda communione cum Gentilibus) interim hoc inficias ire non licet, ipſos Chriſtianos Doctores, citra cenſuram omnem iis tribuiſſe titulum Pontificis Maximi. Ne dicam Auſonium, virum Politicum, in Gratiarum actione cap. 11. Gratianum vocare *Pontificem religione*, eumque capite proximo ſic alloqui: *Tributa iſta quod in urbe Sirmio geruntur, an ut quod in procinctu, centuriata dicentur: an ut quondam, Pontificalia vocabuntur, ſine arbitrio multitudinis, ſacerdotum tractata collegio? Sic potius, ſic vocentur, quæ tu Pontifex maximus, Deo participatus, habuiſti.* In ipſa Synodo Chalcedonenſi, Martiano Imp. acclamatum fuit, à Patribus, qui erant Theologi, *Pontifici Imperatori*, ut patet ex act. 5. ſub finem. Teſtiſque eſt Gregorius Magnus lib. 2. epiſt. 2. ad Leonem III. Conſtantinum, Theodoſium, Valentinianum, fuiſſe & *Pontifices & Imperatores*. Quem titulum, licet Principes Romani, iidemque Chriſtiani, videantur indepti fuiſſe, quod velut nutritii, Eccleſię curam gererent: ſi valeat tamen ratio quorundam recentiorum, eundem ſine conſcientię ſcrupulo admittere non potuerunt, quod neutiquam ad munus eorum pertineret, ſacra per ſe, veluti Pontifices, adminiſtrare; diſtinctum quippe manere debet munus Pontificis (hoc eſt, Sacrorum Antiſtitis) & Imperatoris. Unde Fulgentius in lib. Prædeſtinationis & gloriæ: *Quantum pertinet*

 ad hujus

ad hujus temporis vitam, in Eccleſia nemo Pontifice potior, & in ſeculo, Chriſtiano Imperatore nemo celſior invenitur. Extremam vero in Eccleſiaſtica non minus, quam in Romana Antiquitate imperitiam prodit Reyneſſius, quando exiſtimat Impp. Chriſtianos à primitiva Eccleſia ſalutatos fuiſſe Pontifices Maximos, ut alias dici ſolent Auguſti: ſiquidem Pontificis Maximi nomen, tanquam definiti officii titulum tulerunt, in ordine ad Eccleſiam, cujus honoratiſſima membra cenſebantur. Nec uni alicui, velut Gnathoni, aut adulatori Palatino (ut noſter Reyneſſius vult) imputari poteſt, quod à tota Synodo eſt factum.

IV. Sic & alibi notavi, quod Moſes ab Apoſtolo Heb. 3. v. 3. vocetur θεράπων; cum tamen, ut ibidem oſtendi, nomen illud ferre ſolerent proprie, qui inter Gentiles occupati erant ἐν ταῖς θεραπείαις, ſive in ſacris, quæ proprie fiebant Semideis. Quo nomine omnino abſtinere debuiſſet Paulus, ſi audiamus hoſce homines, quibus nihil placet, niſi quod ipſi, ſi non primitus excogitarint, ſaltem legerint, tanquam palato ſuo conveniens, apud hunc illumve ſuæ farinæ improvidum Scriptorem.

V. Audio quidem primo prætexi periculum, quaſi occaſione titulorum, idololatriam redolentium, facilius ipſa idololatria revocari queat: ſed quare non liceat verbi Divini miniſtris ſecuris eſſe à nominibus, ſi ipſi omnes idololatriæ radices non minus doctrina, quam exemplo extirpatum eant, præ ceteris vero avaritiam, quę expreſſe ab Apoſtolo vocatur εἰδωλολάτρεια, Col. 3. 5. Turbat conſcientias, quiſquis in hoc caſu præ Spiritu Sancto vult eſſe rigidus. Si enim inani huic metui locus dandus eſſet; omnino Paulus toties in Epiſtola, ad Hebræos, Chriſtum non debuiſſet vocaſſe ἀρχιερέα, hoc ſiquidem verbum nexu mancipioq; Gentilibus proprium, munus Paganicum ſignificat, quod ut Græcis eſt ἀρχιερωσύνη, ita in Gloſſario vertitur: *Pontificatus*. debebat & ipſe autem ἀρχιερεὺς, ſive, *Pontifex* apud Gentiles ἄρχειν ἱερῶν ἁπάντων, καὶ ἀπονέμειν τὸ πρέπον ἑκάστῳ, prout liquet ex Epiſt. 49. & 63. Juliani τοῦ παραβάτου. Imo non debuiſſet Sp. Sanctus uti voce τοῦ ἀγγέλου. Nam & hic anguis in herba latitat: ſiquidem Gentiles ἀγγέλους vocare ſolent, qui renunciabant & teſtabantur ſibi viſos eſſe Deos. Qui alias κήρυκες dicebantur. Heſych. in Lex. κήρυκες, οἱ ἄγγελοι, οἱ διάκονοι, οἱ τὰς ὑπηρετικὰς ἐπιτελοῦντες πράξεις. Idem κῆρυξ, ἄγγελος, διάκονος. Et in voce κηρύκιον: ὄρος τῆς Ἐφέσου, ἐφ᾽ οὗ μυθολογοῦσι τὸν Ἑρμῆν κηρῦξαι τὰς γονὰς Ἀρτέμιδος.

VI. *Dein*

Dein clamatur nefas eſſe, ſi non ſcelus morte piandum, ſi nomen non VI.
habita ratione ſuæ primæ ſignificationis, atque uſus primogenii tranſferatur ad ſignificandam ejuſmodi rem, quæ receſſerit à prima illa ſignificatione. At miror, quod hi rigidi Cenſores adhuc uti auſint voce *Baptiſmi*. Nam præterquam, quod & Phariſæis fuerint ſui βαπτισμοὶ, Marc. 7. 8. imo Gentilibus, juxta illud Tertulliani de Baptiſ. cap. 5. *Diabolus, res Dei æmulans, Baptiſmum in ſuis exercet.* amplius ipſa vox proprie conſiderata, non notat ῥαντισμὸν, ſeu *aſperſionem*, ſed, *immerſionem*, hodie neque apud Orthodoxos, neque apud Pontificios receptam: unde & βαπτίζειν in Gloſſario, quod Cyrillo tribuitur, edito à Bon. Vulcanio, redditur *mergere*.

Voces, quæ ſecundum vulgatum dictum, cum nummis conferri ſo- VII.
lent, ratione uſus æſtimari debent. Sæpe accidit, ut vox ratione ſuæ propriæ ſignificationis, rem ſive turpem, ſive illicitam ſignificet, cui tamen uſus deinceps ſignificationem longe commodiorem conciliarit. Ex infinitis exemplis, quæ occurrunt, & circa quæ non minus eruditionis opinionem mihi conciliare poſſem, quam variis authorum locis hactenus aut intactis, aut ab aliis infeliciter tentatis, mederi; inſtar omnium habeatur vox θίασος, quæ teſte Athæneo lib. 8. Dipnoſ. cap. 16. proprie notat *turbam Bacchicos choros agitantem*; Synecdochice & ut videtur, ſecundum receptum quoque uſum, apud Xenophontem, atque Philonem Judæum accipitur pro quocunque conventu, ut & apud ipſum Athenæum lib. 5. cap. 6. pro *convivio*: quam ſignificationem adoptaſſe quoque videntur LXX. Interpretes Amoſ. 6. verſ. 7. licet Francofurtenſis Editio, quæ tamen reliquis vulgò melior haberi ſolet, corrupte legat θύασον.

Ut vero Theologi, non minus Orthodoxi, quam Pontificii, ratione VIII.
Baptiſmi, ne ſibi vox recepta pereat, confugere ſolent, ad ſecundam ſignificationem, qua *ablutionem* quoque notat: ita æquum omnino eſt, ratione ſimilium vocabulorum, eandem ἐπιείκειαν concedere, nec ſcirpos in nodo quærere, nullum alium in finem, quam ut conſcientiæ honeſtorum virorum turbentur, atque feneſtra ad turbas aperiatur. Cui ἐπιεικείᾳ, ſi qua in re unquam locus conceſſus fuit, omnino ſua ratio conſtare debet circa Capitula, & Canonicos Ultrajectinos, quos, cum quidam deſperarent convinci per ſe poſſe poſſeſſionis malæ fidei, arrodere cæperunt titulos Capitulares, quaſi redolentes fermentum Papanum: quum tamen nomina Canonicorum, Decanorum & Scholaſti-

Digitized by Google

corum, quæ ibi adhuc in uſu ſunt, ipſis Romanis nota, per abuſum in Papatu frequentari conſueverint, atque in Capitulis Reformatis hodie gaudeant ſignificatione longe propiori primigeniæ ſuæ notationi, ſub tenebris Papatus parum quin obliteratæ. Certe Canonici Ultrajectini, aliique inter reformatos, iis ſimiles, quod ex agris annuos ſuos proventus accipiant, convenientiſſime à *canone* nomen ferunt. Canon ſiquidem, ipſa florente Romana republ. notavit penſionem, quæ ex Emphyteuticariis prædiis redigitur. Aſconius in 4. Act. in Verrem: *Omne genus præſtationis in hoc capite poſitum eſt, canonis, oblationis, indictionis.* Inde in Cod. Theod. leg. 35. de canone frumentar. commemoratur *canon ſacratiſſimæ urbis*, qui & *canon urbicarius* vocatur *leg. 3. eodem titulo.* Similiter in leg. 2. Cod. Theod. de militari veſte, mentio fit in ſimilem ſenſum *canonis veſtium*, quando Impp. ſic loquuntur: *Omnem canonem veſtium ex* Kal. *Septemb. ad Kal. April. noſtris largitionibus tradi præcipimus.* Qui hoſce canones exigebant, *canonicarii* dicebantur, ut liquet ex *leg. 1. Cod. de advocat. diverſ. judic.* quemadmodum hodie *canonici* ſunt, qui canones tales authoritate publica (ac proinde honeſto titulo) percipiunt. Sarcaſmi Reyneſſii neutiquam curandi, atque oppido vereor ne in Sardonium riſum deſinant. Quid hoc enim? *An omnes dicendi Canonici, qui ex agris vivunt? Paſtores ergo qui decimas, Domini qui penſiones annuas habent, Canonici agnoſci debent, & Canonicorum collegio intereſſe?* Quænam hujus nominis origo ſit, oſtendi Lib. de Bonis Eccleſ. ſect. 2. cap. 1. & 2. quæ non exſcribo. Nomen hoc in ſe generale, factum eſt ſpeciale olim, & tale adhuc hodie agnoſci debet, quod, cum olim Canonici, tanquam clerici ſportulantes ferrent tum ratione regulæ vivendi, tum canonis annonarii, quem authoritate Epiſcopi accipiebant; ita, poſterioris ſignificationis ratione habita, hodie nomen hoc ferunt, quod eum canonem publica authoritate accipiant, quem Capitulum aſſignarit. Nec curanda quæ p. 27. habet Reyneſſius, quaſi hinc ſequatur, Canonicos Reformatos eſſe habendos perſonas Eccleſiaſticas. Diſtingue tempora, & intelligentur Scripturæ. Olim nomen hoc ferebant cum reſpectu ad officium Eccleſiaſticum; nunc ſolummodo cum reſpectu ad Canonem annonarium, cujus ratione, ulteriori diſtinctioni in ordine Canonicorum nomina Decani, Scholaſtici, Præpoſiti, &c. ſerviunt. Quæritur an convenienter? Ego affirmo ſimulque meam ſententiam probo è Scriptura, atque per praxin Eccleſiæ antiquæ. Nec Reyneſ-
ſius

ſius cum ſuo Voetio, argumenta, arroſa licet dente Sycophantico, hactenus infringere poteſt. Nam grande eſt mendacium, quod, ut dicit Reyneſſius, pag. 26. *Presbyter, Decanus, Presbyter animæ, fungatur officio ad modum in Papatu obſervari ſolitum.* Siquidem nomina illa nullum alium in finem retinentur, quam pro diſtinctione Canonis Annonarii: ut jam ante in Capitulis Ultrajectinis oſtendi Sycophantæ.

Scio amplius adverſantes clamare, præſtare Capitula, cum Canonicis obliterari: At dum ea reformata ſunt, expurgato omni fermento Papano, ad modulum Politicum, mihi videntur ſupremæ Poteſtates, quibus ſolis jus hoc competit, imitatæ fuiſſe prudentiam Apoſtoli Pauli, & venerandæ antiquitatis. Quod ne videar ſine teſte dicere, rogo, audiatur incomparabilis Caſaubonus, loco hac Exercit. Num. 2. *laudato ſic loquens*: Quod videmus feciſſe Athenis Paulum, ductorem Chriſtiani exercitus, ſicut appellatur Hieronymo, ut inſcriptionem fortuitam arte torqueret in argumentum fidei, &, ex ara, Ignoto Deo inſcripta, occaſionem ſumeret verum Deum Athenienſibus annunciandi; id pios doctores in convertendis Gentibus magno cum fructu ſæpe feciſſe res arguit, & quæ hic ſumus obſervaturi manifeſtiſſime oſtendent. Conſtat nihil magis olim paganos avertiſſe à fide in Chriſtum, quam opinionem novitatis. Fit enim naturæ quodam inſtinctu & indicio: (recto ſane, ſi illo recte utamur;) ut in religionis negotio nova omnia ſint ſuſpecta & fere exoſa: traditas à majoribus opiniones mordicus retineamus: ita ut hac potiſſimum in parte verum ſit, quod antea dicebamus, *res eſt difficillima, contrarium aliquid docere ejus, quod prius fuit creditum.* Paulus igitur, quo facilius doctrina ſua admitteretur, amota ſuſpicione novitatis, ingenioſo quodam, ut ſic dicam, ſtratagemate, aræ illius occaſionem arripit, & Athenienſibus eum Deum ſe dicit prædicare, quem ipſi jam dudum colebant. Inſignia Apoſtoli verba ſunt: *quem ergo ignorantes pie colitis, hunc ego vobis annuntio.* Nimirum ut vere ſcribit B. Auguſtinus de unico baptiſmo contra Petil. cap. 5. *noluit Apoſtolus deſtruere verum, quod invenit in lapide Paganorum.* Vide eundem plura in eandem ſententiam differentem libro ſexto extremo, de baptiſmo contra Donatiſtas. Hanc Pauli ſanctam prudentiam Antiſtites primos religionis Chriſtianę ſępe eſſe imitatos, facile eſt intelligere qui antiquiſſimos pietatis noſtrę ritus cum iis comparabunt, qui prius fuerunt apud Paganos. IX.

Multa nomina antiquæ ſuperſtitionis, multi ritus & cęremoniæ retentæ: ſed pia adhibita interpretatione omnia in melius verſa, planeque ut alicubi ait Beda, *pertinaci paganiſmo mutatione ſubventum eſt, quum rei in totum ſublatio potius irritaſſet.* Hactenus *Caſaubonus.* Pari per omnia ratione supremę Ultrajectinę Provinciæ poteſtates, cum viderent Canonicorum, (qui à pluribus ſeculis primum locum in Comitiis obtinuerant) potentiam adultam eſſe, indigerentq; eorundem opera (eam, ſumma quoque fide, variis experimentis probarunt) in excutiendo regis Hiſpaniarum jugo; ſic cum iis tranſegerunt, ut integrum quidem manſerit Capitulare regimen, ipſis vero Capitulis exterminatę fuerint omnes reliquię, minimę quoque & in ſpeciem tolerabiles, fermenti Pontificii; uſque adeo, ut à pluribus annis nemo potuerit in ordinem Canonicorum recipi, niſi qui profiteretur Reformatam religionem: prout alibi prolixe, adductis ipſis Diplomatibus & tranſactionibus, oſtendi.

X. Lubens darem, haut abſque conſcientiæ ſcrupulo, aliquem nomen poſſe dare Capitulis, hac ratione Reformatis; ſi in illis quędam fierent, quæ ſapiunt Idololatriam, & Papanam ſuperſtitionem: at, tale quid ne ipſe Argus quidem animadverterit, niſi ignorantis vulgi judicium, & erratum Secretarii, inhęrentis per incogitantiam formulæ alicujus Inſtrumenti ſub Papatu etiamnum conditi (hoc loco Apodictici argumenti adducitur in Conſilio Theologico) debeat inſtar teſtis claſſici haberi. Approbamus toto animo, quod Impp. Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius occaſione ſuperſtitionis gentilitię dicunt, in leg. 12. Cod. Theod. de Decurionib. *Indecorum eſt, imo, ut verius dicamus inlicitum, ad eorum curam templa & templorum ſolemnia pertinere, quorum conſcientiam veneratio* (ita legendum) *divinæ religionis imbuerit, & quos ipſos decebat, tale munus, etiamſi non prohiberentur, effugere*: ſed, ut hęc lex lata fuit A.D. 386. ita teſte Zoſimo lib. 4. & Idacio in Chron. ſacrificia Gentilium, demum per Theodoſium M. prohibita fuerunt An. Do. 388. admiſſa fumigatione & thurificatione in templis orationis tempore uſque ad A. D. 391. ut patet ex leg. 11. & 12. *Cod Theod. de Sacrif. Pagan.* Eoque hęc lex, ut plane diſſimilis, ad rem non facit, ſiquidem in templis quorum curam gerunt Canonici Ultrajectini, eorundemque Conventibus publicis, nihil fit, quod ab homine ſani judicii dici queat ſive Paganiſmum, ſive Papiſmum redolere. Spirans illa, dum viveret, Bibliotheca, *ὁ μακαρίτης D. David Blondellus*, lecto libro meo de bonis quaſi

Digitized by Google

quaſi Eccleſiaſticis, prolixe aſſenſum ſuum teſtatus eſt, ſolummodo addendo, *ſe dubitare, an non Canonici Ultrajectini poſſint forte componi cum Dendrophoris*, quorum mentio fit l. 20. Cod. Theod. de Pagan. & de quibus, ut & de *centenariis*, agit ſpeciatim titulus octavus. lib. 14. Cod. Theod. quorumque nomina d. l. 20. Honorius & Theodoſius AA. aboleverunt ut *errore ſubmoto compendia domus ſublevarent.* (Vel hinc patet, hoc quoque tempore, bona Paganici cultus ſerviiſſe ſublevando Principum Chriſtianorum Fiſco, ut præc. Exerc. evictum) At cum hic *Dendrophori* una cum *Fredianis*, in d. l. 23. expreſſe & indiſtincte vocentur *nomina & profeſſiones Gentilitiæ, dicanturque loca ad ſuperſtitionem pertinentia tenuiſſe epholis vel ſumptibus deputata, errore Gentilitio*: patet manifeſto, quod Canonicis Ultrajectinis nihil commercii cum iis intercedat. Videntur vero *Dendrophori* nomen tuliſſe, quod cum aſſcripti eſſent, Dei, Deæve collegio, arboris alicujus folium, vice characteris impreſſum haberent. quomodo conſtat liberi Patris ſodalibus hederæ folium impreſſum fuiſſe. Auctor Etymologici Magni: Γάλλος ὁ φιλοπάτωρ πτολεμαῖος διὰ τὰ φύλλα κισσοῦ κατεστίχθαι, ὡς οἱ Γάλλοι. Horum crebra fit mentio in Inſcriptionibus Gruterianis, paginis XIV. CLXXV. CCLXI. CCCL. CCCCXXXVIII. CCCCXCIV. notatique fuerunt Carthagine, Romæ, Comæ, Veronæ, & alibi.

Reyneſſius, ne præcedentia valeant, porro inſurgit, & pag. 27. ſic XI.
loquitur: *Nemo ſub titulis Eccleſiaſtici officii, Paulo authore, beneficia iſti officio, quatenus Eccleſiaſticum eſt, annexa, arripuit, qui officium nollet: quod noſtri faciunt Canonici. Quin imo Paulus dici* Mercurius *non voluit, cum* Mercurius *non eſſet, neque ea ſibi offerri, quæ* Mercurio *ſolebant*, homines ſumus, *inquit Act.* 14. 12. 14. *Hi ergo, cur, quod non ſunt, dici deſiderant?* Reſp. I. Sed an non Paulus, ut ſupra vidimus, nomina officiorum Gentilium, ipſius quoque Chriſti ratione, analogice conſiderat & accipit? Pariter analogice ratione ſolius Canonis Annonarii antiqua nomina in Capitulis Reformatorum Canonicorum hodie adhuc frequentantur: cum in Papatu uſurpari amplius ſolerent ratione officii. II. Peccarent Canonici Reformati, ſi facerent idem quod Canonici in Papatu: at hoc nunquam probabitur? III. Locus ex Actibus Apoſtolorum admodum ἀπροσδιονύσως adducitur. Nam non legitur indignatus eſſe Paulus, quod ipſe Mercurio, & Barnabas Jovi aſſimilaretur; ſed quod Sacerdos Jovis, vittas tauris jam imponeret, iiſdem more Gentilitio ſacrificaturus. Totus contextus hoc docet. Et proinde Apoſtoli indignantes

gnantes ſibi deſtinari victimas, verſ. 15. dicunt: *Viri cur iſta facitis?* Reſpicientes ſcil. victimas. Quum ad nomina illa tacuiſſent, quæ æque ſervire potuiſſent occaſionaliter convertendis Gentilibus, atque ara Athenis Θεῷ ἀγνώστῳ inſcripta, Paulo occaſionem exhibuit Athenienſibus annunciandi Deum verum, Act. 17.23. & ſeqq. Certe ipſe Paulus in illa ſua concione oblique licet, concedit Deum verum vocari poſſe Δία, ſeu Jovem. Quod ne videar primus excogitaſſe, eoque nomine apud vulgus traducar, authorem meum laudabo, eumque virum Orthodoxum & ſcriptis celeberrimum, Is eſt Seldenus, qui Syntagmate de Diis Syris II. cap. I. pag. 203. *ſic loquitur*: Certe Jovis ſive Διὸς vocabulo ipſum Deum Opt. Max. deſignari pie poſſe, videtur; & D. Pauli etiam exemplo. Is Act. XVII. com. 28. ὡς καὶ, inquit Athenienſibus, τινὲς τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι, τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν: id eſt, *uti & quidam apud vos poëtæ dixerunt*, EJUS ENIM ET GENUS SUMUS. Deum verum innuit. cæterum idem eſt ac ſi dixiſſet, Διὸς γένος ἐσμέν, id eſt, *Iovis genus ſumus*. Poëta enim de quo ill e, Aratus eſt: qui Phœnomena ſua, pro more poëtarum, à Jove ita eſt auſpicatus, ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, id eſt, *Ab Iove principium*, pauciſque interjectis, τοῦ γὰρ, inquit, καὶ γένος ἐσμέν, id eſt, *ejus enim & genus ſumus*. Quod Aratus igitur ſcripſit, & Apoſtolus citavit, eſt *Iovis genus* (id eſt τοῦ Jehovæ) *ſumus*. Nil apertius dici potuit. *Hactenus doctiſſimus Seldenus*, cujus verbis, quod abunde cauſſam noſtram & Canonicorum egerit, ipſe dum viveret Canonicus in Anglia, nihil addimus

EXERCITATIO V.

Citra colluſionem cum Papatu, Reformatus aliquis deſignare poteſt templum ſecundum nomen, quod in Dedicatione accepit.

1. *Licet Pontificii, per intolerandum errorem templa Sanctis dedicarint; præſtat tamen dicere V. G. Templum. S. Petri, quam Petri: Licet utrumque ſit vitioſum.*
2. *Communis loquendi uſus rationem quoque haberi vult Tertullianus, licet rigidus in aliis ſit.*

3. Nec

3. *Nec diſſentit D. Voetius.*
4. *Qui aliter loquuntur, feneſtram aperiunt ad ſiniſtras ſuſpiciones.*
5. *Præſtat talia nomina retineri, ut pateat quam errarint olim majores noſtri;*
6. *Et quantam gratiam nobis Deus præſtiterit, quod meliora nos docuerit. Ubi & agitur de Cophinis Iudæorum.*

INficias ire non licet, Pontificios (qui hac in parte Gentiles imitantur) non modo idololatriam craſſam committere, quando templa Sanctis demortuis dedicant, verum etiam inter dedicandum tales ritus adhibere, qui magiam ſapiunt; item optandum eſſe, nomina illa aboleri poſſent. Sed cum conſuetudo, quotidianę loquendi rationi imperans, non tam imperium, quam tyrannidem exerceat, eique libenter hac in parte omnes cedant, quibus ſapere datum eſt: non video cur quidam ex Theologis doceant ſuos auditores, quando templum aut fanum aliquod deſignandum eſt, potius V. C. illud vocare templum Petri, Jacobi, Nicolai, Catharinæ, &c. Nam præterquam quod nomina illa, ſic caſtigata, nihilominus arguant ſuperſtitionem dedicantium; ſic non video, cur potius non ſit dicendum templum Sancti Petri, quam ſimpliciter templum Petri: nam, ut utraque loquendi ratio, arguit, per ſuperſtitionem, hominibus quondam ſub Papatus tenebris, templa dedicata fuiſſe; ita poſterior, non minus injuria eſt in Pontificios, quam ſuperſtitionem eorundem nova ſuperſtitione deturpat. Quis enim non ſtatuat, longe turpius, & ſuperſtitioſius eſſe, fana dedicare hominibus nihili, ſcil. Titio, Męvio, Sejo, &c. quam iis, qui, dum in terra adhuc degerent, agnoſcebantur templa Spiritus Sancti? cumque illud, ne per ſomnium quidem, Pontificiis, ut ut profundæ idololatriæ immerſis, in mentem venerit, quis pariter non videt, Pontificiis per hanc ridiculam reformationem, inſignem injuriam fieri? Quid, quod illi qui audiunt novas haſce loquendi formulas, cogitare poſſunt illum ſive Petrum, ſive Joannem, ſive Jacobum, à quo hoc illudve templum denominatur, fuiſſe forte cruciarium, flagrionem, vappam, aliumve Gaci fraterculum, à quo templum illud æque nomen ſuum traxerit, atque notiſſimum antrum à Caco. I.

Rigidus minutiarum harum, ſimiliumque cenſor extitit Tertullianus, Hæretici Montani in his atque aliis ſectator, prout alibi probamus; interim eo rigoris, ratione fanorum Paganicorum, ut nomine ſuo II.

deſignandorum, non proceſſit, atque hi, cum quibus nob is eſt negotium: ſiquidem, attendendo, quanta conſuetudinis vis ſit, & quæ non eidem, tyrannice imperanti, deferri debeant, *libell. de Idololat. cap.* 20. *ſic loquitur*: Deos nationum nominari lex prohibet, non utique ne nomina eorum pronunciemus, quæ nobis, ut dicamus, converſatio extorquet. Nam id plerumque dicendum eſt, in templo Æſculapii illum habes, & in vico Iſidis habito, & ſacerdos Iovis factus eſt, & multa alia in hunc modum, quando & hominibus hoc genus nomina inducuntur. Neque enim Saturnum honoro, ſi ita vocavero eum ſuo nomine, tam non honoro quam Marcum, ſi vocavero Marcum. *Huc uſque Tertullianus.* Sic in Codice Theodoſiano plurima occurrunt loca, ubi templa Gentilium ab ipſis Impp. Chriſtianis, propriis ſuis nominibus deſignantur. Speciatim aliquoties ibi commemorantur Pantheon, & templum Minervæ, ubi & proponi ſolent Principum Chriſtianorum conſtitutiones, ob frequentem populi eò concurſum.

III. Nec alia mens eſt ipſius D. Voetii, (cujus authoritas falſo, atque per ignorantiam prætexitur à plurimis è vulgo) ſiquidem in ipſius Diſput. 2. de Templ. Th. 8. Probl. 10. *ſequentia occurrunt*: An à ſanctis templa ſint denominanda? Reſpond. In prima impoſitione Negat. quomodo determinant noſtri de nominibus perſonarum. Ubi uſu nomina illa obtinuerint, agendum, ut mutentur per eos qui debent & poſſunt, Pſ. 16. 4. Hoſ. 2. v. 16. 17. Zach. 13. v. 2. ſi non eſt in poteſtate Eccleſiæ & Magiſtratus, aut uſus & conſuetudinis tyrannis vicerit (quod plerumque fit, ubi idololatræ rerum potiuntur) noſtri, ut intelligantur, utuntur appellationibus uſu receptis, exemplo Sanctorum, qui à nominibus idola referentibus, eo in caſu non abſtinuerunt. *Huc uſque D. Voetius*: pro quo licet forte aliquis, ſed in ipſius præjudicium, poſſet hanc rimam invenire, quod ejuſdem aſſertio duntaxat valeat iis in locis, ubi idololatræ rerum potiuntur; neutiquam vero inter Orthodoxos, minime inter eos, habentes magiſtratum ejuſdem profeſſionis: hoc duntaxat vice reſponſi regeram; me non tam attendere ad aſſertionem D. Voetii; (multoties ſibi ſoliti contradicere) quam ad ejuſdem rationem, quæ hæc eſt; quod conſuetudo, veluti tyrannus, non tam imperet, quam dominetur (ſi non violentiam quoque exerceat) iis ipſis in locis quoque, ubi Magiſtratus, Eccleſiæ alias Orthodoxę nutritius & defenſor, omnia poſſe videtur. Valeret hęc exceptio, niſi notum foret illud Ciceronis: *Non utendum verbis iis, quibus conſuetudo noſtra non utitur*:

Digitized by Google

utitur: cui conſuetudini, legum & virgæ lictoris neſciȩ, quiſquis obnititur, tantundem facit, atque qui contra torrentem nititur. Inter conſuetudinem vivendi, & loquendi, multum intereſt: utque à peccato excuſari non poteſt, qui actioni, adverſanti Dei legi, utpote à vulgo perpetrari ſolitæ, vacat; ita non æque peccati inſimulari poteſt, qui cum vulgo, ut intelligatur, loquitur; licet forte limatius eruditiuſque, imo minus ambigue quoque, loqui poſſet.

Qui non eſt hoſpes in antiquitatibus Eccleſiaſticis, audiendo V. C. IV.
loco S. Petri, aut S. Jacobi, ſubſtitui ſimpliciter aut Petrum, aut Jacobum, poſſet cogitare, eos, quondam inquilinos, ſive conductores, fuiſſe eorundem fanorum, ſimileſque illis, qui ſub tempora primorum Impp. Chriſtianorum, templa per eoſdem locari ſolita, uſq; ad publicas Gentilitium calumnias conducere ſolent. Certe, Libanius templa hominibus privatis à Conſtantio Imp. inſtar rerum viliſſimarum, ſi non rejicularum, ex indulgentia imperatoria ceſſiſſe, teſtatur *Orat. de Templ.* qui & *Orat. in Iuliani necem*, haut citra Chriſtianorum opprobrium, teſtatur, eadem templa à Conſtantio conceſſa fuiſſe meretricibus: quod & eadem Oratione videtur innuere de reditibus, donariiſque templorum, quando, habita ratione temporum Conſtantii, ſcribit τὸν τῶν ἱερῶν πλοῦτον εἰς τοὺς ἀσελγεστάτους μεμερισμένον. Atque, nequis exiſtimet, hominem Gentilem, præ odio Chriſtiani nominis, minus veritatis meminiſſe, ipſi Impp. Valentinianus & Valens ſic loquuntur l. 8. Cod. Theod. de Jure Fiſci: *Univerſa loca vel prædia, quæ nunc in jure templorum ſunt, quæque à diverſis principibus vendita vel donata ſunt, retracta, ei patrimoniio, quod privatum noſtrum eſt, placuit adgregari.* quæ lex, præter illud quod intendimus, amplius oſtendit (quod jam antea quoque duabus præcedentibus aſſertionibus ſufficienter probavimus) Impp. Chriſtianos, templa non minus Paganica, quam reliqua eorundem donaria, conſueviſſe ſuo fiſco, ſeu privato patrimonio, vindicare atque addicere.

Etenim, quum templorum Papanorum dedicatio Idololatrica, plane V.
(ut initio quoque conceſſimus) abominanda atque execranda ſit, omnibuſque Reformatis, hoc ad deteſtationem uſque perpetim exploratum eſſe debet. Nomina ſiquidem uſitata, ut arguunt Papanorum veſanam ſuperſtitionem, ſic quoties audiuntur, non poſſunt non quoque eos, qui Babylone exiverunt, concitare non minus ad deteſtationem talis idololatriæ, quam commonefacere verborum Apoſtoli, *Eramus quondam & nos amentes*, Tit. 3. 3. atque iterum, & *hæc eratis quidam*, 1. Cor. 6. 11.

 unde

unde & expreſſe idem Apoſtolus Galatis in memoriam revocat ſtatum idololatricum (ſub eo licet pauci noſtrum in Belgio Reformato vixerint, vixerunt ſaltem ſub profundis illius tenebris noſtri majores) quando dicit, *Ignorantes Deum, ſerviebatis iis, qui natura non ſunt Dii*, Gal. 4. 8. Ob quam cauſſam quoſdam etiam ex ipſis antiquis Patribus, cum diruerentur templa Paganica, cenſuiſſe in unaquaque Provincia minimum unum templum eſſe relinquendum, veluti monumentum prioris cæcitatis, alibi ex Socrate, Eccleſiaſtico Hiſtorico notamus. Quod tamen neutiquam probamus, licet perſonatus Reyneſſius odioſe & Sycophantice hoc nobis exprobratum eat pag. 31. Hiſtorice idem ſolum retuli, quod idem ſcopo meo ſervire adhuc credam. Pariter hactenus meo Lectori liquere confido, (quanquam Reyneſſius aliud perſuaſum cupiat) me ideo ſolum vulgarem formulam probare, quod citra Papanorum injuriam, ſerviat magis detegendo eorundem errori. Nam licet illud *Sancti* omittatur, templum tamen de homine denominatur: nec noſtra hactenus refert, an quidam ἅγιοι occurrant inter illos, quos Pontificii Sanctorum choro amant aſſcribere.

VI. Hæc omnia ſi attenta mente conſiderentur, patebit, per hæc ipſa nomina, arguentia Papanorum ſuperſtitionem, non poſſe non, pias quaſque mentes excitari ad ſeriam gratiarum actionem, atque hæc in ſolidum accepta referre *uni benignitati & amori Dei*, Tit. 3. 3. ſimulque operam dare, ut per ſe *in omnibus*, poſſit *glorificari Deus per Ieſum Chriſtum, cui debetur gloria & robur in ſecula ſeculorum*, 1. Petr. 4. 11. Atque ſub hac conſideratione, hæc nomina nobis eundem exhibebunt uſum, quem olim cophim Judæis ſolent, quos Apellæ ſecum geſtabant, quocunque ferme ibant, in memoriam ſervitutis Ægyptiacæ, qua durante, cophinis lutum, fænum, lapides, atque ſimilia bajulare ſolent. quod non videtur ſolum colligi poſſe ex Hiſtoria Euangelica, nominatim Math. 14. 21. ib. 16. 7. Marci, 8. 14. Joan. 6. 13. Verum etiam ex profanis patet authoribus, ex quibus ſic Juven. Sat. 3.

Nunc ſacri fontis nemus, & delubra locantur
Iudæis, quorum cophinus, fænumque ſupellex.

& iterum Sat. 6.

—— cophino, fænoque relicto,
Arcanam Iudæa tremens mendicat in aurem.

Inde *cyſtifer*, Martiali idem eſt qui Judæus, lib. 5. ep. 17.

Dum

Dum te poſſe negas niſi lato, Gellia, clavo
Nubere; nupſiſti, Gellia, ciſtifero.

EXERCITATIO VI.

Num miniſter Verbi, in eo ſummam ſuam gloriationem hoc tempore collocare debeat, quod ſit annunciator Legis?

1. *OCcaſio hujus quæſtionis.*
2. *Quos uſus Lex moralis, ſeu Decalogus, ſub Euangelio habeat.*
3. *Nec tamen miniſtri Verbi ſe gerere debent, tam pro miniſtris Legis, quam Euangelii.*
4. *Quod ulterius confirmatur.*
5. *Prædicatio Euangelii efficax eſt ad inſtillandam proxin ſanctificationis.*
6. *Quamvis in eccleſia multi occurrant hypocritæ, potiorem tamen rationem fidelium Miniſter habere debet: & quomodo hos oporteat increpare.*
7. *Praxis conſolationis præcipua pars Miniſterii.*
8. *Nec aliud ſuadet ferreum hoc ſeculum.*
9. *Reſpondentur ad locum Ezech. 3. 11.*
10. *Quem in finem quidam ex verbi Divini Miniſtris ſe inſtituant gerere pro Legis præconibus: redditur prior ratio.*
11. *Hac editione ſecunda, proponitur altera ratio: quæ poſtea Authori innotuit. Conſideratur Locus 2. Cor. 2. verſ. 6. & ſeqq.*

QUum *Lex*, quæ pœdagogus ad Chriſtum eſt, Gal. 3. 24. ab Euangelio, tanquam ſuperiori, per Chriſtum, potiſſimum ut exhibitum, domino, ſit exarmata ratione omnis maledictionis & obſervationis cæremoniarum, juxta dictum Apoſtoli, eodem loco comm. xxv. *At poſtquam venit fides, non amplius ſub pædagogo ſumus*; quæſitum ex me nuper fuit à popularibus, (cum eſſem Ultrajecti ut ſeni patri officium τῆς ἀντιπελαργίας exhiberem) an recte faciant quidam ex V. D. miniſtris; quod, per modum quaſi occupationis, dicant identidem, ſeſe eo nomine ſibi gratulari, quod habeantur *legis præcones*? ſpeciatim, an quis ex eodem ordine occaſione mandati, à Deo dati Prophetæ Ezechieli cap. 3. 11. I.

proteſtari potuerit, ſeſe reliquum vitæ, cum Ezechiele Propheta, pro Chriſti quaſi gloria, impenſurum eſſe arguendis hominum peccatis, quod in hoc potiſſimum conſiſtat officium fidelis Chriſti miniſtri.

II. Deſiderium amicorum non minus honeſtorum, quam ſalutis æternę ſeriò ſtudioſorum, ut excitavit me ad quæſtionis hujus penitiorem conſiderationem, ita initio proteſtor, me alieniſſimum eſſe ab opinione eorum, qui, quod ſub Euangelio exiſtimarent eſſe otioſam Legis doctrinam, non ſine ratione, velut hæretici *Antinomi* notati fuerunt. Lubens do, ad hoc, ut Euangelium (ad quod proprie concio pœnitentiæ pertinet) finem ſuum aſſequatur, indigere omnino adminiculo Legis: Lege enim oportet nos humiliari, ut Euangelio exaltemur. Similiter concedo, ultimo hoc tempore, ſi unquam alias, à quo colligi cæpit Eccleſia, propter hypocritarum frequentiam, & mundi, plus quam ferrei corruptionem extremam, eos, qui Miniſterio V.D. funguntur, quo illi plene & rite ſatisfaciant, & quam plurimos Sathanæ laqueis eripiant, totis viribus comminationes legales intonare debere, atque horrendum illum Domini (ultimo judicii die compariturі,) terrorem (quem tangit Apoſtolus 2. Cor. 5. 10. 11.) convenienter objicere, quo, ſi fieri poſſit, illi, qui in fæcibus peccatorum ſuorum congelati ſunt, ad aliquem peccati ſenſum, quem penitus alias exuiſſe videntur, adducantur.

III. Interim nulla ratione, is, qui miniſter agnoſcitur Jeſu Chriſti, in Eccleſia N.T. ſe gerere poteſt pro *miniſtro Legis*, multo minus de hoc ipſo titulo gloriari. Certe, perpetuo verum manere debet illud S. Pauli Apoſtoli (neq; enim putarim, hujus ſeculi miniſtros, minime νεοφύτυς, eo ſapientiores agnoſcendos eſſe) qui pro ſe, & συνέργοις loquens, fatetur 2. Cor. 3. 6. *ſe non factum eſſe miniſtrum veteris pacti, ſed novi, non literæ ſed Spiritus; non condemnationis & mortis, ſed vitæ atque juſtitiæ.* Non diffiteor, ut me docere voluit Reyneſſius, hic legem Euangelio opponi: ſed eo ipſo magis hic locus ſtringit, quatenus oppoſitive ad V. T. miniſter N. T. Paulus vocari voluit. Hinc etiam omnes illi expreſſe *miniſtri Euangelii* vocantur Eph. 3. 7. & Coloſſ. 1. 23. qui verbum ſalutis annunciant. Nam etiamſi Miniſtri N.T. ut modo conceſſi, legem etiam moralem, ſive Decalogum explicare debeant, & quidem ex officio, neutiquam tamen hoc alio intuitu facere debent, quam quatenus, aut legis doctrina, excitando in nobis peccati & miſerię naturalis agnitionem & ſenſum, nos deducit ad Euangelium, illiuſque objectum Chriſtum, *qui finis eſt Legis, ad juſtitiam cuivis credenti*, Rom. 10. 4. aut, quatenus ea continet, exactiſſimeque

meque explicat vitæ Chriſtianæ officia, quę tanquam fructus genuinos reſipiſcentiæ, & noſtræ erga Deum Chriſtumque Servatorem gratitudinis indicia atque teſtimonia, Euangelium præcipit. Nec eſt quod Reyneſſius pag. 34. me arguat, tanquam minus accurate loquentem, quod hic dicam Euangelium pręcipere functus reſipiſcentiæ. Amplius cum ſummis Theologis dico; Reſipiſcentiam non eſſe fructum legis, ſed Euangelii. Scio, quoſdam ex ipſis Theologis Reformatis (in partes non vere, ſed ſecundum apparentiam quaſi veniente Catecheſi qu.115.) reſipiſcentiam inſtrumentaliter partim Legi, partim Euaugelio deferre, atque Dn. Walęum Theologum alias accuratum, non modo in Synopſi Profeſſorum Theologorum Leidenſium Diſp. 32. Th. 10. has partes deferre Legi & Euangelio, verum etiam in locis Communibus loco de Reſipiſcentia, media ad eam aſſequendam conducentia, ſtatuere meditationem Divinæ Legis & Euangelii. Sed, cum *occaſio* haberi conſueverit cauſſa ſine qua non, quæ vere non eſt cauſſa, & Lex, ejuſq; Prædicatio, hic ſolummodo velut occaſio agnoſci debeat, pro agnitione peccati, quæ, ut in Juda videre eſt, terminari poteſt in deſperationem, non ſuccurrente Euangelio; mihi admodum arridet, quod habet Cartvvrichtus in Harmonia Euangelica pag. *616*. occaſione Textuum Luc. *9. 6.* & Marc. *6.* verſ. 12. 13. *verba ſic habent*: Quod Lucas appellat prædicationem Euangelii, Marcus prædicationem reſipiſcentię appellat; unde conſtat, repiſcentiam non eſſe effectum medicationis legis, ſed Euangelii. Eſt enim reſipiſcentia ex dolore animi, ob Deum mandatorum ſuorum violatione offenſum, vitæ malè actæ emendatio. Hunc dolorem nemo admittit, niſi qui Deum ex gratiæ perſuaſione, amore complectitur. Fieri poteſt ut quis fide vacuus angatur ex violata lege; ſed hoc fit metu pœnæ, &c. *Hac ille*. Vere & convenienter plane Scripturæ. Nec alia mens Polani lib *6*. Syntagm. cap. 37. ſic ſcribentis: *Euangelii autem vox propria eſt, non nota rationi ex lege, qua jubet peccatores reverti ad Deum propoſita nobis ſpe reditus in promiſſam gratiam per Chriſtum, pro ipſis ſatisfacientem legi; & docet modum reſipiſcendi, ac proinde eſt inſtrumentum Spiritus Sancti, quo* (NB) *proprie ad efficiendam converſionem utitur.* Conſentit honorandus & celeberrimus D. Collega Mareſius, quem fruſtra à me ſe alienaturum eſſe ſperabant Reyneſſii amici. Hæc ſiquidem illius verba Syſtemat. loc 13. Th. *26*. *Fruſtra ſunt Pontificii in aſsignando Legis ſpeciali mandato, quo pœnitentia mandetur, cum officium hoc ſit magis Euangelicum, quam Legale.* Euangelii ergo præ lege potiores hic ſunt partes.

IV. Vero

Digitized by Google

IV. Ut vero ſemper à potiori parte fieri ſolet denominatio, ita, ratione præſentis quæſiti, omnino prævalere debet titulus Miniſterii Euangelici, titulo Miniſtri legis, atque ceteroquin agnoſci illud Hieronymi lib. 1. contra Pelagianos: *Aliud eſt*, inquit, *damnare Legem, quod Manichæus facit, aliud Legi præferre Euangelium, quæ Apoſtolica doctrina eſt: In illa enim ſervus, in hoc præſens Dominus loquitur: Ibi promittitur, hic impletur: Ibi initia, hic perfectio eſt: In illa operum fundamenta jaciuntur, hic fidei & gratiæ culmen imponitur.*

V. Omnino certiſſimum eſt, non poſſe aliquem ſibi vere applicare promiſſa Euangelica, niſi corde, ad legem & ſecundum legem prius contrito, ſerio animi propoſito præſumpſerit, omnes non ſolum actiones, verum etiam verba & cogitationes ſuas, componere ad Decalogum, ceu perfectiſſimam normam pietatis, juſtitiæ, & ſobrietatis: interim illi, qui agnoſcitur ut Eccleſiæ membrum, multo efficacius ſecundum praxin Apoſtolicam pro renovatione pœnitentiæ, hoc ſuaderi poteſt per argumenta Euangelica, quam Legalia. Nam præterquam, quod doctrina Euangelii, ab Apoſtolo 2. Cor. 3. 18. vocatur *ſpeculum transformationis, ad imaginem Domini*, quia eſt miniſterium Spiritus, *ibid. verſ.* 8. qui expreſſe vocatur *Spiritus ſanctificationis*, Rom. 1. 4. amplius *Euangelizatum eſt mortuis* (hoc eſt illis, qui tempore Apoſtoli Petri jam mortui erant, audiverantque Prophetas Veteris Teſtamenti Euangelium obſcurius annunciantes, ad hoc obtulerant quoq; hoſtias, Chriſtum, qui in Euangelio annunciatur, typice repræſentantes) *ut damnarentur quidem ſecundum homines, id eſt, carne, viverent autem ſecundum Deum, id eſt, Spiritu*: cumque Euangelium lux ſit, valere debet illud Apoſtoli Pauli Rom. 13. verſ. 12. 13. 14. *Nox proceſſit, dies autem propinquat: Abjiciamus igitur opera tenebrarum, & induamur habitu, qui luci conveniat. Ut interdiu compoſite ambulemus: non in comeſſationibus & ebrietatibus: non cubilibus ac laſciviis, non lite & invidia. Sed induimini Ieſu Chriſto, & carnis curam ne habete ad explendas cupiditates*: cum quo componi velim ejuſdem Apoſtoli locum Eph. 4. verſ. 22. 23. 24. Nec modo Euangelium eſt cauſſa inchoans ſanctificationis, verum etiam conſervans & conſummans: unde non ſolum vocatur *ſemen regenerationis incorruptibile*, 1. Petr. 1. 23. verum etiam *lac ſincerum*, 1. Petr. 2. 2. & *ſolidus cibus*, Heb. 5. 13. Adeo, ut Eccleſiæ filii, non poſſint efficacioribus ſtimulis, quam rationibus Euangelicis (quæ hic fuſe per quatuor cauſſarum genera deduci poſſent niſi omnibus Scripturæ filiis notæ forent) ad vitæ ſanctimoniam compelli: quomodo iidem,

Digitized by Google

dem, nunquam ſecurius vitam ſuam inſtituunt, quam ſi vivant vitam Euangelii, ſeu fidei: Juxta illud Hab. 2. 4. *juſtus ex fide vivet:* quod toties Apoſtolus inculcat. Quantus vero ſit Theologus, oſtendit Reyneſſius, quando me arguit, ut ἀκύρως loquentem, eo, quod dixerim, Euangelium conſummantem non minus, quam inchoantem cauſſam ſanctificationis: eo quod (ut loquitur pag. 34.) *Euangelium quidem Spiritum ſubminiſtret*, Gal. 3. 5. *Lex tamen ne extinguamus præcipiat*, 1. Theſſ. 5. 19. *ſed rectas pedibus faciamus orbitas, ut quod claudum eſt ſanetur*, Heb. 12. 13. Sed hoc Lex non magis effective facit, atque exemplar, ad quod puer ſcribit, influit in ſcripturam, aut ſpeculum in faciem, quæ ex eo dignoſcitur. Lex quidem eſt regula caſtigatiſſima morum perfecte inſtituendorum, eos tamen efficienter nec ordinat, nec corrigit. Sed ut eſt norma, quæ hactenus paſſivè ſe habet, ita data eſt ad hoc, ut *ad eam explorentur* (δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα) quæ diſcrepant.

Fatendum quidem, Eccleſiam hanc viſibilem ſimilem eſſe areæ, in qua palea tritico immixta eſt; atque hypocritas, qui ſæpe aut irrepunt, aut irrumpunt, ſubinde legis terribilibus fulminibus proſternendos eſſe; interim tamen potior haberi debet fidelium ratio, atque Miniſter, qui non eſt καρδιογνώστης, ex lege charitatis meliora quæque de auditoribus ſuis augurari debet, exemplo magni illius Apoſtoli Gentium, B. Pauli, qui poſt ſeveram illam reproborum reprehenſionem, occurrentem in Epiſt. ad Hebr. 6. verſ. 4. hæc ſubjicit: *Sed nobis perſuaſimus de vobis, dilecti, quæ meliora ſunt, & ſaluti adhærentia, etiamſi ita loquamur.* Ex illa concione Pauli reprobos re vera reſpiciente, comparata cum verbis modo adductis, recte quidem D. Gomarus hanc obſervationem colligit: *Comminationes proponendæ ſunt, non ſolum reprobis, ſed etiam electis: ut repreſſa carne in Dei timore, & officiis pietatis, retineantur, ac proficiant.* Nihilominus obſervari quoque debet, quod Calvinus prudenter monet ad hunc eundem locum: *Certe quiſquis docendo prodeſſe cupit, ſic tractare debet ſuos diſcipulos, ut animum illis ſemper addat potius, quam diminuat. Nihil enim eſt quod nos magis alienet à doctrina audienda, quam dum videmus nos haberi pro deſperatis.* Ratione autem redargutionum, digniſſima eſt Parei admonitio, occurrens in ejuſdem Commentario ad præſentem locum: *Prudentis præceptoris, concionatoris, parentis & magiſtratus eſt, increpationes aſperiores ſic temperare lenioribus dictis, ut nec boni* VII.

inde offendantur, nec mali obſtinatiores fiant. In cœtu enim magno varia ſunt ingenia, quorum alia duci, alia trahi volunt; plus autem valet manſuetudo quam rigor & acerbitas. Nam etiam boni aſperitate nimia offenduntur: mali vero in malitia plerumque indurantur potius, quam molliuntur: ſemper autem blandior oratio eſt gratior, & malos emollit.

VIII. Si fas mihi Semi-Pagano foret ſublimes hos Theologos erudire, varia adferre poſſem; at, non audeo hoſce aut ſollicitare, aut eorundem ſupercilium provocare. Moneo interim eos, per occaſionem divertant ad Axiomata concionandi, ſummi Theologi Practici, Abrahami Sculteti, qui Axiom. LXI. hæc habet: *Praxis conſolationis ut frequentiſſima eſſe debet, ita ſi recte inſtituatur, non ſolum totam concionem, ſed mentes etiam ipſas auditorum illuſtrat.* Nec alia mens eſt viri ſummi D. Biſterveldii ſiquidem lib. 1. cap. 2. Artis concionandi Th. 42. hæc lego: *Uſus paracleticus ſeu conſolatio eſt, quo homines infirmi & afflicti eriguntur, ipſorumq; dolor & metus vel tollitur, vel ſaltem minuitur. Hic uſus ſit omnium frequentiſſimus, vivaciſſimus, ac efficaſiſſimus.* Circa cujus illuſtrationem, licet multa adferri poſſent, ita hęc pauca ſolum è Scriptura adjicio. Proprium eſſe Euangelio illiuſque miniſtris, conſolari animas abjectas, prout oſtendit ipſe Deus, quando per Euangeliſtam veteris Teſtamenti Jeſaiam cap. 40. verſ. 1. proclamat: *Conſolamini, conſolamini populum meum dicit Deus veſter.* Ad quæ verba hæc inter alia obſervat Calvinus: *Ex hoc loco, quid maxime quærendum ſit in Prophetis colligimus, nempe ut propoſita gratia Dei dulcedine, ad ſpem animent pias mentes, ne ſub malorum onere deficiant, ſed intrepide perſiſtant in Dei invocatione.* Similiter Chriſtus proclamat Jeſ. 61. verſ. 1. 2. *Spiritus Domini Iehovi eſt ſuper me: eo quod unxit Iehova me ad euangelizandum manſuetis, miſit me ad obligandum fractos animo, ad proclamandum annum acceptum Iehovæ, & diem ultionis Dei noſtri: ad conſolandum omnes lugentes: ad conſolationem adhibendam lugentibus Tziionis.* Atque hinc ipſe Paulus optat videre oppreſſos per perſecutionem Romanos, *ad communem conſolationem* (verbum συμπαρακληθῆναι quod hic uſurpatur, licet à pluribus de exhortatione accipiatur, convenientius tamen hoc loco ad conſolationem transfertur, prout & accipitur Rom. 15. 14.) *percipiendam per mutuam fidem*, Rom. 1. 12. ac Tychicum mittere voluit ad Coloſſenſes, ut *corda eorundem conſolaretur*, Col. 4. 8. qui & de ſemetipſo, velut Miniſtro V.T. teſtatur, quod fideles Theſſalonicenſes, tanquam *pater ſuos liberos, non modo* fuerit *hortatus*, ſed potiſſimum *conſolatus*, 1. Theſſ. 2. 11.

IX. Ut

Ut nihil poſſum *contra veritatem, ſed omnia pro veritate*; ſic pariter IX.
non diffiteor, hiſce ultimis temporibus compleri Prophetiam Apoſtoli, atque occurrere *homines ſui amantes, avaros, glorioſos, maledicos, parentibus non obſequentes, ingratos, prophanos, charitatis expertes, implacabiles, calumniatores, intemperantes, immites, minime amantes bonorum, præcipites, inflatos, voluptatum amantes potius, quam amantes Dei, atque habentes formam pietatis, ſed qui vim ejus abnegaverint* 2.Tim. 3. verſ. 2. & ſeqq. At quis majorem horum partem exiſtimet complere numerum eorum, qui pertinent ad particulares Eccleſias? Rationes, quas in contrarium adducit Reyneſſius, tales non ſunt, ut aliquis iis moveri aut poſſit, aut debeat: numerantur quidem tres, at una inſtar omnium eſſe potuiſſet. Sequemur tamen hominem. Ergo pag. 35. ſic loquitur: *Quod conſolatione egeant duntaxat abjectæ animæ. Adhortatione ad officium & lege omnes, plures quoque ſint immobiles, quam abjecti.* Reſp. 1. Inter nos convenit, conciones legales non per omnia eſſe inutiles, & quæſtio ſolum eſt, an non Conſolatoriæ in Eccleſia debeant eſſe frequentiores. Hoc ego omnino ſtatuo; nec ratio hæc quicquam ad rem facit. 2. Auditores concionum vel ſunt membra Eccleſiæ, vel non ſunt. Ut vero illorum præ his eſt habenda ratio, ita conſolationibus frequentius erigi debent. Nam promiſſiones Euangelicæ, ut præſumuntur iis præ aliis competere, ſic per modum quoque conſolationis potiſſimum, debent applicari. Unde & N. T. Paſtor eorum quoque, exemplo Pauli, præ cæteris rationem habet, dicendo cum illo: *Quid mea intereſt etiam de extraneis judicare?* 1.Cor. 5. 12. Non poteſt vero commodiorem rationem eorundem habere, quam quando illud iis applicat, quod eſt ſcopus univerſæ Prophetiæ, atqui hoc eſt conſolatio, Rom. 15. 4. ubi ita Apoſtolus: *Quæ ante ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ante ſcripta ſunt: ut per tolerantiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Si delinquant gravius membra Eccleſiæ, obſervetur praxis, quam indicavit Chriſtus Matt. 18. Quod vero ad illos, qui extra Eccleſiam adhuc ſunt, & fæci peccatorum ſuorum indormiunt, plurimum V. D. M. ex Dei benedictione apud eos poterit, ſi ipſe inculpatam vitam in oculis eorum agendo, ſecutus fuerit Pauli conſilium, & non modo (privatim potius, quam publice) *cum lenitate eos erudierit* 2.Tim. 2. 25. verum etiam *arguendo & objurgando eos, tempeſtive & intempeſtive*, 2. Tim. 4. 2. laborarit ex laqueo diaboli eripere. Publicæ invectivæ ex lege (ut experientia docet) eos magis ſæpe alienant, licet ratione eornm, qui ad ipſam Eccleſiam pertinent, ſæpe

ſint neceſſariæ. Huc enim pertinet illud Pauli 1.Tim.5.20. *Eos,qui peccant,in conſpectu omnium argue,ut & reliqui metuant.* Quod ut præ cæteris concernit ipſosSeniores & paſtores,contextu hoc docente,ita intelligēdum eſt de publicis & manifeſtis peccatis. *Secunda* ratio eſt hæc: *Quod natura ſoleamus nobis blandiri, & fauſta polliceri,nunquam humiliari,rariſsime arguere,*&c. Fateor,ſubinde obtingere veternum,& ſenſum humiliationis in optimisEccleſię membris extingui,ſic,ut quando ad ſe redeūt, dicant cum Davide: *Retundat me juſtus, benignitas erit* Pſ.141.5. interim tamen, dum conſolando,cordi,quod attritum eſſe deberet, ſuccurritur, artificioſe ſimul ſuaderi poteſt humiliatio, ſi forte torpidior fuerit illius ſenſus. Nam ut ſolus *Deus, qui dilexit nos, dedit conſolationem æternam,* 2.Theſſ.2.16. ſic hæc *Dei dilectio nos pariter conſtringit,ut non nobis vivamus,ſed ſimus nova creatura,* 1.Cor.5.ſimulq; ingenerat humillimum de nobis ſenſum,ut non poſſimus non exclamare ôDeus,*quid eſt mortalis, ut memor ſis ejus!*Pſ.8.5.Simul evaneſcit *tertia* ratio. *Quod conſolatio qua talis tantum apta ſit tollere malum triſte. Admonitio malum turpe,quod tolli magis neceſſarium eſt.* Nam conſolationē ſervire quoq; ſublationi mali triſtis, ex antecedentibus jam liquet.Prętereà ut nulla conſolatio extra Chriſtū haberi poteſt,ita nemo,quiChriſti mandata negligit,eadem frui poteſt. Quomodo ad Col.2.2.Apoſtolus teſtis eſt,illorum duntaxat *corda conſolationem percipere,qui compacti ſunt charitate.* Quæ hactenus doceo,ſpeciatim concernunt Eccleſiam Ultrajectinam, ubi tanta ſollicitudo videtur adhiberi in admittendis Eccleſiæ membris (hactenus hoc probo, quod ſufficienti præparatione per Catechizationem privato-publicam ab Ultrajectinis miniſtris illi præparentur, qui recipiuntur inter membra Eccleſiæ) niſi *hypocritæ cum ſimulatoribus colludant,*ut alibi Salvianus loquitur. Fateor lubens, extra Eccleſiam plurimos pro dolor! occurrere,in quos Pauli dictum 2.Tim.3.2.nimis quam vere quadret: at,quiſnam ſibi perſuadeat, in Eccleſia probe conſtituta, plures hujus ordinis inveniri, aut ſi forte reperiantur, tolerandos non eſſe, ſed poſt legitimam admonitionem, ex ordine, à Chriſto definito, factam, ejiciendos eſſe,uſquedum reſipiſcant? Dolent interim multi mecum, diſciplinam in Eccleſiis Reformatis, ſpeciatim Belgicis, adeo negligenter adminiſtrari. Sed ſimul haut pauci ſunt,qui pariter mecū ingemiſcunt,quando vident perſummam προσωποληψίαν,hoc ſeculo in ipſis EccleſiisReformatis, nimis quam verum alicubi deprehendi, quod habet Hieronymus in cap. 8. Eccleſ. *Nemo,* inquit, *peccantibus Epiſcopis audet contradicere.*

Poteſta-

Digitized by Google

Poteſtate licet accepta ſcandalizarent magis, quos docere & ad meliora invitare deberent. Nemo quippe audet accuſare majorem. Propterea quaſi ſancti aut beati, & in Domini praceptis ambulantes, augent peccata peccatis. Difficilis in Epiſcopum accuſatio. Lapſus enim non creditur, & convictus non punitur. Verum ad lineas. Ex iis quæ dixi, omnino conſequens, neq; Prophetiam Pauli de ultimis tēporibus obſtare, quo minus fideles verbi Divini miniſtri, ſe gerere debeant in annunciatione verbi corā Eccleſia, magis pro præconibus Euangelii, quam pro prçconibus & annunciatoribus legis.

Neq; fidiculis contrarium extorſeris ex loco Ezechielis: nam quando X.
Deus, jure merito rebelli atq; pertinaci ſuo populo iratus, dicit: *Linguam tuā agglutinaturus ſum palato tuo, ut obmuteſcas, ac non agas reprehēſorē apud illos: quia domus rebellis*: neutiquā vult innuere, eos ſolūmodo eſſe agnoſcendos pro fidelibus verbi miniſtris, qui ſunt *viri objurgantes*, (ut habet hic Verſio vulgata) aut potiores prçconis Eccleſiaſtici partes eſſe, *arguēdo & objurgando* promovere regnum Chriſti: ſed indicium eſſe certiſſimum, Deum quam maxime exaſperatū eſſe, atq; certo decreviſſe, immorigerū ſuum populū quam graviſſime punire, quando nullos mittit, qui arguāt clamantia populi peccata: nam uti recte docet Chryſoſtomus in Jeſ. c. 6. hom. 4. *Prophetarum ſilentium ſignum eſt iræ divinæ.* Alias per hunc ipſum Prophetam Deus viſcera ſuę miſericordię, in Chriſto potiſſimum manifeſtatæ recludit, quando per eundem dicit: *An ullo pacto delector morte improbi: an non quū revertitur è viis ſuis, ut vivat?* Ezech. 18. Contrariū quoq; non ſuadet ὁ πάνυ Junius ad hunc Ezechielis locum, (ut perſuaſū cuperet Reyneſſius) ſiquidē ſolum docet, *nunquam officium reprehendendi à ſervis Dei abeſſe debere.* Quod & nos libenter concedimus. Sed an ideo non poſſunt ut & debent conſolationes frequētiores eſſe? Quod ut omnibus pateat, quid amplius adhuc dico, quod hoc doceatur in ipſo Dei verbo. Nempe, quando Miniſter quam fervidiſſime quoq; peccata redarguit, eadem manu, qua per flagellum legis conſcientiam vulneravit, applicare debet lene & conſolatorium Euangelii balſamum. Prçit eruditus ille animarum medicus, Apoſtolus Paulus, qui cum 1. Cor. 6. 9. 10. dixiſſet; *Ne errate, neque ſcortatores, neque idololatræ, neque mœchi, neque molles, neque qui concumbunt cum maſculis, neq; fures, neq; avari, neque ebrioſi, neque conviciatores, neque rapaces regni Dei hereditatem poßidebunt.* commate proximo, ſive 11. hæc ſubjicit immeditate: *Et hæc eratis quidam; ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis, in nomine Domini Ieſu & per Spiritum Dei noſtri.* Similiter Hebr. 6. 9. idem Apoſtolus ſic loqui-

tur, poſtquam concionatus eſſet de peccato in Sp. Sanctum: *Nobis perſuaſimus de vobis, dilecti, quæ meliora ſunt, & ſaluti adhærentia, etiamſi ita loquamur.* Atque idem obſervarunt, quotquot unquam in Dei domo fideles agniti fuerunt. Nathan, quo momento fulmine legis Davidem proſtraverat, eum conſolando iterum erexit, atque non modo (2. Sam. 12. 13.) Dei nomine ei ſignificavit, quod *peccatum illius tranſlatum eſſet*; verum etiam verſ. 25. ei annunciavit, quod ex Berſcheba ei naſciturus eſſet filius, cujus nomen foret Jedid-Jah, ſive *Amatus Domini.* Similiter poſtquam Deus uſus eſſet miniſterio Prophetę Jeſaię, ad humiliandum Ezechiam, Jeſ. 38. 13. eodem quoque tempore ejuſdem miniſterio uſus eſt, ad pium regem conſolandum, verſ. 4. 5. Denique unus & idem Apoſtolus Petrus, qui tria iſta millia virorum, *corde compunxit,* Act. 2. 37. ſanavit quoque per conſolationem Euangelicam, verſ. 38. ſive proximo. Adeo, ut certiſſimum illud maneat, quod dixi.

XI. Sed ideo forte hi homines (quibuſcum nobis eſt negotium) pro legis annunciatoribus ſe gerere debent, quod pariter incumbant operi Reformationis *intenſive* ex ſuo (ut loquuntur) judicio promovendo, atque adiaphoris ad ſuum ſenſum (ringentibus licet vicinis Eccleſiis) determinandis, injiciendo pariter laqueos ſervitii illis, quos Chriſtus voluit eſſe liberos. Certe, dum attendo ad eorum molimina, ſępe cogito illud Auguſtini ex Epiſt. 119. ad Januar. cap. 10. *Hoc nimis doleo, quia multa, quæ in divinis literis ſaluberrima præcepta ſunt, minus curantur, & tam multis præſumptionibus plena ſunt omnia, ut gravius corripiatur, qui per octavas ſuas, terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia ſepeliverit.* At, hæc exempla fideles Verbi miniſtros parum, aut nihil movere debent, quum ſciant ſe perpetuò ſic debere eſſe intentos *lectioni & doctrinæ,* ut ſimul ſpeciatim vacent παρακλήσει, ſive *conſolationi,* 1. Tim. 4. 13.

XII. Ut dies diem docet, ita poſt priorem Exercitationum harum Editionem, plura de ſingulari praxi DD. Præciſianorum didici, in annuncianda lege præ Euangelio. Scilicet ordinarium iis eſt, non modo quando vocantur ad ægros, verum etiam pro concione hoc agere, ut poſſint homines, nullo habito delectu, reddere deſperatos. Imo mihi relatum eſt à pluribus viris Reverendis, quod ſuis auribus audiverint, quoſdam qui Ultrajecti ſtuduerant, & jam miniſterio in majoribus quoque urbibus funguntur, aliquoties pro concione ad ſuos Auditores dicentes: *Utinam jam poſſem vos omnes deſperatos reddere!* Quomodo ſolitum iis eſt, ſi ad ægros vocentur conſcientias tam diu per legem terrere, quam omnem ferme

ferme aditum ſpei, per Euangelium introducendę, prǫcluſerint. Ne jam dicam, de frequentia hominum ad deſperationem ferme in conſcientia afflictorum, iis in locis, ubi hi viri (quos noto) dominantur; qui exiſtimant ſe tum demum ſingulares fore medicos animarum, atque his oculos reſtituturos eſſe, quando fulmine legis non tam hos dejecerint & præſtrinxerint, quam plane effoderint. Certe hi homines præſumunt ſapientiores eſſe Paulo Apoſtolo. Hic, quod Eccleſia Corinthiaca male audiret propter inceſtuoſum, per quem diabolus moliebatur Eccleſiæ florenti labem affricare, voluit eum *Sathanæ tradi, ad exitium carnis, ut ſpiritus ſalvus eſſet die illo Domini Ieſu*, 1. Cor. 5. 5. Sed, cùm ille compungeretur corde, & ſerio ſecundum Deum doleret, diabolus autem laboraret Eccleſiæ perſuadere eum non eſſe recipiendum, quo poſſet tum Eccleſiæ Corinthiacæ, nimiæ ſeveritatis notam inurere, tum ipſum excommunicatum ad deſperationem adactum perdere, tempeſtive Apoſtolus, machinationum diaboli quam gnarus, occurrit 2. Cor. 2. verſ. 6. 7. 8. & 11. *Sufficit* (inquit) *iſtiuſmodi homini iſta increpatio, à pluribus profecta: Ut è contrario potius vos ei condonetis, eumque conſolemini, neque modo redundante* (NB) *triſtitia abſorbeatur vir hujuſmodi. Quapropter precor vos, ut ratam faciatis in illum charitatem*, &c. *Ut ne ſuperemur à Sathana. Non enim illius machinationes ignoramus.* Pro quorum (argumentum ſiquidem eſt dilucidum) applicatione ad pręſens inſtitutum, pauca ſolum ex Muſculi, Theologi gravis commentario adduco. Ubi hæc *inter alia lego*: Locus hic de immodica triſtitia, diligenter obſervandus eſt omnibus, præſertim illis, quibus commiſſa eſt cura aliorum. Credi non poteſt, quantum hinc ſit periculi, conſcientiis maxime, ſenſu peccatorum, quaſi importabili quadam mole, oppreſſis. Qui hujuſmodi ſunt, ſalutandi ſunt amanter, afflatuque blando & amico frequenter erigendi, fundendę ſunt pro illis preces ad Dominum, & ſi quo pacto fieri poteſt, onus, quo premuntur vel tollendum univerſum, vel aliquouſque diminuendum. Et hæc facienda ſunt, priuſquam per immodicam triſtitiam abſorbeantur. Etenim ubi fuerint abſorpti, nihil vel certe parum profuerit quicquid tentetur, niſi ſingularis quędam gratia abſorptos è barathro deſperationis extrahat. *Hac Muſculus*, & aliquanto poſt: *Utinam Epiſcopi & paſtores Eccleſiarum jam olim* νοήματα *Sathanæ in angelum lucis transformati intellexiſſent, vel hodie ſaltem intelligerent*! Hoc ex animo voveo iis, contra quos pro ſalute Eccleſiæ hæc Exercitatio dirigi debuit. Qui ſi pergant, ut jam video eos facere, do-

ctrinam

ctrinam Euangelii propter Præciſitatem legalem collutulare, alias ζὺν Θεῷ machinas admovebo.

EXERCITATIO VII.

An cives Heterodoxi, cæteroquin politice honeſti, licite recipiantur in eadem Collegia, privilegiis ſuis gaudentia, cum illis qui Reformatam profitentur religionem, & agnoſcuntur membra Eccleſiæ?

1. *Status quæſtionis.*
2. *Conſideratio à parte ſubjecti.*
3. *Concluditur ſub conditione affirmate, & argumentum adfertur ex 1. Cor. 5. & 1. Cor. 10.*
4. *Argumentum petitur ex dicto Chriſti, Luc. 18.*
5. *Argumentum à pari, ſeu federibus, quæ fideles percuſſerunt cum infidelibus.*
6. *Idem probatur ab exemplo Theodoſii M.*
7. *Iterum ab exemplo Valentiniani.*
8. *Ab exemplis hujus ævi.*
9. *A commodo, quod ſperatur.*
10. *Ab incommodo, quod metuendum, ſi ſecus fiat.*
11. *Occurritur priori adverſariorum rationi, quod Heterodoxis nimium concedatur.*
12. *Occurritur argumento poſteriori, quod Heterodoxi ſic confirmentur.*
13. *Extenditur affirmativa ſententia ad Magiſtratuum miniſtros.*
14. *Item ad eos, cum quibus tum contrahendum, tum eos, quorum opera indigemus.*
15. *Reſpondetur ad locum Gal. 6. 10.*

1. NE incurram cenſuram apud illos, qui, inſtar Manii Horatiani, nulli ſciunt parcere, preterquam ſibi, in anteceſſum circumſpecte mihi agendum eſt. Nolo ergo ſuadere τὴν ἑτεροζυγίαν, ſeu colluſionem cum Hereticis aut Heterodoxis memor illius Paulini dicti: *Ne impari jugo cum infidelibus copulemini, quæ enim communio luci cum tenebris?* &c. 2. Cor. 6. 14. quod ſpeciatim extendendum cenſeo non modo ad pacta matrimonialia, verum

rum etiam ad honores Politicos in regimine ſeu Ariſtocratico, ſeu Democratico,ſeu mixto quoque;modo illi,quibus ejuſmodi dignitates obtingunt,ac juriſdictionem exercent,prioris tabulę cuſtodes & vindices agnoſcantur,ſuamque potentiam exercere conſueverint circa ſacrorum defenſionem. Nefas ſiquidem eſt,illis,qui execrantur Orthodoxam religionem,deferre arbitrium definiendi aut ordinem circa illam,aut verbi Divini miniſtris leges pręſcribendi. Quęſtio ſolummodo eſt de Collegiis juriſdictione deſtitutis,cæterum aliis privilegiis munitis: V. C. Collegiis Curatorum aggerum,Curatorum Eleemoſynariorum,Gerõtotrophiorum,Noſocomiorum, Orphanotrophiorum,&c. item de tribubus Mechanicorum,V.C.Piſtorum,Sartorum,Fabrorũ,&c. An ſcil. in hæc ſive Collegia,ſive tribus admitti per Reformatum Magiſtratum licite queant illi,qui cum ſint cętera cives modeſti,aliam tamen religionem à Reformata profiteantur?Nolo equidem contẽdere,hoſce de quibus loquimur, ibi in hæc Collegia recipiendos eſſe in Reformatorum præjudicium,ubi antea recipi non conſueverint; quum ea duntaxat loca reſpiciam, in quibus cum recipi ante hac conſueverint, per decreta quædam excludendi eſſe videantur, quibus non aliter ſuam ſtationem pacifice relinquendam & continuandam eſſe exiſtimo, quam ut pariter in hujus ordinis collegiis & tribubus potior membrorum pars agnoſcatur Reformatam religionem publice profiteri. Statu controverſiæ ſic à me, ſecundum tertias lineas definito, nolo eas, ut factum à graphico Sycophanta Reyneſſio, ſive extendi, ſive coarctari.

Ut, quemadmodum jam definitum, ſtatuam,ſequentes rationes ſuadere videntur,quas priuſquam propono unum amplius pręmittere convenit. Sic enim cenſendnm, hoſce Heterodoxos cives non poſſe adoptari in Collegia, aut tribus eaſdem cum Reformatis, niſi prius à Magiſtratu agniti fuerint pro bonis civibus, taleſque ſe fore, ſolemni juramento (ordinariò alias à civibus præſtari ſolito) promiſerint. Si enim non poſſit Eccleſia eum eligere Miniſtrum, quem Magiſtratus, ob rationes ſibi notas, nolit agnoſcere pro cive: næ pariter conſequens eſt, non poſſe eum, in aliquam ſive tribum, ſive Collegium recipi, qui non habetur bonus civis, quales cenſendi omnes illi, (ut ut glorientur quoq; ſuper profeſſione Reformatæ rligionis) qui nova veteribus pręferunt, pronique ſunt ad turbanda omnia, modo aut faſces occupare, aut ſuos clientes promovere, aut dominationem ſeculi artibus quæſitam firmare queant. II.

L III. Hiſce

III. Hiſce ſic prælibatis pro averruncanda calumnia, I. argumentum petere licet ex 1. Cor. 10. 27. ubi expreſſe Apoſtolus permittit fidelibus, ut accedant ad convivia Gentilium: *Quod* (inquit) *ſi quis infidelium vos vocat* (hoc eſt, ad ſumendum cibum invitat) *& vultis ire*, (ſive hoc gratum animo veſtro videatur) *quicquid apponitur vobis edite, nihil interrogantes propter conſcientiam*. Quod omnino neutiquam Apoſtolus permiſiſſet, ſi ſimpliciter illicitum foret, infideles aut Heterodoxos agnoſcere contribules: quin imo correctionem, vel reſtrictionem hanc expreſſe habet ejuſdem Epiſtolæ cap. 5. verſ. 9. & ſeqq. *Scripſi* inquit, *vobis in Epiſtola, ne commiſceamini cum ſcortatoribus. At non omnino cum ſcortatoribus mundi hujus, aut avaris, aut rapacibus, aut idololatris: alioquin debetis ſcil. è mundo exire. Nunc autem ſcripſi vobis, ne commiſceamini, id eſt, ſiquis quum frater nominetur, ſit ſcortator, aut alieni avidus, aut idololatra, aut conviciator, aut ebrioſus, aut rapax, cum ejuſmodi, inquam, ne edatis quidem*. Quo loco ut expreſſe Apoſtolus hanc prohibitionem reſtringit ad eos, qui *fratres nominantur*, hoc eſt, eos qui nomine ac profeſſione Chriſtiani ſunt, cum cęteroquin vitiis pluribus deforment nomen pretioſiſſimum; ita manifeſto permittit Chriſtianis, civiliter converſari cum iis, qui non minus extra ſocietatem Eccleſię vivunt, quam vitiis pluribus laborant. Certo iterum documento, (quicquid in adverſum multi proclament, qui longe ſapientiores videri volunt ipſo Apoſtolo) non gravaturum Chriſtianum conſcientiam, ſi ex ratione vocationis ſuæ, aut familiaritatem civilem coluerit cum infidelibus aut ad expediunda negotia hujus ſeculi, ejuſdem ſive Collegii, ſive Tribus, cum iiſdem fuerit membrum. Argumentum hoc nequaquam infirmat, qui arrodere fuit auſus Reyneſſius. Nam I. Apoſtolum de conviviis agere certum; ita ut ab illis, velut à pari liceat argumentando progredi. II. Convivæ heterodoxi admittebantur ab Orthodoxis, eo quod hi ad illos accederent: nec dubium eſt, quin qui accedebant alteros, ſive heterodoxos, ad fovendam civilem amicitiam, iterum invitarint. Eoque ſecunda Reyneſſii reſponſio ad hunc locum, eſt per omnia diluta. III. Ineptior adhuc tertia reſponſio; nam quamvis ſæpe communem habeamus menſam cum iis, qui juramentum fidelitatis non pręſtiterunt; recte tamen ex hoc loco argumentamur ſecundum hypotheſin noſtram. Nam ſi communem menſam habere poſſumus cum illis, qui juramentum fidelitatis non pręſtiterunt, quanto magis cum illis, qui & ſacramentum dixerunt.

IV. Haut præter rationem monitum eſt à Chriſto, (licet occaſionem eximiæ

eximiæ injuſtitiæ facinus præbuerit) Luc. 16. 8. *Certe filii hujus ſeculi prudentiores ſunt filiis lucis in ſuo genere.* At cum in collegiis,& tribubus, de quibus loquimur, pręſupponantur tractari tantum negotia hujus ſeculi,citra reſpectum ad religionem, cur eorum adminiſtratio non committatur peritiſſimis , quales (innuente Chriſto) agnoſcuntur ut plurimum homines, ab Eccleſia & regno cœlorum quam remoti? Nec tamen ratione eorum , quæ ſeculum corruptum ſapiunt, pios atque fideles impiis & infidelibus adæquandos contendimus; prout cornicatur Reyneſſius. Pii memores erunt perpetuo hujus admonitionis Paulinæ Rom. 12. 2. *Ne vos configurate ſeculo iſti , ſed transformate vos per renovationem mentis veſtra.* Certe Deus, qui ex medio Iiſraëlitarum pro adornando & inſtruendo tabernaculo, iiſque, quæ ad illud pertinent exuſcitavit Betzaleelem , & Aholiabum , *implendo eos Spiritu ſuo* , Exod. 35. 31. Salomoni occupato in extruendo templo Hieroſolymitano adjunxit Hiramum virum Tyrium, cujus mater licet fuerit è tribu Naphthali , nullum alium in finem tamen à Sp. Sancto 1. Reg. 7. 14. & 2. Chron. 2.14. adeo accurate ratione tum patris, tum patriæ ſuæ, deſcribi videtur, quam ut innuatur, eum Tyrium quoque religione, ſive idololatram fuiſſe. Sic mihi quidem videtur , nec ut ſententiam mutem, ſuadere hactenus poteſt Reyneſſii ratio. Lego quidem hęc apud illum: *Qui quod* patre Tyrio *genitus dicatur , non magis probatur fuiſſe idololatra quam Timotheus aut Titus, Graci cum dicantur,* Act.16.3. ad Gal. 2. Nam Act. 16. 18. quando non ipſe Timotheus, ſed pater ipſius Græcus vocatur , per Græcum convenit intelligere idololatram : ſiquidem pater Timothei Græcus expreſſe opponitur matri ejuſdem Judeæ. Similiter Titum fuiſſe origine Græcum & idololatram , manifeſtum eſt ex Gal. 2. 3 . patetque ex deliberatione Pauli de eodem circumcidendo. Porro ars Mechanica ab Hiramo exercita proſtituit omnes illos ex Pręciſiſtis, qui alicubi Magiſtratui authores fuerunt , de non admittendis aliis ad exercitium artis, quam qui membra forent Eccleſiæ.

III. Si certis caſibus licitum fuit ipſis fidelibus percutere fœdera cum V. infidelibus , ſpeciatim Abrahamo cum Mamre, Eſcol, & Anere, Gen. 14. 13. item eidem atque Iſaaco cum regibus Gerar, Gen. 21. 32. & 26. 31. itemque Salomoni cum Hiramo , Tyri Rege. 1. Reg. 5. atque per ejuſmodi federa coaluerit arctior amicitia inter fideles & infideles, uſque adeo,ut idem Hiram, cum quo & Davidi videtur fedus intercesſiſſe, expreſſe vocetur *Davidis amicus*, 1. Reg. 5. 1. cur non æque,

aut ratione federum, aut longæ conſuetudinis, quæ in legem tranſire ſolet, fimbriæ amicitiæ, quæ intercedit Reformato cum Heterodoxo, eo uſque queant extendi, ut boni publici cauſſa (hoc perpetuo ſubeſſe putandum) Heterodoxi pariter recipiantur in ejuſmodi ſive collegia, ſive tribus?

VI. IV. Hic occurrit exemplum Theodoſii Magni, Imperatoris Chriſtiani laudatiſſimi, qui Paganos ad dignitates quoq; politicas ſubvexit. Unde Prudentius Poëta Chriſtianus lib. Priore adv. Symmachum circa finem ſic ſcribit:

Sacricolis ſummos impertit honores
Dux bonus, & certare ſinit cum laude ſuorum:
Nec pago implicitos per debita culmina mundi
Ire viros prohibet, &c.

Quod ut colligi quoque poteſt ex *leg* 11. *Cod. Theod. de Paganis*, quę hunc ipſum authorem agnoſcit, ita eo nomine hic Imp. admodum commendatur à Libanio Orat de Templ. edita à D. Jacobo Gothofredo, atque ſuperius quoq; ad ſuffragium vocata, ubi diſertiſſimus Grçcorum Oratorum per doctiſſimum ſuum interpretem ſic loquitur: *Sed neque tales* (Gentiles ſcil.) *ab honoribus ſubmoviſti, quin & Magiſtratus contuliſti, & convivas feciſti. Idque & multoties antea feciſti, & nunc præter alios tibi ſociaſti (conducere id imperio cenſens) virum per Deos jurantem, tum apud alios, tum apud te quoque, neque ſuccenſes, neque injuria affici hujuſmodi jurejurando putas, neque malum eſſe, meliores ſpes in Diis habentem.*

VII. V. Sic & Valentinianus Imperator Chriſtianus, iiſdem forte efflagitantibus eximi collegio Piſtorum, in quo plurimi erant Gentiles, miſſionem denegavit, ut patet ex *leg*. 8. *Cod. Theod. De Piſtorib.* quæ ſic habet: *In ſpeculis erit officiū ſinceritatis tuæ, ne cui, qui ſemel piſtorū corpori fuerit deputatus, abſcedendi qualibet ratione copia facultaſq; tribuatur: etiamſi abſolutionē ejus piſtorū omnium labor & ad ſenſus conſeſſus cōveniſſe videatur.* Nam quāvis Romę obnoxium valde eſſet Collegium piſtorum, innoxium tamen erat, prout & ſtatuimus eſſe collegia atque tribus, de quibus loquimur.

VIII. VI. Si plane illicitum foret Reformato eidem collegio Politico intereſſe cum Heterodoxis, ſpeciatim Pontificiis, nę in Galliis peccaretur à fratribus ejuſdem nobiſcum confeſsionis, quando ex ſingulari Chriſtianiſsimorum Regum indulgentia, cenſentur ſub titulo Senatorum membra Parlamentorum, quorum pars longe major conſtituitur per Pontificios. Nec potuiſſent, citra læſionem conſcientiæ, hactenus Barones, &

Nobiles

Nobiles Reformati comparere in Comitiis Polonicis, conſtantibus majori ex parte ſic Papanis, ut pariter iiſdem immixti antehac fuerint quidam Sociniani, hiſce longe pejores.

VII. Hac ratione offertur ſingularis occaſio convertendi non minus verbo, quam inculpatę vitę exemplo eos, qui præjudiciis præpediti alias alieniores vidētur ab audiendis Orthodoxorum concionibus, quomodo & ex Euangelio conſtat, ipſum benedictum noſtrum Salvatorem Chriſtum, cum peccatoribus & Publicanis gratioſe converſatum fuiſſe, nec eos ad ſe venientes, ab alloquio ſuo rejeciſſe, uſq; adeo ut ob familiariorem convictum cum illis publice traduceretur *homo edax & vini potor, publicanorum amicus & peccatorum*, Matth. 11. 19. Cumq; Pontificii, eo maxime avertantur à noſtra religione, quod hęc videatur inutilis eſſe ad bona opera, quibus neq; ipſi Reformati ex ſuo judicio vacent; per familiariorem hanc converſationem, à Reformatis, ſcrupuloſe in cōmunibus negotiis pietati, juſtitiæ, & ſobrietati litantibus, contrarium evinci poterit, atque ſecundum Petrum 1. Epiſt. cap. 2. verſ. 12. Heterodoxi, *ex bonis operibus* (Reformatorum) *quæ ſpectarint, glorificabunt Deum in die viſitationis*. IX.

VIII. Quod ſi vero ex judicio eorum, qui rigidiores videri volunt Reformatores, procedatur hic rigidius, atque omnes Heterodoxi Collegiis & tribubus jam antea definitis, excludantur; forte multi ex illis tranſibunt quidem ad viſibilem Eccleſiam, ſed, ut ipſi magis hominibus, quam Deo placeant, atque ad eorum ingreſſum in Eccleſiam ſubſellia templi arctiora per hypocritas reddantur. Simile quid (patet ex Thuano) circa ipſos Reformatos, pro dolor! in Gallia obſervari potuit tempore Henrici III. qui cum nullos, vel ad aulæ miniſteria abjectiora promoveret, niſi qui Papanam religionem profiterentur, plures ex iis reduxit ad Eccleſiam Romanam hujus ſeculi, quam cum in bello atrociori eoſdem perſequeretur. Ita plerique, quod deplorandum ſummopere, *diligunt gloriam hominum potius, quam Deum*, Joan. 12. 43. X.

Aſſerta breviter ſententiæ noſtræ veritate, deſpiciendum quænam ab adverſariæ ſententiæ patronis in contrarium objici & urgeri conſueverint. Multa quidem crepant, (ſolemne noſtris hominibus argumenta potius numerare, quam ponderare) cęterum duo duntaxat occurrunt argumenta alicujus momenti. I. Dicunt, *nos per hanc tolerantiam nimium gratificari Heterodoxis, ſpeciatim Pontificiis: noſtris nullibi ſub imperio Papanorum magiſtratuum tantum favoris præſtari.* Sed, an nos, qui docemus Reformatam religionem præ cæteris exacte urgere XI.

 officia

Digitized by Google

reliqui in iis, quę religionem concernunt. Sane ſi hoc inſtituerint agere, ἀλλοτριεπίσκοποι erunt ſubmovendi. Atque ſic omnia tuta & ſecura fuerint, neque, ſuccurrente præ cęteris Dei gratia, Orthodoxi *nefariorum errore abducti à propria ſtabilitate excident*. 2. Petr. 2. 17. modo ipſi *ſemet ſanctiſſima ſuæ fidei per Spiritum Sanctum ſuperſtruxerint*, Jud. v. 20. fiantque *lucernæ, quæ univerſis, qui in domo ſunt, ſplendeant*, Matth. 5. 15. Nam ſi ſic eorum *lux ſplenduerit*, Heterodoxi non modo *Patrem, qui in cœlis eſt, glorificabunt*, ibid. verſ. 16. verum etiam ipſi Orthodoxi, qui cenſebuntur ejuſdem collegii membra, *ſimiles erunt domui ſupra petram ædificatæ*, Matth. 7. 25. imo ſi ſerio incubuerint collegarum converſioni, neutiquam, cooperante potenter Deo, *aërem cædent* 1. Cor. 9. 26.

Veritate ſic vindicata convenit eandem ulterius extendere. Eoque XIII.
exiſtimamus hic ultra collegia & tribus licite nos poſſe progredi; atque cum parium conſueverit eſſe par ratio, recte nos poſſe ſtatuere, inter accenſos atque miniſtros ſupremarum Poteſtatum, qua ſuperiores, qua inferiores licite poſſe admitti heterodoxos, modo ex Orthodoxis non occurrant, qui apti ſint ejuſmodi functioni; quum alias hiſce prærogativa omnino debeatur. Mirum vero, ratione hujus caſus, alicubi citra ullam limitationem, omnibus hujus ordinis miniſtris hanc legem dici, ut membra Reformatę Eccleſię ſint: quaſi vero inter Reformatos ſemper occurrant, qui convenienter officio carnificum & lictorum defungi aut poſſint, aut velint. Singulari Dei providentiæ imputandum, quod inter Iſraëlitas vixerint Gibhonitæ, (de iis vide Joſ. cap. 9.) qui abjectiſsima munera obirent non minus pro cœtu Iſraëlitarum, quam altari, quos pariter circumciſos fuiſſe, & factos proſelytos, nunquam liquido probabitur. Verum quidem eſt, ceſsiſſe civitatem eorum, nomine *Gibbonem* tribui Benjamiticę, Joſ. 18. 21. atque deinde ſpeciatim in poſſeſsionem datam fuiſſe filiis Aharonis, Joſ. 21. 17. Interim primi civitatis inquilini, pertinentes ad Hevæos, Joſ. 11. diſperſi fuerunt per totum Iſraëlem, ut ſervilem hanc operam præſtarent iis, quibus facta fuerant promiſſa, ſive Iſraëlitis: unde expreſſe dicitur 2. Sam. 21. 2. *Gibbonitæ non è filiis Iſraëlis erant, ſed è reſiduo Emoræi.* Ad quem locum convenienter quoque obſervant Interpretes Belgici, quod Gibhonitæ fuerint *reliquiæ Paganicæ*, quas, ut ad obeunda viliora munia in Iſraële, ſupereſſe voluit ſapientiſſimus Deus; ſic hinc colligere poſſumus, quid in ſimilibus fieri oporteat. Præterea ſi in omnibus judiciis fæderati Belgii admittantur advocati Heterodoxi, ſpeciatim Pontificii, quibus

Theologi

Digitized by Google

Theologi Reformati, in contrarium nitentes, cauſſas ſuas, cæteroquin minus juſtas aliquando etiam commendant; cur non pariter ejuſdem profeſſionis cauſidici, ſecretarii, apparitores &c. admittantur? Modo inter Orthodoxos non occurrant, qui æque convenienter & prompte hiſce muneribus expediundis ſufficiant.

XIV. Amplius, quod jam antea aſſerui, exiſtimarim, ſalvo meliori judicio, extendendum eſſe ad illos cum quibus aut contrahimus, aut quorum operam redimimus. Perſuaſum multis, in cõntractibus & redemptione eorum, quibus in hac vita indigemus, rationem ab Orthodoxo ſolum habendam eſſe membrorum Eccleſiæ: quod equidem concedo, modo mihi æque quod ad τὰ βιωτικὰ queat ſatisfieri. At cur V. C. emam panem à piſtore, qui ſe venditet pro membro Eccleſiæ, ſi ipſe & male eum ſubigat coquatque, ac ſimul defraudet pondus; quum & probe coctum & juſti ponderis panem, ſive apud Piſtorem Pontificium, ſive Anabaptiſticum habere queam? Aut, cur utar opera Medici Reformati, ſi per mortes graſſetur ad famam; & non potius conſulam vel medicum Judęum, artis ſuę magis peritum, vel Pontificium, memorem magis, ſecundum ſuæ ſectę principia, juramenti Hippocratici? Certe (ut jam antea oſtẽſum) Salomon, quo domus Dei extrueretur commodius, Hiramum religione Tyrium acceſſivit Tyro. Idem cenſuerim de ancillis & famulis. Paulus non rejecit ſervitium Oneſimi, ſervi licet fugitivi, adhæc furis, & infidelis, ſed de eo gloriatur, quod eum *in vinculis genuerit*, & ad Chriſtum adduxerit, *epiſt. ad Philem. verſ.* 10. Plurimi, pro dolor! ex iis qui neminem in familiam ſuam recipere volunt, niſi membrum Eccleſiæ fuerit, haut multum diſtant à Jacobo Reyngouts (de hoc homine videatur Apologia Barneveldii pag. 6. & 7.) qui cum favore Comitis Liceſtrenſis ſupremam in federato Belgio quæſturam conſecutus eſſet, quo populo placeret, nullum ſive famulum, ſive famulam in ædes ſuas recipere voluit, niſi nomen Eccleſiæ dediſſet: at poſtquam Liceſtrius in Angliam revocatus, ac ipſe munere motus eſſet, tranſivit in partes Regis Hiſpaniarum, atque in Brabantia mortuus eſt Pontificius. Si inter Reformatos, vix idonei famuli, famulæve occurrant, atque neceſſitas nos adigat eos quærere ſive inter Pontificios, ſive Anabaptiſtas; ſimul nobis offertur occaſio eos non modo doctrina, verum etiam vitæ exemplo convertendi ad veritatem. Atque utinam hic omnes cogitaremus Dei promiſſa apud Danielem cap. 12. 3. *Erudientes ſplendebunt quaſi ſplendore expanſi, & juſtificantes multos, ut ſtella, in ſempi-*

terna

Digitized by Google

terna ſecula. Item illud Apoſtoli Jacobi: *Fratres, ſi quis inter vos aberraverit à veritate, & converterit eum quiſquam, ſciat, eum, qui averterit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſervaturum animam à morte, & obtecturum multitudinem peccatorum* Jacob. 5. 19. 10.

Nec contrarium patet ex notiſſimo loco Gal. 6. 10. *Simus benefici erga omnes, maxime vero erga domeſticos fidei.* ſiquidem, ut recte obſervarunt Interpretes Belgici, Apoſtolus reſpicit liberalitatem exercendam in egenos, quæ magis derivari debet ad domeſticos fidei, quam eos, qui à fide in Chriſtum alieni ſunt. Et hęc quidem hactenus: quæ quamvis nonnemo forte voluerit arrodere, antequam tamen genuinum ſuum exacuat, velim expendat, quæ cautelæ & limitationes ubique à me adhibeantur. Nec ego magis Cenſuram hic ſum promeritus, quam ipſe D. Voetius, qui in his & ſimilibus alias tam pręciſus vult videri: ſiquidem vir Celeberrimus Diſput. 2. de Gentiliſmo, ſive Tom. 2. Selectarum Diſputationum, pag. 615. & 616. *ea, quæ ſequuntur, habet*: An, ſi rationes Reipubl. aliter non ferant, Magiſtratus gentiles & fanaticos hæreticos ſupra memoratos, non tantum in Republica tolerare poſſit, ſed etiam exercitia & conventus iis permittere? *Reſp. Aff.* Cum omnibus quod ſciamus, Caſuiſtis tum Pontificiis, tum noſtris. *Hæc Voetius.* Atque ut nos, ſcrupuloſe ad omnia attendendo, ſpeciatim hic habuimus rationem ſtatus Reipublicæ; ita non videmus, ob ea quæ diximus, cur in gratiam paucorum Pſeudo-Zelotarum Magiſtratus ea mutare debeat, quæ in repub. ſalubriter ſunt recepta, & amice cum eadem non minus, quam cum Dei verbo, conſpirant. XV.

EXERCITATIO VIII.

An illud, quod ex bonis Pſeudo-ſacris ſupereſſe videtur, impendendum ſit converſioni Gentilium?

1. *Occaſio quæſtionis, & adverſariorum ſententia.*
2. *Concluditur negative, quod Euangeliſtæ nihil minus, quam terrena curare debeant.*
3. *Nec reditus Eccleſiaſtici, iique ampli requiruntur, adhoc ut poſſint preparari aliqui ad hanc legationem.*

M. 4. *Multo*

4. *Multo minus exiſtimandum eſt, bona Pſeudo-ſacra olim à majoribus donata fuiſſe ad converſionem Gentium.*

5. *Quomodo Paſtor domui ſuæ proſpicere debeat? ſimul examinatur locus* 1. *Tim.* 5. 8.

I. BOnorum Pſeudo-ſacrorum naturam alibi diligentius expendimus, ſimulque ſcrupuloſe examinavimus eorundem uſus veluti legitimos: quæſtio duntaxat unica ſupereſt, agitari ſolita ab illis, qui eadem magis conſiderant ſecundum improvidi zeli impetum, quam ſecundum infallibilem Scripturę Sacrę amuſſim, & judicium ſanæ rationis, Scripturę perpetuo ſeſe ſubmittentis. Scilicet viri hi Reverendi contendunt, omne illud, quod videtur ſupereſſe ex bonis hujus ordinis, quę ipſi habere ſolent pro *patrimonio Chriſti*, impendendum eſſe converſioni Gentium: nam ſi fidem velimus adhibere D. Voetio in Diſput. de Plantatorib. Eccleſiarum, quæ comparet in parte 2. Diſput. Theolog. pag. 562. inter reliquas cauſſas, quod converſio Gentium per Belgas, in utraque India, minus feliciter procedat & promoveatur, hæc agnoſci debet: *Quod reditus Eccleſiaſtici non ſuppetant Eccleſiis ad nutum: cum cuſtodia & diſpenſatio eorum ſit penes alios; ſine quorum nutu & prompto animo nihil aut parum hic effici poteſt.* Ex qua aſſertione, quis non colligat, hujus viri ſententiam eſſe, quod bona, vulgo dicta Eccleſiaſtica, debeant pariter adminiſtrari ab Eccleſiæ Miniſtris, contra praxin non modo primitivę Eccleſiæ, verum etiam contra expreſſum mandatum Apoſtoli Pauli, qui diſerte dicit 2. Tim. 2. 4. *Nemo qui militat, implicatur hujus vitæ negotiis, ut ei placeat, à quo electus eſt miles.*

II. Sed, ut ad rem ipſam accedamus, initio notamus, eos, qui opus Euangeliſtæ peragent, & converſioni Gentium, in alterutra India, ſeu Africa vacabunt, nihil minus curare debere, quam pecuniam, & lucrum. Certe aliud docet Chriſtus, quando Luc. cap. 22. 35. diſcipulos ſuos revocat ad praxin doctrinæ, quam ſæpius iis inculcaverat, blandeque ex illis quærit: *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, nunquid defuit vobis? Ipſi vero dixerunt: Nihil.* Ad quem verſum, comparando eundem cum proximo, recte ſic παρὰφρασὶς incomparabilis Calvinus: *Si abſque annona, quum res pacatæ ipſos ſibi proſpicere ſinerent, ad munus ſuum egreſſis nihil defuit: nunc multo magis in tumultu & fervore, depoſita victus cura, properare convenit, quo vocat neceſſitas.* Etenim ut hoc omnibus Miniſtris documento

Digitized by Google

documento proponitur, qui ſpeciali ratione in Deo acquieſcere debent, nec hujus ſeculi curis ſe conficere, tametſi in inhumanos & immemores homines incidant, ſic ut omni ſpe, quæ ad vitam tuendam pertinet, deſtitui videantur: ita potiſſimum pertinet ad eos, quibus propoſitum eſt Chriſti regnum propagare, annunciando Euangelium inter Gentes; hi enim nihil minus curare debent, quam terrena. Alios ad ſuffragium ne vocem, inſtar omnium ſit, vir vere pius & ſincerus Juſtus Heurnius, magni illius Medici, Johannis Heurnii filius, qui non minus per plures annos inculpate in Orientali India opere Euangeliſtæ defunctus fuit, quam quodnam munus ſit Euangeliſtę ex verbo Dei docet in pia ſua *Admonitione de Euangelica Legatione ad Indos capeſſenda. Is ergo pag. 27. & ſeqq. ſic loquitur:* Utque neminem huc adhibita violentia compelli decet, ita nequaquam actum avaritia vel boni terreni ductum appetitu oportet accedere: faceſſat procul à pio hoc animo, terreniſq; ut deſideramus cupiditatibus vacuo, pernicioſa divitiarum ſitis, qua ſemel concepta, multos Eccleſia è ſinu ſuo, ubi inter ſtellas verſabantur, in mundum devolutos, cum angue terram vorare vidit: nam ut munera excæcant judicem, judiciumque mentis in ipſo pervertunt, ita divitiarum ſapor ubi ſemel animo arriſerit, cœleſtis alimenti guſtum in poſterum vitiare ſolet. Quocirca ſufficiat huic operario, qui ſe itineri Euangelico accingit, ſpes retributionis quæ in ſequenti ſeculo dabitur: ubi vero meſſuerit jam agrum Domini, ſe ſatis lucratum putet, quod ſpiritualis ſegetis manipulos aliquot in horreum Eccleſię contulerit. Si quę reſtent ex illa meſſe terreni boni ariſtæ, pauperi illas & peregrino relinquet: ut enim regnum Regis noſtri ex hoc mundo non eſt, ita nec nobis hic noſtra facienda fortuna, qui cœleſtium bonorum nos hæredes profitemur. Habentes quibus tegamur & nutriamur, ſacrilegium putemus, quicquid ad faſtum & luxuriam corraditur. Hæc omnium malorum radix, in animo Eccleſiaſticis ſi pullulet, mirum quam ferax futura ſit omnis iniquitatis, quam apta diabolo ad inſerendas quaſvis impietatis ſpecies: odium ex interverſo lucro naſcetur, ſeditio ob ejus ſpem movebitur, quæque rigore ſummo inſtitui debet animarum cura, in adulationem & applauſum degenerabit. *Hactenus Heurnius, qui pag. 214. iterum inculcat ea, quæ ſequuntur:* Durum fortaſſe videbitur, ſe omnibus his, quæ bona dicuntur, ſpoliatum, omnimodis incommoditationibus exponere. Sed quid timemus? anne hoc, ne perdamus periculum, ne procul à laqueis & foveis diſcedamus? Vos non eſtis ex hoc mundo

M 2 inquit

inquit Chriſtus, nihil ergo hic noſtrum eſt, cujus jactura nos à ſervitio Dei rerrahat; niſi forte in mundo noſtra collocantes nos ex mundo eſſe perdite fateri malimus. Relinquimus poſſeſſiones? Chriſtus mammonæ iniquitatis non ſerviendum monet, eamque ob regnum Dei relinquentibus, duplum ſe in hoc ſeculo, & longe melius daturum promittit. Suavi amicorum conſuetudine privamur; quibus ut demus nos deſtitui, quidni ille nobis multis amicis potior ſit? Securis quoque ædibus relictis, in periculum cur conjici doleat? cum Chriſtus te amiſſurum vitam aſſerat, ſi eam ſervare volueris: pax enim carnis militat adverſus animam; ejuſdem exultatio eſt ſpiritus afflictio; menſaq; opipara animam emaciat: hæc ſi perdimus, eſcam è hamo ſublatam ne ſtulte doleamus, plures enim dolo, quam vi, robuſtus hic Venator in poteſtatem ſuam redegit. Juvet alios hunc hamum arrodere, fallacique decipulæ, ſuo cum periculo inſidientur: nos victu, quem aperta Dei manus, creaturæ nutriendæ ſufficientem largitur, contenti ſimus: & deliciæ noſtræ in eo ſint, quod verbum Dei melle & favo dulcius, animum nutriat. *Huc uſque Heurnius, origine Ultrajectinus, in qua urbe multos adhuc honeſtos propinquos habet.*

III. Sed audio ex D. Voetio, & aliis, non minus Candidatos miniſterii ad hanc legationem eſſe præparandos, quam præmiis quoque invitandos. Omnino quidem ſtatuo, operarium dignum mercede, atque Dei voluntatem eſſe, ut, qui annunciant Euangelium, ex Euangelio quoq; vivant: interim, ſingulari potius Zelo pro Dei gloria & promovendo Chriſti regno impelli debent, qui legationem hanc ſuſcipient, quam ullius rei terrenæ, minime divitiarum, conſideratione invitari. Qui hactenus è Miniſtris in utramque Indiam iverunt (utinam nimis quam verum non eſſet!) fere fuerunt aut obærati eo tendentes, quod à creditoribus quotidie cum ſacco adirentur, aut neglecti, propter ignorantiam artium hujus ſeculi, Miniſterii candidati, qui (quo commode victitare poſſent) ad Theologicum ſtudium, haud aliter atque ad artem mechanicam antea ſe applicuerant; aut, ſi ad talem legationem legitime videantur fuiſſe præparati, de colligendis tamen opibus potiſſimum ſolliciti fuere in ſua functione, prout, à morte eorundem, mercium Indicarum auctiones locupletiores, ſæpius proſtituerunt zelum, quem viventes & ſpirantes plenis buccis alias crepare ſolent. Nihil mihi arrogo. Deus corda tum cognoſcit, tum dijudicabit. Interim doleo nimis quam verum eſſe illud Apoſtoli: *Omnes quæ ſua ipſorum ſunt quærunt, non quæ Chriſti Ieſu*, Phil. 2.

Phil.2.21. Cui non exploratum, per Belgium hoc noſtrum, occurrere amplam ſegetem candidatorum miniſterii, inter quos multos eruditos inveniri, non diffitendum. Eos, abunde præparatos & inſtructos eſſe, ad hoc munus exequendum, evincit vel ſolum examen, quod ſubierunt, velut præparatorium: adeo, ut ratione eorundem velut ſtudio ſuo defunctorum, ulteriori præparatione, grandiores quaſi ſumptus exigente, non ſit opus: cumque videantur in patria parum quin negligi, nec hactenus placeat Deo (cujus primę partes in vocandis ſuę vineę operariis agnoſci debent) illis ipſis in particulari aliqua Eccleſia ſtationem aſſignare, videntur quaſi compelli ad hanc ſubeundam provinciam, ratione unius ſtudii cui ſe conſecrarunt, modo (abominor hoc) ab initio illud non fuerint intuiti velut τὸ ἔργον mercenarii. Forte in pientiſſimis, & optime ex hoc ordine diſpoſitis, multa deſiderari poſſent, ſed perpetuo à fideli V. D. miniſtro, præſertim à legato in hac cauſſa, ſane haut tralatitia, cogitandum illud Apoſtoli 2. Cor. 3. 5. 6. *Non idonei ſumus ex nobis ipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui fecit nos idoneos miniſtros, &c.* Cujus ſufficientiæ habita ratione, non indiget futurus Euangeliſta, aut amplo viatico, aut navi oneraria libris repleta, aut famulitio numeroſo, ſed gratia duntaxat ſingulari Sp. Sancti, quæ jubeat eum perpetuo mentem convertere ad illum Deum, cui cum diceret Moſes; *impedito ore & impedita lingua ſum*, audivit ex eo *Ipſo, Quis ſtatuit os homini? Nonne ego qui ſum Iehova? Nunc itaque & ego adero ori tuo, & docebo te, quæ loqui te convenit* Exod. 4. 10. & ſeqq. à qua ſola gratia ſi pependerit, dicere poterit cum Paulo: πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με χριστῷ, Phil. 4. 13. & iterum cum eodem, *gratia ejus, quæ in me collata eſt, non fuit inanis*, 1 Cor. 15. 10. Nec Euangeliſta quoque propter convertendos, indiget amplis theſauris, & opimis eccleſiæ reditibus, ſiquidem infideles aggredi debet *indutus virtute ex alto*, Luc. 24. 39. *potens in Scripturis, & fervens Spiritu, loquendo & docendo diligenter ea, quæ ſunt Domini*, Act. 18. 24. & ſeq. Si vero exemplo Jeſuitarum compoſuerit ſe ad methodum diaboli (Matth. 4. 9.) non modo *faciet filios Gehennæ*, Matth. 23. 15. ſed illi ipſi quoque, quos hac arte Chriſto videbitur lucratus eſſe, cum pendeant *ab hominum alea*, Eph. 4, 14. ſi plene ſibi non ſatisfiat in iis, quæ ſperabant ab Euangelio, *ut canis revertentur ad ſuum vomitum, & velut ſus lota ad volutabrum cœni* 2. Petr. 2. 22.

At, forte quis dicet, in Diplomatibus donationum ſępe mentionem fieri Gentilium, atque videri majores noſtros ante plura ſecula, varia IV.

donaſſe ad converſionem Gentilium : ſed quinam per eos Gentiles debeant intelligi,& quidnam exiſtimare oporteat de hujus ordinis Diplomatibus, alibi abunde oſtendi, ſpeciatim in Epiſt. ad Rev. D. Hoornbeeck, quibus hactenus nemo reſpondere auſus fuit. Scil. ex quo principes hujus ſeculi laborarunt Papæ Romani potentiam ſtabilire & ampliare,omnes (ut ſolide loco dicto probavi) qui ex Chriſtianis eum nolebant agnoſcere ut Epiſcopum Oecumenicum, habiti fuerunt Gentiles,atque plures ſuas opes eorum converſioni deſtinarunt, non quidem peragendæ per prædicationem Euangelii, ſed per immiſſos exercitus. Ad hoc errantes majores noſtri, exiſtimabant converſioni quaſi horum Gentilium amplas opes conſecrandas eſſe, quod non poſſet Euangelium fructus inter eos ferre, niſi conſtructis pluribus templis, & conſtitutis Monaſteriis. Quomodo Sulpicius Severus, jam olim teſtatus eſt de Martino Turonenſi. Sic enim lego cap. 10. ipſius vitæ: *Ubi fana deſtruxerat, ſtatim ibi aut Eccleſias,aut monaſteria conſtruebat.* Imitatus illud poſtea eſt Bonifacius,qui per errorem habeturGermaniç Apoſtolus. Eoque, dato etiam, majores noſtros bona ſua deſtinaſſe converſioni eorum,qui vere Gentiles aut Pagani agnoſci poterant, neutiquam tamen ſequetur,illa bona illi uſui deſtinanda eſſe: ſiquidem hæc ipſa converſio non indiget horum bonorum choragio , quemadmodum oſtendimus. Atque tum illibata maxime à variis erroribus Chriſtiana religio erat, cum Minutio Felici Octavius, Paganus adhuc, objiceret : *Cur* (Chriſtiani) *nullas aras habent, templa nulla, nulla nota ſimulacra?* Si Euangeliſtæ,pro quibus ditandis à viris quibuſdam Reverendis certatur,ſuo munere probe defuncti fuerint,certò non modo Deus benedicet eorum labori,verum etiam initio, ad habendos conventus ſacros, iis ſufficiet domus privata. quomodo juxta Auguſt. contra Donatiſt. *Domum privatam Chriſtianis congregandis præſtitam conſtitit tempore perſecutionis.*

V. Sed, dicet quis, æquum interim eſſe, ut Paſtores domui ſuæ proſpiciant,cumq; in peregrinatione ad Indos, aliosq; Gentiles,pericula multa ſubeant, propterea aliquid redundare debere in emolumentum domus, & juſtitiam quaſi dictare, ut peregrinante in hac legatione Apoſtolica marito,domi forte uxor & liberi relicti,emolumenti aliquid percipiant, ſimulque augeantur in futurum familiæ reditus. Hoc ſomniavit quoque Dn. Voetii Hyperaſpiſtes Reyneſſius,eoque,cum aliud non poſſet, occaſione Exercitationis ſextæ pag. 42. Judicii ſui, hiſce verbis me quaſi compellat: *Sint ſua ſorte* (Miniſtri ſcil.) *contenti. Non*

tamen

Digitized by Google

tamen opinor id voluit vir doctus, eos domus ſua curam non debere gerere, ac ſibi & ſuis, ut habeant, unde vivant proſpicere 1. *Tim.* 5.8. Quod vulgatum teſtimonium, quandoquidem præter mentem Apoſtoli, non modo à Reyneſſio, verum plurimis quoque aliis, minus convenienter adducitur, operæ pretium fuerit aliquanto diſtinctius expendiſſe. Integer locus ita habet in textu originali Græco: εἰ δέ τις τῶν ἰδίων καὶ μάλιστα τῶν οἰκείων οὐ προνοεῖ, τὴν πίστιν ἤρνηται, καὶ ἔστιν ἀπίστου χείρων. Ut vero Apoſtolus à comm. 3. cęperat agere de viduis, dubium inter Interpretes eſt, an non illud εἰ δέ τις ad Viduas debeat referri prout voluerunt Græca Scholia, Ambroſius, Eraſmus, Hyperius, Druſius, & alii. Quanquam etiam generalis poteſt eſſe ſententia, nam, ut non inconvenienter loquitur ὁ πάνυ Calvinus ad hunc locum: *Solet Paulus, etiam cum aliquod particulare argumentum tractat, probationes ex generalibus principiis adſerre; & rurſus elicere ex particularibus ſententiis univerſalem doctrinam.* Quæ tamen Pauli ſententia ſic, hoc loco, generalis erit agnoſcenda, ut ſpeciatim applicari debeat viduis, de quarum liberis & nepotibus, (à quibus ſcil. curari debeant) fuerat jam locutus comm. 4. Cum quo commate hunc verſum 8. Toſſanus & Piſcator haud immerito comparandum putant. Convenientiſſime vero mentem Apoſtoli, quod ad ſpecialem applicationem, mihi Beza videtur expreſſiſſe, ad d. verſ. 8. ſic commentans: *Vult allegi viduas ab Eccleſia alendas, quæ ſuorum cognatorum præſidio ſint prorſus deſtitutæ: & ideo cognatos viduarum admonendos officii, ut illas ad Eccleſiam non amandent.* At, admiſſa ſententia generali, citra ſpecialem applicationem ipſius Apoſtoli, ex ea neutiquam vel fidiculis exprimi poterit, quod cum multis intendit Reyneſſius. Nam Apoſtolus non meminit οἴκου, ſive domus; ſed τῶν οἰκείων, domeſticorum. Atque ut μάλιστα, maxime, & præ illis, quos vocat τοὺς ἰδίους, illorum vult curã geri, cur non per τοὺς οἰκείους intelligamus οἰκείους τῆς πίστεως? cum Apoſtolo Gal. 6. 10. qui & vocantur οἰκεῖοι τοῦ Θεοῦ, Eph. 2. 19. atque cur non hic locus intelligatur de cura rerum ſpiritualium? cum verbum προνοεῖν, quo utitur hic Apoſtolus, nullibi in Scriptura, ad res terrenas ſolas reſtringatur. Non velim quidem excludi res terrenas, vergente huc Apoſtoli ſcopo; ſed tamen contenderim primo rationem habendam eſſe rerum ſpiritualium: ſuadente hoc comm. 4. Unde ita Hyperius ad hunc verſum octavum: *Providenda familiaribus ſunt, non tantum ea, quæ victui ſunt neceſſaria, quæque externæ vitæ conducunt, ſed multo magis, quæ ad veram attinent pietatem: qua ratione ante dictum eſt,* (verſu ſcil. 4.)

ſcil.4.) *viduam debere domum* ἐυσεβεῖν *pie tractare, id eſt, in iis quæ pertinent ad religionem & veram pietatem debere inſtituere.* Atque inde ex hoc loco jam olim hoc collegit Chryſoſtomus: *Quam enim turpe eſt, te extraneos docere, & tuos in errore relinquere.* Ambroſii hęc eſt obſervatio: *Hanc viduā quæ negligens fuit circa ſuos affectos, ut educaret eos in diſciplinam & correptionem Domini, inhonorandam.* Apud Theophylactum ſimiliter legas: *Cum domeſtici omnes, hoc eſt, fideles curādi ſint, & hi præcipue qui genere nobis proximi ſunt & conſanguinitate conjuncti.* Qui propinqui, cū conſiderentur à Theophylacto, non alia ratione, quam fideles, facile patet, eos potiſſimum ut fideles, atq; pro fidei incremento, curandos eſſe. Dato interim generalem Apoſtoli locum duntaxat reſpicere illa, quæ περὶ τὸν βίον; ex eo tamē non poterit aliud colligi, quam familiæ procuranda eſſe neceſſaria, ne ſcil. ratione illius, forte objiciatur Patri familias notum Salomonis dictum Prov.11.17. *Turbat carnem ſuam crudelis.* ad quem locum, ex re eſt conſulere Doctiſſimū Mercerum. Lubens concedo, ſi ferat ratio, parentum officium eſſe, ſecundū Apoſtolum 2.Cor.12.14. θησαυρίζειν τοῖς τέκνοις; at, quomodo quis fidelis pater familias ratione illius, quod ex cōſuetudine ſeculi verum ſolummodo ſtatuit eſſe Apoſtolus, omnes ſuas cogitationes eo poterit convertere, ut in liberorū gratiā, noctes atq; dies totus ſit (reliquorum interea ſecurus) in colligendis bonis hujus ſeculi, maxime, ſi cogitet, illa ſibi quoq; dicta eſſe, quæ David Pſ.49. habet. Ego, hęc quidem ibi offendo: *Animus fuit illis, domos ſuas in ſeculum habitacula ſua in quamq; generationē ſtatui, qu ū ea vocarent de nominibus ſuis per terras. Neq; tamē homo, qui in honore eſt, commoraturus eſt, ſimilis ſit jumentis, quæ intereunt.* Novi multas diſtinctiones hic invenire carnem, atque eos à quibus alia forent exſpectanda, pręſenti Apoſtoli loco in ſuorum loculorum commodum admodum abuti. At eoſdē rogo, patiantur ſibi pauca ob oculos poni. Scio ex iis aliquot ringi, & femur ferire, quotieſcumq; quoq; invitantur, ut hoc modo ſe examinent, nec ullas admonitiones, ſtudio habēdi fręnando, quo ipſi utplurimū exęſtuant, ſufficere: interea tamen, quum illis à Chriſto & Apoſtolo Paulo non divitię aſſignentur, ſed ſolummodo ut operariis Jeſu Chriſti τροφὴ, *alimentum* Matth.10.11. μισθὸς, *merces* Luc.10.7. & 1.Tim.5.18. eoſque, cum & jubeantur eſſe φιλόξενοι, ſeu *hoſpitales* 1.Tim.3.2. præ cæteris concerna t admonitio Apoſtoli 1.Tim.6.8. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, hæc nobis ſatis erunt:* etenim non video, quomodo quis (ſcio hęc plurimos ęgre laturos eſſe, at Deus erit vindex veritatis, eorumq; qui illam propugnant) ex ordine

dine

Digitized by Google

ordine Miniſtrorum Eccleſiæ (niſi Deus ſingularem, ἀπὸ μηχανῆς quaſi, occaſionem obtulerit) cogitationes ſolas eò poſſit convertere, ut velit præfracte ſuis liberis theſauros colligere. Scio dici, quid ergo fiet conjugi & liberis noſtris ab exceſſu noſtro? Hanc temerariam eſſe quæſtionem agnoſco lubens. Sed quum Miniſter Eccleſię aliis bono exemplo præire debeat, ſuos quoque magis in Dei timore, & filiali ejuſdem fiducia, qua toti à Deo ſolo pendeant, confirmare debet, quam noctes atque dies ſe fatigare in ſeponendis opibus. Ut pauca à Cypriano commodato accipiam ex ejuſdem Serm. 6. *Neque enim deeſſe quotidianus cibus poteſt juſto, cum ſcriptum ſit: Non occidit Dominus fame animam juſti. Et iterum: Iunior fui, ſenui & non vidi juſtum derelictum, neque ſemen ejus quærens panem. Item Dominus promittat & dicat: Nolite cogitare dicentes, quid edemus, aut quid bibemus, aut quo veſtiemur? hac enim nationes quærunt. Scit autem Pater veſter, quia horum omnium indigetis. Quærite primum regnum & juſtitiam Dei, & hac omnia apponentur vobis. Nam cum ſint Dei omnia, habentē Dominum nihil deerit, ſi Deo ipſe non deſit. Sic Danieli in leonum lacu, juſſu regis incluſo, prandium divinitus procuratur. Sic alitur Elias in fuga & ſolitudine corvis miniſtrantibus.* Fateor ſub horam mortis, intima viſcera viri pii uxor & liberi commovere ſolent, maxime, ſi à ſuo exceſſu cum paupertate his luctandum eſſe prę videat. Sed, ſi ſuo cęteroquin officio ſatiſfecerit, iiſque circa ſpiritualia potiſſimum proſpicere laborarit, cur admodum commoveatur? Verbum Moſis eſt Deut. 10. 18. *Dominus Deus veſter ipſe eſt Deus Deorum, Dominus Dominantium, facit judicium pupilla & viduæ, amat peregrinum & dat ei victum atque veſtitum.* Unde & David Pſal. 14. 6. 9. *Iehova ſervat peregrinos, pupillum & viduam ſtatuminat, viam vero improborum ſubvertit.* Imo, ipſe Deus ſic proloquitur, apud Iirmeiam Prophetam cap. 49. 11. *Relinque pupillos tuos, ego in vita conſervabo, & viduas tuas, mihi confiditote.* Quum hęc ſit Dei ipſius promiſſio, atque eâdem Verbi Divini Miniſter alios erigere debeat; næ quam probroſum ipſi eſt, ſi eidem diffidere deprehendatur, & τὸ προνοεῖν Apoſtoli, ſolummodo interpretetur de carnalibus, curam quoq; & animi ſui ſollicitudinem potiſſimum ad illa dimittendo. Alia ſententia ſedit Prophetis & Apoſtolis, Doctoribuſque in primitiva Eccleſia, prout obiter oſtendi Tract. de Bonis vulgo Eccleſ, dictis ſect. 1. cap. 5. imo, primis quoque Reformatoribus.

N EXERCI-

EXERCITATIO IX.

Quando incipiat ſanctificatio diei Dominici? à quibus operibus ſit abſtinendum? item an liceat illo die vacare honeſtis recreationibus, ſpeciatim etiam intereſſe convivio?

1. *De nomine bujus diei non eſt contendendum.*
2. *Contentiones, à pluribus annis, in federato Belgio ferbuerunt circa ſanctificationem diei Dominici.*
3. *Quando dies hic incipiat? recenſentur tres ſententiæ.*
4. *In primitiva Eccleſia metu perſecutionis nocturni habebantur conventus.*
5. *Qui, ſi Deus Eccleſiæ ſuæ pacem concedit, non ſunt neceſſarii.*
6. *Refutatur ſententia, quæ Sanctificationem bujus diei accerſit à veſpera.*
7. *Item ea, quæ à media nocte.*
8. *Probatur tertia ſententia, quæ ab aurora.*
9. *A qualibus operibus ſit feriandum.*
10. *Opera ordinaria vocationis quando poſſint exerceri hoc die.*
11. *Speciatim opus ruſticum exerceri certis caſibus poteſt.*
12. *Honeſtæ recreationi poſt peracta ſacra poteſt vacari.*
13. *Illa concedenda hoc die famulis & ancillis.*
14. *Sic publica curanda ſunt ſacra, ut non negligantur privata meditationes & preces.*
15. *Licitum eſt hoc die prodeambulare.*
16. *Item honeſto atque moderato convivio intereſſe.*
17. *Qualia conceſſa ſint itinera?*
18. *An heterodoxi, à Magiſtratu poſſint cogi, ut die Dominico interſint ſacris Orthodoxorum?*

I. De ratione qua ſanctificari debeat dies Dominica, lubet modeſte hac Exercitatione agere, atque initio proteſtor, me memorem Chriſtianæ libertatis, nolle ſcrupuloſum eſſe circa nomen, quo dies hic tum deſignari, tum ab aliis quoque diebus diſtingui debeat. Cujus libertatis tenaces quoque fuerunt non minus antiquæ Eccleſiæ Doctores, quam primi quoq; Impp. Chriſtiani. Certe hi diem hunc expreſſe *diem ſolis* nuncupaverunt

leg. 1.

Digitized by Google

leg. 1. & 2. *Cod. Theodoſ. de Feriis. leg.* 1. & 3. *eod. Cod. de exaction. leg.* 2. *de Spectac.* etſi ſubinde quibuſdam additis, unde appareret, hanc ſibi appellationem non probari per omnia: ita, *Solis die quem Dominicum dixere majores.* At abſolute Imp. Theodoſius Junior in *leg. ult. Cod. Theod. de Spectac.* dicere maluit *diem Dominicum.*

Quibus breviter prælibatis, omiſſis pluribus quęſtionibus, quas, haut exiguo cum fructu, forte accuratius, quam à pluribus hactenus factum eſt, liceret excutere, iis duntaxat immorabor, de quibus in Belgio federato, pro dolor! hodie contendi audio: quæ velitationes jam ab anno vigeſimo ſecundo, harum regionum Eccleſias exercuerunt, videnturq; niſi tempeſtive obviam eatur, iterum exercituræ eſſe. Superiorum annorum Hiſtoriam breviter complexus eſt is, qui deſcripſit vitam τοῦ μακαρίτου D. Antonii Walæi, quam lubet Authoris verbis hic exhibere. *Ita vero loquitur*: Agitabantur circa hoc tempus (*ſive circa annum Chriſti* cIɔ Iɔ cxxII.) Eccleſiæ Zelandiæ Telingii Burſiique contentionibus. Telingius pietatem ſtudebat promovere, quare quo vitia emendaret in adverſam partem arctius ſtrinxit: ut ſolent illi qui curva ligna ad rectitudinem agunt. Ita Sabbathi profanationem edito tractatu conatus eſt emendare. Hanc occaſionem arripuit Burſii filius, Threnumque edidit Plangentis Eccleſiæ, quaſi vis ejus libertati inferretur. Conatuſque eſt Telingium de obſervatione diei ſeptimi, Inſtitutioneque diei Dominicæ refutare. Et eam in rem Gomarus, Burſiis ſatis addictus, ſuppeditaverat Argumenta. Hoc ægrius qui Telingio favebant tulere, periculumq; erat ne in adverſa ſcripta erumperent, & Eccleſia in partes ſecaretur. Voetius juvenile oppoſuerat ſcriptum Lachrymas crocodili, quo adverſarium magis pungere, minus Eccleſiam videbatur ædificare. Quare Walæus, quę alias publice pręlegerat, reſumſit, & in fuſiorem de Sabbatho extendit tractatum, ac in publicum edidit. Magno Eccleſiarum gaudio, quę ut eruditionem Walęi æſtimabant, ita & hic prudentiam admirabantur: unde & in linguam vernaculam à Silvio Paſtore Amſtelodamenſi eſt tranſlatum. *Hæc ille.* II.

Ut vero ad rem ipſam me convertam, proteſtor ex animo, mihi admodum dolere, quod in pluribus harum Provinciarum locis, dies Deo dicandus pro animæ ſpirituali ornatu, adeo profanetur, optaremque ubique à Magiſtratu, (præeuntibus variarum Hollandię, Zelandię, vicinarumque urbium rectoribus, hoc nomine præ cęteris commendandis) non ſolum leges ferri, verum ſtricte quoque executioni mandari, III.

 quibus

quibus improvidi populi negligentia atque ſecuritas in ordinem convenienter redigi poſſint: interim tamen non video, cur Chriſtianis, per Chriſti mortem in libertatem aſſertis, jugum imponi debeat durius, quam ſub priori Federe ipſi Judæi tulerunt. Præ cæteris vero, hic excutere ante omnia convenit quęſtionem fundamentalem quaſi, qua quæritur, quando incipiat diei Dominicæ ſanctificatio? Hic occurrunt tres ſententiæ: prima ſtatuit initium diei hujus eſſe accerſendum à veſpera diei præcedentis; alia à media nocte; tertia ab aurora.

IV. Ut autem ordine, & tamen diſtincte, progrediar, omnino exiſtimo ante omnia diſtinguendum eſſe inter diverſa non modo tempora, in quæ incidit Eccleſia, verum etiam loca, in quibus ea ipſa notatur. Primævi Chriſtiani conveniebant tempore nocturno, metu perſecutionis. Quo facit notus ille Plinii Junioris locus in Epiſt. ad Trajan. *Affirmabant* (Chriſtiani) *ſummam culpa ſua, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto, quaſi Deo, dicere ſecum invicem.* Tertullianus in Apolog. nocturnas preces appellat. Idem lib. de Fuga (quem ſcripſit effaſcinatus Montani deliriis) jubet noctu convenire, & lucere luce Chriſti luminoſi, ſi interdiu colligere non licet. Hinc natæ nocturnæ preces, quæ deinde remanſerunt in Eccleſia, & ratio ritui quæri cœpta ex illis Chriſti verbis Matth. 24. γρηγορεῖτε ὖν, ὅτι ὐκ οἴδατε ποίᾳ ὥρᾳ ὁ κύριος ὑμῶν ἔρχεται. Lactant. lib. 7. cap. 19. Euſeb. lib. 6. Hiſt. Eccleſ. Greg. Nyſſen. orat de feſto Paſchæ. Facit huc illud Tertulliani lib. 2. ad Uxorem: *Cum etiam per noctem exſurgis oratum.* item illud Ammiani Marcellini Scriptoris gentilis ſub finem lib. 28. *Feſto die in Eccleſia Chriſtiani ritus pernoctabant.* Inde & Hieronymus Vigilantium accuſat, quod vigilias & pernoctationes in Baſilicis Martyrum negligendas exiſtimarit, ne Paſcha ſæpius celebrari videretur. Nam antiquiſſimum atque pręcipuum Chriſtianorum pervigilium fuit, quod in Paſchali feſto celebrabant, ipſorum Apoſtolorum ſcitu inſtitutum, ut autumant, qui Clementis Romani fidem (videatur lib. 5. Conſtit. Apoſtol. cap. 20.) non per omnia putant furcillandam. Quam pernoctationem licet initio ſuaſerit (ut antea recte videmur notaſſe) metus, proveniens à tyrannis, Chriſtianorum hoſtibus; poſtea tamen, cum lætiora quoq; tempora Eccleſię obtigiſſent, in feſto maxime Paſchatis, ut initio dictum eſt, ſub nomine Pervigilii, ipſis Ethnicis non ignoto, continuari cœpit. Adeo ut Hieronymus excogitarit plauſibilem quoq; rationem, quæ occurrit lib. 4. Comm. in Mat. cap. 25. *ubi leguntur ſequentia:* Traditio

Digitized by Google

ditio Judæorum eſt, Chriſtum media nocte venturum in ſimilitudinem Ægyptii temporis, quando Paſcha celebratum eſt, & terminator venit, & Dominus ſuper tabernacula tranſiit, & ſanguine agni poſtes noſtrarũ frontium conſecrati ſunt. Unde reor & traditionem Apoſtolicam permanſiſſe, ut in die vigiliarum Paſchæ, ante noctis dimidium, populos dimittere non liceat, exſpectantes adventum Chriſti. Et poſtquam illud tempus tranſierit, ſecuritate præſumpta, feſtum cunctos agere diem. Unde & Pſalmiſta dicebat: Media nocte ſurgebam, ad confitendum tibi ſuper judicia juſtificationis tuæ. *Hæc Hieronimus.*

Interim, licet ex ipſis quoque Actibus liqueat, nocturnos conventus V.
ſacros celebratos fuiſſe à piis, propter metum perſecutionum, Act. 12. 12. neutiquam tamen Deus legitur vel Iſraëlitico populo preſcripſiſſe ſacra nocturna publica; adeo, ut videantur ea intermittenda eſſe, ſimulac Dei populo quies aliqua obtigerit. Nam, ut nox accommoda eſt fraudi, rebuſque turpibus, juxta illud Prudentii in Hymno Matutino:

Verſuta fraus & callida,
Amat tenebris obtegi,
Aptamque noctem turpibus
Adulter occultus fovet.

itemque juxta Hilarium, ſic loquentem Comm. Pſal. 118. *Quis furari* (inquit) *ſub teſte non metuit? Quis ad ſcelus niſi ſecretum elegit? Quis ad adulterium, non aut ſolitudinem, aut noctem optavit?* ita Chriſtiani in primitiva Eccleſia, nulla re æque offenderunt Gentiles, quam quod nocturna agitarent ſacra. Inde Octavius Minutio dicit: *Neſcio an falſo, certe occultis ac nocturnis ſacris appoſita ſuſpicio.* Ea ſiquidem Romanis legibus erant vetita: cautum enim XII. Tab. ne nocturni cœtus in urbe agitarentur. Cic. lib. 2. de legib. *Omnia* (ſacra) *nocturna ne nos forte duriores videamur, Diagondas Thebanus ſuſtulit.* Zoſimus lib. 4. de Valentiniano: τὰς νυκτερινὰς ἐκώλυε θυσίας. Adeo, ut (in anteceſſum hæc moneo) non exiſtimarim, ſanctificationem Dominici diei eſſe alligandam ſacris quoq; nocturnis publice peragendis. Privatæ & domeſticæ ſanctificationis diverſa ratio eſt. Nobiſque conſtat, quam graviter in Papatu peccetur occaſione nocturnorum conventuum, & matutinarum precum: atque utinam ab omni ſuſpicione mali alienæ cenſeri poſſent antelucanæ conciones, alicubi brumali tempore apud Reformatos receptæ.

Sed quando tandem dies Dominicus, ad hoc, ut ſanctificari queat, VI.
incipit? Novimus equidem *diem* Judæos inchoaſſe à veſpera, eoque à

veſpera quoque, eoſdem inchoaſſe Sabbathum probabiliter colligere licet ex cap. 23. Levit. verſ. 32. quamvis non deſint quidam, qui locum hunc ſpeciatim interpretentur de feſto expiationum, quod Sabbathi nomine inſignitum fuerit propterea, quoniam voluerit Deus, quod ad reliqua, illud inſtar Sabbathi obſervari. Alias à veſpera ſuum Sabbathum Judæos inchoaſſe, inde patere quibuſdam quoq; videtur, quod Joſephus Arimathæenſis in ſepeliendo Chriſto occupatus, jam imminente veſpera, quæ Sabbatho initium erat procuratura, intermiſerit unctionem corporis Chriſti. Interim hęc obſervatio, conſentiens politiæ Judaicæ ſolummodo referri debet ad Sabbathum, prout Judæis fuit proprium neutiquam vero ad noſtrum diem Dominicum, prout fatetur quoque ipſe Ameſius in Medulla lib. 2. cap. 15. th. 36, ubi hæc occurrunt *Sabbathi veteris initium fuit à veſpere: quia & creatio incipiebat à veſpera, quoniam maſſa communis creata fuit ante lucem: & ceſſatio ab opere creationis incipiebat etiam à veſpere.* Sed hæc ordinatio Judaica relinquatur Judæis.

VII. Non audio quoque eos, qui volunt Diem Dominicum nos debere auſpicari à media nocte, quod ordinario ab ea ſoleamus nos accerſere initium diei civilis. Nam, ſi conſiderentur modo fines pręcepti quarti, ſpeciatim finis politicus, expreſſe in ipſa mandati formula propoſitus, quam aliena à ratione ſit hæc ſententia, mox liquebit. Voluit ſiquidem ſapientiſſimus Legiſlator, cum ſtatuta ſua Iſraëlitis daret, ut hoc die, non modo refocillarentur ipſi Iſraëlis poſteri à corporis laboribus, verum etiam eorundem ſervi ancillæque, imo & jumenta. Unde ſpeciatim dicitur Exod. 23. 12. *Reſpiret filius ancillæ tuæ.* & Deuter. 5. 14. *Ut quieſcat ſervus tuus & ancilla tua, ſicut & tu. Memineris quod & ipſe ſervus fueris in Ægypto.* At, ſi debeat media nocte à nobis ſub N. T. inchoari ſanctificatio diei Dominici, atque ad mediam noctem continuari, ut alicubi declamatur, quomodo illi, qui ſex dierum labore fracti ſunt, convenienter poterunt recreari? Ut enim ſomnus, laborando defatigatos, prę cæteris recreare atque reſtaurare ſolet; ita pariter verum eſt illud Apoſtoli: *Qui dormiunt, noctu dormiunt* 1. Theſſ. 5. 7. Fateor lubentiſſime, nos fugacia momenta brevis noſtræ vitæ melius collocare non poſſe, quam ſi eadem jugiter conſecremus exercitiis ſacris, nec facile nobis quid hic indulgere debere: interea tamen quamdiu corporis exuvias ex Dei beneplacito circumferimus, Deus animi propenſionem magis reſpicit, quam fucatam intenſionem, omnia, ad minima quoque,

in oculis

in oculis ſatagentem, quum hic valere debeat illud Chriſti: *Spiritus quidem promptus eſt, ſed caro infirma*, Marc. 14. 38. Ad quem locum hæc obſervat Calvinus: *Hac admonitio proprie ad fideles ſpectat, qui Spiritu Dei regeniti, cupiunt recte: ſub carnis tamen infirmitate adhuc laborant. Nam etſi viget in ipſis Spiritus gratia, ſecundum carnem infirmi ſunt.* Quod cum pariter noſſet Deus noſter, Pater ille clementiſſimus, ratione ipſius ſui populi Iſraëlitici, in obſervatione Sabbathi progredi eum noluit ultra munus veſpertinum, & ſacrificium duplicatum, reſpectu reliquorum dierum *Num.* 28. 9. 10.

Eoque, pariter hac ſententia rejecta, tertia videtur longe convenientior, quę ſtatuit diei Dominici, verum Sabbathum exhibentis, ſanctificationem eſſe inchoandam ab aurora: prout placuit quoque Perkinſio, ejuſque diſcipulo D. Ameſio, cujus & diſcipulum me fuiſſe, grato animo ſępius recolo. Nolim vero ad hoc probandum, cum Perkinſio argumentum petere è Pſalmo xcii. quamvis enim ille, ut inſcriptio quoque oſtendit, ſit *Pſalmus cantici in diem Sabbathi*; neutiquam tamen huc derivari poteſt comma ejuſdem Pſalmi ſecundum, quo jubemur, *annunciare* Jehovę *miſericordiam mane, & veritatem illius in noctibus*: ſiquidem verba illa nihil definiunt ratione temporis, quo dies hic, Deo ſacratus, definiri & circumſcribi debeat, ſed duntaxat, ſecundum phraſiologiam, linguæ ſanctæ peculiarem, arguunt, nos quamdiu vivimus toto animi affectu & propoſito, debere prædicare Dei miſericordiam atque veritatem. Eoque, meo judicio, ab aliis convenientius hoc probatur, per argumentum, deſumptum à circumſtantia temporis, quo Chriſtus reſurrexit. Unde D. Ameſius l. d. ſic loquitur: *Diei Dominica initium incipere videtur ab illius diei mane, quia reſurrectio Chriſti fuit in primo mane.* Marc. 16. 9. Joh. 20. 1. Quæ ſic exegetice explicat Perkinſius lib. 2. de Caſ. Conſc. *Nam Chriſtus* (inquit) *ficut antiquitas exiſtimavit, Sabbathum conſecravit, eo, quod à mortuis ſummo mane reſurrexerit, quum luceſceret in primum diem hebdomadis: ideoque conſentaneum eſt, ut Sabbathum tum inciperet, quum ille jam ſurrexiſſet, quoniam in illius reſurrectionis memoriam celebratur. Eadem fuit Apoſtolorum conſuetudo. Etenim* Act. 20. 7. primo die hebdomadis Judæi coacti ſunt Troade mane, ibi Paulus protraxit ſermonem uſque in mediam noctem, abiturus poſtridie, cum ibi egiſſet ſeptem dies, *ut patet ex verſu quinto.* Primò, *quod nox ibi commemorata, eſſet pars illius ſeptimi diei, quo Paulus egerat Troade. Nam niſi res ita ſe haberet, tum certe ad minimum, nocte una diutius permanſiſſet, & proinde pluſquam* VIII.

quam dies ſeptem, quoniam per alterius partem ibi commoratus erat. Eadem ferme occurrunt apud τὸν πάνυ D. Uſſerium *in Corpore Divinæ doctrinæ*, pag. 260. & ſeq. edit. belg. Atque convenienter iiſdem, jam olim quoque locutus fuit Gregor. Turonenſ. lib. 10. Hiſt. cap. 29. *Sanctus* (ait) *hic dies, qui in principio lucem conditam primus vidit, ac dominicæ reſurrectionis teſtis factus emicuit. Ideoque omni fide obſervari debet, ne fiat in eo omne opus publicum.* Quibus & conſentanea inveniuntur apud Bedam, in libello de ordinatione feriarum Paſchalium per Theophilum Epiſcopum Cęſarienſem, ac reliquos Epiſcopos ad Synodum facta. Quę tamen jam olim admodum diſplicuerunt D. Voetio, quo tempore ſcil. pro concitanda fama, occupabatur in effundendis lacrymis Crocodili, ſupra obiter notatis. Ita enim ſcribit pag. 138. & ſeq. *Unde probetur diei Dominico impreſſum eſſe characterem reſurrectionis Chriſti. Et ſi ſolide probetur, quomodo tum differat iſte dies memorialis à feſto anniverſario Reſurrectionis ſic dicto. Et talis Characterizatio non ſapiat feſta Judaica?* Velim ergo D. Voetius (qui quum hæc ſcriberet, agnoſcebatur duntaxat Theologus bonæ ſpei) poſt tot annorum decurſum, & ulteriores profectus, nos doceat, quænam cauſſa ſit, quod hæc ἁγία ἡμέρα (ſic loquitur Dionyſ. Corinthi Epiſcopus apud Euſeb. lib. 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 27.) ab ipſo Spiritu Sancto vocetur ἡμέρα κυριακὴ Apoc. 1. 10. Nam quamvis forte dici poſſit, eam eadem ratione vocari κυριακὴν, ut mentio fit τοῦ δείπνου κυριακοῦ 1. Cor. 11. 20. quod à Domino, ipſi Domino (Chriſto ſcil. qui ordinario in N. T. nomen fert τοῦ κυρίου) ſacrata ſit: tamen hoc perpetuo recurret, ideo Domino hanc ipſam diem dedicatam eſſe, quod eam voluerit condecorare glorioſa corporis ſui reſurrectione, ſimulq; probandum fuerit, Chriſtum ipſum in propria perſona authorem fuiſſe tranſlationis Sabbathi, in diem proximum. Quod licet *vero ſimile* putet D. Ameſius l. d. Th. 30. non tamen certo hoc evincunt IX. illæ rationes, quas eodem loco adducit, contrariumque ſolide probatum videtur à quatuor viris ſummis hujus ſeculi, nempe à *D. Gomaro in tract. de Orig. Sabbati*, à *D. VValæo in locis Communib. D. Riveto ad Decal. & D. Prideauxio peculiari Oratione.* Eoque exiſtimarim, diem hunc à Chriſtianis primitivis, forte præeuntibus ipſis quoq; Apoſtolis, in locum Sabbati ſubſtitutum fuiſſe, quod eo reſurrexiſſet Salvator noſter, atque hanc etiam eſſe rationem hujus nominis, uſurpati quoq; à Johanne, qui ſuam Apocalypſin ſcripſit jam mortuis reliquis Apoſtolis. Certe hanc rationem reddunt plerique ex antiquis Patribus, nominatim *Ignatius epiſt. ad Magneſ. Iuſtinus Martyr*

ad finem

Digitized by Google

*ad finem. Apolog. ſec. Auguſtin. in Epiſt.*119. *ad Ianuar. & in lib.* 2.*de Peccat. Origin. contra Pelag. Maximus Epiſcop. ſerm. de Pentecoſte, qui inter Ambroſianos ſermones eſt* LXI. quos ſequitur *Iſidor. lib.*6. *Etymol.cap.*18. & *lib.*1. *de Eccleſ. Off. cap.* 23. imo ut teſtis eſt *Euſeb. lib.* 3. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 27. Ebionæi, licet Judaicæ legi in pleriſque adhęrerent, Chriſtianis tamen conſenſerunt in obſervantia Dominicorum dierum, *εἰς μνήμην* (ut ille loquitur) *τῆς σωτηρίου ἀναστάσεως.* Nec tamen propterea hic dies confunditur cum *feſto anniverſario reſurrectionis*; nam ſic nomen habet à Chriſto feria prima reſurgente, ut annuatim tamen, exemplo omnium Chriſtianorum, à tempore Apoſtolorum uſque, ſolemnior recurrat recordatio hujuſce reſurrectionis, cujus alias Chriſtiani non poſſunt non ſatis meminiſſe, juxta illud Apoſtoli, *Memento Ieſum Chriſtum ſuſcitatum fuiſſe è mortuis*, 1. Tim. 2. 8. Ut vero ad lineas redeamus: ob ea, quæ dicta ſunt, exiſtimamus hujuſce diei ſanctificationem omnino à matutino tempore, ſive ab aurora, accerſendam. Si enim ullo die, certe hoc ipſo anima fidelis, ſemet excitando, dicere debet: *O Deus, Deus fortis meus es, mane requiro te: ſitiens eſt tui anima mea, areſcit ad te ſpectans caro mea, in terra ſicca & feſſa ſine aquis: ad videndum robur tuum, & gloriam tuam, ſicut in loco ſancto videbam te,* Pſal. 63. 2. 3. Siquidem, *bonum eſt celebrare Iehovam, & annunciare unoquoque mane benignitatem illius*, Pſal. 93. 2. 3. Atque ille demum oſtendit *ſe ſpem habere in verbo* Jehovæ, *qui in ipſo crepuſculo vociferatur*, Pſal. 119. 147. Quantum autem ad ſanctificationem legitimam hujuſce diei, ea continuari debet uſque ad primam noctem, qua nos, recolendo antea beneficia eo die nobis præſtita, ſimulque deplorando illa, quæ à nobis neglecta ſunt, ad placidum ſomnum, reſpondentem diei præteriti actionibus & meditationibus, componere debemus. Nec ullibi Deus præcepit, ut totam noctem uſque ad proximam auroram meditationibus Sabbathicis inſomnes impendamus. Nam, quamvis ex Dei pręſcripto, Judęi Sabbathum ſuum celebrare debuerint à veſpera uſque in veſperam, nocte tamen non fuerunt vocati ad ſacra publica, nec à Deo iis pervigilium fuit pręſcriptum: imo, ut ſex illi dies, quibus in quarto pręcepto laborem nobis injunxit Deus, incipiunt ab aurora, & deſinunt in veſpera; (juxta illud Davidis Pſal. 104. 22. 23. *Exorto ſole prodit homo ad opus ſuum, & ad culturam ſuam uſque in veſperam*) ſic exiſtimandum eſt, exercitia Sabbathica ſacrum laborem efflagitare duntaxat uſque ad veſperam.

Initio & fine diei Dominicæ definito, expendamus pariter, in quo IX.

conſiſtat legitima illius obſervatio. Poſſet quis exiſtimare me hic debere inquirere in rationem quarti Præcepti:ſed hoc ſufficienter egi in peculiari de Sabbatho Diatriba, qua cum ſufficienter quoq; omnes Reyneſſii nugas protriverim,rem actam agere nolo. Utque,vel pueri catechumeni hanc analyſin ſciunt inſtituere, quarto præcepto duo præcipi, I. Ut feriemur ab omni opere, & II. Ut amplius hunc diem Deo ſanctificemus; ſic breviter diſpiciendum antea, à qualibus operibus ſit feriandum? Certum eſt, verbum, quod occurrit in Originali textu, notare opus ſervile, unde & Levit. 23. 7. vocatur *melecbet Habodah*, ſeu, *opus ſervitutis*: quod patior ut explicetur de operibus ordinariæ noſtræ vocationis, occupatæ circa res ſeculares, conjunctas ut plurimum cum labore & moleſtia. Alias, nunquam Sacerdotes magis defatigabantur ratione ſuæ vocationis, quam tempore Sabbathi, ob duplicatas oblationes. Sed, ut labor ille impendebatur Dei cultui; ita cenſendum eſt, eum magis imperatum fuiſſe, quam prohibitum. Patior quidem, ut dicatur, quietem hanc non eſſe partem ſanctificationis Sabbatho debitæ, ſed duntaxat medium quoddam, ſerviens eidem promovendæ, ut bene ratione Jejunii colligi vulgo ſolet ex Apoſtolo, 1. Cor. 8. 8. interim tamen quies hęc imperatur quoque propter finem politicum,ut recte obſervant Profeſſores Leidenſes, quando in Synopſi Diſp. 21. Th. 18. *ſic loquuntur*: Aſſignatur & *Politicus* finis, refocillatio ſeu recreatio corporis à laboribus; etiam ejus qui ſub alterius eſt poteſtate, ſervi, ancillæque, imo & jumentorum. Exod. 23. 12. *& reſpiret filius ancillæ tuæ.* Deut. 5. 15. *Ut requieſcat ſervus tuus & ancilla tua ſicut & tu. Memineris quod & ipſe ſervus fueris in Ægypto.* Scilicet ne continuis laboribus fatigentur & conficiantur, ſed eorum remiſſione feſſa membra leventur, vires reficiantur. *Hæc illi.* Porro, non æque hæc quies concernit Chriſtianos ſub N.T.quam Judęos ſub V.T.quicquid quidam clamitent. Nam cum quies hęc, pleriſq; Theologis fatentibus,ratione Judæorum fuerit pariter quid cęremoniale ac typicum, conſequens eſt,eos arctiori quoque obedientię vinculo ad obſervandam hanc ipſam quietem aſtrictos fuiſſe. Quod adeo verum eſt, ut neque diffiteri audeat ipſe D. Ameſius l. d. Th. 24. *Nihil tamen* (inquit) *ex Scriptura adferri poteſt, quod unquam fuit circa ſtrictam Sabbathi obſervationem Iudæis imperatum,& non eadem ratione pertinet ad omnes Chriſtianos, præter accenſionem ignis*, Exod. 35. 3. *& cibi communis apparatum*, Eod. 16. 14. Qui licet hęc duo duntaxat excipiat,hactenus tamen nobis ſufficiunt eo uſque, ut poſſimus inferre hic libertatem

libertatem competere Chriſtianis præ Judæis, atque uſurpare verba ſummi Theologi, D. Antonii Walæi, ex lib. de Sabbatho cap. 6. ubi ita loquitur *Θεοσόφων bujus ſeculi circumſpectiſſimus*: Ad minutula aut leviora, quibus nec corpus fatigatur, nec mens à Dei cultu avocatur, hic ita non videtur attendendum; quia illa anxietatem potius ſervilem, quam libertatem filialem reſpiciunt, & ad jugum illud omnino pertinent, quod nos, nec patres noſtri ferre potuerunt, ut loquitur Apoſtolus, Act. 15. verſ. 10. Ab illa autem ſervili anxietate nos, per adoptionem filiorum in Chriſto, liberatos eſſe, docet ex profeſſo Apoſtolus, Galat. cap. 4. & 5. modo libertatem illam non vertamus in licentiam carnis, ut idem Apoſtolus monet ad Gal. 5. verſ. 13. *Hactenus ὁ πάνυ Walæus.* Similiter idem *D. Ameſius*, alias licet rigidior, à veritate expugnatus, concedere cogitur, Sabbathi non eſſe violatorem, qui mente ad Deum erecta, per modicum tempus occupatur circa res temporales, quando lib. 4. de Conſcient. cap. 33. *ſic loquitur*: Exigua & brevis aliqua occupatio, qua quis circa res temporales ex occaſione verſatur, ita poteſt dirigi, & meditatione pia temperari, ut religionis officia non impediat, ſed potius juvet. Et quidem talis occupatio, cum tali modo, non abſtrahit animum à cultu divino. *Hæc ille.* Quæ omnia, ſi aliquis aliquanto diligentius expenderit, ſimul facili negotio dijudicare poterit, ſitne circa quæſita hujus ordinis, quæ velut laquei conſcientiis infirmiorum hodie injici ſolent, plus tribuendum Theologo veterano, atque prudentiæ nomine, ab ipſis ſuis hoſtibus, nunquam non omni tempore, commendato; quam quibuſdam imberbibus Theologaſtris, qui ob Sabbathi ſanctificationem, non minus ſuos pugnos, quam pluteum identidem calefaciunt, quod ſperent ab externa hac ſanctificatione ſe impetraturos eſſe, (nempe amplam apud plebem famam, atque favorem) quod deſperant de interiori cordis ſanctimonia, non hominibus, ſed uni Deo probanda.

At, ut nihil hic relinquamus intactum, pariter eſt expendendum, quibus in caſibus, die Dominico aliquis ſalva conſcientia vacare poſſit operibus ordinariæ vocationis. Illi, qui ex ſua formula hic nimis quam præciſi ſunt, exiſtimant eorum exercitium permiſſum eſſe, ſi hoc exigat ſive *neceſſitas*, ſive *charitas*, ſive *religio*; quod Chriſtus, optimus, & conſequenter ſapientiſſimus legis ſuæ interpres, ita interpretatus eſſe, & limitaſſe videatur, Præceptum IV. Matth. 12. Marc. 2. & 3. itemque Luc. 6. Interim tamen, quæ in Theſi non difficulter videntur concedere, in Hypotheſi iterum eripiunt. Neque enim ſartoribus, ſutoribus, X.

 & fabris,

& fabris,&c.hic quicquam concedunt,imo ne quidem bajulis, vectoribus, rhedariis, &c. ut videre eſt apud authorem Lachrymarum Crocodili pag. 68. Sed,quid ſi ergo Paſtoris femoralia, die Dominico induenda, ita rumpantur, ut pro colligatione non admittant ligulam, & hoc die Dominico demum Rev. D. Paſtor animadvertat, utrum præſtabit, eum domi manere, atque cum grandi jactura Eccleſiæ, *concionem*, ad quam ſe præparavit, differre,an vero præſentem operam ſartoris implorare? Item, ſi quis hujus ordinis calceos non poſſit aptare pedibus, an non pariter, Dominicus licet dies ſit, potius advocabit ſutorem, quo præſentaneum remedium adferat, quam ut concione abſtineat? Quid, ſi idem vir Rever.amiſſa ſui muſæi clave,non poſſit vacare præparationi ad concionandum, utrum præſtabit, advocare fabrum, qui dictum muſæum recludat, an domi manere, an vero crudos conceptus evomere? Scio, dici poſſe, hæc omnia pridie cogitanda, præmeditanda, atque præparanda eſſe. Sed, quam multa non cadunt inter calicem, ſupremaque labra? Pro certo mihi relatum eſt, in quodam Hollandiæ municipio, quendam Eccleſiæ Seniorem, ſæpius indignatum fuiſſe, quod chirurgi (qui apud nos in Belgio, fere quoque barbi-tonſores ſunt) die Dominico vacarent demetendis & comendis crinibus, accidiſſe vero, ut uxor hujus hominis, Tanaquili non abſimilis, dum ipſe pro more die Dominico mane ſurgeret, inciderit cum marito in rixam, atq; quos floccos barbæ,(quam exemplo cujuſdam Paſtoris,ſibi amici,promiſſam alebat) evulſerit: cum vero homo meus videret, ſe deformatum eſſe, exemplo legatorum Davidis (2. Sam. 10.) ab hac ſua Ammonitide, & tamen deſideraret concioni intereſſe, vocat vicinum chirurgum, qui renuit operam impendere reſtituendæ barbæ,quod & metuat cenſuram Conſiſtorii, &, ſi ſecus faciat, mulctam tribui debeat. Advocatur mox alter, ſed tyro, qui è cognatione hominis miſere deformati erat, à quo vix precibus impetrari potuit, ut præſenti neceſſitati remedium afferret. Eo hæc refero, ut pateat, quinam fluctus in ſimpulo per homines improvidos conſueverint concitari. Quantum vero ad bajulos, rhedarios, ſimileſque; quamdiu Magiſtratus permittit (per totam hoc fit Hollandiam, etiam Ultrajecti) ut die Dominico ſtatis horis ſcaphæ de civitate in civitatem commeent, eodem quoq; die ordinario magis requiritur opera horum hominum, quam fabrorum, ſartorum,&c. ſiquidem inſerviunt iis, qui iter faciunt. Non ſimpliciter quidem probaverim, quod ſcaphæ Dominico die vectores recipiant: ſed hoc ſolum an-

noto,

Digitized by Google

noto,ut pateat in quas difficultates Semi-Judaizantes ſe conjiciant,dum Sabbathinam requiem non minus ad edicta Magiſtratuum, quam Scripturam ipſam exigunt,prout fuſius doceo Diatriba de Sabbatho evulgata. Quid vero ex rei veritate exiſtimandum ſit de itineribusSabbathicis, ſub finem hujusExercitationis expendam. Author Crocodilinus literatis hominibus haut magis propitius eſt, hac in parte,quam iis, qui artes ſellularias exercent,neq; enim exiſtimat pag.84.& ſeq.eos,qui die Dominico *intenti ſunt Medicationi ac praxi Medicæ,Pragmaticæ ſeu forenſi,item ſtudiis Philologicis & quidem ſecreto in Muſeis ſuis,ubi nullorum oculis ſcandalum objiciunt,commodius piis exercitiis poſſe negotiari ſalutem ſuam,quam ſartores,ſartrices,textores,vietores*,&c. quod nemo non conceſſerit,ſi hi Muſagetę,neglectis exercitiis publicis,privatiſq; precibus ; & meditationibus , totum diem Dominicum conſecraverint ſui ſtudii contemplationibus.Sed,an non V C.Medico,cui die Dominico oblatus ſit caſus rarus, prę ſentaneum remedium efflagitans, licebit aliquas horas vacare collationi authorum,circa caſum inſolitū inter ſe diſſidentium?Aut,quidexiſtimandū erit de Theologis nonnullis,conciones ſuas,ut populo placeāt irrigare ſolitis rore profanorū Scriptorum:eruntne habendi pro prophanatoribus Sabbathi,propterea,quod lectioni Plutarchi,Laërtii,Apophthegmatum Eraſmi, Baudartii,& ſæpe quoq; noſtratis Heermans, medium quoq; diem Dominicum conſecrent, tantum pro veſpertina concione,ut cultius,& eruditius,& ad perſuadendū aptius dicere videantur? Velim quoq; quis me doceat,cur non æque liceat Advocato,aut Jurium Doctori,in gratiam oppreſſæ viduæ,libellum ſupplicem bene prę meditatum conſcribere die Dominico , eo quod neceſſario offerendus ſit die Lunę ſummo mane,atque licet Pharmacopęo,ex formula DoctorisMedici , eodem die adornare medicamentum catharticum, poſtridiani diei primo diluculo ſumendum ? Certe Imp. Conſtantinus hoc die emancipandi & manumittendi licentiam conceſſit,ut patet ex leg.1.de Feriis in Cod.Theod.quæ lex hac formula eſt concepta:*Sicut indigniſſimum videbatur diem Solis veneratione ſua celebrem, altercantibus jurgiis & noxiis partium contentionibus occupari, ita & gratum & jucundum eſt, eo die, quæ ſunt maxime votiva,cōpleri. Atq;ideo emancipandi & manumittendi die feſto cuncti licentiam habeant,& ſuper his rebus acta non prohibeātur.* Conſtantini hanc conſtitutionem approbavit Theodoſius,ut ex leg.2.de Feriis apparet.

Sed,quid porro exiſtimandum de opere ruſtico,poteſtne illud ob certas cauſas hoc die exerceri ? Non audet negare ipſe Author lacrymarum XI.

Crocodili pag. 72. ſic loquens: *Segetes hoſtium poteſtati, incendio, inundationi eripere, eſt opus præſentis neceſsitatis*; ſed non audet definire, *an arare, ſerere, meſſem inferre in horrea, cenſeri queat opus licitum ac debitum, propter inſtantem aut præſumptam aëris mutationem*. Atque ne contraria ſententia forte alicui videatur probabilis, decem ſuo more movet problemata, quibus, cum putrido non valeant pyro, oppono ea, quæ habet D. Walæus, d. tr. de Sabbatho cap 7. ubi ita loquitur *Theologus incomparabilis*: Non audemus improbare, quod poſt concilium Arelatenſe, *Conſtantinus* in ſuis conſtitutionibus, tempore pluvio, aut alio neceſſitatis caſu, permittit, ut meſſes aut vindemiæ etiam die Dominico colligantur; quia ſi ad famis propriæ ſolatium, licuit diſcipulis Sabbatho ariſtas vellere, non video cauſam, cur non liceat in tali caſu ad pulſionem & prçventionem famis communis, terram conſerere, meſſem aut vindemiam ſalvare. Si etiam licuit &c. Sabbatho educere pecudem, aut aſinam è puteo ne periret, quomodo, non magis integras meſſes, aut vindemias ſervare, ne homini inutiles fiant? & ſane huc omnino facit, &c. *Homo non eſt propter Sabbathum, ſed Sabbathum propter hominem*, Marc. 2. 27. Quod vero adverſus hoc objicitur, Deum in lege ſua, Exod. 34. verſ. 14. id expreſſe vetuiſſe; vel extra hunc neceſſitatis caſum, quem Chriſtus exponit, intelligendum eſt, vel potius ad peculiarem ſtatum Judaici populi, & ſingulares promiſſiones iiſdem factas, referendum videtur: quibus Deus promiſit ſe pluviam ſerotinam & matutinam daturum iis, qui ipſius præcepta obſervarent. Quemadmodum in collectione Mannę, Exod. 16 promiſit, ſe daturum pridie Sabbathi, quod ſufficeret in biduum: & de quiete anni ſeptimi, Levit. 25. verſ. 21. pollicetur ſe amandaturum illis benedictionem ſuam anno ſexto, ita ut proferat in ternos annos fructus ſuos. Quemadmodum etiam eodem cap. 34. Exod. verſ. 24. promittit proficiſcentibus ad feſta illa anniverſaria, ſe curam habiturum terræ ipſorum, ne ex ea profectione damnum patiantur, &c. Interim tamen, & eos magiſtratus, eaſque Eccleſias recte facere omnino ſtatuo, qui non cuivis privato, ex ſuo arbitrio, eam licentiam eo die concedunt, ſed de pluviæ aut tempeſtatis inidoneę conſtitutione, in ejuſmodi caſu, judicium publicum hic expectandum decernunt; ſicuti in *Palatinatu*, ac in Reformatis *Helvetiæ* rebuſpublicis, laudabiliter obſervatum nobis conſtat. *Huc uſque VValæus*. Conſtantini conſtitutio, cujus meminit vir eximius, prout colligere licet ex l. 3. Cod. de Feriis, ita concepta fuit: *Omnes judices, urbanaque plebes, & cun-*

& cunctarum officia venerabili die Solis quieſcant. Ruri tamen poſiti, agrorum cultura libere licenterque inſerviant, quoniam frequenter evenit, ut non alio die frumenta ſulcis, aut vineæ ſcrobibus mandentur, ne occaſione momenti pereat commoditas cæleſti proviſione conceſſa. Nec alia videtur fuiſſe mens Patrum venerabilium Concilii Laodiceni, ſiquidem ſic ſciſcunt can. XXIX. *quod non oportet Chriſtianos judaizare, & in ſabbatho otiari: ſed ipſos eo die operari. Diem autem dominicum præferentes, otiari ſi modo poßint, ut Chriſtianos. Quod ſi inventi fuerint judaizare, Anathema ſint à Chriſto.* In quem canonem ita παραφράζει Theodorus Balſamo: *Patres die Dominico non operari, non neceſſario mandarunt, ſed adjecerunt, ſi poßint fideles: ſi enim propter inopiam, vel aliquam aliam neceßitatem, etiam die Dominico fuerit aliquis operatus, præjudicium ei non afferetur.* Verum quidem eſt, Leonem Imp. poſtea lege lata prohibuiſſe κολάζειν κατὰ τὴν κυριακὴν καὶ τοὺς γεωργοὺς: ſed, vi majori occurrente, urgenteque præſentanea meſſis neceſſitate, quis dubitet eos fuiſſe eximios quod ad pœnam? Nec hiſce ulla ratione officiunt, quæ habet D. Voetius lachrym. Crocod. pag. 74. D. Burſium *ſic exagitans*: Cur de Sabbathis tempore ſerenitatis in meſſe nihil definis? Scis, nihil eſſe incertius & mutabilius ſerenitate. Petent agricolæ & illo tempore, ſibi Sabbatha aut Sabbathum concedi, ut mutationem aëris præveniant, & ſerenitatem hanc avide obſervent, juxta vulgatum ipſorum proverbium: *Men moet het ſchoon vveder vvaer nemen.* Hactenus *quidem Voetius.* Cæterum hoc ipſius telum ad feriendum haut quaquam idoneum eſt: nam talis ſupponendus fuiſſet caſus; Quando ad plures dies pluerit, tempeſtaſve horrida meſſi aut vindemiæ incubuerit, atque maturis jam frugibus, aut ipſo die Dominico, aut uno alterove die ante, cœlum mitiorem faciem exhibuerit. Aliam hypotheſin, qui à noſtris ſtant partibus, nec agnoſcunt, nec urgent.

An vero recreationi hoc die locus ſit relictus, cum ratione quæritur? XII. Sane nullum locum conceſſerim recreationi inhoneſtæ, carnali, atque tali, quæ ſimilis ſit ſpinis, ſuffocantibus auditum Dei verbum, Mat. 13. 7. in quas quadrat illud Jeſaiæ cap. 58. 13. *Si averteris à Sabbatho pedem tuum ne facias id, quo delectaris die ſancto meo, & vocaveris Sabbathum delicias, ſanctumque Iehova honoratum honoraveriſque eum, non exercendo vias tuas, non præſtando id, quo delectaris.* ad quem locum ſic convenienter commentatur *Calvinus*: Hinc perſpicimus, cur tantopere Dominus in tota Scriptura Sabbathi obſervationem commendet. Altius enim ſpectavit, quam ad externam cæremoniam, hoc eſt, otium & quietem, in quo Judæi

ſanctitatem

ſanctitatem ſummam ſitam eſſe putabant: quin potius Judæos abdicato carnis ſenſu, & affectibus valere juſſis, ſe ſubmittere in obſequium; ſicuti nemo poteſt cæleſtem vitam meditari, niſi mundo & ſibi emortuus. Nunc cum abrogata ſit illa cæremonia, manet nihilominus veritas: quia Chriſtus mortuus eſt, ac reſurrexit, ut perpetuum Sabbathum habeamus, hoc eſt, feriemur ab operibus noſtris, ut Spiritus Dei potenter in nobis agat. *Hæc Calvinus.* Muſculus vero *ſequentia habet*: Sic vult Deus ſuam in Sabbatho bonitatem perpendi, ut illam ſuo modo & corpus ſentiat, laboris moleſtia vacans, & neceſſariis ſuis delicatius utens (nihil tamen extra modum & decorum) unde & epulari coram ſe populum in magnis feſtivitatibus volebat. An reſpectu ſacri ejuſmodi convivii voluerit, eos Sabbathum habere pro delicato, judicent alii. Eo ſenſu fuiſſe patres illos, apparet, qui diebus feſtis ſic operam dabant Eccleſiaſticis conviviis, ut quidam ex illis jejunium diei Dominicæ peccati damnarint. *Huc uſque Muſculus*; Qui ut exiſtimat licitum eſſe, honeſtæ recreationi hoc die vacare, ſic ἰσόψηφον habet D. Walæum l. d. *hunc in modum loquentem*: Recreationis quædam opera, hoc die eſſe licita, non auſimus negare: quia Deus inter Sabbathi fines hoc quoque refert, Exod. 23. verſ. 12. *ut reſpiret* (Junius vertit ut *recreetur*) *filius ancillæ tuæ*: Et Chriſtus ipſo die Sabbathi convivium adiit Luc. 14. 7. Et ſane, quum dies Sabbathi fuerit feſtus, refert quoq; lętitiam cæli honeſta recreatio, atque animæ ac corporis vires reficit, quemadmodum Sapiens loquitur Proverb. 17. *Animus lætus bene medicinam facit*; *ſpiritus autem fractus exſiccat oſſa.* Atque ideo etiam in Eccleſia Apoſtolica, *Agapæ* erant inſtitutæ, tranſlatæ (ut videtur) ex conviviis ſacrificiorum V. T. ad φιλαδελφίαν mutuam teſtandam, & honeſtam recreationem uſurpandam. *Huc uſque VValæus* quoque. Quoniam vero Muſculus provocavit ad antiquitatem primitivę Eccleſiæ, non poſſumus non, paucis hoc illuſtrare. Eoque notandum, vel ab ipſis naſcentis Eccleſiæ incunabulis, jejunium fuiſſe inhibitum die Dominico, utpote triſtitiam omnem læti ejus diei feſtivitate reſpuente, quemadmodum *Tertull. in lib. de Corona militis* tradit. Verum quidem eſt, & ex ipſis Actibus Apoſtolorum liquet, Apoſtolos die Dominico jejunaſſe quoq; (huc ſpectat illud Hieronymi Ep. 28. *Apoſtolus Paulus, & cum eo credentes, diebus Pentecoſtes, & die Dominico jejunarunt*) forte ob ſpecialem & ſingularem rationem: interim tamen communis omnium Chriſtianorum ſententia fuit, die Dominico neutiquam jejunandum eſſe. Unde Hieronymus adverſus Luciferianos:

Digitized by Google

rianos: *Die Dominico & per omnem Pentecoſtem nec de geniculis adorare, & jejunium ſolvere, multaq; quæ ſcripta non ſunt, rationabilis ſibi obſervatio vindicavit.* Cumq; inſtituta ab Eccleſia jejunia Euſtatius Sebaſtenſis Epiſcopus reprobaret, novaq; induceret, can. 16. Gangrenſis Concilii ſic decretum fuit: *Si quis, ob eam, quæ exiſtimatur, pietatis exercitationem, dominico die jejunat, Anathema ſit.* Et Epiphan. Hæreſ. 70. adverſus Audianos: *Qui affl:xerit animam ſuam* (hoc eſt, qui jejunaverit) *Dominica die, maledictus eſt Deo.* Gangrenſis Concilii Canonem Gratianus tranſcripſit in Canon. Siquis tanquam. Diſtinct. 10. Manichęos quoq; ob hujus diei jejunia jure damnatos fuiſſe pronunciat Ambroſius Epiſt. lib. 10. Ep. 83. Nam Chriſtianos antiquos omnino cenſuiſſe diem Dominicum hilariter, hoc eſt, ſecundum lætitiam in Domino, tranſigendum eſſe, locupletiſſimus teſtis eſt Tertullianus Apolog. cap. 16. ſic loquens: *Æque ſi diem Solis* (en! ut Tertullianus quoque hunc diem *Solis* vocet, quomodo & legit vetus verſio Belgicorum Bibliorum Apoc. 1. verſ. 10. teſte non ſolum D. Walæo d. tract. cap. 8. ſed & ipſo D. Voetio in Lacrymis Crocodili pag. 55.) *lætitiæ indulgemus, alia longe ratione, quam religione Solis, ſecundo loco ab eis ſumus, qui diem Saturni otio & victui decernunt,* (hęc intelligi debent, de quibuſdam Paganis, qui licet à Judaiſmo alieni eſſent, Sabbata nihilominus religioſe colebant) *exorbitantes & ipſi à Iudaico more, quem ignorant.* Quo uſque vero hæ recreationes debeant extendi, haut in proclivi eſt. D. Voetius in lacrymis, ſui ingenii atque pietatis indicibus, pag. 68. vult excludi, *riſus, luſus, haſtiludia, venationes, aucupia, piſcationes, Muſicæ exercitia, fritillos, luſum Scachicum, jactum lapidum, luſum globorum, pilæ, clavæ, certamina gymnaſtica, ſympoſia honeſta,* &c. quod cum per ea Sabbathum non ſanctificetur, omnino putandum ſit, illud ipſum, ſi quid horum fiat, profanari. At, ſi Dominico die, ut videtur jam ſolide probatum eſſe, honeſtæ recreationi, non minus ſervienti refocillationi corporis quam animi, tempeſtive licet vacare, cur non pariter cenſeri poſſint licita eſſe, quędam ex hiſce, quę enumerata ſunt? D. Ameſius lib. 5. de Conſcient. cap. 45. exercitium jaculatorium, virtutis exercendæ cauſſa inſtitutum, probare videtur propter authoritatem Sp. Sancti, commendantis per Davidem in eo nomine Saulem, quod docuerit filios Iſraëlis tractare arcum, 2. Sam. 1. 18. atque Martyr in locis Comm. Cl. 2. loc. 49. non audet damnare ludum latrunculorum, ſive Schaccorum, poſt Hieronymum Vidam Epiſcopum Cremonenſem, celebratum atque deſcriptum à Lamberto Danæo primo

Genevenſi,& poſtea quoque, temporibus difficillimis,Leidenſi Theol. Profeſſore : eoque, præter ludum ipſum Schaccorum , quis hoc die non admittat, tempeſtive & moderate inſtitutum, jactum lapidum, civibus Genevenſibus extra portas urbis , in via publica à tempore Calvini uſque in hodiernum diem permiſſum, luſum globorum, clavę, certamina gymnaſtica,& Sympoſia honeſta,meditationes ſacras non impedientia, multominus obruentia, ſed exſuſcitantia? Nam, quum non minus mens noſtra,quam ipſum quoque corpus indigeat,ex ipſius Dei inſtituto,ſuis feriis , atque animus à rebus ſeriis ſubinde ſit revocandus , quo meditationibus ejuſdem notę aptius atque commodius ſerviat,quis, ipſo quietis die, Chriſtiano non conceſſerit eos ludos , qui eidem excitando præ cæteris ſerviant ? Ipſo die Dominico licitum eſt edere & bibere, modo ex prę ſcripto Apoſtoli *fiat ad gloriam Dei* , 1. Cor. 10. 31. cur non ergo quoque hic ipſe dies, quod dies ſit quietis & lætitiæ, tempeſtive pariter ludicra exercitia,eaque innoxia,atque corpori animoq; refocillando ſervientia,ſibi vindicet?modo fiant *in nomine Domini Ieſu Chriſti*,Col. 3. 17. Verum ſiquidem perpetuo manere debet illud Auguſtini lib. 4. contra Julian. cap. 3. *Quicquid boni fit, & non propter hoc fit, propter quod fieri debet, etſi officio videtur bonum, ipſo non recte ſine peccatum eſt.* Mirum vero , ab hiſce hominibus interdici hoc die exercitiis Muſicis, quæ, ſi in templis ante & poſt concionem,ex lege quoque artis ſint licita,cur non hoc ipſo pariter die, poſt publica ſacra peracta, plures Muſicæ periti, collegium honeſtum rite & ordine habere poſſunt,pro exercitatione Pſalmodiæ , unoquoque ſe per interiora affectuum penetralia excitante , atque dicente cum Regio vate : *Paratum cor meum , Deus , paratum cor meum ; cantabo,Pſalmum dicam Domino: Exurge pſalterium,cithara*,&c. Pſ. 57. 8. 9. Superſunt venationes,quę ſi ſtrepitus multum circum ſe habeant,atque ſerviant avocandæ menti ab attentione ſacra , neutiquam admitti poſſunt ; non video vero , cur pariter ſimpliciter omnibus interdici debeat exercitatione piſcationis atque aucupii , modo tempore convenienti , atque pro honeſta recreatione, inſtituatur. Clericis, licet olim interdictum foret venari, licuit tamen non tumultuoſa venatione,animi refocillandi ergo , ſeſe oblectare ; ut pluribus docet Tholoz. lib. 39. Syntagm. Juris, cap. 11. num. 14. Unde & Hieronymus in Ep. ad Ruſtic. qua Monachum delineat , monet , ut ab eo *texantur lina capiendis piſcibus* ; quibus, ſi quis oportune hoc die uſus fuerit , & corpus convenienter recreare poterit , & ſimul vacare meditationibus , quas præformant illi ,

Digitized by Google

illi, quos Chriſtus ex piſcatoribus transformavit in Euangelii tubicines. Ut vero, ex modo commemoratis exercitiis recreationis, exiſtimamus æſtimari poſſe ſimilia alia; ita nequaquam putamus eodem loco cum iis haberi poſſe ludos theatrales, Choreas, Saliares cænas, &c. cum & illa duntaxat admiſerimus, ut tempeſtiva; circa quos temporis articulos, ne quis cavilletur, uſurpamus iterum verba Walæi tract. dicto, cap. 7. *Requiritur, ut recreatio aut oblectatio talis ſequatur divinum cultum, non eum antecedat, interrumpat, aut impediat: ſicuti videmus Nehem.* 8. *poſtquam à luce prima, ad meridiem uſque, divino cultui vacaſſent, Eſdras eos his verbis dimiſit, verſ.* 12. *Ne lugete neque flete, abite, comedite pinguia, bibite dulcia, ac mittite portiones cuicumque nihil eſt paratum. Nam ſanctus eſt hic dies Domino noſtro. Ne dolore afficiamini, quum gaudium Iehova ſit robori vobis.*

At, quęſtio hic ſupereſt de famulis, ancillisque; & quæritur, an illis XIII.
hoc quoque die juſtitium non minus à laboribus ordinariis, quam honeſta recreatio concedi debeat? Prius expreſſe lex Dei exigit & exprimit; non ęque vero circa poſterius liquet, occurruntque nonnulli, qui exiſtimant, reliquis diebus concedendum ipſis tempus eſſe, quo honeſte ſeſe recreare poſſint. Sed cedo textum ex Dei verbo, qui nova hæc Saturnalia, diſtincta à requie diei ſeptimi, familiæ concedat? Idem ille Deus, qui dixit; *Memento Sabbathi, ut illud ſanctifices*: per rationem quoque præcepti edixit: *Sex diebus operaberis*; ſcil. non modo tu paterfamilias, verum etiam omnes, qui tibi ſubſunt, & quorum opera indiges ad hoc, ut operi tuo feliciter atque fideliter poſſis incumbere. Eoque, quis præſumat hic videri ſapientior Deo? Definivit is ipſe famulis, ancillisque, alias haut ſecus laboribus frangi ſolitis, atque Iſraëlitis in Ægypto contigit, diem ſeptimum, ut quieſcant, & quemadmodum, jam antea quoque vidimus, ut eodem quoque recreëntur: unde ſic legitur Deuter. 5. 14. *Dies ſeptimus Sabbathum eſt Iehova Deo tuo, ne facias ullum opus, tu, aut filius tuus, aut filia tua, aut ancilla tua, aut bos tuus, aut aſinus tuus, aut ullum jumentum tuum, aut peregrinus tuus, qui eſt intra portas tuas, ut quieſcat ſervus tuus, & ancilla tua ſicut tu; & memineris te ſervum fuiſſe in terra Ægypti, Iehovam vero Deum tuum eduxiſſe te inde manu forti, & brachio extento.* Quo loco, Deus, argumentando ab exemplo, non modo ſervis quietem ſtipulatur, verum etiam eos die ſeptimo, pari ratione cum dominis ſuis, quieſcere vult. Cum vero ἐπιείκεια exigat, ut ſervis honeſtæ quoque recreationes concedantur, quis non videt, eas alio die

 concedi

concedi non poſſe, quam hoc ipſo? Datur ſiquidem quædam recreatio, *quæ eſt inter fines Sabbathi: ſcilicet quæ divinum cultum non impedit, & ſacris peractis, honeſte, decenter, moderate, & ſine offenſione & ſcandalo fit*, ut loquuntur Profeſſ. Leidenſes Diſp. 21. Th. 58.

XIV. Atque hactenus quidem egimus de priori parte quarti præcepti, paucis quoque agere debemus de ſanctificatione Dominici diei. Concedimus autem initio lubentiſſime, fideles ante omnia obire debere ſacra publica, nec ſufficere, ut una modo concio habeatur: quum plures duabus, ſæpe exigat peculiaris Eccleſiæ non modo ratio, verum etiam familiarum numeroſiorum; quæ ut membra ſua per vices Deo in Eccleſia ſua publice ſiſtit; ſic commode hoc fieri non poteſt, niſi diverſis horis plures conciones habeantur. Interim tamen, nemo ex fidelibus in conſcientia obligatur, ut audiat omnes illas conciones, quas in majori aliqua civitate audire poſſet. Verum quidem eſt illud Pſalmiſtę: *Melior eſt dies unus in atriis Iehova, quam mille alibi*. Et quiſquis modo guſtavit verbi Dei dulcedinem, mavult *frequentare limen in domo Dei*, quam *habitare in tentoriis improbitatis* Pſ. 84.11. Nec pręter rationem annotatum fuit de Anna filia Phanuelis, quod non *abſceſſerit à templo* Luc. 2.37. ſed uti illud ipſum templum, è cujus frequentatione conſolationem ſperabat pientiſſima vidua, erat typicum; ſic Chriſtiano præter hæc publica ſacrorum exercitia, incumbunt varia alia privatim expedienda, maxime, ſi is ipſe quoq; ſuſtineat perſonam patris familias. Atque, cum nemo dubitet eos habendos eſſe pro Sabbathi profanatoribus, qui illud tranſigunt convivando, potitando, &c. ita ſequentia domi ſuę pater familias expedire debet. I. Semet ipſum excutiat quantum ex audito Dei verbo profecerit, illudque ſpecialibus meditationibus & precibus ſibi applicet. II. Debet idem exigere à ſua familia, iiſque, qui curę ſuę commiſſi ſunt. Cum quibus (III) familiaria quoque colloquia inſtituenda ſunt de iis, quæ pertinent (Luc. 24.14.) ad regnum cælorum. IV. Suos tanquam prudens Catechiſta inſtituat, ſeſe accommodando captui non minus parvulorum, quam adultiorum. V. Contemplationi operum & judiciorum Dei vacare debet, ut proxima ſect. oſtendetur. VI. Ægri ſunt inviſendi, & pauperes donariis recreandi, 1. Cor. 16.2. Neh. 8.12. VII. Minimum hoc die bis omnes ſuos convocet, ac coram iis aut ipſe verbum Dei pręlegat, aut per eum, qui in familia maxime idoneus eſt, prælegi curet. VIII. Solemnes preces non modo pro ſe concipiat, verum cum familia quoque Deo offerat. Quæ omnia cum diei haut exiguam partem ſibi vindicent, patet,

Digitized by Google

patet, quantum veri ſubſit iis, quæ modo propoſui. Atque miror quod Telingius lib. 4. cap. 6. de Die Sabbathi pag. 101. Chriſtianis permittat potius negligere conciones publicas, quæ habentur diebus profeſtis, quam concionem pomeridianam dici Dominici. Nam quamvis certiſſimum ſit, à nobis diem Dominicum, qui Sabbatho ſucceſſit, ſpeciali ratione impendendum eſſe actionibus ſacris, non tamen aut lex, aut ratio ſuadet, ut cuncti etiam ſenes, aliique homines obliviosi, omnes conciones publicas audiant, ſiquidem ex iis nullum fructum percipere poſſunt, niſi inſtar animalium mundorum eaſdem ruminentur, atque per ſpeciales meditationes & preces ſibi applicent; experientiaq; oſtendit, eos, qui ternas quaternaſve conciones die Dominico ſoliti ſunt audire, præ infirmitate (cum qua nobis, ut filiis Adami eſt luctandum) ut plurimum *perfluere* (ut loquitur Apoſtolus Heb. 2. 1.) quum circa veſperam vix meminerint textuum explicatorum, multo minus ſufficiant peculiaribus circa quamq; concionem meditationibus. Hæ rationes moverunt Synodum Dordracenam, habitam anno 1574. ut exiſtimaverit non eſſe hoc die habendas conciones veſpertinas. Ita enim habent verba Canonis L 1. Belgico idiomate concepti: *Aengaende de opentlijcke avont Gebeden, is beſloten, datmenſe niet en brenge, daerſe niet en ſijn, ende daerſe in 't gebruyck ſijn, ſoo ſtichtelijcken ende voorſichtelijcken af te ſchaffen, als het mogelijck is, inſonderheydt om deſe naervolgende oorſaken. Ten eerſten, op datmen de ordentelijcke Predicatien dies te vieriger ende naerſtiger beſoecke. Ten tvveeden, dat de Huyſ-gebeden des avondts, die een yegelijck Huyſ-vader met ſijn huyſ-geſin ſchuldigh is te doen, te vlytiger onderhouden vvorden. Ten derden, op dat de algemeene Gebeden op de Vaſt-dagen, diemen ſomtijdts om eenighen beſonderen noot ghebruyckt, te vieriger ende ſolemnelijcker gehouden vvorden.* Quis ergo, præeunte decreto Synodico, conſultius eſſe non exiſtimet, ut unuſquiſque ſemetipſum hac in parte excutiat, atque die Dominico publicis concionibus audiendis ea ratione vacet, ut illud ipſum animi pabulum ſervire queat promovendæ ſuæ ſaluti? Dicit quidem Telingius ib. pag. 103. magis pios, & ratione morum præ aliis compoſitos fere eſſe, qui perpetuo concionibus publicis diei Dominici interſunt: ſed hoc nuſquam me docet verbum Dei, ex quo potius contrarium patet; nempe, eos eſſe utplurimum graphicos hypocritas, qui religionem atque exercitium illius cum maxime in propatulo habent, Deo ipſo ſic edicente per Jeſaiam cap. 1. verſ. 14. *Novilunia veſtra, & ſtatas ferias veſtras odit anima mea, ſunt mihi laborioſa.* Ad quæ verba hæc

 obſervat

obſervat nunquam ſatis laudatus Calvinus: *Superſtitio vel ex re ipſa, vel ex animi affectu æſtimanda eſt*, &c. *Ex affectu, cum legitimos quidem ritus & probatos à Deo imitantur homines, ſed externæ ſpeciei fixi inhærent, nec in finem, aut veritatem intenti.* Quiſquis enim genuinus eſt Judæus, talis *eſt in occulto, non in propatulo*, Rom. 2. 28. & ſeqq. piique, & vere converſi cenſentur, non illi, qui devoti ſolum comparent & videntur, ſive Sabbatho, ſive die Dominico: ſed qui *de lege Iehovæ meditantur interdiu ac noctu*, Pſal. 1. 2. quibus ut parum eſt, quod non poſſint ratione judicii publici, (perhiberi ſoliti à ſimilibus frequentium concionum auditoribus) gloriari cum noto illo homine, Luc. 18. 11. ita optimi haberi debent diei Dominici obſervatores, quod ex formula Pſalmi XCII. (qui Sabbathicus haberi ſolet) *annuncient unoquoque mane benignitatem* (Jehovæ) *& fidem illius quibuſque noctibus*; quod faciunt, dum diei Dominico & prærogativam ſuam relinquunt, & aliis diebus (interim perpetuo vacando privatis ſuis meditationibus) quod ad auditionem ſacrarum concionum, ſuam afferunt commoditatem.

XV. Quum modo vero meminerimus contemplationum diei Dominico convenientium, ratione non minus operum, quam judiciorum divinorum; non poſſumus hoc diſſimulare, nobis videri eaſdem convenientiſſime inſtitui poſſe, ſi, poſt peracta pomeridiana ſacra, exercitio prodeambulationis ſuburbanæ (modo eam vis major non prohibeat) temporis quid tribuatur; quomodo & Iſaacus Patriarcha in agrum prodire ſolet *ad meditandum*, Gen. 24. 73. & duo ex diſcipulis Chriſti, propter meditationes cum primis ſacras, contenderunt in vicum Hieroſolymis proximum, Luc. 24. 13 & ſeq. Quod uſque adeo liquidum eſt, ut ipſe Telingius, hic alias nimis quam rigidus lib. 3. d. Tract. cap. 5. pag. 55. concedat hoc ipſo die ſuis civibus; *Dat ſy mogen buyten gaen*, (lubet propria hujus hominis verba uſurpare) *ſich vermeyden in vriendelijcke, ende ſoete wandelinge, ende aenſchouwinge van Godts gewaſſen, ende wonderlijcke wercken.*

XVI. Similiter ob eundem finem licitum eſt, hoc ipſo die (quicquid in adverſum clametur) intereſſe convivio moderato & honeſto, ſacraſq; meditationes magis promoventi, quam impedienti; quum & ipſe Chriſtus, optimus legis, & conſequenter quarti præcepti interpres, die Sabbathi interfuerit convivio cujuſdam ex primoribus Phariſæorum, Luc. 14. 1. quod Cartvvrichtus, rigidus alias Sabbathi obſervator & propugnator, in Harmonia ſua ſic explicat, quaſi Dominus, ipſius prandii tempore

Digitized by Google

tempore ediderit miraculum, cujus occaſione illa temporis circumſtantia notatur. Certe, recte obſervavit maximus Calvinus, hiſtoriam eo loco relatam, & cujus modo facta fuit mentio, *nihil aliud continere quam miraculum à Chriſto editum, quo ſuperſtitioſum Sabbathi cultum corrigeret.* quod hactenus nobis ſufficit. Atque ſic ipſe Telingius (verba ejuſdem iterum uſurpabo) dicti Tract. lib. 3. cap. ult. pag. 75. permittit *dat een goeden vrient ofte twee op de portie by een komen, oock op des* Heeren dagh, *om vriendelijcken ſonder woel, met malkanderen Godts gaven matighlijck, en ſtillekens te nutten, tot op-weckinge van meerder danckbaerheydt tot Godt, ende tot groot-makinge ſijns naems.* Adeo,ut in ruborem dari debeant quidam ex hominibus, quos hic prę aliis forte adverſarios ſumus experturi, quod recuſent die Dominico,ullius quoque propinqui aut amici convivio intereſſe, tantum ut ſingulari ſanctimoniæ opinione apud plebeculam gaudere poſſint.

Hactenus videri poſſemus, pro inſtituti noſtri ratione, omnibus de- XVII.
functi eſſe, niſi occurrerent duæ quęſtiones, ſuccincte ex Dei verbo expediundæ. Prior concernit itinera Sabbathica, quæ ratione certi modi & ordinis permiſſa eſſe,hinc patet,quod expreſſe fiat mentio *itineris Sabbathici*, Act. 1. 12. in cujus menſuram quam accurate inquiſivit horum ſacrorum conſultiſſimus Seldenus lib. 3. de Jure Naturæ & Gent.cap.9. quæ more hoc ſeculo recepto non compilo. Atque *initio*, ipſis quoq; & Iſraëlitis Sabbatho licuiſſe, aliquo uſque longius procedere ſacrorum ergo, propter divini cultus exercitium, patet ex Sunamitidis propoſito 2. Reg. 4. 23. qui hac enim animi intentione iter faciebant, non ſuo operi, ſed Domini operi vacabant. Convenienter Tertullianus lib. 2. adverſus Marcionem cap. 21. *Nec Sabbathi enim inſpicis legem, opera humana, non divina probibentem. Siquidem ſex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, ſeptimo autem die Sabbatho Domino Deo tuo, non facies in eo omne opus. Quod? Utique tuum. Conſequens enim eſt, ut ea opera Sabbatho auferet, quæ diebus ſupra indixerat. Tua ſcilicet, id eſt humana & quotidiana.* Cui ὁμόψηφος Philo Judęus, lib. περὶ κοσμοποιίας, quarto præcepto vetari duntaxat docet, ὅσα κατὰ ζήτησιν βίου καὶ πορισμὸν; cum quibus nihil commune habebant itinera tali animi propoſito inſtituta. Similiter colligere licet, ex Nehem. 8. 2. eos, qui remotius habitabant ab urbe Hieroſolymorũ, ipſo die Sabbathi conſueviſſe in templum aſcendere, juxta Dei præceptum Levit. 23. 3. & ſeq. *Præterea*, præ metu perſecutorum, licuiſſe ipſo Sabbatho quanto ocyus fugere, patet exemplo Elię, per XL.

continuos

continuos dies & noctes fugientis à facie Jeſabelis, donec perveniſſet uſque ad montem Chorebi, 2.Reg.4.23. Nec contrarium docet Chriſtus Mat. 24.20. quando monet Judæos, ut orent, *ne fuga ſua fiat hieme, aut Sabbatho*: ſiquidem, ut doctiſſimus Capellus recte obſervavit, Chriſtus eo loco duntaxat reſpexit ad opinionem, quam tum temporis Judæi de Sabbatho habebant, qui exiſtimabant nulla de cauſſa licere, eo die longius iter emetiri, quam duum millium cubitorum. *Tertio*, ſi opera aut charitatis, aut neceſſitatis exigant, nullum dubium eſt, quin totum quoque Sabbathum itineri peragendo conſecrari poſſit. Quomodo nullum dubium eſt, quin medici & chirurgi, ſi ad ægros, aut vulneratos evocati fuerint, toto Dominico die, ſive equitare, ſive curru navive vehi queant; quæ neceſſitas hoc caſu non ſolum eos excuſat, verum etiam omnes illos, qui in peragendo hoc neceſſario itinere iiſdem inſerviunt. *Quarto*, non video quoque, quare illi, qui iter neceſſarium plurium dierum ſunt ingreſſi, provocare debeant occaſionem, ſępe incommodam, ſi non periculoſam quoque, quieſcendi die Dominico; quum poſſint pariter, publico licet religionis exercitio deſtituantur, vacare lectioni Scripturæ, precibus ejaculatoriis, aliiſque ſacris meditationibus, exemplo Eunuchi, qui in curru ſuo ſedens legebat Jeſaiam Prophetam, Act. 8. 28. Quod ipſum Chriſtus ſuo exemplo docuiſſe quoque videtur, qui cum diſcipulis ſuis ipſo Sabbatho iter fecit, per ſata, Matth. 12. & quidem longius, (quicquid quibuſdam videatur) prout evincit vel ſola fames, qua cum diſcipuli luctabantur: quum enim Dominum Sabbathi, & eum, qui ductor eſt in omnem veritatem, ſecum haberent Apoſtoli, ſecuri potuerunt eſſe Synagogæ, eorumque, quæ ibi peragi ſolent. Nec eſt quod quis ex iis, qui rigide hic diſſentiunt, clamet, interim diſcipulos Chriſti non quieviſſe: ſic enim hi homines ſua principia evertunt, quum alias velint quietem duntaxat conſiderari ut medium ſanctificationis. Certum vero, hanc ipſam ita poſſe in mediis ſtrepitibus intendi, ut hujuſce medii queat eſſe ſecura. Cæterum hic occurrit mihi ſingularis ſcrupulus, an ſcil. Magiſtratus Belgii fœderati, quorum edicta circa obſervationem ſtrictiorem diei Dominici hactenus præconio digna ſunt, licite poſſint tolerare, ut illo die, & quidem æque ſtatis horis, atque reliquis diebus, ordinariæ ſcaphæ & currus commeent inter vicinas urbes; cumq; hebdomadariæ nundinæ Amſtelodamj (emporii toto orbe celeberrimi) habeantur die Lunæ, an poſſint permittere, ut ſui cives, & ſubditi, ſæpe, mox à prandio diei Dominicæ, naves curruſque repleant,

Digitized by Google

replicant,quo tẽpeſtive ſubſequenti die mercimoniis emendis & vendẽdis vacare poſſint? Certe,niſi quid deferatur quartæ hujus ſect.obſervationi, non video quomodo hæc ſubſiſtere queant cum principiis eorum Theologorũ,qui uſq;adeo rigidi ſunt circa obſervationẽ diei Dominicę, (eum volunt æq; obſervari ſub N.T. atq;ſub V.T.à Judęis Sabbathum obſervabatur) ut multis modis injurii ſint in libertatem Chriſtianam.

Poſtremo quæritur, an non Magiſtratus Orthodoxus, omnes ſuos ſubditos, Heterodoxos quoque, cogere debeat, ut diem Dominicum convenienter ſanctificent, frequentando publica ſacra? Certe hic quibuſdam arriſit affirmativa ſententia, tum quod IV. Præcepto mentio quoque fiat peregrini,tum etiam quod hoc ſuadere videatur exemplum Regis Joſiæ 2. Chron. 34. 33. ac denique Chriſtus jubeat quoſdam compelli, ut ingrediantur, Luc. 14. Eoque alicubi conſilia agitata ſunt de mulctandis illis, qui die Dominico ſacras conciones audire negligerent. At,putem ſalvo meliori judicio hic diſtinguendum eſſe inter quietem, & ſanctificationem diei Dominici, atque, vel propter politicas rationes, ad illam omnes inquilinos à Magiſtratu adigendos eſſe, non pariter vero ad ipſam quoque ſanctificationem peragendam publice.Nam niſi illud fiat,heterodoxi ab incolis orthodoxis quęſtum avertent. Nulla vero occurrit ratio, quæ ſuadeat Orthodoxo Magiſtratui, ut hoc faciat, atque propoſitis minimum mulctis pecuniariis, omnes ſuos ſubditos, heterodoxos quoque, compellat hoc die publicis ſacris intereſſe. Nam ut extortus nolentibus cultus, Deo ingratiſſimus eſt; ita per Magiſtratus, gladio armati, leges extorqueri poteſt cultus religioſiſſime & devotiſſime quaſi exerciti ſimulatio, neutiquam vero inſpirari vera & ſalvifica fides, abſque qua omnia externa, ut ut ſpecioſa, nullatenus Deo placere poſſunt. Deus exigit tales *cultores*, qui *ſponte*, ſive hilari & prompto animo, non minus ſe, quam omnia ſua ſibi offerre parati ſint, 1. Chron. 29. verſ. 6. 9. atque,. ut ipſe ratione Eleemoſynarum diligit *datorem hilarem*, 2. Cor. 9. 7. ita alios non agnoſcit pro genuinis Eccleſiæ ſuæ filiis, quam qui primo *ſemetipſos* ſibi (tanquam *Domino*) *dediderint*, deinde *verbi miniſtris*, & conſequenter quoque Magiſtratibus, juxta pręclarum illum textum 2. Cor. 7. 5. (jugulat hic locus Papanos ſacrificulos, atque alios, iiſdem non abſimiles, qui exiſtimant,ſe magni quid præſtitiſſe, ſi promiſerint ſuis cæcis ſectatoribus, quod animas ſuas pro iis velint oppignerare, quum tamen ipſis non conſtet, qualiter illi, quos volunt per ſe, ut miniſtros, Deo quaſi vindicare, ſe XVIII.

antea eidem dediderint) quum populus, qui *Ipſi* acceptus eſt, ducatur etiam *Spiritu Dei*, Rom. 8. 14. ſitque *populus ſpontaneus*, Pſ. 110. 3. qui non minus *voluntarie Deo ſacrificat*, Pſ. 54 6. quam jugiter eundem rogat, cum Davide, ut queat *ſpiritu ſpontaneo confirmari*, Pſ. 51. 14. Præclare Ambroſ. Epiſt. 13. *Ecce Imperator legem tuam jam ex parte reſcindit, ſed utinam non ex parte, ſed in univerſum; legem enim tuam nollem eſſe ſupra Dei legem. Dei lex docuit nos quid ſequamur, humanæ leges hac docere non poſſunt; extorquere ſolent timidis commutationem, fidem inſpirare non poſſunt.* Nec contrarium patet ex illis locis, quibus quidam niti videntur. Minime ex ipſo. IV. præcepto, in quo licet occurrat mentio *peregrini*, per eum tamen non poteſt intelligi alius, quam προσήλυτος ſanguinis extranei, quales multi inter Iſraëlitas vivebant, qui quamvis legibus Moſaicis non forent ſubjecti, ut colligere licet ex Deut. 4. & 13. 14. 29. die tamen Sabbathino cogebantur quieſcere, (lex ipſa de quiete ſolum loquitur) ob cauſſam politicam, antea annotatam. Joſiæ quoque zelus hic intempeſtive advocatur, ſiquidem exemplo Joſuæ (Joſ. 24. 14. & ſeqq.) per validas obteſtationes, quotquot in Iſraële erant, Deo in obſequium aſſeruit. Contrarium quoque Chriſtus non docuit. Verum quidem eſt in Parabola Luc. 14. 23. patrem familias *ſervo ſuo præcipere*, ut, *quos invenerit, cogat* (in Græco eſt verbum ἀναγκάζειν) *ingredi*; at, hoc neutiquam eſt intelligendum de coactione violenta, ſed de admonitione ſeria, & exhortatione qua tempeſtiva, qua intempeſtiva, cui vacare debent Verbi miniſtri, quorum gloriatio non debet æſtimari ex multitudine auditorum, (quæ plurimis, pro dolor! non modo cornua addit, ſed ſi diffluat, maleſana quoque conſilia dictat) ſed infucato ſimulque prudente Zelo, quatenus inſtant *tempeſtive & intempeſtive*, 2. Tim. 4. 2. quomodo dicitur Petrus gentes ἀναγκάζειν ad Judaiſmum, non vi quadam, ſed exemplo, Gal. 2. 14. Sic & duo illi Emaunta euntes diſcipuli, Chriſtum παρεβιάσαντο, ut ſecum maneret, cum precibus inſtando hoc ab eo impetrarent, Luc. 24. 29. Verum quidem eſt, hoc ipſo teſtimonio Auguſtinum ſępe uſum fuiſſe, contra Donatiſtas, ut probaret piorum quaſi principum edictis, ad veri Dei cultum & fidei unitatem licite cogi pręfractos atque rebelles: ſed interim præter mentem Chriſti, atque non minus contra principia doctrinæ ejuſdem, quam rationem. Audiatur unus Athanaſius, cujus aurea ſententia, occurrente Apolog. de fuga, prout per interpretem eſt reddita, hanc Exercitationem obſignabo. *Ita ergo loquitur*: Si quoſdam ex Epiſcopis, propter hæc metu perculſos,

Digitized by Google

perculſos,transferri prorſus indecorum eſt, quanto indecentius iis, qui creditis à ſe non confidunt, conveniens fuerit, adverſus eos, qui nolunt vim adhibere, eoſque cogere? ſic Diabolus, quandoquidem veri nihil habet, ſecuri & aſcia invadens, eorum, qui ipſum admittunt, fores perfringet; ſed Salvator adeo mitis eſt, ut doceat, *ſi quis poſt me venire vult; & ſi quis diſcipulus meus eſſe vult*: accedens vero ad ſingulos vim non inferre,ſed *pultare* potius,& dicere *aperi mihi ſoror mea ſponſa*:& ad aperientes intrat, deſidibus & nolentibus illis, diſcedit. Nec enim gladiis, aut per milites veritas prędicatur,ſed ſuada & conſilio. Quæ vero ſuada ubi Regis metus? aut quæ conſultatio, in qua qui contradicit, exitium & mortem reportat. *Hactenus Athanaſius.*

EXERCITATIO X.

An die Dominico omnes cauponæ claudi debeant.?

1. *Quid intelligi debeat per cauponas?*
2. *Quædam ex illis ſimpliciter improbantur?*
3. *Aliæ conceduntur ſub certis conditionibus.*
4. *Optandum quidem foret, omnes cauponas die Dominico poſſe claudi.*
5. *At, cum hoc in fœderata Belgica non ſit poßibile, ſub certa limitatione admittuntur.*

Pervetuſtæ non minus ſunt cauponæ, quam ipſum cauponum nomen, jam Ennii ævo receptum. Ne vero ſollicitem aut varias linguas, aut gloriam Etymologicam captem, caupones, quorum meminit ipſum jus Civile in rubr. tit. 4. ff. lib. 9. ſunt illi, qui cauponam exercent, ut definiuntur d. ti. l. 1. §. 5. Paulus Feſti abbreviator, ut contendit cauponam, ſive *coponam* dictam eſſe à copiis; ita videtur proprie fuiſſe locus, in quo parabantur & diſtrahebantur omnia ad victum neceſſaria. Verba illius hæc ſunt: *Copona, taberna, à copiis dicta.* Sunt vero copiæ apud Latinos authores, omnis generis alimenta & annonæ; ut in *leg.*4. *Cod. Theod. de oper. publ. in l.* 20. *Ejuſd. Cod. de compenſationib.* & paſſim apud Valerium Maximum, Symmachum,& Caſſiodorum. Atque hinc I.

Novius in Attellana dicit apud Gellium lib. 17. cap. 2. *Romani multis armis, & magno commeatu, prædaque ingenti copiantur*; ſubjiciente proxime ipſo Gellio: *Copiari verbum caſtrenſe eſt, nec facile id reperias apud civilium cauſſarum oratores.* Et apud Plautum Aul. 3. 5. (ut recte notavit Turneb. lib. 14. Adverſ. cap. 5.) caupo nomen eſt generale, non ſolum notans eum qui vinum vendit ſimilemve liquorem, ſed inſtitorem quarumcunque mercium: qui alias, in antiqua inſcriptione Romana apud Gruterum pag. DC. XLVI. 7. vocatur *copo.* Scaliger in Conjectan. ad Varronem exiſtimat eundem dictum fuiſſe *cuponem*, atque *cupam* idem notare, quod *cauponam*, pro qua & dixerit *copam* Virgilius. Alias, ſpeciatim apud Scriptores Romanos, notat locum, in quo aut vinum, aut cibi delicatiores, qui uſitate dicuntur *cupedia*, divendi ſolent. atque ſic caupona idem eſt quod apud Græcos καπηλεῖον. Gloſſ. antiquum quantivis pretii: καπηλεῖον, *Popa, popina, taberna, cauponium.* κάπηλος, *Cauponarius*, *copo.* item καπηλοδύτης, *Ganeo*, *tabernarius.* Similiter Gloſſarium Philoxeni: *Coponicula*, καπηλίον. Unde patet, *popinam*, *cauponam*, & *tabernam* eſſe Synonyma. quanquam nomen *tabernæ* alias generale eſt. In eadem ſignificatione accipitur vox *diverſorii*: pro quo Plautus dixit Truc. 3. 2. *diverſoria taberna.* Alias *tabernæ* erant Oenopolia. Non. Marcellus: *Tabernas* (inquit) *non vinarias ſolum, ut nunc dicimus, ſed omnes quæ ſunt popularis uſus auctoritas Romana patefecit.* Quid vero *ganeum* ſit, vox pariter Synonyma, patet ex Donato ad Terentii Adelphos ſic ſcribente: *Veteres ganeum meritoriam tabernam dixerunt* ἀπὸ τῆς γῆς τῆς ἐςι τῆς γῆς, *quod ipſa ſit in terra, non ut cœnacula ſuperius.* Hinc *ganeones* ſunt homines luxurioſi & luſtris dediti, nepotes, & helluones: qui à Græcis quoque γανίται vocantur. Heſychius γανίται, δάπανοι, ἄσωτοι. Eugraphius in Terentium: *Helluo eſt invaſor & qui plurimum conſumit. Ganeo, tabernis operam dans, & conviviis turpioribus.* Pro eodem accipitur quoque *luſtrum.* Utrumq; vero, qua ganeum, qua luſtrum cum lupanari magnam cognationem colit. Servius ad lib. 3. Æneidos: Luſtra, *Cubilia. Unde etiam lupanaria luſtra dicimus, ubi habitant lupæ, id eſt, meretrices, dictæ ab obſcænitatis & odoris ſimilitudine.*

II. Hiſce prelibatis breviter, exiſtimamus, neutiquam illas ſive cauponas, ſive diverſoria in repub. probe conſtituta tolerari poſſe, quæ reſpondent ganeis, luſtriſve: licet enim exercitores prætexant ſe tantum generoſiorem potum vendere, fovent tamen hominum ebrioſorum ἀσωτίαν, imo connivent quoq; ad turpiora, quę non modo patiuntur in

ædibus

ædibus ſuis committi, verum ſæpe quoque, ſpe lucelli, promovent. Talia quondam erant apud Romanos Thermopolia, in quibus potus calidus omnis generis vendi ſolet. Eorum ſæpe meminit Plautus: ſpeciatim Curcul. 2. 3. Græculos exagitans ſic loquitur: *Quos ſemper videas bibentes in Thermopolio, ubi quid ſubripuere, operto capitulo calidum bibunt. Triſtes, atque ebrioſi, incedunt.* & Trinummo. 4. 3. *Satin in Thermopolio condalium es oblitus, poſtquam thermopotaſti gutturem.* Ejuſmodi cauponæ à D. Udemanno ad octavum præceptum eleganter vocantur *vuyle Mothcaſſen*: quę extendere poſſumus, *tot de Brandevvijns-kroegen*, &, ut hic Groningæ notantur, *Corromors-huyſen, Tabacks-huyſen*, &c. Nec poteſt Chriſtianus aliquis ſalva conſcientia, ut idem recte obſervat, victitare tales domos exercendo, ſiquidem ſerviunt duntaxat fovendis hominum peccatis, ad hæc latibula convolantibus ebrioſis, aleatoribus, & ſcortatoribus, imo ſæpe etiam furibus (ut è Plauto cognovimus) aliiſq; hominibus nihili, qui non modo in multam noctem ibi deſidere ſolent, verum etiam jurgiis, & rixis, nonnunquam etiam pugnis, omnia commiſcere. Qui vero popinas hujus ordinis exercet, parum aut nihil à lenone diſtat, ejuſq; uxor communis eſt cum meretrice. Unde & Ebręum vocabulum *Zonach*, & meretricem, & tabernariam, ſeu cauponariam mulierem ſignificat. Quomodo Ebræi, *Rahab*, de qua Joſ. 21. (ut Jonathas Paraphraſtes Chaldæus, & eum ſequuti R. Salomo, R. Jona, R. Levi, Ben-Gerſon, Rabbi David Kimchi) volunt fuiſſe hoſpitam, quam tamen Paulus Heb. 11. 31. & Apoſtolus Jacobus cap. 2. 25. ſequuti Lxx. Interpretes, inſigniunt nomine τῆς πόρνης, ſive meretricis. Nec unquam vox *Zonah* in V. T. pro hoſpita accipitur. Suſpicari aliquis poſſet, cum ſimplex fornicatio inter Gentiles vix peccatum haberetur, & cauponariam exercuiſſe, & nimia (prout ſolet) virorum conſuetudine corpore quæſtum feciſſe: poſtea verò ab exploratoribus verum Dei cultum non modo edoctam, verum etiam ad fidem converſam fuiſſe. Interim, ob illa, quæ dicta ſunt, viri honeſti, famæque & exiſtimationis ſuæ ſtudioſi, nunquam in hiſce luſtris vel conſpiciebantur. Lubet ad ſuffragium vocare Caſaubonum, ſic *commentantem ad Theophraſti Characteres Ethicos capite* περὶ ἀπονοίας: Olim apud Græcos (*inquit*) ſicut etiam hodie, ut audio, in quibuſdam Italiæ locis non multo erat honeſtior locus πανδοχεῖον, ſive taberna meritoria, quam οἴκημα, hoc eſt, lenonis aut meretricis domus. Nec multo aliter apud Latinos, qui τὸ πανδοχεῖον ſtabulum, & τὸν πανδοχέα

Q 3 ſtabularium

ſtabularium dixerunt: meretricem autem proſtibulum. Eo factum, ut viri, quibus honeſtas curę, æque in cauponis ædibus conſpici erubeſcerent, ac in lenonis: quod vel ex iis patet, quę de Stratonico citharædo refert Ælianus variarum lib. 4. cap. 14. Sed & Iſocrates, ἐν καπηλείῳ, ait φαγεῖν ἢ πιεῖν, οὐδεὶς οὐδ' ἂν οἰκέτης ἐπιεικὴς ἐτόλμησε. Vide & Athenæum lib. 13. hunc ipſum Iſocratis locum proferentem. *Hactenus Caſaubonus.* Noti quoque ſunt Hadriani Imperatoris verſus, in Florum, apud Spartianum hunc in modum ludentis:

Ego nolo Florus eſſe,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Eoque chriſtiani Magiſtratus officium eſt, ut antea quoque notabamus, non permittere ulla ratione, ut tales cauponæ in repub. exerceantur. Multo minus ipſi (pro dolor in Belgio tamen quam receptum!) in ſimilibus domibus conſpici deberent: nedum eo dirigere publicorum quoque negotiorum (utinam verum non foret!) deliberationem, tantum ut Dominis cauponibus placeant. *Quis enim poteſt fovere carbones in ſinu ſuo, ut non ardeat?* (Proverb. 6. 27.) quæ verba citans Ambroſius in Pſ. 119. addit: *quis exiſtimet, meretrices foveri poſſe in civitate, ut juvenes non ſcortentur?* Occinitur quidem vulgo illud Auguſtini ex lib. 2. de Ord. cap. 4. *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.* ſed ut illa Auguſtinus ſcripſit adoleſcens & nondum baptizatus, fidem facientibus libris Retractationum; ita Chriſtianus Magiſtratus magis attendet ad Dei legem, Deut. 23. 17. *Nulla ſit meretrix, aut proſtituta in Iſrael.* Neutiquam vero tolerabit lupanaria, ſpecioſo licet cauponarum titulo inſignita, ſiquidem ſunt *publicæ intemperantiæ trophæa*, juxta Clem. Alexand. lib. 3. Pædag. cap. 3. quæ *diabolus conſtituit, ut pudorem infelicium mulierum publicaret*, quemadmodum loquitur Lactant. lib. 6. cap. 23. atque *latibula fœditatis*, & *turpia loca*, prout Auguſtinus adultior recte cenſuit *lib. 14. de Civ. Dei cap. 18. & lib. 18. cap. 21.*

III. Interea tamen omnia diverſoria non ſunt habenda eodem loco, cum hiſce ganeis, pro dolor! nimis quam frequentibus in Belgii civitatibus, maxime majoribus. Nam *primo* admittenda videntur illa, quæ deſtinata ſunt excipiendis peregrinantibus, ſeu viatoribus, quo iis magis exhibeantur illa, quę ad neceſſitatem & commoditatem, quam quæ ad voluptatem faciunt. Hæc enim perquam vetuſta ſunt, & ante ipſam

legem

Digitized by Google

legem in monte Sinai datam, in uſu fuerunt. Gerte, fratres Joſephi, dum commeant inter Ægyptum & locum habitationis ſuę, deflectunt ad diverſorium, Gen. 42. 27. & 43. 21. Zippora Moſis uxor, propter occurrentem Angelum, circumcidit filium ſuum, dum cum marito Moſe in diverſorio moratur, Exod. 4. 24. & (ad propiora ſecula ut accedamus) licet multa diverſoria forent circa Bethleemum, quum Chriſtus tamen naſceretur, non erat illi locus ἐν τῷ καταλύματι, Luc. 2. 7. Denique in parabola, Samaritanus dicitur, hominem à latronibus vulneratum, quem in via publica repererat, deduxiſſe (Luc. 10. 34.) εἰς τὸ πανδοχεῖον, quod Interpres vulgatus Latinus optime reddidit *ſtabulum*: ſiquidem *ſtabulum* apud Scriptores Latinos primæ notæ, ſæpiſſime notat locum, quo recipiuntur viatores. Ordinanda tamen forent hæc ipſa diverſoria à Magiſtratu, cujus officium eſt operam dare I. ut tuta ſint hæc ipſa: quum ex plurimis pateat hiſtoriis, qua antiquis, qua recentioribus, ea ſæpius transformata fuiſſe in ſpeluncas latronum, licet in ipſis majoribus civitatibus notarentur. II. Definiendum ab eodem Magiſtratu pretium, in quamque cœnam; ne caupones ſe gerant pro gryphibus, leonibus, aut aquilis, per quæ animalia rapacia, veluti ſymbola, tabernas ſuas diſtinguere ſolent: utendo alias pro inſigni Æthiopibus, Corona, aut virorum Principum ſive vultibus, ſive inſignibus; ut, ſi hoſpites ſuos non poſſint terrere (quando plus æquo exigunt) velut ſuæ authoritatis larva, nigri quid ſignante, ſaltem moneant liberales eſſe debere inſtar Principum, quos oſtentant. III. Interdicendum pariter per Magiſtratus eſſet, hiſce exercitoribus diverſoriorum, ne alios recipiant, quam quos conſtet non fore graves hoſpites: atque conſultum propterea, ut, quam primum aliquem viatorem receperint, illius indicium Magiſtratui faciant. IV. Pariter iiſdem interdicendum, ne viatoribus adventantibus ſive ad portum, ſive ad urbium portas inſidientur, atque aſtu aliquo eos in ædes ſuas pertrahant, qui alio deflectere deſtinaverant. Quod artificium eorum perantiquum eſt. Sueton. Claudio: *Quoties Oſtiam Tiberi deflueret, aut Bajanum ſinum præternavigaret, diſpoſita per litora & ripas diverſoria taberna parabantur, & inſignes ganea matronarum inſtitorias operas imitantium, & orantium hinc inde ut appelleret.* Seneca Epiſt. 21. *Hoſpes hic bene manebis*, &c. *paratus erit iſtius domicilii cuſtos, hoſpitalis, humanus, & te polenta excipiet.* Prętet hæc diverſoria, *ſecundo* ratione Belgii noſtri, adhuc alia quædam per Magiſtratum concedenda videntur. In his ſiquidem oris, duplicia quaſi negotia publica

blica occurrunt: quędam in Curia, aliiſve locis ei reſpondentibus peragi ſolent; alia in baſilicis vinariis, partim nomine ipſorum Magiſtratuum elocari ſolitis, partim à privatis eundem in finem quoq; ordinatis. Hæc conſuetudo gentilis, cum difficulter poſt tot ſeculorum decurſum abrogari poſſit, Magiſtratus minimum operam dare debet, ut illa, quæ penitus tolli non poſſunt, ſaltem legibus talibus ordinentur, quo neq; religioni, neque bonis moribus ulla ratione officiant. Atque, ut jam antea notavi, ſi hæc ipſa loca, pro expediundis publicis negotiis negligi non debeant, neutiquam ipſi ad alia loca, modo indicata (hoc deploramus) negotiorum quaſi publicorum expeditionem derivare deberent. Interea circa has cauponas, varia, quæ obſerventur, occurrunt. Ergo *primo* explorandi illi forent, quibus licentia conceditur cauponas ejuſmodi exercendi: homines nauci, decoctores, ignavi ventres, atque utplurimum quoq; ebrioſi, huic arti ſe mancipant, tum ut Muſice agitare queant, tum etiam, quæſtum quam uberem per fas nefas facere. Ab anteceſſoribus ejuſmodi quid exſpectari poſſit, quivis facile colligere poteſt. Quod ſi vero non niſi viris gravibus, hujus notæ, cauponæ committerentur, etenim omnia commodius ſecundum ordinem, à Magiſtratu definiendum, procederent. II. Severe cauponibus interdicendum, ne generoſiores liquores, quos vendunt, ulla ratione adulterent. hoc jam olim facere ſolent; uſque adeo, ut apud Æſchylum in proverbium abierint τὰ κάπηλα τεχνήματα, & Ennius apud Ciceronem in Officiis dixerit de Romanis: *Non cauponantes bellum, ſed belligerantes*. Quo reſpicit quoque Apoſtolus Paulus, quando 2. Cor. 2. 17. negat ſeſe καπηλεύειν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ. Mangonium hoc vinarium, valetudini quam noxium, non modo plurimum obeſt iis, qui ſoliti ſunt cauponas frequentare, verum etiam pluribus aliis; quum in his Belgii locis uſu receptum ſit, ut non ſolum à vulgo, verum locupletioribus quoque minori menſura vinum è cauponis petatur. quod tamen apud Romanos ſummo probro ducebatur. Unde Cicero in Piſonem velut convitium jactat: *Panis & vinum à propola, & de cupa*. III. Quo reip. oneribus, ex ærario ſublevandis conſulatur, à cauponibus hiſce tributum exigi deberet: quod à Græcis vocari ſolet καπηλιατικόν, cujus fit mentio apud Andronicum Juniorem apud Phranzen, lib. 3. cap. 24. Qui enim citra ſudorem & pulverem, non modo commode (ſi non Muſice) victitant, imo inſuper lucrum faciunt, cur non ſupra reliquos cives, & agrariam turbam, in publicorum onerum partes veniant? IV. Definiendum quoque à Magiſtratu eſt, qua hora, quoq; die, & claudi

& claudi & aperiri debeant tabernę: quam legem, ſtricte omnino obſervandam, ſi Magiſtratus ſuo potiſſimum exemplo munire inſtituerit, ἀταξία & diſſoluta vita quorundam in ordinem redigi poterit, qui alias toto anno Solem aut orientem aut occidentem vix conſpicere ſolent. Ita Romæ balnea,& tabernæ deliciarum,ante horam nonam patere non ſolent. Vetus Interpres Perſii: *Nonaria dicta meretrix, quia apud veteres à nona hora proſtabant, ne mane omiſſa exercitatione illo irent adoleſcentes.* Lampridius in Alexandro Severo: *Addidit & oleum luminibus thermarum, cum ante & ad nonam paterent,& ante Solis occaſum clauderentur.* Hic Groningę extat conſtitutio quam laudabilis: optamus ſolum, ut campanæ huic adſit piſtillus. V. Numerus quoque harum cauponarum per publicas Poteſtates definiendus foret: probroſum ſiquidem reip. (utinam in Belgii aliquibus civitatibus verum non foret!) tribum tabernariam plura membra agnoſcere, quam varias honoratiorum civium tribus. Ut medicorum frequentia indicat clima morbidum; ita cauponarum multitudo indicina eſt civium corruptorum, atque Lydis haud abſimilium, qui (teſte Herodoto lib. I.) decoxerunt avitam virtutem & gloriam, quum ad exercendas cauponas animum adjeciſſent. VI. Loco pariter certo hæ ipſe tabernæ forent aſſignandæ, neutiquam vero in ea regione urbis accumulandæ, ubi omnia quam ſicciſſima eſſe oporteret. Nemo probaret illius Magiſtratus inſtitutum, qui ad cœmiterium Cathedralis Eccleſiæ (prout vulgo loquuntur) omnes vinarias tabernas ablegaret; ſimiliter, quis extra cenſuram juſtam deputet eſſe apud viros prudentes & religioſos, tolerantiam eorum reip. Antiſtitum, qui, excluſis honeſtis mercimoniis, patiuntur Curiam ſuam cauponarum circulo non tam circumdari, quam obſideri, quaque caupona ſibi quæ Curiæ membra, ſive nobiliora, ſive indigniora, vindicante? Omnibus, modo ſunt homines, non poteſt non arridere (interveniente animi aſſenſu) hoc Horatii lib I. Ep. 19.

—— *Forum, Putealque Libonis*

Mandabo ſiccis. cui & conſonum eſt geminum illud Propertii lib. 4. de Vertumno:

Sobrius ad lites: at cum eſt impoſta corona,
Iurabis capiti vina ſubeſſe meo.

Poſtremum hoc monitum utinam ubique in Belgio placeret! neſcio quo fato Curia alicubi obſeſſa ſit à cauponis hujuſce ordinis. Ad angulum fori ſi in quibuſdam urbibus ſtatueres cæcum, atque juberes

cauponam indicare, ſanè vix falli poſſet: ſi enim circa primam domo palpando aberraturus videretur, duum triumve vicinarum cauponarum odor, primi errati tentamen mox emendaret. Hæc tamen non ſunt iis, quæ vocat Apoſtolus τὰ εὔφημα Phil. 4. 8. Utinam Urbium lau tiſſimarum alias exiſtimatio aliquando vindicetur! Interim exercitores earum, (modo legibus à Magiſtratu latis plene atque per omnia ſatisfaciant,) inter membra Eccleſiæ non modo adoptari poſſunt, vero etiam, ſi requiſita ſpecialia concurrant, pariter adoptàri in ordinem non minus Seniorum, quam Diaconorum.

IV. Quanquam vero poſterioris ordinis tabernæ, prout à nobis definitæ atque ordinatæ ſunt, circa ſe nihil omnino vitii habere videntur, optandum tamen foret, omnes illæ die Dominico claudi poſſent, quemadmodum iis diebus, quibus Magiſtratus publicas ſupplicationes & jejunia imperat, ſevere earundem exercitio interdici ſolet. Neque enim putandum, aliquem, æque commode qua privatis meditationibus, qua precibus, eas ingrediendo vacare poſſe, atque domi ſuæ, ubi quicquid impedimentorum occurrit, pro imperio atque arbitratu ſuo facile ſubmovet. Votum hoc meum ſycophantice exagitat Reyneſſius, ſiquidem nullum medium oſtendere potuit, quod voti ſatisfactioni ſervire poſſet: atqui cur Magiſtratus circa dies Jejunii, raro recurrentes, decreta ſua exequi queat, haud æque vero circa diem Dominicum, ſeptimum in ordine per totum annum?

V. Enimverò, quum honeſtæ recreationi locus ſit relictus Dominico die, atque liceat (Nehem. 8.) *bibere dulcia*, vulgus vero Belgarum conſueverit liquorem generoſiorem non tam in vaſis domi reconditum habere, quam petere è tabernis, ſive vinariis, ſive cereviſiariis; non videntur ob hanc cauſſam tabernæ hujus ordinis die Dominico claudendæ eſſe: ne forte queratur plebs, ſe ſex diebus pro ſatianda ſuorum fame domi deſidere & tenuiter victitare, atque ne quidem eo ipſo die, quem honeſtis recreationibus impendi Deus permittit, iis potiri poſſe, quæ non minus iiſdem provocandis ſerviunt, quam excitando quoque interiori animi gaudio. Nam & ipſa Scriptura teſtatur, quod *vinum* non modo *faciat cor bonum*, 2. Sam. 13. 28. verum etiam illud *lætificet*, Pſal. 104. 15. Quid quod in ipſis ſacrificiis, (illa Sabbatho duplicata erant) vini uſus eſſet receptus, Exod. 29. 40. Num. 15. 4. quod proinde *Deum* ipſum *lætificare* dicitur, Jud. 9. 13. Circa locum Nehemiæ (textus originalis inſpiciatur) non moror Dn. Duboſii,

Duboſii, alias amici, obſervationem, fruſtra à Reyneſſio adductam. Ut alibi oſtendam, non conſtat hic viro docto ratio. Atque ſi conſtaret quoque, nobis ſub conditione Politica progredientibus, obeſſe non poteſt. Optaremus omnibus Belgis dies Dominicus lętus eluceſceret. Si Marci Damæ, aliorumque ex infima plebe, cellæ eſſent æque inſtructæ, atque multorum è Paſtoribus, poſſentque vina diverſę quoque notę exhibere, pauci ex hoc ordine, Dominico die ingrederentur cauponas ſuburbanas; quas adeunt, ut pretio comparare ea poſſint, quę in ſua penu invenire non ſolent, atque ſi peterent ægri quoque, forte à paucis Paſtoribus (alias hic domi locupletibus) vix conſequerentur. Quæ generoſioris liquoris, bellariorum, cupediarum, & pomorum quoque videtur eſſe ratio, quę non video, quare in ſuburbiis, hoc ipſo die licite non poſſint vendi, ſi cenſeatur licite (mi Lector loquor ex hypotheſi, quam vellem ſublatam) permitti cauponarum exercitium. Interim, velim hanc licentiam (hactenus abolitam opto) legibus quibuſdam circumſcribi per Magiſtratum. 1. Ne antea pateant hæ tabernę, quam concio pomeridiana ſit finita. 2. Ne quid inſoliti ſtrepitus, quo ſacræ meditationes impediri queant, in iis excitetur. Eoque, hic per omnia probamus legem Conſtantini Magni, ſeu leg. 10. Cod de Feriis, quæ ratione diei Dominicæ ſic ſancit: *Nec hujus religioſi diei otia relaxantes, obſcænis quemquam patimur voluptatibus detineri: nihil eodem die ſibi vendicat ſcena theatralis, aut Circenſe certamen, aut ferarum lacrimoſa ſpectacula.* 3. Nulli uſque dum inebrietur, potus generoſior vendatur; gravi mulcta non minus inebriato, quam cauponi, definita. 4. Æſtivo tempore, hora ante ſolem occaſum claudi jubeantur, atque eum in finem, citius quoq; Civitatum portę claudantur, ne cui liceat in ſuburbanis cauponis ſtabulari: hiberno vero tempore, nulli cauponi (ſub majori mulcta) poſt horam veſpertinam ſextam, alicui liceat, domi ſuæ potum inebriantem prębere. Optaremus equidem, opus non foret per Belgium reformatum hiſce limitationibus, atque toto die Dominico omnes cauponæ claudi poſſent: at, cum hoc vix fieri queat, ob illa, quę diximus, reip. Moderatores ſerio meditentur, an non hac in parte debeant cogitare, quod dicit Aquinas, 2. 2. qu. 10. art. 11. *In regimine humano qui præſunt, recte aliqua mala tolerant, ne pejora incurrant.* Quam tamem tolerantiam, ut ipſi rei communis Moderatores, quantum in ſe, magis atque magis circumſcribant, & Lex Dei, & ratio, ſuadent, ſimul ego ex animo voveo.

Digitized by Google

EXERCITATIO XI.

An dies feſti omnes, ſpeciatim quinq; ſolemnes, debeant abrogari, nec fas ſit iis cœnam Dominicam adminiſtrare?

1. *Dies feſti, à Dominico die diſtincti, inſtitui poſſunt ſub N. T. exemplo Mardochai, & Iudæ Machabæi.*
2. *Vindicatur Mardochai inſtitutum.*
3. *Item Iudæ Machabæi.*
4. *Quare, & quomodo, dies quidam Feſti præter diem Dominicum ſub N. T. celebrentur? quid ſtatuerint quidam Orthodoxi?*
5. *Quid receptum ſit in Eccleſiis fœderati Belgii?*
6. *Synodo Dordracenæ conſonat Catecheſis Palatina.*
7. *De Feſto Paſchatis, & quomodo fuerit olim agitatum?*
8. *De Feſto Pentecoſtes.*
9. *De feſto Nativitatis Chriſti.*
10. *De feſto Aſcenſionis.*
11. *De feſto Circumciſionis.*
12. *Reſpondetur ad locum Gal. 4. 10.*
13. *Item ad locum Col. 2. 16.*
14. *Feſtis N. T. non obſtat quartum Præceptum.*
15. *Nec ratio feſtorum V. T.*
16. *Nec authoritas Chriſti, aut Apoſtolorum.*
17. *Nec inſtitutum Dei.*
18. *Non quoque ratio adiaphororum.*
19. *Minime quorundam Theologorum authoritas.*
20. *Miniſtri Belgici non poſſunt rite laborare pro horum feſtorum abrogatione.*
21. *Quando celebrari debeat cœna Domini?*
22. *Hoc licite, & utiliter, fit biſce diebus Feſtis.*

I. Quanquam dies feſti, ſive dies ſolennes, celebrandis quaſi Dei beneficiis pro propagatione *Ipſius* gloriæ ſervientes atque deſtinati, velut religioſe & perpetuo obſervandi, à ſolo Deo poſſunt inſtitui, qui eſt unicus legiſlator, oditque non ſolum, ſed execratur quoq; mandata hominum, Mat. 15. 9. tanquam ἐθελοθρησκείαν, ſeu ſponte ſuſceptum cultum, Col. 2. 20. 23. non

Digitized by Google

non tamen interdictum eſt Eccleſię, ſive Veteris, ſive Novi Teſtamenti, in memoriam certorum Dei beneficiorum, dies aliquos, quaſi commemoratorios deſtinare conventibus & exercitiis ſacris, libere, ordiniſque gratia tantiſper obſervandos, quam ſecus videatur Eccleſiæ, ſecundum eandem quaſi amplitudinem conſiderandæ. Prout ſecundum filum Juris naturalis (neutiquam interim refragante Scriptura) oſtendimus in Diatriba de Sabbatho. Ita quoq; ab Heſthera & Mardochæo, unanimi conſenſu Judæorum, admirandum in modum pręſentaneo exitio exemptorum, inſtitutum fuit feſtum *Purim*, ſive ſortium, Eſth. 9. 23. quod & deinceps à Judæis eſt obſervatum, 2. Machab. 15. 37. atque dictum ἡμέρα Μαρδοχαική. Pariter à Juda Machabęo, poſtquam tertia vice repurgaſſet templum, atque propuliſſet tyrannidem Antiochi, 1. Mach. 4. 59. inſtitutum eſt feſtum τῶν ἐγκαινίων, ſive Encæniorum; quod quoque ipſe Chriſtus, oſor alias maximus τῆς ἐθελοθρησκείας, ſua pręſentia cohoneſtavit, Joan. 10. 20. dubio procul non facturus, ſi feſta omnia humanitus inſtituta, pro commemoratione Divinorum beneficiorum, exiſtimaſſet eſſe illicita.

Laborat quidem Author *altaris Damaſceni* argumentum hoc nobis II. eripere, excipiendo varia adverſus utrumque Scripturæ locum: at ea tanti non ſunt, ut aliquem movere debeant, quemadmodum patebit ex ipſo examine. Reyneſſium, antequam ulterius pergam, non poſſum quin ut Sycophanticum nebulonem inſigniam. Quoniam utriuſque Scripturæ loci hic memini, Nebulo iſte ſic inſurgit: *Pudeat hunc hominem, quod Machabai Apocryphum librum Eſthera parem faciat.* At mi Deus, ubi hoc à me factum? ἐγκαίνια à Machabæo inſtituta, quoniam memorat Johannes, eum cum Eſthera componendo, duum Canonicorum librorum recte memini: adeo ut Reyneſſius pag. 67. promeruerit elogium, quo jam inſignivi eum juſto Zelo. At, quid tandem Didoclavius? Adverſus dies *purim*, à Mardochæo inſtitutos, hæc adfert pag. 681. *Non dicitur condictum tempus eorum* mogned, *ſed* jemin, *tempus determinatum vel quodvis condictum, nec etiam dicuntur Sabbatha.* Reſp. Dies *purim* eodem modo dicuntur, ac *dies primitiarum*, Num. 28. 26. ubi in textu Hebræo idem occurrit vocabulum. Pergit: *Quieverunt, verum ab inimicis ſuis, qui erant Suſis,* &c. *De quiete in poſterum obſervanda nihil inſtituitur.* &c. *Preterea, utitur hic Spiritus Sanctus alia voce ad exprimendum iſtud quieſcere, quam* ſchebath, *qua vox eſt uſitata ad ſignificandam vacationem, ſeu ceſſationem, ab opere die feſto.*

Nam hic alia voce, nempe Nachu, quieverunt, *utitur, cujus radix* Nuach. Reſp. I. *Nuach*, & *Schabath* ſunt ſynonyma; & quamvis ab hac radice deſcendat Sabbathum, altera quoque cum omnibus ſuis derivatis transfertur ad ſignandam quamcunque requiem: atque ſpeciatim, ratione quietis Sabbathi, liquet ſi loca Exod. 20. 11. & Gen. 2. 3. inter ſe conferantur. II. Diem hunc ut feſtum quotannis celebraſſe Judæos, patet 2. Macch. 15. 37. ubi, ut modo diximus, καὶ ἐξοχὴν vocatur ἡ μαρδοχαϊκὴ ἡμέρα. III. Quanquam non videtur Judæis prohibitum fuiſſe, ut hoc die ab operibus ſuis ceſſarent, Thalmudiſtas tamen cenſuiſſe, ſatius eſſe iis abſtinere, teſtis eſt Buxtorf. cap. 24. Synag. Jud. Sic & nos diſtinguimus inter dies feſtos, qui incidunt in diem Dominicum, & eos, qui incidunt in quem alium diem; atque hiſce, poſt frequentata publice ſacra, exiſtimamus licere ad ordinarium opus redire, modo nulli ſcandalum præbeatur: ut poſtea fuſius declarabimus. IV. Si locus recte inſpiciatur Eſth. 9. 21. 22. videtur mentio fieri *quietis ab inimicis*, veluti cauſſæ, quæ movere debeat Judæos, ut quieſcant velut in feſto die. Ita dein Author: *Nihil ſtatuitur niſi ut celebrarent dies illos lætitia ac conviviis, ac bilariis, cum miſſu portionum alterius ad alterum, &c. dicuntur hi dies, dies boni communiter, quia dies læti & jucundi, ut dies nuptiales, aliique convivales dicti ſunt.* Atque dein prolixe refert, quomodo Judæi hunc diem haut ſecus atque Bachanalia tranſigere ſoleant. Reſp. I. Non attendendum quid hodie à Judæis fiat, ſed quid fieri deberet. II. Idem verbum quod Eſth. 9. 22. uſurpatur de celebratione dierum Purim, Ezr. 6. 19. uſurpatur de feſto Paſchatis, certo argumento, hactenus, ratione habita primę inſtitutionis, hoc feſtum fuiſſe adæquatum Feſto Paſchatis. Nec valet ſtulta illatio Reyneſſii pag. 67. & ſeq. *Fuit ergo ut pars cultus Divini perpetuo obſervandum.* Certe quamdiu complemētum non contulit Chriſtus, qui hujus Feſti obſervator fuit, pariter in veneratione eſſe debuit. Atq; hactenus adęquatum Paſchati ratione finis, non vero Inſtitutionis, ſiquidem ab ipſo Deo non eſt inſtitutum. Porro ſic argumentatur idem Altaris Author: *Ab authoritate Mordechai non ſequitur, Epiſcopos ordinaria ſua poteſtate idem poſſe facere. Nam Propheta habetur & author libri Eſthera. &c. Fuit præterea Mardochæus, ut teſtis eſt Druſius, unus è* 120 *qui conſtituerunt Synagogam magnam, inter quos erant Propheta, Zacharias, Daniel, Ezra, Malachias*, &c. Reſp. I. Gratis dicitur Mardochęum fuiſſe Prophetam, utque hoc credamus, non ſufficit nobis authoritas unius Sixti Senenſis. II. Mardochæus nullibi commendatur, ut Propheta, ſed duntaxat ut vir

Digitized by Google

vir primatię dignitatis, qui reverſus quoque fuit ex captivitate Babylonica, Eſd. 2. 2. Nehem. 7. 7. & quicquid hic fecit, videtur feciſſe fretus poteſtate politica. III. Nunquam ſic deliravit Druſius, ut ſtatuerit omnes illos, qui pertinebant ad magnam Synagogam, pariter fuiſſe prophetas, quanquam quidam ex Prophetis potuerint illius membra eſſe. IV. Atque ſi hodie dies ſolemnes in aliquo imperio Politice ordinati, occaſione certi beneficii à Deo collati, dierum illorum memoria ad poſteros uſque propagatur, cur non idem multo magis exiſtimandum ſit, circa dies ſolemniori ritu dedicatos? Imo circa dies totius Eccleſiæ Chriſtianæ conſenſu hactenus obſervatos? Denique hic aries admovetur: *Nota, non abſque conſenſu populi inſtitutos fuiſſe hos dies lætitiæ.* Reſp. I. Hi dies fortium non aliter fuerunt dies lætitiæ, quam quatenus apud Ezram l. d. dicuntur Judæi *celebraſſe feſtum aſymorum ſeptem diebus cum lætitia.* II. Conſenſus populi eſt vel tacitus, vel manifeſtus: ille ſufficit, atque intervenit per ſecula plura circa hęc feſta N.T. quæ tamen liberæ ſunt inſtitutionis.

Adverſus Encænia, à Juda Machabæo inſtituta, ne noſtrę, ceu communi Chriſtianorum, ſententię faveant, varia quoque excipit idem Author. Initio ſic inſtat: Junius obſervat, *Chriſtum non honoraſſe feſtum, ſed cœtum piorum convenientium feſto,* &c. *Sed nec patet ex textu, Chriſtum honoraſſe cœtum convenientium præſentia ſua,*&c. *notantur circumſtantiæ loci & temporis.* Reſp. I. At quis ſibi non perſuadeat, Chriſtum dum captavit occaſionem propagandi ſuum regnum tempore Feſti, pariter Feſtum hactenus honoraſſe? II. Convenienter Calvinus ad Joh. 10. 22. *Tunc* (hoc eſt, tempore Encæniorum) *Chriſtus pro more apparuit, ut in frequenti hominum conventu uberior eſſet prædicationis ſuæ fructus.* Ergo, Sp. Sancto propoſitum fuit, non modo ſimpliciter notare temporis circumſtantiam, ſed pręter eam quoque ſingularem Chriſti prudentiam. Deinde dicit: *Non deſunt (veluti Cartvvrichtus) qui anniverſarium illud feſtum non fuiſſe legitime inſtitutum dicant.* Reſp. I. Huc author ſe recipit, quod videret ſe antea nimis liberalem in concedendo fuiſſe, admittendo dedicationem hanc fuiſſe factam *ex legis analogia.* Vere ſiquidem dictum à D. Gomaro: *Negatur, novum Dei cultum hiſce Encæniis inſtitutum: ſed cultui divinitus imperato, circumſtantia temporis licita Eccleſiæ, & ad gloriam Dei pertinens, addita.* II. Cur vero Judas Machabæus auguſtius potuerit reddere hoc ſuum feſtum, quam aut Salomon, aut Ezras, verbo innuit Joſephus lib. 12. cap. 11. quando docet, cur hoc feſtum pariter III.

φῶς,

Digitized by Google

φῶς, ſeu lumen vocaverint: quia ſcil. *ex inſperato illuxerit tanta felicitas*, atque, ut addit Calvinus, *ut Dei gratiam, quæ finem Antiochi tyrannidi impoſuerat, memoria repeterent.* Talis occaſio celebrandi τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ, neque Salomoni, neque Ezechiæ, neque Joſiæ, neque Ezræ oblata erat, quicquid obnitantur, qui Damaſcenum altare operoſa diligentia in Eccleſia erigere moliuntur.

IV. Ut progrediamur, pari inter Chriſtianos ratione ab ipſis ferme incunabulis primitivæ Eccleſiæ N.T. in memoriam ſingularium beneficiorum, per Chriſtum Jeſum Eccleſię ſuę pręſtitorum, libere dies quidam feſti obſervari cæperunt, non quod iis, præ aliis diebus, aliquid ſanctimoniæ inſit, ſed propter ordinem, in quem ratione certorum dierum, annuatim recurrentium, pie & prudenter ſolemnitatibus quibuſdam conſtitutis, conſenſit Eccleſia, non Papana quidem, ſed primitiva, ac ferme à temporibus Apoſtolorum, *ne volumine temporum ingrata ſurreperet nobis oblivio*, prout eleganter loquitur Auguſtinus lib. 10. de Civ. Dei cap. 4. Novi quidem quoſdam, ex Canonibus quaſi Apoſtolicis, vulgo colligere, quædam ex Feſtis, diſtincte poſtea conſiderandis, ſpeciatim Feſtum Paſchatis ab ipſis Apoſtolis inſtitutum fuiſſe; cæterum verius cum Socrate lib. 5. hiſt. cap. 22. putaverim, neque Chriſtum, neque illius Apoſtolos, quicquam vel de feſto Paſchatis νομοθετῆσαι. Quod hactenus, ob fundamenta modo jacta, nobis non poteſt officere. Ut enim recte cenſent Profeſſores Leidenſes Diſp. 21. Theſ. ult de hiſce ipſis Feſtis: *Dum habentur pro humanitus inſtitutis, & abeſt divini cultus opinio, omniſq; ſuperſtitio, neceſſitate eorum libertas Chriſtiana non premitur, multitudine Eccleſia non oneratur, ſed ad ordinem uſumque illuſtrem Eccleſiæ tenentur, utiliter uſurpari poſſe arbitramur.* Similiter Rivetus in Explicat. Decalogi. ſub finem Pręcepti IV. *Tenenda eſt* (inquit) *media quam inſtitimus via, ut dies aliqui feſti obſerventur, ne ſit ἀταξία; ut pauci, ne graventur fideles; ut ſuperſtitioſa & ſcrupuloſa neceſſitas tollatur, ne periclitetur Chriſtiana libertas; ut cultus opinio reſecetur, ne introducatur ἐθελοθρησκεία; habeaturque ratio ordinis, & decori in Eccleſia, in qua omnia ordine & decenter fieri debent.* Atque ob hanc ipſam cauſſam, exemplo primitivæ Eccleſię (hoc poſtea diſtincte probabitur) illę ipſę Eccleſię, quę divortium fecerunt à Pontificiis, atque ſe exonerarunt jugo inutilium cæremoniarum dierumque feſtorum, nihilominus quoſdam dies feſtos, in memoriam ſingularium beneficiorum Chriſti antiquitus inſtitutos, libere obſervandos eſſe exiſtimarunt. Maxime quod (ut oſtendi in Diatriba de Sabbatho)

Digitized by Google

de Sabbato) Feſtorum indefinite conſideratorum inſtitutio ad jus Naturale pertineat æque, atque horum illorumque Feſtorum obſervatio in N. T. debet imputari liberæ conſtitutioni Eccleſiaſticæ. Interim Auguſtana confeſſio cap. ult. de Poteſtate Eccleſiaſtica *ſic decernit*: *Certas* ordinationes convenit Eccleſias, propter charitatem & tranquillitatem ſervare eatenus, ne alius alium offendat, ut ordine & ſine tumultu omnia fiant in Eccleſiis. Verum ita, ne conſcientiæ onerentur, ut ducant res eſſe neceſſarias ad ſalutem, ac judicent ſe peccare, cum violant eas ſine aliorum offenſione, ſicut nemo dixerit peccare mulierem, quæ in publicum non velato capite procedit, ſine offenſione hominum. Talis eſt obſervatio diei Dominici, (*nos tamen, ut antea patuit, diem Dominicum exiſtimamus ordinis plane diſtincti eſſe à reliquis hiſce diebus*) Paſchatis, Pentecoſtes, & ſimilium feriarum & rituum. *Hæc ibi.* Helvetica Confeſſio cap. 24. ſequentia habet: *Si Eccleſiæ, pro Chriſtiana libertate, memoriam Dominicæ nativitatis, circumciſionis, paßionis, & reſurrectionis, aſcenſionis item in cœlum, & mißionis Sancti Spiritus in diſcipulos, religioſe celebrent, maximopere approbamus.* Bohemica Confeſſio art. 15. *Multi hodie apud nos veteres ritus Eccleſiaſtici adhuc retinentur, utpote jejunia quædam, condictæ ac praſtituta feriæ, quibus, ut ſacris interſit, populus conveniat. Matutinæ & veſpertinæ precationes. Dies Dominicus, Feſti dies Chriſti, Nativitatis, Paßionis, Reſurrectionis*, &c. Anglicana vero Eccleſia, non modo dies feſtos quinque in vulgus notos, & à Confeſſione Helvetica enumeratos diſtincte, hactenus recepit, verum alios amplius dies, Apoſtolorum nomine inſignitos, cæterum defæcatos ab omni idololatriæ ſpecie, alias per calumniam eidem antehac objici ſolitæ, per homines quoſdam improvidos. Ut recte cenſet Rivetus, quando loco dicto *hunc in modum loquitur*: Cum proteſtentur Eccleſiæ Anglicanæ, & in doctrina de unius Dei cultu nobiſcum conveniant, deteſtenturque Pontificiorum idololatriam; probare non poſſumus judicium nonnullorum, qui non verentur eis Idololatriam impingere, ob eam cauſſam, quod nonnullos dies feſtos adhuc celebrent, eo quo diximus modo, Apoſtolorum nominibus inſignitos. Etſi cupiamus id etiam apud eos corrigi, propter periculum Idololatriæ. *Hæc Rivetus.* Quanquam vero Scoti nonnulli, jam anno 1618. in Synodo Perthenſi declaraverunt, ſuas Eccleſias ab initio Reformationis non conſenſiſſe in hæc Feſta, atque hodie inter eos plane ſunt abrogata, uſque adeo, ut die Nativitatis Domini, quotannis Edimburgi celebrentur

S nundinæ

nundinæ, moderno Angliæ regimine, non modo hanc abrogationem approbante, verum etiam eandem in ipſa Anglia urgente; nihilominus tamen certum eſt, floruiſſe Eccleſias Scoticas, quo tempore antehac ſtatos hoſce dies, ſolenni devotione, venerabantur.

V. Genevenſes, incertum quo impellente, (Calvinus eo nomine aliquoties ſe excuſat in Epiſtolis) tempeſtive quidem (reliquis Eccleſiis Gallicanis eorum exemplum hac in parte non ſequentibus) omnes feſtos dies, excepto ſolo die Dominico, abrogaverunt; quod licet non improbet Calvinus, (homo is fuit, nec quando hæc ſcribo ullo modo in eum ſum injurius, ut perſuaſum cuperet ſycophanta Reyneſſius, pag.76.) non exiſtimat tamen in aliis Eccleſiis ullo modo quid turbandum eſſe, pro eorum abrogatione. Unde & anno 1559. ita *ſcribit ad Menſ. Poppium*: Optandum ut præter diem Dominicum pauci (*ergo admittit aliquos*) retineantur dies feſti: nam ut tollantur è medio ſuperſtitionum reliquiæ, ſemper ad hoc vitium plus æquo propenſi erunt homines. Hodie autem major pars feriis Papatum fovere appetit. Ut tamen obviam eatur diſſidiis cavendum eſt, ne quiſque, proprio arbitrio ferias abrogans, æmulationem accendat. Sed qui malum hoc ſanatum cupiunt, ſtudeant in eundem conſenſum fratres ſuos adducere. Hoc ſi impetrari non poterit, ſinguli, quoad circa tumultum fieri poterit, paulatim ex ſupervacuo numero reſcindant, quas videbunt magis eſſe noxias, quo facilius ſibi concilient populi ſuffragia. *Huc uſque Calvinus.* Quod vero primi Eccleſiæ Belgicæ antiſtites, partim linguæ Belgicæ, partim linguæ Walonicæ, ſive, Teuto-Gallicæ, ferventibus tumultibus Belgicis Genevam adire ſolerent, atque inibi fundamenta ſuæ Theologiæ jacere, inde per eos, qui hujuſce Theologiæ principiis initiati erant, (neutiquam hoc refero, quaſi aut Genevæ, aut Theologis, qui ibi vixerunt, quid detractum cupiam, ut perſuaſum vellet Reyneſſius l. d. ſed tantum ut bona fide hiſtoriam contexam) anno 1574. art. 53. omnes dies, velut ſolenniter ſacri, abrogati ſunt, excepto duntaxat uno die Dominico: quod poſtea tamen anno 1578. per Synodum, eadem in urbe habitam Can.75. diſpunctum eſt, ſub ratione voti, dum hęc ipſa Synodus, ſub hac conditione permittit Feſtorum horum ſolennem celebrationem, ut tamen optet illa abrogari commode poſſe. At, anno 1591. Synodi Hagæcomitanæ delegati can.21. hunc in modum ſtatuerunt: *Ende en ſullen in de voorſchreven Landen boven den Sondag en geen andere ordinaris Feeſt-dagen gebonden worden, als Paeſ-dagh,*

een

een dagh naer Paeſch-dagh, Hemelvaerts-dagh, een dagh naer Pinxter-dagh, Kerſ-dagh ende een dagh daer naer. Lis vero plene dirempta eſt, quod ad Belgicas Eccleſias in Synodo Dordracena anni 1619. ubi cum examinata fuerit liturgia Eccleſiarum hujus regionis pariter canone 67. hunc in modum ſtatutum fuit: *Eccleſia præter ſanctificationem Sabbathi, Nativitatis quoque Dominicæ feſtum, Paſchatis, item ac Pentecoſtis, cum ſequenti die obſervent: Et quia in plurimis Belgii civitatibus ac provinciis præterea dies Circumciſionis & Adſcenſionis Domini ſacri ſunt, Miniſtri Eccleſiarum, quæ hujus adhuc conſuetudinis expertes ſunt, operam adhibeant apud Magiſtratum, ut ſibi ſe cæteris conformare liceat.* Quibus Canonibus quum ſubſcribere debeant & ſoleant omnes, qui in fœderato Belgio occurrunt verbi Divini miniſtri, mirandum ſummopere, quod quidam eo impudentiæ auſint devenire, atque non minus in Conſiſtorio ſuæ Eccleſiæ, quam etiam apud Magiſtratum omnem movere lapidem, quo dierum horum ſolennis memoria in perpetuum abrogari, & obliterari, queat: imo audere, tribunitiis ſuis concionibus obtundere ſimplices ſuos auditores, eorumque conſcientias varia ratione inquietare, conquiſitis undiquaque ratiunculis, paulo poſt examinandis. Oggannit multa Reyneſſius pag. 68. ſed quæ hominem arguunt mendacii. Quæ enim eſt in fœderato Belgio provincia, quę hoc tempore hiſce canonibus refragetur? Ut Synodus putavit ad ædificationem Eccleſię ſpectare horum dierum obſervationem, ſic nos contendimus, tantiſper Synodo Dordracenæ rationem debere conſtare, quam altera Synodus ratione authoritatis æquivalens ſecus ſtatuerit: conticeſcentibus interim illis, qui quum aliter non poſſint, ęſtimari cupiunt, quod nova moliri auſint.

VI. Nec per Synodum modo Dordracenam Belgis prętinita fuit horum Feſtorum obſervatio. Ipſa Catecheſis Palatina, ſolenniter in Belgio recepta, atque in dicta Synodo diligenter examinata, Feſtorum dierum urget obſervationem, quando ad quæſt. 103. qua quæritur, quidnam quarto Pręcepto præcipiatur, ſic reſpondet: *Primum, ut miniſterium Euangelii & ſchola conſerventur: utque ego cum aliis, tum præcipue feſtis diebus, ſtudioſe cœtus divinos frequentem*, &c. Quo loco cum feſtorum dierum, in numero multitudinis, fiat mentio, veroſimile eſt, præter diem Dominicum, dies ab eo proximos, de quibus jam agimus, reſpici: maxime, cum ipſe *Author altaris Damaſceni* pag. 666. perſuaſum cupiat, *Dominicum diem* proprie loquendo non eſſe *diem feſtum*. Miror vero, quod idem hic Author auſit in partes ſuas ſollicitare D. Kuchlinum,

optimum Catecheſios interpretem, atque quondam ſolidiſſimum Leidenſium Theologum pag. 676. ſiquidem venerandus Senex in Diſputatione de Feſtis, habita anno 1601. iis ſolum Feſtis infeſtus eſt, quæ quidam exemplo Pontificiorum, exiſtimabant ſub N.T.I. *Neceſſitatis*. II. *cultus publici, ejuſq; divini*, III. *myſterii & rei ſignificatæ ratione ſervanda eſſe*: ut vel cęcus animadvertere poteſt, modo primam Theſin legerit. At, ut recte loquitur Paræus ad cap. 14. Epiſt. ad Roman. Dub. 4. Hypoth. 6. *Feſta Chriſtianorum tantum ratione ordinis & politiæ, non autem ratione myſterii obſervantur: nec ſunt dies feſti aliis ſanctiores, ſacratiores, aut pars cultus divini.* Scio, in antiquiori quoque verſione Belgica Catecheſis, loco *dierum feſtorum*, occurrere hęc verba: *op den Sabbath, dat is, op den Ruſtdagh.* At, qua occaſione hoc acciderit, infra expendemus. Certe nobis non obeſt.

VII. Ut vero hactenus, non minus ex publicis Eccleſiarum Confeſſionibus, decretiſque Synodalibus, quam ex Theologis Orthodoxis definivimus, qua ratione conveniat ordinis gratia, hos ipſos dies, veluti feſtos obſervare; ita breviter quodque Feſtum conſideraturi ſumus, illius rationem & antiquitatem vindicaturi à cavillationibus illius, cujus jam aliquoties meminimus, nempe qui molitus eſt operoſa diligentia idolum præciſitatis, velut alterum *Altare Damaſcenum*, in Eccleſiis reformatis erigere. Ne in ordinem autem peccemus, notari velimus, hoſce de quibus agimus, dies Feſtos, vel incidere ſimul in diem Dominicum, vel in quem alium. In diem Dominicum ſemper incidunt Feſtum Paſchatis, & Feſtum Pentecoſtes. Quanquam autem quidam exiſtimant hac ratione quid derogari diei Dominico, quod deturpetur quaſi ἐθελοθρησκείᾳ: exiſtimamus tamen illi multum accedere, quod ordinis gratia, ſecundum liberam inſtitutionem Eccleſiæ, in eo fiat ſolennis commemoratio reſurrectionis Chriſti, & miſſionis Sp. Sancti. Nec duo hæc feſta, nomine licet Judaico, ex parte abuſive, ſecundum loquendi uſum notentur, ulla ratione nobis ſunt cæremonialia; ſed commemorativa magnorum Dei beneficiorum, in Chriſto præſtitorum. Quibus præmiſſis, initium facimus à feſto Paſchatis, ſeu, ut Patres Latini loqui quoq; amant, Paſchæ. Atque ut jam antea conceſſimus, advocata Socratis authoritate, neq; Chriſtum, neq; illius Apoſtolos hoc inſtituiſſe, ita lubentes fatemur, Socrati accedere Nicephorũ Calliſtum lib. 12. Hiſt. cap. 32. Nec cupimus ſollicitare epiſtolam Polycratis, occurrẽtem apud Euſeb. lib. 5. Hiſt, cap. 22. quum nobis ſufficiat, proximis ſeculis, à ſeculo

culo Apoſtolico, hoc ipſum Feſtum, in memoriam reſurrectionis Jeſu Chriſti, die Dominico celebratum fuiſſe. Niſi enim proxime à temporibus Apoſtolorum, in Paſchate quaſi Judaico, ſecundum temporis periocham, facta fuiſſet ſolennior commemoratio reſurrectionis Chriſti, tanto animi fervore de eo non fuiſſet agitata controverſia, inter Eccleſias Orientales & Occidentales, jam anno à N. C. 159 ut recte obſervat Baronius: nec Victor, Epiſcopus Romanus, pro legitimo illius tempore, anno ejuſdem Epochę 198. cum ſuo Clero proceſſiſſet uſque ad excommunicationem Eccleſiarum Aſiaticarum; ut videre eſt apud Euſeb. lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 24. Cum enim, qui in Aſia habitant Chriſtiani Paſcha more Judaico celebrarent, Occidentales, feria prima, ſive die Solis, illud agitabant: utriſque antiquitatem & traditionem Apoſtolicam ſuæ opinioni prætexentibus, ut videre eſt apud Socratem l. d. ſive lib. 5. cap. 22. Ipſis Andianis poſtea, qui cum 14. Luna pergerent Paſcha celebrare, cum reliquis Teſſeradecaditis apud Epiphan. Hæreſ. 70. provocantibus ad ſcriptum Apoſtolorum teſtimonium. Interim prævaluit ſententia Occidentalium de Paſchate, primo die Dominico, poſt plenilunium menſis Niſan celebrando, ut patet ex Epiſt. Conſtantini Magni ad Eccleſias, quæ extat apud Euſeb. in vita Conſtant lib. 3. cap. 18. Eo hęc duntaxat volui referre, quo conſtare poſſet de antiquitate feſti Paſchalis, celebrari jam olim ſoliti ab antiquis Chriſtianis, qui ne traduci poſſent, ut Judaizantes, cavit ſuo ęvo Hieronymus in cap. 4. ad Gal. ſic ſcribens: *Nos non azymorum Paſcha celebramus: ſed reſurrectionis & crucis.* Nam (ut alibi fuſius oſtendimus) apud veteres Chriſtianos nomine Paſchatis non modo veniebat Chriſti reſurrectio, ſed & illius mors. Quanquam vero quidam ex Patribus per errorem *Paſcha* derivarint à Græco πάσχειν, aliis tamen exploratum fuit venire ab Ebręo, & notare tranſitum. Unde & ipſe Nazianzenus: τὸ πάσχα (ait) τοῦτο τὸ μέγα καὶ σεβάσμιον, τοῖς Ἑβραίοις προσαγορεύεται κατὰ τὴν ἐκείνων φωνήν. δηλοῖ δ' ἡ φωνὴ τὴν διάβασιν. Quod & Iſidorus agnovit lib. 6. Etymol. cap. 17. & lib. 1. de Eccleſ. Off. cap. 32. Pariter Ambroſ. lib. 1. de Cain & Abel: *Paſcha Domini* (ait) *tranſitus eſt à paſſionibus ad exercitia virtutis. Et ideo Paſcha Domini dicitur, quoniam & tunc in typo illo agni, veritas Dominicæ paſſionis annunciabatur, & nunc ejus celebratur gratia.* Inter cætera verò ſolennia, quibus antiqui Chriſtiani hoc Feſtum tranſigere ſolent, non erat ex poſtremis pervigilium. Unde Tertullianus in lib. ad Uxorem: *Quis* (inquit, loquitur vero de Gentili marito)

Digitized by Google

nocturnis convocationibus ſi ita oportuerit, à latere ſuo libenter eximi ferat? Quis denique ſolemnibus Paſchæ abnoctantem ſecurus ſuſtinebit? Lactant. lib. 7. Divin. Inſtit. cap. 19. *Et hæc eſt nox* (inquit) *quæ à nobis propter adventum Regis ac Dei noſtri pervigilio celebratur.* Ut vero pervigilii tempore, ſimul ſacris in conventibus ſuis vacabant, ita nox funalibus & facibus coruſcabat. Teſtis vel Gregorii Nyſſeni oratio de feſto Paſchæ. Inde quoque Nazianz. Orat. funebr. in Patrem ſic loquitur: *ὁ καιρὸς ἦν τὸ ἅγιον πάσχα καὶ περιβόητον, ἡ βασίλισσα, τῶν ἡμερῶν ἡμέρα, καὶ ἡ λαμπρὰ νύξ.* Huc & ſpectant Auſonii verſus elegantes, quibus Chriſtum ita affatur:

Ad temet properant vigilatu convenientes,
Nox lucem revehet funalibus anteferenda.
Nox lumen pariens credentibus indubitatum,
Nox flammis operum meditatrix ſyderiorum.

Celebrabant amplius Chriſtiani Paſchæ feſtum magna feſtivitate, & primo illius die jejuni in multam noctem perdurabant. Unde Auſon. in Carm. de Domin. reſurrect.

Sancta ſalutiferi redeunt ſolennia Chriſti,
Et devotâ pii celebrant jejunia myſtæ.

Ipſo vero Paſchæ die jejunia fuiſſe dirempta, docet idem hoc verſu ſecundi Edyllii:

Tu menſis dirimis jejunia relligioſa.

Ideoque Pontius Paulinus Epiſt. ad Amantum dicit, *ſolennitatem Paſchalem revocaſſe dies prandiorum*: ſiquidem olim jejunia duntaxat durabant ad meridiem, neutiquam vero ad veſperam. Alias hebdomada, quæ præcedebat diem reſurrectionis, ab Epiphanio *ſancta* dicta, jejunio conſecrabatur, ut ab aliis ſæpius notatum fuit.

VIII. Succedit Feſtum Pentecoſtes, quod *quinquageſima* nomine venit in lege notiſſima, Dominico, Cod. Theod. de Spectac. prout notavit quoque Iſidor. lib. 6. Etymol. cap. 18. Hoc vero pluris jam ſuo ſeculo fecit Tertullianus, quam omnia Gentilium feſta ſimul ſumta: unde lib. de Idololatr. *Excerpe* (inquit) *ſingulas ſolennitates nationum & in ordinem texe, Pentecoſten implere non poſſunt.* Maximus quoque Epiſcopus, ſerm. de Feſto Pentecoſtes, hunc diem non minore lætitia, quam ſanctum Paſchę diem celebrari, & utrobique jejunari Sabbatho, vigilias celebrari, atque orationibus pernoctanter inſiſti tradit. Quomodo & Auguſtinus Epiſt. 119. ad Januarium: Pentecoſten, & adventum de cœlo Spiritus

Spiritus Sancti, anniverſaria ſolennitate in toto orbe Chriſtiano à fidelibus univerſis celebrari ſcribit. Et cur non hoc die anniverſaria Spiritus Sancti, ineffabili modo cœlo dimiſſi, memoria celebraretur, quum expreſſe & ſignanter quoque Deus hunc diem miraculoſæ miſſioni Sp. Sancti deſtinaverit? Sane per totum ſpatium quinquaginta dierum, à Paſcha ad Pentecoſten currentium, (hoc in Veterum ſcriptis nomen Pentecoſtes ferre ſolet) nec genua inter orandum flecti, nec jejunia agitari ſolent. Quo facit canon ultimus Concilii Niceni, hac formula conceptus: *Quoniam ſunt quidam, qui die Dominico genua flectunt, & in diebus Pentecoſtes, ut omnia ſimiliter in omni Parœcia ſerventur, viſum eſt Sanctæ Synodo, ſtantes Deo orationes perſolvere.*

Proxime conſiderandum Feſtum nativitatis Chriſti: quod tum recentius eſt reliquis duobus feſtis, tum etiam ordinario non incidit in diem Dominicum. Illius memoria non occurrit apud duum priorum ſeculorum Patres. Certe Origenes quoque *lib.* 8. *contra Celſum.* enumerans celebriores feſtivitates Chriſtianorum, meminit duntaxat *Dominici diei, Paſchæ, & Pentecoſtes.* Verum quidem eſt, utut plurimi ex antiquis & recentioribus fatigaverint ſuos digitos, non poſſe à quoquam certo dici, quo die Redemptor generis humani natus fuerit; imo inter primævos Chriſtianos ſuper hoc non conveniſſe, ſalva diſſentiendi libertate, patere poteſt vel ex ſolo Clemente Alexandrino, qui lib. I. Stromat. *ita loquitur per interpretem:* Natus eſt autem Dominus noſter XXVIII. anno, cum primum juſſerunt cenſum deſcriptionemve fieri, tempore Auguſti, &c. Sunt autem qui curioſius natali Domini non ſolum annum, ſed etiam diem addunt, quem dicunt XXVIII. anni Auguſti in XXV. πάχων (*multorum eſt opinio hunc diem reſpondere diei* XXI. *menſis Maji*) Baſilidis autem ſectatores, ejus quoque baptiſmi diem celebrant, totam præcedentem noctem in lectionibus tranſigentes. Dicunt autem eum eſſe quintum decimum annum Tiberii, quintum decimum menſis Tubi. Aliqui autem eum eſſe undecimum ejuſdem menſis. *Hactenus Clemens.* Probabiliter vero colligit Manuel Commenus in legat. ad Armenos (comparet hic Author in Bibliotheca Patrum à Binio editorum tom. 8.) ex ſententia Epiphanii, undecimum diem menſis Tubi (nomen proprium eſt menſis Ægyptiaci) reſpondere diei XXV. Decembris. Qui dies, præterquam quod à pleriſque antiquis Patribus definitus fuit natali Domini, placuit quoque Auguſtino, ex omnibus qua Græcis, qua Latinis, Patribus circumſpectiſſimo, ut videre

IX.

videre eſt apud eum ipſum lib. 4. de Trinit. cap. 5. receptuſque fuit in Eccleſiis Occidentalibus, Orientalibus celebrationi tanti myſterii definientibus ſextum Januarii diem, qui adhuc hodie nomen fert *Epiphaniæ*. Quum vero nullus mortalium, Scriptura hic tacente, certo definire queat, quo aut anni tempore, aut die, natus ſit benedictus noſter Salvator, etiamſi certum videatur eſſe, ejus natalem non incidere in diem xxv. Decemb. alius tamen dies recolendæ illius memoriæ, pręter hunc ipſum, qui conſenſu quaſi univerſali eſt definitus, definiri non debet: quemcunque alium enim definiveris, manebit perpetuo controverſus. Atque interim ęquum eſt Regis regum natalem ſolenni magis recordatione & devotione agitari, quam celebrari ſolent dies natales non modo virorum Principum, ſed & urbium. Interim non improbo ut plebs in veſtibulo concionum, hoc die haberi ſolitarum, probe moneatur ne exiſtimet in illum ipſum diem, quo celebratur memoria nativitatis Chriſti, revera quoque incidiſſe ejuſdem ἐνσάρκωσιν. Obſigno hęc verbis celeberrimi D. Spanphemii, qui poſtquam tom. 2. Dub. 15. prolixe inquiſiviſſet in diem Nativitatis Chriſti, laborioſam illam Exercitationem ſequentibus verbis obſignat: *Cum hac de re* (ſcil. de die, quo natus fuerit Chriſtus Jeſus) *altum apud Euangeliſtas ſit ſilentium, nec Apoſtolica Eccleſia vel ſanctionem, vel praxim legamus, cauſſa nihil eſt, cur temere definiamus, quod ſolide definiri non poteſt. Quamvis ergo canitiem antiquitatis venerandam exiſtimemus, tamen, quandoquidem nec prima antiquitas hic nobis præit, nec ſequentia ſecula aliis præterquam infirmis fundamentis, ut demonſtratum, nituntur, ſolennitatis quidem natalitiæ celebrationem anniverſariam piiſſimam judicamus & utiliſſimam, præciſam vero & anxiam xxv. Decembris obſervationem ei rei deſtinari conſuetudine potius, & diuturna Eccleſiæ praxi, quam ratione, vel neceſſitate. Interea, ut priſcorum terminos temere non refigimus, ſic nec illorum libertatem flagellandam arbitramur, qui non præciſe illum ipſum diem feriatum agunt, aliquem tamen recolendæ ſanctæ Domini nativitati circa illa tempora deſtinare ſolent.*

X. Quod ad diem *Aſcenſions* ex ordine conſiderandum, prout ſæpius à pluribus notatum fuit, non quidem apud antiquiores Patres commemoratur, nec in Canonibus priorum Synodorum Oecumenicarum commemoratur: interim extat ſermo Cypriani (qui floruit ante Concilium Nicenum) de Aſcenſione Domini. Atque, ratione antiquitatis, jubet nos ſecuros eſſe Auguſtinus Epiſt. 118. ad Januar. eum pari loco habens cum duobus primis diebus Feſtis, ad Apoſtolos referri

Digitized by Google

ferri ſolitis. Verba illius hęc ſunt: *Illa autem quæ non ſcripta, ſed tradita, cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſervantur, dantur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima autoritas, commendata atque ſtatuta retineri, ſicut, quod Domini paſſio & reſurrectio, & aſcenſio in cœlum, & adventus de cœlo Spiritus Sancti, anniverſaria ſolennitate celebrantur.*

Feſtum *circumciſionis* in Kal. Januarias incidens, ignotum quidem XI.
antiquis fuit, cęterum ſupplet locum feſti *Epiphaniæ*, in ipſa *leg. Dominico* ſępius laudata, commemorati: ſive quod tunc celebrata fuerit memoria Chriſti in baptiſmo populo ſuo oſtenſi, ſive, quod eo die commemorari conſueverit ſidus, quod Magis Chriſtum in pręſepi oſtendit, ſive, quod ex Euangelica Hiſtoria conſueverit doceri, quomodo per primum ſuum miraculum in nuptiis Cananæis Chriſtus fuerit manifeſtatus. Quam triplicem τῶν ἐπιφανειῶν rationem tangit Pontius Paulinus, ita canens de Natali Felicis:

Ut veneranda dies cunctis, qua virgine natus
Pro cunctis hominem ſumpſit Deus: utque deinde
Qua puerum, ſtella duce, myſtica dona ferentes,
Dupliciter videre Magi: ſeu qua magis illum
Iordanis trepidans lavit tingente Ioanne,
Sacrantem cunctas recreandis gentibus undas.
Sive dies eadem magis illo ſit ſacra ſigno,
Quo primum Deus egit opus, cum flumine verſo
Permutavit aquas prædulcis nectare vini.

Cum vero quam ſingularia myſteria occurrant circa Chriſti circumciſionem, convenienter Eccleſia illius agitat memoriam, ſimul, primo cujuſque anni die ſolenniter ſe Deo ſiſtendo, ut non modo illi gratias agat pro beneficiis anni elapſi, verum etiam precibus ab eodem impetret, eorundem continuationem. Unde probat D. Gomarus tom. 1. p. 252. ut Hiſtoria circumciſionis Chriſti ſolenni ritu, *quotannis poſt* Natalem *Servatoris in Eccleſiis noſtris explicetur.*

Atque, ita hactenus egimus ordine de ſingulis diebus Feſtis, iis legi- XII.
bus, quas jam ſæpius conſideravimus, in ipſis Eccleſiis Reformatis receptis. Expendenda deinceps illa, quæ ex adverſo contra laudabilem hanc Eccleſiæ conſuetudinem moveri ſolent. Atque initio quidem objicitur locus Apoſtoli Gal. 4. 10. 11. *Dies obſervatis, & menſes, & præſtituta tempora, & annos: Metuo de vobis, ne fruſtra fatigatus ſim apud vos.*

T Sed

Digitized by Google

Sed locum hunc nobis neutiquam officere, recte notavit Calvinus, quando ſequentibus verbis eundem illuſtrat: *Qualis* (inquit) *fuit obſervatio, quam Paulus improbat? Nempe quæ religione obſtringeret conſcientias, quaſi neceſſaria eſſet ad cultum Dei, & quæ diem à die diſcerneret, ut loquitur 14. ad Romanos. Quando itaque diebus per ſe tribuitur propria ſanctitas, quando diſcernitur dies à die religionis cauſa, quando feria pars divini cultus eſſe cenſetur: tum dies perperam obſervantur*, &c. *Nos hodie, cum habemus dierum diſcrimen, non induimus neceſſitatis laqueum conſcientiis, non diſcernimus inter dies, quaſi alius alio ſit ſanctior, non conſtituimus illic religionem & cultum Dei: ſed tantum ordini & concordiæ conſulimus. Ita libera eſt apud nos, & omni ſuperſtitione pura obſervatio.* Præiverat circa loci hujus explicationem Hieronymus, cujus locum non poſſumus non hic integre exhibere. *Ita vero loquitur*: Dicat aliquis: Si dies obſervare non licet, & menſes & tempora & annos; nos quoq; ſimile crimen incurrimus quartam ſabbathi obſervantes, & paraſcevam, & diem dominicã, & jejunium quadrageſimę, & Paſchę feſtivitatẽ, & pentecoſtes lętitiam, & pro varietate regionũ, diverſa in honorem martyrũ tempora conſtituta. Ad quod qui ſimpliciter reſpondebit: dicit, non eoſdem Judaicę obſervationis dies eſſe, quos noſtros. Nos enim non azymorum Paſcha celebramus, ſed reſurrectionis, & crucis. Nec ſeptem juxta morem Iſraël numeramus hebdomadas in Pentecoſte: ſed Spiritus Sancti veneramur adventum. Et ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Chriſto, propterea dies aliqui conſtituti ſunt, ut in unum omnes pariter veniremus. Non quo celebrior ſit dies illa, qua convenimus: ſed quo quacunque die conveniendum ſit, ex conſpectu mutuo, lætitia major oriatur. Qui vero oppoſitæ quęſtioni acutius reſpondere conatur, (*ut noſtri homines*) illud affirmat: omnes dies æquales eſſe: nec per paraſcevem tantum Chriſtum crucifigi, & die Dominica reſurgere: ſed ſemper ſanctum reſurrectionis eſſe diem, & ſemper eum carne veſci dominica. Jejunia autem & congregationes inter dies, propter eos à viris prudentibus conſtitutos, qui magis ſeculo vacant quam Deo: nec poſſunt imo nolunt toto in eccleſia vitæ ſuæ tempore congregari, &, ante humanos actus, Deo orationum ſuarum offerre ſacrificium. Quotus enim quiſque eſt, qui ſaltem hæc pauca, quę ſtatuta ſunt vel orandi tempora, vel jejunandi, ſemper exerceat? Itaque, ſicut nobis licet vel jejunare ſemper vel ſemper orare, & diem dominicam accepto domini corpore indeſinenter celebrare gaudentibus: non ita & Judæis fas eſt, taber-

nacula

nacula figere: jejunare quotidie. *Huc uſque Hieronymus.* Atque hactenus hæc reſponſio nobis hic ſufficere poteſt: alias plenius, nova (ſed ſimul ſolida) explicatione hunc ipſum locum illuſtravimus in noſtra Diatriba de Sabbatho.

Deinde, importune admodum urgetur ejuſdem Apoſtoli locus XIII.
Col. 2. 16. 17. *Nequis igitur vos damnet ob cibum, vel potum, aut reſpectu Feſti, aut novilunii, aut Sabbathorum. Quæ ſunt umbra rerum futurarum, at corpus eſt Chriſti.* Sed, quam parum proſit hic Achilles, quem adverſarii contendunt eſſe formidabilem, patebit, ſi modo adduxero notas Reverendorum Belgii Theologorum, (inter eos notatus fuit, nomine Eccleſię Zelandicæ delegatus *Carolus Dematius*, poſtea Theologiæ Profeſſor in Academia Ultrajectina) qui ad hunc locum ſequentia habent: *Hier door worden verſtaen de drie jaerlijckſe Feeſt-dagen, die Godt in het oude Teſtament hadde ingeſtelt, Levit. 23. 4. gelijck door de* nieuw-manen *de maendelijcke Feeſten Num. 28. 11: ende door het woort* Sabbathen, *de Sabbathen der Iaren, ende byſonderlijck de wekelijcke, voor ſoo veel de ſelve ceremoniael vvaren, Exod. 20. 11. Lev. 19. 3. vvelcke door de komſte Chriſti ſijn te niete gedaen, ten aenſien van hare byſondere ende meerdere heyligheyt, die ſy door Gods inſtellinge hadden, als oock van vvegen haere beteeckeniſſe ende nootvvendigheyt. Hoe vvel de Chriſtelijcke Kercke oock ſommige Feeſtdagen, nae de vryheyt der Chriſtenen, heeft goet gevonden te onderhouden, tot gedachteniſſe van eenige byſondere vveldaden* Chriſti, *om God nae ſijn bevel in deſelve te dienen, met gehoor van ſijn vvoort, gebruyck der heylige Sacramenten, openbare ende gemeyne gebeden ende lof-ſangen, ende geven van aelmoeſſen, &c. Aen vvelcke dagen evenvvel de conſcientie der Chriſtenen nu niet verder en is gebonden, dan om goede orden te houden, ende om malkanderen in de Chriſtelijcke vergaderingen, door onderlinge opvveckinge, meer ende meer te ſtichten ende te ſtercken. Het vvelck oock op andere tijden vvel mach gedaen vvorden, vvanneer het met goede orden kan geſchieden.* In hac explicatione hactenus poſſumus ſubſiſtere; aliam adferimus in dicta noſtra Diatriba de Sabbatho.

Poſt hęc Scripturæ loca ſollicitatur ab hoc ipſo Authore *primo* argu- XIV.
mentum à ratione Feſtorum V. T. pag. 680. *quod* enim *Eccleſia V. T. nulla habuerit feſta anniverſaria aut menſtrua præter Dominicum diem, & probata, qua non ipſius Dei authoritate munita eſſent*, concludit, in Eccleſia N. T. nullum locum Feſtis anniverſariis eſſe relictum. Verum jam ſecus patuit circa feſtum Sortium, & Encænia. Atque obſervationem die-

rum Feſtorum (indefinite tamen) ſuadere ipſum jus Naturæ, videmur teſtatum feciſſe in noſtra Diatriba ſępius jam indicata. Quid, quod ſpeciatim Deus Eccleſiam N. T. munivit authoritate generali, ut poſſit hoc facere. Ut enim loquitur ter maximus & longe celeberrimus Paræus, certe æqualis noſtro huic Didoclavio, *in Comm. Epiſt. ad Rom. dub.* 4. Eſt præceptum Apoſtoli: *Omnia decenter, & ordine, fiant in Eccleſia.* Et: *Deus non eſt author confuſionis, ſed pacis*, 1. Cor. 14. 40. & 33. Et: *Gaudeo videns ordinem veſtrum*, Coloſſ. 2. 5. Ordo & decorum Eccleſiæ eſt neceſſarium. At abſque diebus certis feriatis nec ordo, nec decorum conſtabit Eccleſiæ, ſed mera erit confuſio in conventibus Eccleſiaſticis. Aliqui igitur ſunt neceſſarii. *Hæc uſque* circumſpectiſſimus *Paræus.*

XV. *Dein* ſic pergit idem Author pag. 701. *Ratio ſumitur ab authoritate Chriſti & Apoſtolorum, tum negative, tum affirmative. Negative ſic: Nec Chriſtus nec Apoſtoli alios dies ſacros ſive feſtos, ſive alios inſtituerunt præter diem Dominicum.* & pag. 702. *Affirmative ſic argumentamur: Apoſtoli non modo inſtituerunt, obſervandos alios dies, ſed etiam aliorum obſervationem damnaverunt.* Ut à poſteriori argumento incipiam, jam oſtendi quam infrunite vulgo arguatur Apoſtoli authoritas ex Epiſt. ad Gal. cap. 4. & ad Coloſſ. 2. & licet ad ſanguinem ſudet per complures paginas hic Noſter Damaſcenus, non niſi verba fundendo, velitque ſimpliciter ab Apoſtolo Gal. 4. prohiberi dierum obſervationem, atque dum interdicit Feſtis V. T. pariter eum interdicere Feſtis N. T. quod hæc illis ſint adæquata, nihil tamen agit, prout quivis cognoſcere poterit, modo voluerit ea expendere, quę jam antea obſervavi. Quod ad prius autem argumentum, cǫnſiderentur modo illa, quæ proxime ex Paræo, pro Orthodoxa ſententia adduxi. Scio, interim declamatum iri à noſtris hominibus, urgeri cæteroquin poſſe authoritatem Apoſtoli, dicentis expreſſe, hic intervenire obſervationem dierum; at ſimul DD. Stentores ablego ad ſuos Patriarchas, ſeu Manichęos, qui quum idem objicerent Auguſt. contra Adiam. cap. 16. ita iiſdem reſpondit: Nos, *inquit*, & Dominicam diem, & Paſcha, ſolenniter celebramus, & alias dierum feſtivitates. Sed qui intelligimus, quo pertineant: non tempora obſervamus, ſed quæ illis ſignificantur temporibus. *Hæc eo loco Auguſtinus.*

XVI. Provocat *tertio* Noſter Damaſcenus, homine quaſi ſuperior foret, ad Dei ſapientiſſimi & incomprehenſibilis conſilium, à ſe quaſi perſpectum

Digitized by Google

ctum exploratumque, atque pag. 706. ſic videtur argumentari: *Si intendiſſet Deus, ut varia Chriſtianæ religionis myſteria variis & diverſis anniverſariis Feſtis celebrarentur, non celaſſet diem Nativitatis, Circuncifionis, Transfigurationis, Epiphaniorum, Præſentationis in Templo, Baptiſmi, &c. ut opus diei in die ſuo celebraretur.* Quod argumentum, ut amplius valeat, quam aliquod ficulneum folium, rogo eos, qui pro meo homine voluerint reſpondere, probent aut ex Scriptura, aut ex antiquitate Eccleſiaſtica, hanc Majorem propoſitionem: *Recordationem devotam ſingularium Dei beneficiorum, exacte eo die, quo acciderint, debere celebrari.* Quod ſi ad modum univerſalis regulæ fuerit probatum, huic argumento aliquid ponderis accedere poterit. Obſervatio Feſtorum N. T. in ſe libera, attamen rationabilis, imo juri Naturali conſentanea, ut oſtenſum in tractatu de Sabbatho, non reſtringitur præciſe ad articulos temporis, rigide quaſi obſervandos. Interim non video, cur tempus, ut definitum, quod placuit pluribus Eccleſiis, conſenſu doctrinæ coagulatis, debeat pro arbitrio ſingularis alicujus Eccleſiæ, novitiorumq; Paſtorum, ſuæ gloriæ nimium quam velificantium, in dubium vocari. Deinde, eo ipſo noluit Deus definite à nobis cognoſci tempus, in quod inciderint tanta myſteria, ut libera, ſed ſimul rationabilis, eorundem inſtitueretur commemoratio. Ideo improbamus inprovidum zelum Victoris, adeo fervide contendentis pro die, quo exiſtimabat agitandum eſſe Paſchatis Feſtum.

Quarto ſic argumentatur p. 706. *Ratio communis diebus feſtis cum aliis rebus adiaphoris. Nam* &c. *adiaphora ſuperſtitione & abuſu inquinata ex Eccleſia exterminanda ſunt & abolenda,* &c. *Conſtat Feſta non modo ſuperioribus ſeculis, ſed etiam hodie contaminari non ſolum ſuperſtitione, ſed etiam prophanitate, ac ſi Baccho, non Domino, vel utrique dicata eſſent.* At, quis docuit hominem, adiaphora abuſibus inquinata penitus exterminanda eſſe? Certe pro ſe hic adducere non poteſt Scripturam, nec eum quoque juvat Zanchius, mutilate citatus, prout ipſe, vir ſcil. bonus fatetur. Tollantur abuſus, & maneat uſus: atq; cogitetur perpetuo ita à nobis libertatis in adiaphoris ſeu corrigendis, ſeu uſurpandis, ſeu etiam abolēdis, habendam eſſe rationem, ut nulla ratione offendamus fratres infirmos. Quo cum faciat aureus Calvini locus in Inſtitutionibus (hodie ſolitis poſtponi ab improvida juventute recentibus Theologiæ Syſtematibus) non poſſum non integre eum adducere. *Ita vero loquitur lib. 3. cap. 19. Sect. 10.* Errant & in eo plerique, quod perinde, ac ſi ſua libertas incolumis, XVII.

ac ſalva non eſſet niſi teſtes haberet homines, promiſcue & imprudenter ea utuntur. Qua importuna uſurpatione infirmos fratres ſæpenumero offendunt. Videas hodie quoſdam, quibus ſua libertas non videtur conſiſtere, niſi per eſum carnium die Veneris in ejus poſſeſſionem venerint. Quod edunt non reprehendo: ſed exigenda eſt ex animis falſa iſtæc opinio; ſiquidem cogitare debebant, nihil ſe ſua libertate novum conſequi in hominum conſpectu, ſed apud Deum: & tam in abſtinendo conſtitutam eſſe, quam in utendo. Si coram Deo nihil referre intelligunt veſcanturne carnibus an ovis, rubriſne an nigris veſtibus induantur: ſatis ſuperque eſt. Jam ſoluta eſt conſcientia, cui ejus libertatis beneficium debebatur. Ergo etiamſi poſthac carnibus tota vita abſtineant, & colorem unum perpetuo ferant, non minus liberi ſunt. Imo ideo quia liberi ſunt, libera conſcientia abſtinent. Pernicioſiſſime vero labuntur, quod fratrum infirmitatem nullius penſi habent, quam ſic ſuſtineri à nobis decet, nequid temere admittamus cum eorum offendiculo. Verum interdum quoq; intereſt, coram hominibus aſſeri noſtram libertatem. Et hoc fateor: modus tamen ſumma cautione tenendus eſt: ne infirmorum curam, quos nobis tantopere Dominus commendavit, abjiciamus. *Huc uſque Calvinus*, quem utinam hic audirent novitii Zelotæ! Nec hilum promovet Reyneſſius, pag. 71. quando ex Apoſtolo 1. Cor. 8. 9. huic hypotheſi applicat quaſi hoc axioma: *Quando cum uſu adiaphororum conjungitur lapſus fratrum, tum ſatius eſt ab uſu abſtinere*; atque hanc eſſe Feſtorum rationem inde colligit, *quod inquinentur ab uſu ſuperſtitionis*. Sed diſtingue inter erroneam multorum circa Feſta opinionem, eorumdemque obſervationem: atque legitimum illorum uſum ſecundum ſanam Orthodoxorum Theologorum doctrinam; & omnia erunt ſalva. Quid vero de Adiaphoris ſit exiſtimandum, plenius explicuimus Exercitatione prima.

XIX. Non tam quidem Damaſcenus noſter, quam D. Voetius, fervidus ille Feſtorum dierum oppugnator, jam anno 1638. in altera ſua Diſputatione de Feſtis, quam infra citabo, argumentatur quoque ab Authoritate, ſed ut ſe velut mendacem proſtituat, quemadmodum, modo ſciat erubeſcere totum orbem docebo. Atque, ut eidem lubens largior, primos in Belgio miniſtros, ob rationem quam ſupra propoſui, exemplo Genevenſis Eccleſię, hęſiſſe circa celebrationem horum Feſtorum, atque Scotos, modernoſque Anglos, pariter eoſdem dies abrogaſſe; ita pernego, quod (hęc illius verba occurrunt dictę Diſp. Theſi ultima)

Reformationis

Reformationis noſtræ Doctores contra Pontificios perpetuo contenderint, nos nulla habere Feſta. Atque cum ad hoc probandum adducit impudenter eximium Theologum Genevenſem Antonium Sadeëlem, qui hoc quaſi fuerit profeſſus in Reſponſ. ad art. 49. Abjurat. Monach. Burdegalenſium, ego provocando ad libri inſpectionem coram quibuſcunque arbitris, proclamo in propatulo, ſanctiſſimum illum D. Doctorem Giſbertum Voetium eſſe graphicum non minus falſarium, quam injuriam facere celeberrimo Theologo, *qui ita loquitur, d. l. pag.* 500. *Edit. Genev. in fol, anni* 1615. Sabbathum ita eſt juris divini, ut magna ex parte ad ceremonias Legis pertineat: quarum ſubſtantia nobis in Chriſto remanſit. Itaque temporibus Apoſtolicis, ille dies mutatus fuit in diem proxime ſequentem, qui dies eſt Dominicus, ut ex eo manifeſtum eſt quod Joannes in Apocalypſi commemorat. Paulus ad Coloſſenſes, *Nequis vos damnet*, inquit, *ob cibum vel potum, aut reſpectu diei feſti, aut Sabbathorum: quæ ſunt umbra rerum futurarum, at corpus eſt Chriſti.* Quod tamen minime prohibet, quominus, ordinis Eccleſiaſtici cauſa, certi quidam dies conſtituantur audiendo verbo Dei, habendis precibus, & iis denique peragendis, quæ ad religionem Chriſtianam exercendam pertinent: dummodo nullum imponatur jugum conſcientiis, & à ceremoniis ac ſuperſtitione caveatur. Ex quo fit ut repudiemus multitudinem Feſtorum Eccleſiæ Romanæ, excogitatorum, ut ad Sanctos defunctos transferatur honos, uni Chriſto proprius: ne ſit opus prolixa recitatione idololatriæ & luxus, quibus in ſuis feſtis celebrandis utuntur: de quibus Gerſon, unus ex ipſorum Doctoribus, in ſua quadam Epiſtola non poteſt quin conqueratur. *Huc uſque Ant. Sadeël*; pro quo vindicando haut neceſſum plura addere. Reyneſſius, ut ſuccurrat ſuo præceptori, multa cumulat p. 61. & largus eſt præter rationem in convitiis, *furioſum* quoque *caput* mihi tribuendo: interim hilum non promovet. Quæſtio eſt, an D. Voetius recte credulo ſuo lectori perſuaſerit Sadeëlem docere, *Reformatos nulla habere feſta.* Ego ut bona fide contra D. Voetium Sadeëlis verba adduxi; ſic ὁμόψηφον habeo ipſum Reyneſſium, ſiquidem fatetur Sadeëlem ſolummodo dicere, *ordinis Eccleſiaſtici cauſſa certos dies conſtitui* &c. *ut nullum inde imponatur jugum conſcientiis*: quæ verba ut loquuntur de Feſtorum dierum modificatione, ſic aſſertioni D. Voetii neutiquam conſentiunt. Et tamen hic Sycophantæ Voetii ſycophanticus diſcipulus, hoc nomine me audet traducere p. 61. velut *impudentiſſimum calumniatorem.* O Deus ne videris!

Digitized by Google

At cur non pariter Reyneſſius ſuo præceptori ſuccurrit circa Zanchium & Piſcatorem? Nam D. Voetius parem injuriam facit Hieronymo Zanchio, quando eodem loco ſic ſcribit: *Similiter Lutherus in l. ad Nobilitatem German. & Zanchius ad 4. præceptum, optant omnes illos dies abolitos præter Dominicum.* Certe aliam mentem Zanchii fuiſſe agnoſcit Brochmannus, Theologus Lutheranus loc. Comm. de Lege Sect. 5. Th. 5. *ſic ſcribens*: Calvinianorum Doctorum non eſt eadem de Feſtis ſententia. Sunt enim inter Calvinianos, qui feſta quævis præter diem Dominicum, improbent & damnent. Quam ſententiam cum aliis tuetur Scharpius &c. (*at hic fuit Scotus, & fato quodem tranſlatus eſt in Galliam*) Alii vero inter Calvinianos æquiores ſunt in dies feſtos. *Zanchii* enim tom. 4. cap. xix. quæſt. 2. theſ. 1. pag. 67. aſſertio eſt; quod tametſi magis conſentaneum ſit cum prima inſtitutione, & cum ſcriptis Apoſtolicis, ut unus in ſeptimana dies ſanctificetur: minime tamen pugnet cum Scripturis, ſi plures uno ſanctificentur, modo omnis abſit ſuperſtitio, & ad ædificationem faciant. *Hactenus Brochmannus*, qui uti fide optima (Lutheranus licet, & hactenus centuplo melior & candidior D. Voetio) adduxit Zanchii verba; ita obteſtor lectorem quemcunq;, an ex his, aut forte ſimilibus verbis ejus, cum D. Voetio colligi citra calumniam & crimen falſi queat, quod optarit omnes dies, ut feſtos abolitos, præter diem Dominicum? Siquis, etenim Zanchius l. d. quam fuſe, atque erudite, è Scriptura, ex antiquitate Eccleſiaſtica, & per liquidas rationes ſolide (colligi hoc poteſt ex ſect. proxima) propugnat rationem Feſtorum ſub N. T. obſervari ſolitorum. Nec venerandus ille ſenex, D. Piſcator D. Voetio quoque admodum favet. Lego quidem ſequentia apud D. Voetium: *Eos* (ſcil. Calvinum & Sadeëlem, at hunc inauſpicato adductum) *ſecutus in media Germania (ubi alioquin omnia dierum iſtorum veſtigia abolita non ſunt) candidiſſime Piſcator in Galat.* 4. At meus homo, ſanctus ille Voetius non agit candidiſſime cum bono D. Piſcatore, cujus verba cum mutilarit, ea plene hic exhibebo, *Quæ ſic habent*: Quum dies feſti in novo teſtamento abrogati ſint, ut liquet ex hoc loco Pauli; ſequitur improprie hodie à nonnullis appellari feſtum nativitatis Chriſti, feſtum Paſchæ, feſtum Pentecoſtes, & ſi quæ ſimiles appellationes in uſu ſunt. Etenim feſta omnia abrogata ſunt, tanquam umbræ rerum futurarum, id eſt, beneficiorum futurorum per Chriſtum: ut percipitur ex verbis Apoſtoli Coloſſ. 2. verſ. 16. & 17. Et feſtum, proprie loquendo, eſt publica, & ſolennis, ceremonia,

Digitized by Google

cæremonia, à Deo mandata, ut certo anni tempore cum ſingulari lætitia obeatur, ad gratias agendum Deo pro certo aliquo beneficio in populum ſuum collato. Sicut ex inductione exemplorũ, puta feſti paſchę, pentecoſtes, & tabernaculorum colligere promptum eſt. Atqui tale mandatum in novo Teſtamento nullum habemus. *Hactenus D. Piſcator:* è cujus verbis quis non colligat, eum reſpexiſſe duntaxat *feſta V. T.* ut modificata & quatenus *umbræ erant rerum futurarum, id eſt, beneficiorum futurorum per Chriſtum*; atque negaſſe duntaxat, ſub N.T. ejuſmodi Feſta prioris fœderis poſſe admitti, tum quod omnia ſint completa, tum etiam quod Chriſtus, ut Deus,& Propheta, non definiverit ea, quæ ſecundum certas regulas Eccleſię ſuæ definitioni liberę commiſerat? Teſtibus paucis D. Voetii, (ex loco teſtimonii, citra ullum judicium ordinario infeliciter digladiari ſoliti, cum ſit vir memorioſus non judicioſus) licet opponere ea omnia, quæ ex Confeſſionibus Eccleſiarum Orthodoxarum antea propoſui, præter conſtantem praxin omnium Eccleſiarum Confeſſionis Auguſtanæ, Eccleſię Gallicæ (Genevenſem ſi excipias) Polonicę, Bohemicę, Helveticę, Palatinę, Brandeburgicę, Haſſiacæ, Wetteravicæ, Bremanæ, Belgicæ, Embdanæ, & nuper adhuc (ante infauſtos motus) Eccleſiæ Anglicæ, & Scoticæ; imo judicium quoque ipſius Theologi Genevenſis celeberrimi, Theodori Bezę, *qui ſic loquitur Hom.* 18. *in Paſſionem Chriſti*: Ajo igitur libere quod ſentio, nempe ſicut dominus Paſchatis diem illum ipſum ſolennem eſſe voluit Judæis quo ſunt ex Ægypto educti, nulla habita ratione in quemcunque ſeptimanæ diem incidiſſet: ita quum Chriſtianorum Paſcha non alium in finem inſtitutum fuerit, quam ad memoriam Domini celebrandam, longe futurum fuiſſe & fore adhuc conſultius, & ab omni ſuperſtitione remotius, ſi ab illo transferatur, ſive in Dominicum, ſive in alium diem incidat, ſive Plenilunium ſive Novilunium ſit; quod in Natalis Domini feſto die factum adhuc fuiſſe videmus, non obſervatis diebus, nec lunæ habita ratione. Aut ſane ad multarum feriarum effugiendum concurſum, quę & ſuperſtitionis plenę ſunt, & publicis commodis incommodę, ejuſmodi feſti dies in proximum quemcunque diem Dominicum rejiciantur: hac ratione nec Lunatica feſta, nec Lunaticum Chriſtianiſmum haberemus Quod de reliquis etiam omnibus annuis diebus feſtis, quibus celebris alicujus facti Chriſti Domini noſtri memoria retinetur, dictum velim, habita nihilominus locorum temporum & perſonarum, quantum ad ædificationẽ adhiberi par eſt, ratione.

V *Hactenus*

Hactenus Beza. Nec nos abhorremus hactenus à voto *venerabilis Bezæ*, quum, circa agitationem horum Feſtorum, velimus libertati noſtræ ſuam per omnia conſtare rationem, atque jam antea monuerimus ſufficienter, nobis diſplicere eos ex verbi Divini miniſtris, qui in concionibus, quibus Feſtum quem Eccleſiæ diem (ut definitum ſcil. nam indefiniti alia ratio) videntur illuſtraturi eſſe, mox in ipſo Exordio, quo majori cum applauſu videantur dicturi eſſe, ſuos auditores magis ad convenientiam diei, quam ipſius myſterii, quod celebratur, memoriam revocant; interim neque communi praxi Eccleſię audemus adverſari, piaculum vero putamus, infirmis ſcandalum præbere.

XX. Quid cenſeri debeat, de diebus quaſi feſtis N.T. à nobis tum limitatis, tum ſecũdum ſuas limitationes aſſertis, jam abunde liquere exiſtimo: deinceps porro expendendum, quidnam exiſtimandum ſit de moliminibus eorum quaſi Theologorũ in Belgio, qui contẽdunt omnibus modis operam dandam eſſe, ut abrogentur. Inter eos primipilus habendus D. Doctor *Gisbertus Voetius*, ex *Lacbrymis Crocodili*, antequam etiam Cathedram Theologicam obtinuiſſet in Ultrajectino Gymnaſio, commendante uno D. Riveto, notus Synodis & Claſſibus utriuſq; Hollandiæ; quem ſequi jam cęperunt paſſim diſcipuli, é quibus unus Enchuſę omni molimine ad Eroſtrati laudem aſpirat, alius Woerdæ, pro Diogene Theologico, producendo in Cathedram, proxime elapſo Nativitatis feſto anni 1655. exuvias Gibhoniticas (vide *Ioſ.* 9. 5.) ſeſe gerere inſtituit, ne de pluribus loquar. Quod de homine Woerdano dixi (Enchuſanum noſſe quoque didicit Synodus Groningo-Omlandica) ex viris Reverendis audivi; (qui non detrectabunt dicere teſtimonium) adeo, ut viderit Reyneſſius qua conſcientia pag. 72. referat *me pellucidum mendacium de eo referre.* Ni forte elabendi detur occaſio, quod homo meus cum ſciſſili palliaſtro in cathedram non protulerit Gibhonitarum ſaccum cum fragminibus mucidi panis. Interim, quis non clamet cum Melicerta, *frontem non* tam *periiſſe de rebus*, quam de viris? Qui, quotieſcunque in ſpeciem tantum favere videantur, ſive Canones Eccleſiaſtici, ſive decreta Synodalia, pro iis haut ſecus digladiantur, atque pro ſcitis & decretis ipſius Sp. Sancti, obliviſcuntur can. Eccleſ. 67. ſupra citati, quem, ut omnes verbi Miniſtri per Belgium ſolenni manuum ſuarum ſubſcriptione, ut & cæteros Canones, quando ad miniſterium admittuntur, comprobant; ita D. Voetius, pacificus ſcil. & modeſtus ille Theologus, interfuit anno 1619. Synodo Dordracenæ, quum ageretur

de

de illius recenſione. Quod ipſe tamen tam parum curat, ut ſub finem ſepius adductę diſputationis, non verecūdetur ita loqui: *De quibus* (diebus ſcil. Feſtis, jam antea conſideratis) *ſi in praxi aut conſtitutionibus Eccleſiaſticis noſtrorum alicubi quid occurrat, cogita id de tolerantia & limitatione eorum accipiendum eſſe. Quomodo poſtremo Conſtitutiones Eccleſiaſticas Belgii anno* 1586. *repetitas anno* 1619. *intelligendas eſſe nemo ignorat, qui modo contulerit Conſtitutiones anno* 1574. *&* 1578. *modo cit. & cognovit, quis fuerit ſenſus, quæ Theologia, qua eruditio eorum, qui in utriſque conſcribendis potiſſimam operam navarunt.* Sed, an non hęc arguunt tum τὴν ἀῤῥωςίαν τῆς διανοίας, tum etiam extremam impudentiam? Expendamus omnia breviter. I. Ubi lex aliquid ſimpliciter decernit & definit, an hoc intelligi poteſt, de ſola permiſſione ſive tolerantia? Quis unquam, ſive Theologus, ſive IC. imo homo quoque ita deliravit? Can. 67. ita incipit: *Eccleſia præter ſanctificationem Sabbathi, Nativitatis quoque Dominicæ Feſtum, Paſchatis item ac Pentecoſtes, cum ſequenti die obſervent.* Quæ verba ſi quis, cum D. Giſberto Voetio, dixerit continere nudam permiſſionem ſive licentiam, pariter meridie diei eſſe tenebras, ejuſdem κόμμαῖῳ diſcipulis annunciet. II. Synodi verba modo adducta non arguere licentiam, ſed eſſe accipienda ad modum præcepti, & quidem definitivi, atque (prout vulgo loquuntur) peremptorii, patet ex altero membro ejuſdem Canonis, quod ita habet: *Et quia in plurimis Belgii civitatibus ac provinciis præterea dies Circumciſionis, & Aſcenſionis Domini, ſacri ſunt, miniſtri Eccleſiarum, quæ hujus adhuc conſuetudinis expertes ſunt, operam adhibeant apud Magiſtratum, ut ſibi cæteris ſe conformare liceat.* Etenim, quoniam Synodo viſum fuit, ut illæ Eccleſiæ Belgicæ, quæ circa duos dies Feſtos, annuatim recurrentes, ceſpitabant, ſe componerent ad modulum reliquarum, ſeu, plurium Eccleſiarum, certo liquet, ea quæ ſanciuntur tum de hiſce duobus diebus Feſtis, tum de tribus alteris minus controverſis, accipienda eſſe tanquam verba præceptiva, non vero ut ſolummodo permiſſiva. III. Noſter D. Voetius ſedit in ipſa Synodo Dordracena anni 1619. dum ageretur de recenſione hujuſce Canonis, quem pro ſuo arbitratu ſuis diſcipulis publice audet interpretari contra ipſius Synodi mentem, eoque illum rogo ſatisfaciat huic Dilemmati: Aut enim tum temporis approbavit hunc canonem, aut victus eſt ſuffragiis, cum palam ei obniteretur. Si approbavit canonem, aut fecit hoc ſerio, aut ficte & in ſpeciem. Si ſerio, quæ ratio, quod quæ approbavit toto animi aſſenſu in tam illuſtri Panegyri, hoc tempore,

nulla ſolida ratione ſuadente, uſque ad commotionem Belgicarum Eccleſiarum inſtituat, contra Synodi mentem, interpretari? Si vero hoc fecerit ficte, atque in ſpeciem, rogo omnes, quibus fucatus viri zelus hactenus imponit, ſerio de eo ipſo arbitrentur. Si dicat ſe fuiſſe ſuperatum ſuffragiis, (quomodo alias nobis conſtat, in ipſis ſæpe Synodis meliorem ſententiam ſuffragantium numero ſuccubuiſſe) liquido hoc oſtendat. Certe hoc non patet ex actis ipſius Synodi. Noſter bonus ſocius, Reyneſſius ſcil. pag. 69. ne faveat nobis Synodus Dordracena, *diſtinguit inter præceptum quod vi ſua obligat, & ſtatutum quo exercitium rei adiaphora, huic rerum ſtatui conveniens, declaratur*. Sed hæc diſtinctio eſt ridicula, quam ſi Doctor Voetius ſuggeſſerit lepidum diſtinctorem ſe probat. Quis unquam ſomniavit quod præcepta Synodalia abſolute per ſe obligent? Ratione ritualium, ſic obligant vi generalis regulæ, 1. Cor. 14. verſ. ult. ut in ſpecialibus determinationibus à Synodo provinciali non poſſit reſcindi, quod decretum eſt à Nationali. Uſque adeo, ut turbones in Eccleſia ſint habendi, qui, quo videantur novi Reformatores, moliuntur reſcindere illa, quæ manuum ſuarum ſubſcriptione ſolemni approbarunt. Hoc enim ſi liceat, quod & quantum Chaos non obveniet Eccleſiæ? Nec (ut vult Reyneſſius pag. 69.) Synodus Dordracena, dum Canonem hunc conderet, rationem ſolummodo habuit turbati Eccleſiæ ſtatus; quum ob hæc, & ſimilia, Synodus non fuerit coacta. Atque, ut dimiſſis exteris Theologis, qui ſupererant Theologi Belgæ Canonum Eccleſiaſticorum reſumptioni vacarunt; ita exiſtimandum eſt, quæ per reſumptionem approbata fuerunt, tanquam perpetuo valitura approbata fuiſſe. Voetiana ſomnia, de implicita quaſi intentione Synodi, quis ſanus curet? IV. Faſſi jam antea ſumus, priores Belgii Synodos, quarum membra meliora pro Genevenſium diſcipulis erant agnoſcenda, aut voluiſſe, aut optaſſe, ut Feſti hi dies abrogarentur, pro quibus penitus abolendis, ſcimus quoque quam fervide alicubi laboratum fuerit, ut aliquando patebit ex noſtra Hiſtoria Eccleſiaſtica: at cum ubique occurrerent & generalia, & ſpecialia, obſtacula, Synodus prudenter, omnibus expenſis & collatis, definivit ad modum decreti (in omnibus Eccleſiis Fœderati Belgii perpetuo obſervandi) quidnam in hoc caſu faciendum foret.

XX. Sed D. Voetius, qui in ſua diſputatione aravit vitula Didoclavii, quædam

quædam ſpecialia argumenta habet, ob quæ videatur cum ſuis ſatellitibus poſſe hoc tempore illa impugnare, quæ in Synodo probarat. Th. 10. Arg. iv. ſic procedit: *Quorum finis nullus eſt, illa etiam nulla ſunt; ſed Feſtorum Nov. Teſt. (quæ prætendunt) finis nullus eſt, Ergo. Majoris conſequentia valet, quia in talibus relationibus finis dat eſſe rei, & eſt quaſi forma. Minor probatur. Quia finis ille eſſet myſtica talis, aut talis, beneficii divini ſignificatio, ac repræſentatio, & cum peculiari gaudio, gratiarum actione, commemoratio, idque per peculiarem cultus, & officii divini, modum illi ſolennitati affixum.* Quibus duntaxat oppono Zanchium, quem modo, ſed infeliciter, D. Voetius jactabat ὁμόψηφον eſſe; is *ita loquitur lib. 1. ad quart. pracept. quaſt. 2. Theſ. 2.* Si igitur propter commemorationem iſtorum beneficiorum faciendam, inſtituta erant feſta apud Judæos: cur non etiam recte Eccleſia Chriſti, feſta, quæ commemoravimus, inſtituit: ut illis diebus ſolennis celebraretur memoria beneficiorum, quę à Chriſto accepimus, operumque illuſtrium, quę pro nobis pręſtitit, & de quibus certas habemus in Euangeliſtarum libris hiſtorias &c. Altera ratio eſt, quoniam ſi honeſtum (ut Cicero definit) illud eſt, quod, licet actu non laudetur, laude tamen dignum eſt: ſequitur honeſtum eſſe illa feſta celebrare, quæ & vetus Eccleſia. Quoniam laudabile eſt ſequi antiquitatem in rebus non per ſe malis, ſed adiaphoris: antiquitas enim non ſine cauſa ea egiſſe judicanda eſt, quæ egit, præſertim in diebus feſtis conſtituendis. Tertia ab utili ducitur. Dici non poteſt, quam utile ſit plebi, tales celebrare dies feſtos, in quibus hiſtoriæ, de rebus à Chriſto geſtis pro ſalute noſtra, recitantur & explicantur. Quot enim ſunt, qui nihil unquam aut per ſe legunt, aut alios audiunt ſacras literas explicantes, niſi cum ad templum accedunt? Accedit alia utilitas, quod infirmiores in fide, non ita offenduntur à nobis, quam ſi omninò tales dies prorſus contemnamus, quaſi non curemus, quæ Chriſtus pro nobis geſſit. *Hactenus Zanchius*, venerandus ille & doctiſſimus ſenex. Perſuaſum quidem vellet Reyneſſius pag. 73. me, quod ſubſiſtere nòn poſſem, nec elabi auderem, confugiſſe *ad Zanchii clypeum*: ſed tanti Theologi verbis uti malui, quam meis, ut reſponſioni meæ, directæ adverſus D. Voetii argumentum, plus ponderis accederet. Nec ego, nec Zanchius, unquam ſomniavimus Feſta N. T. quæ Eccleſia, qua talia, libere obſervat, eſſe *ſigna myſteriorum* Divinorum; ſed ſolummodo

 commemo-

commemorativa ſpecialium beneficiorum Dn. Jeſu Chriſti: nec talia agnoſci debent per accidens, ſed per ſe; quanquam interim diſtinguendum eſt inter Feſta abſolute conſiderata (ad quę per Jus Naturale homo aſtringitur) atque eadem modificata ratione certorum beneficiorum & circumſtantiarum. Altero argumento, quod videtur Rev. D. Voetio eſſe VI. velut per ſatyram omnigena convitia cumulantur, deſumptumque eſt à *noxiis effectis*, atque videtur directum eſſe adverſus Bellarminum & feſta Pontificiorum, ita tamen ut indirecte eodem quoque petantur hæc ipſa Feſta. Verba D. Voetii hæc ſunt: *Quia plus ſuperſtitionis quam devotionis ſecum trahunt, ſyncretiſmum cum Gentilibus & Iudæis ſapiunt, ſaltem ſpeciem mali habent, onerant Eccleſiam inutilibus perplexitatibus, ſcrupulis, diſſidiis & contentionibus, quibus exercitia & profectus ſpiritualis devotionis impediuntur.* Sed quinam per ſua diſſidia & contentiones, hoc tempore in fœderato Belgio ſimplicium hominum devotionem ſpiritualem impediunt, nonne illi, qui, ut cum D. Voetio habeantur doctores ſingulares, obloquuntur ſalubribus Synodi decretis, manuum ſuarum ſubſcriptione approbatis? Judicet Deus, imo arbitrentur Magiſtratus Dei vicarii, ſimulque Eccleſiæ, atque tempeſtive hominum horum conſiliis obviam eant. Fateor lubens, circa doctrinam de Feſtis N. T. non modo vulgus, ſed haut paucos quoque ex verbi Divini miniſtris erroneas fovere ſententias; atque verum eſſe quod p. 65. ex D. Altingio in Exegeſ. Aug. Conf. adducit Reyneſſius, nempe *plus religionis ac ſanctitatis iſtis feriis, quam diei Dominico fere tribui*: nec tamen inde colligere licet, dies feſtos ſub N. T. peremptoriò decreto proſcribendos eſſe; ſed potius populum Orthodoxum melius erudiendum eſſe de legitimo Feſtorum uſu. Porro inter Feſta illa pauca, quæ Eccleſiæ Reformatæ receperunt libere, ut talia & modificate, ob fines jam antea definitos, & multitudinem Feſtorum non minus Judaicorum (à veritatis lineis recedit more ſolito Voetius, quando ibid. contendit *ipſa Dei & Chriſti feſta anniverſaria* (quæ apud Reformatos non excedunt numerum quinarium) numero *Iudaica longe ſuperare*) quam Papanorum plurimum intereſt, prout poſt Hemmingium, ſolidum Theologum Auguſtanæ Confeſſionis, in Comment. ad Gal. 4. ſuccincte oſtendit *Daniel Toſſanus, Theologus Heildelbergenſis, hunc in modum loquens*: Apoſtolus non ſimpliciter, ſed κατά τι verſ. decimo, reprehendit obſervationem dierum & temporum. Nam obſervandum eſt, quadruplicem eſſe temporum obſervationem, phyſicam, ſive aſtronomicam,

Digitized by Google

cam, de qua Geneſ. primo, *Erunt in ſigna*, &c. ſcilicet pluviarum & ſerenitatis, veris, æſtatis, autumni, hiemis, &c. II. Civilem & Politicam ad mercatus & res alias gerendas, quæ ſuum habent tempus. III. Eccleſiaſticam, ad ſacros conventus, ordinis non ſuperſtitionis cauſa, ut hodie habemus diem Dominicam, & alia quędam feſta, quibus populus de præcipuis Chriſti beneficiis admonetur. IV. Superſtitioſam: hanc ſolam damnat hoc loco, & Coloſſ. 2. quod apparet ex ſequente verſu: Fruſtra enim laboraſſem, inquit, ſcilicet in prędicanda gratia, ſi juſtitię noſtræ ratio in Feſtorum obſervatione conſiſteret, vel una dies per ſe alia ſanctior eſſet. In Papatu circa hoc caput triplicem abuſum videmus. I. Quod Pontifices pro arbitrio multas ferias indixerunt, & in his populum Chriſtianum nimis occuparunt. II. quod creaturis certos dies feſtos conſecrarunt. III. quod his affingunt cultum Dei. *Hac eo loco Toſſanus.* Denique videtur pro D. Voetii moliminibus quadantenus militare Catecheſis Editionis Belgicæ, quam reſpiciens hic ipſe l. d. ſic loquitur: *In primitivis Eccleſiis reformatis Belgii nulla vel minima ſpecies eorum* (Feſtorum ſcil.) *comparuit. Ab ipſo nomine Feſti abſtinebant, cum verba Catecheſios Palatinæ,* qu. 103. cum præcipue feſtis diebus, *ita verterent: Inſonderheyt op den Sabbath-dagh des Heeren. Ut omnes dies, præter Dominicum, excluderent.* Sed verſionem hanc fidei controverſæ, adverſantem textui Originali Latino, verſioni Græcæ Sylburgii, & verſioni Ebrææ Tremellii, ut convenit acceptam referre primis illis in Belgio Theologis, quos notavimus fuiſſe ex diſciplina Genevenſium; ita Synodus Dordracena 1619. hactenus quidem qualemcunque hanc verſionem toleravit, ſic tamen ut can. dicto præceperit horum dierum obſervationem liberam, conſiderandam ea ratione, ne quo modo ſcandalum infirmioribus exhibeatur. Pręterea authores hujus verſionis abunde innuunt, ſibi propoſitum duntaxat fuiſſe, diei Dominico, præ reliquis diebus Feſtis, prærogativam procurare, ſecus non dixiſſent; *Inſonderheyt op den Sabbath-dagh des Heeren.* Quod inde quoque patet, quoniam nunquam in fœderati Belgii Eccleſiis (licet, ut antea innuimus, quidam ex Theologis, Genevenſium doctrina imbuti, in Synodis obniti voluerint) omnium horum Feſtorum obſervatio neglecta fuit, paucis forte Eccleſiis negligentibus, aut feſtum Aſcenſionis, aut ſimul quoque feſtum Circumciſionis. *D. Voetius*, qui in hac turbulenta comœdia Choragus agnoſci debet, quique d. Maji 24. anni 1656. in ſua Academia ſedecim poſitiones miſcellaneas ad diſputandum

tandum propoſuit, ut poſſet novas turbas excitare, Th. 16. ſive ultimâ; novi quid repetit, ut perſuadeat Miniſtris in Fœderato Belgio, laborandum eſſe pro horum dierum abrogatione, quando ſic loquitur: *Quid de Catachreſtice dictis feſtis (ut recte judicat Piſcator in Galat. 4.) quomodo Eccleſiæ noſtra Belgica propter autoritatem Magiſtratus volentes, nolente animo, dies illos retinere debuerint, eoſque ideo ad hominum ignavum otium avertendum in conciones impendi conſultum duxerint, ante annos complures ſatis ſuperque declaravimus.* Reſp. I. Optimum ſenem D. Johannem Piſcatorem ſupra vindicavimus. Qui illum noverunt familiariter Herbornæ, teſtes ſunt, quod tempore Feſtorum, ab Eccleſia Reformata annuatim agitari ſolitorum, aſſiduus conſueverit eſſe in templo, omnibuſque aliis prælucere ſingulari exemplo devotionis. Quid enim Wetteravici Theologi, ſpeciatim Herbornenſes, exiſtimaverint de obſervatione horum dierum, diſcere eſt ex uno Zeppero (hic Author *D. Voetio* in controverſia de bonis Pſeudo-ſacris *Claſſicus teſtis* eſt) qui hæc habet lib. 1. de Polit. Eccleſ. cap. 13. *Ad verbi divini prædicationem, & totius cultus in cœtibus Eccleſiaſticis exercitium, temporibus certis, quibus Eccleſia convocetur, opus eſt. Hac tempora erunt, ordinarie quidem dies Dominicus, adeoque & Feſtum Paſchatis & Pentecoſtes, qua in dies Dominicos regulariter incidunt, Feſtum nativitatis, circumciſionis, paſſionis & ſepulturæ, atque Aſcenſionis Chriſti.* II. Probet *D. Voetius*, Eccleſias Belgicas invitas & reluctantes, atque duntaxat ob authoritatem Magiſtratuum ſuorum, hactenus conſenſiſſe in horum dierum obſervationem. Certe contrarium liquet ex decreto Synodi Dordracenæ, ſupra *Sect.* 5. ad ſuffragium vocato. III. Calumniam olet, quod innuit, miniſtros Belgicos, jam olim hiſce diebus conſueviſſe conciones habere, tantum ut *averterent ignavum otium hominum*. Hęc ſi quis diligentius attenderit, & comparaverit cum iis, quæ *ſect.* 5. hujus aſſertionis diximus, videbit quam improbandi ſint illi, ex νεοφύτοις Verbi miniſtris, qui in Belgio, æſtuantes quaſi Zelo Jehu, exiſtimant ſe tum demum bene merituros eſſe de Eccleſia, ſi neglecta manuum ſuarum ſubſcriptione, qua confirmarunt Canones Ordinis Eccleſiaſtici, à Synodo Dordracena examinatos & approbatos, tam diu ἐγκλιτόδλικαῖς ſuis concionibus vacaverint, quam horum dierum obſervationem abrogaverint. Eos vero ab aliquot annis, Claſſibus per univerſum ferme Belgium obtruſit Academia Ultrajectina, cujus facultas Theologica ut gaudet titulo ſingularitatis, ita propriis coloribus, jam olim ſua ætate, hujuſce Farinæ homines graphice delineavit

Auguſtinus

Auguſtinus epiſt. 118. *ad Ianuarium hunc in modum ſcribens*: Senſi enim ſæpe dolens, & gemens, multas infirmorum perturbationes fieri, per quorundam fratrum contentioſam obſtinationem, vel ſuperſtitioſam timiditatem, qui in rebus hujuſmodi, quæ neque Scripturæ Sanctæ authoritate, neque univerſalis Eccleſiæ traditione,neque vitæ corrigendæ utilitate, ad certum poſſunt terminum pervenire (tantum quia ſubeſt qualiſcunque ratiocinatio cogitantis, aut quia in ſua patria ſic ipſe conſuevit, aut quia ibi vidit ubi peregrinationem ſuam, quo remotiorem à ſuis, eo doctiorem factam putat) tam litigioſas excitant quæſtiones, ut niſi quod ipſi faciunt, nihil rectum exiſtiment. *Hactenus Auguſtinus.* Nec zelo horum ſuorum diſcipulorum patrocinatur ullo modo *D. Voetius*, quando loco poſtremo laudato hunc in modum παρεγγυᾷ: *Hoc in diſquiſitionibus de obſervatione iſtorum dierum prudenter cavendum, ne Eccleſiis noſtris Belgicis in prima ſua caritate & optime conſtitutis, Gallicis præterea Scoticis, Genevenſi &c. aut præſtantiſſimis Theologis reformatis, quidquam præjudicemus, & Pontificiis erroribus non ſatis valide reſiſtamus.* Quæ verba,ut alio non ſpectant, quam ut infirmioribus conſcientiis laquei injiciantur, ita rogo *D. Voetium*, accuratius aliquanto ſequentia dignetur expendere. I. Qua fronte, blandiendo Eccleſiis Belgicis priorum ſeculorum, dicere ſuſtineat, eas *in prima ſua caritate & optime conſtitutas fuiſſe*, cum ipſe, volvendo Siſyphi ſaxum, tanquam Doctor ſingularis, noctes atque dies, cum omnibus adjutoribus (magnam partem improvidis juvenibus) laboret de iis intenſive amplius reformandis; conſtetque plurima in primitivis Eccleſiis Belgii tolerata eſſe, quæ intolerabilia proclamat hic noſter Doctor? II. Eccleſiæ Genevenſis miniſtri (qui hic præ aliis eſſent ſuſpiciendi) quam parum tanquam viri non modo prudentes, ſed etiam Chriſtiani afficiantur,quod alibi in Eccleſiis transmarinis quidam dies Feſti libere obſerventur, ſupra diſcere potuimus ex D. Beza, & D. Spanhemio,quibus plus defero,quam centum Didoclavii gregalibus,qui quam pręclare, per zelnm improvidum meriti ſint de Eccleſiis Anglicis & Scoticis, judicabit Orthodoxa poſteritas. III. Ergo, valide Pontificiis erroibus non potuerint reſiſtere, Chemnitius, (*videatur is parte* IV. *ſeu poſtrema Concilii Tridentini*) Zanchius, Sadeel, (cum antea vindicavimus) Junius, Rivetus, aliique plures, quod legitime diſtinguendo inter Feſta V.T. & ea quæ, ut modificata, ab Eccleſia libere ſub N.T. obſervantur, itemque inter illa, quæ docent Reformati, & quæ, per errorem, urgent

X Pontificii,

Digitized by Google

Pontificii, noluerint cum hiſce hominibus, pro abrogatione quaſi iſtorum dierum, turbas in Eccleſia dare. Orthodoxam vero ſententiam quæ pariter noſtra, breviter complexus eſt *Tilenus* tom. 1. Diſput. Thel. 27. *ſic loquens*: Præter Sabbathiſmum, ſeptimo quoque die recurrentem, alios dies, non ad ἐθελοθρησκείαν, ſed ad peculiarem Dei beneficiorum commemorationem, de communi conſenſu, in Eccleſia Chriſtiana, inſtituere non arbitramur ſimpliciter illicitum. Cæterùm horum dierum (*ſecundum modificationem hæc intelligenda ſunt*) obſervationem ejuſmodi lege ſancire, quæ abſolutæ neceſſitatis laqueum injiciat animis, & ſingularem quandam ſanctimoniam affingat diebus illis, ſuperſtitioſum, & Chriſtianæ libertati inimicum, eſſe aſſerimus. *Hæc Tilenus.* A cujus opinione ut non recedimus, ſic non poſſumus hoc inculcare omnibus pacis ſtudioſis ea, quæ habet Auguſtinus, Epiſtola modo laudata, ſive 118. ad Januarium, *ubi ſequentia leguntur*: Illa enim quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſervantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima autoritas, commendata atque ſtatuta retineri. Sicuti quod Domini paſſio & reſurrectio, & aſcenſio in cælum, & adventus de cœlo Spiritus Sancti, anniverſaria ſolennitate celebrantur. Et ſi quid aliud tale occurrerit, quod ſervatur ab univerſa, quacunq; ſe diffundit Eccleſia. *Huc uſque iterum Auguſtinus.*

XXI. Progredior expenſurus, quid exiſtimandum ſit de cœna Dominica, feſtis majoribus celebrari ſolita. Atque initio quidem in primitiva Eccleſia, quotidie Chriſtianos conveniſſe ad agitandum ſacrum hoc convivium, quidam inſtituunt colligere ex Act. 2. com. 42. quod tamen perpetuo obſervatum non fuit. Auguſtinus dicta Epiſt. 118. de tempore celebrandæ cœnæ Dominicæ, varias recitat conſuetudines in Eccleſia apud diverſos populos receptas, *inter alia hæc habet*: Alii quotidie communicant corpori & ſanguini Dominico: alii certis diebus accipiunt. Alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur: alibi Sabbatho tantum & die Dominico: alibi tantum Dominico. Sed (*ut mox ſubdit*) totum hoc genus rerum, liberas habet obſervationes. Quod enim neque contra fidem (*inquit*) neque contra bonos mores injungitur, indifferenter eſt habendum. *Hac ille.* Ut vero de infrequentia ſuo etiam ſeculo conquerebatur Chryſoſtomus (quemadmodum videre eſt *hom. 7. & 61. ad pop. Antiochenum, hom. 28. in 1. Cor. & 12. ad Hebr. & Orat. de S. Philogonio*) ita non inſuper haberi debet monitum Auguſtini

lib.

lib. de Eccleſ. Dogmat. cap. 53. hunc in modum loquentis: *Quotidie* (inquit) *Euchariſtiam accipere nec laudo nec vitupero: omnibus tamen Dominicis diebus communicandum hortor: ſi vero non frequentius, ſaltem ter in anno homines communicent.* Certe cum Apoſtolus diſerte injungat Corinthiis, ut *quotieſcunque* (ὁσάκις) *convenerint*, mortem Domini annuncient, 1. Cor. 11. 25. conſequens eſt, ſæpius quoque anno ſacram Synaxin eſſe adminiſtrandam.

XXII. Convenientiſſime autem pio huic exercitio deſtinari ipſa majora Feſta, recte cenſuit Synodus Dordracena anni 1619. quum Can. Eccl. 63. ſic ſtatueret: *Cœna Domini ſingulis duobus menſibus ſemel, ſi fieri poteſt, adminiſtretur: & erit ex uſu Eccleſiæ, ſi ejus conſtitutio id patiatur, ut diebus Paſchatis, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini fiat.* A qua conſuetudine cur receſſerit Eccleſia Ultrajectina, quæ ultra LXX. annos eam obſervaverat, dicere non poteſt D. Voetius, (licet conſuetudini à Synodo approbatæ cum ſuis adverſatus fuerit) eoque dicta Theſi XVI. *more ſuo ineptiendo loquitur*: De definito tempore adminiſtrationis Cœnæ Dominicæ nihil in Scriptura definitum eſt: nihil ergo hic libertati Eccleſiarum preſcribendum. Pontificii feſto (uti vocant) paſchali alligarunt: hinc factum, ut idem tempus à reformatis Eccleſiis quibuſdam retineretur, ſed tamen libere; idque ut neophytis & infirmis, qui tempori illi aſſueverant, ſeſe accommodarent, exemplo Pauli, 1. Corint. 9. verſ. 20. 24. Aliæ tamen Eccleſiæ, etiam in Belgio noſtro, nec illo, nec aliis dictis feſtis adminiſtrant. Ita ut plane adiaphorum hoc ſemper habitum ſit; nec quiſquam in hac aut illa temporis partitione & deſignatione myſticum quid queſierit. Conſtitutiones noſtræ Eccleſiaſticę anni 1581. ſecundo quoque menſe, ſiquidem fieri poſſit, cœnam celebrari volunt: An. 1586. additum eſt, futurum ad ædificationem, ut fiat diebus Paſchæ, Pentecoſtes, Nativitatis, ubi ratio & conſtitutio Eccleſiarum ita fert. Hoc conſilio nullæ Eccleſiæ ſe tanquam lege obligari putarunt. Sunt enim multæ, forte pleręque, quæ quater quotannis; paucæ, quæ die pentecoſtes; multæ, quæ nec die Paſchæ, nec nativitatis celebrant. Noſtra Eccleſia Ultrajectina ante quadriennium preter propter, quaternas vices, antea inæqualiter diviſas, per trimeſtres exacte diviſit, & primum diem Dominicum tertii cujuſque menſis deſignavit; quo factum, cum in diem Nativitatis cœnæ diſtributio non incideret, illum diem abrogatum, & conſequenter ipſum Chriſtianiſmum, imperiti & malevoli nonnulli blaterarent: cum de priori in Synedrio noſtro deli-

beratum non eſſet, multo minus concluſum. *Hæc quidem noſter D. Voetius.* At quis in hac oratione pedem aut caput notet? Non quæritur, an quædam Eccleſiæ alia ſtata tempora in cœna Domini adminiſtranda obſervent? ſed, an legitime & citra infirmorum ſcandalum, nulla plane ratione urgente, hoc cum ſuis aſſeclis *D. Voetius* potuerit ſuadere Eccleſiæ Ultrajectinæ, quæ tot per annos obſervaverat illud, quod Synodus tanquam laude dignum approbat? Quoniam rationem idoneam neſcit *D. Voetius* reddere, quum maxime tamen requireretur, certo perſuaſum habeo, eum nullum alium in finem (ut ut diſſimulet) hanc mutationem circa hæc ſtata tempora urſiſſe, quam ut facilius poſſet procurare per ſuos D D. Magiſtratus ipſorum Feſtorum abrogationem. Quantumvis ſimplex videri velit, atque à ſeculi artibus remotus, exploratiſſimum tamen habet illud, quod turbidi milites diſſerunt apud Tacitum An. 1. cap. 19. ex legibus ſeculi, *ſe cætera mandaturos, ubi prima provenissent.* Quæ cornicatur pro ſuo Præceptore Reyneſſius pag. 75. pili non ſunt facienda. Lubens do, non ſimpliciter conſtringendam eſſe Eccleſiam, ut diebus Feſtis conveniat ad celebrandam ſacram Synaxin: quum tamen Synodus Dordracena judicarit, *illud fore ex uſu Eccleſiæ, ſi conſtitutio illius hoc patiatur*: atque tot per annos, hoc factitatum fuerit in Eccleſia Ultrajectina, D. Voetius cum ſuis, niſi Davus alter haberi velit, liquidam rationem adferre debet, cur hoc diutius non potuerit pati conſtitntio Eccleſiæ Ultrajectinæ? At arcana hominis ſubdoli conſilia jam antea prodidi.

EXERCITATIO XII.

1. *AN inter precandum certo geſtu, & ritu, ſit utendum?*
2. *Licet ritus quam maxime compoſiti ſint adhibendi, non tamen perpetuo ſtandum eſt.*
3. *Pagani ſtantes precari ſolent.*
4. *Quod tamen ratione certorum temporum, quæ Noſtri Doctores obſervare nolunt, in primitiva Eccleſia receptum fuit, cum alias Chriſtiani in genua procumberent.*
5. *Reſpondetur ad Pſalm.* 134. 2.
6. *Simul ſatisfit Reyneſſio.*

I. Qui

Qui ex ſingularitate apud auditores ſuos gratiam, more Phariſæorum, captant, eos docere inſtituerunt, inter precandum certo quo ritu, & definita corporis compoſitione utendum eſſe, ſpeciatim convenire, ut in Eccleſia publicæ preces à ſtantibus fundantur: quare & ſequiori ſexui perſuaſerunt, quo tempore à verbi Miniſtro funduntur preces, ſurgere, atque ſtando ſubjicere *Amen.* Imitatione & exemplo eorum Hæreticorum, quos Damaſcen. lib. de Hæreſ. vocat *Agnoclytas*, quod nollent, quoties orarent, genu flectere, ſed ſtantes ſemper precarentur. I.

Verum quidem eſt, eos, qui excellum & præpotentem Deum allocuturi ſunt, ſumma cum reverentia hoc facere debere, corpore quam decenter compoſito, atque imitari viros Sanctos V. & N. T, qui ſoliti fuerunt præcipuas corporis partes ita moderari, ut ipſe geſtus tum attentionem, tum reverentiam erga Divinam majeſtatem convenienter argueret. Interim hic ſua libertate gaudet Eccleſia, modo ea non excedat terminos Chriſtianæ modeſtiæ: nec ulla certa lege eſt definitum, quinam ritus inter precandum adhiberi debeant. Genibus incumbentes orarunt Chriſtus, *Luc.* 22. 41. Paulus, *Act.* 20. 36. Stephanus, *Act.* 7. 60. Petrus, *Act.* 9. 40. Leproſus, *Marc.* 1. 40. Salomon, 1. *Reg.* 8. 54. Tyri incolæ, *Act.* 21. 5. In faciem ſuam prociderunt Chriſtus, *Matth.* 26. 39. *Marc.* 14. 35. Moſes, *Deut.* 9. 18. Moſes & Aaron, *Num.* 16. 22. Joſua *Ioſ.* 5. 14. Viginti quatuor ſeniores, *Apoc.* 4. 10. Jacentes orarunt, Ezechias, *Ieſ.* 38. 2. Jacob, *Geneſ.* 49. David, 2. *Sam.* 12. 16. Stantes iterum precati fuerunt, Chriſtus, *Ioh.* 11. 41. Publicanus, *Luc.* 18. 13. & Phariſæi, ſimileſque hypocritæ, *Matth.* 6. 5. Perpetuo vero hic cordi primæ partes concedi debent, atque, ſi licuit dicere Cypriano lib. de Orat. Dom. ratione vocis, *Eſt Deus non vocis, ſed cordis auditor*; dicere quoque poſſumus, Deus non eſt geſtuum horum illorumve, ſed ſolius cordis ſerius obſervator. II.

Mirum vero Chriſtianis per pretioſum Chriſti ſanguinem in libertatem aſſertis, injungi, ut ſtantes precentur, quum hoc ipſo corporis geſtu, Gentiles Deos ſuos venerari conſueverint. Quod patet, vel ex ſolo Martialis loco, lib. 12. Epigramm. ab aliis ad hoc probandum ſæpius adducto; III.

Multis dum precibus Iovem ſalutat,
Stans ſummos reſupinus uſque in ungues

 Æthon.

Æthon. Nec eſt, quod Reyneſſius pag. 85. hoc nomine ſibi gratuletur, quaſi præter Martialis Æthonem, alterum proferre non potuerim, adeo ut pro ſua verecundia eum, ex eodem Poëta, mihi quoq; ut *pedentem* objiciat. Solo hoc Martialis loco adducto, Gentiles Deos ſuos ſtantes veneratos fuiſſe, probat quoque promus condus ille Antiquitatis Briſſonius lib. 1. de Form. Ne vero Reyneſſius exiſtimet, me aliorum Scriptorum autoritate deſtitui, en Pindarum, qui ut Iſthm. od. 6. orantem exhibet Herculem, ita hæc præmittit:

Τὸν μὲν ἐϋρινῶ λέοντος
Στάντα κελήσατο νεκταρέαις
Σπονδαῖσιν ἄρξαι καρτεραίχμαν
Ἀμφιτρυωνίδαν.

Sequuntur deinde preces, quibus conceptis:

Ὣς ἄρα εἰπὼν αὐτίκα
Ἕζετο.

Atque hunc Gentilium ritum fuiſſe, viſumque primævis Chriſtianis abominabilem, teſtis poteſt eſſe vel ſolus Tertullianus, qui ut libr. de Orat. cap. 12. varios precantium ritus, utpote Paganiſmum redolentes, notat; ita apud eum legas: *Item quod aſſignata oratione aſſidendi mos eſt quibuſdam*, &c. & paulo poſt: *Porro quum perinde faciant nationes, adoratis ſigillaribus ſuis reſidendo*, &c. Solent quippe reſidere, poſtquam ſtantes oraſſent. Atque Chriſtianos non conſueviſſe ſtantes orare, teſtis quoque eſt Auguſtinus, ab ipſo Reyneſſio pag. 89. adductus. Ut enim lib. pro cura Mort. cap. 5. varios precantium ritus notat; ita hunc omittit. Verba hęc ſunt: *Orantes de membris corporis ſui faciunt, quod ſupplicantibus convenit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam proſternuntur ſolo.*

IV. Chriſtianis vero ſolenne erat, ordinario Deum genibus flexis venerari, ſeu, ut Tertullianus loqui amat *de geniculis adorare.* Unus Euſebius ſit inſtar omnium teſtium: Is lib. 5. cap. 5. de Chriſtianis agens, qui in legionibus Romanis ſub M. Aurelio Imp. ſtipendia merebant, dicit eos *in procinctu, in ipſaque acie, genu flexo, in terram uſque (qui noſtrarum precationum proprius mos eſt*, τὸ οἰκεῖον ἡμῖν τῶν εὐχῶν ἔθος) *ad ſupplicandum Deo fuiſſe converſos.* Eximii ab hoc ritu fuerunt dies Dominici, & dies Pentecoſtes, quibus (ut ſupra, alia occaſione notatum fuit) Chriſtiani ſtantes Deum venerari ſolent. Rationem reddit Author Quæſtionum, quæ vulgo Juſtino Martyri tribuuntur, ſiquidem ſic legitur

qu. 115.

Digitized by Google

qu. 115. *Quod vero die Dominico genua non flectimus, ſignum eſt & deſignatio reſurrectionis*, & paulo poſt: *In Pentecoſte genua non flectimus, quoniam pari eſt cum die Dominico poteſtate.* Qui hic diſſentiunt, ſi dicant ſe ad Chriſtianæ Eccleſiæ antiquitatem primęvam (alias neque pręcepto Chriſti, neque liquida ratione ulla, ſuffultam reſpectu hujſuce ritus) componere, rationem ſufficientem reddant, cur Chriſtiani debeant, die Dominico ſtantes, invocare Deum, neutiquam vero ſalva conſcientia ab iis agitari poſſint dies Feſti, tot per ſecula, tacito Eccleſiarum, qua Orientalium, qua Occidentalium, conſenſu, recepta, atque quam devote (cæterum iis conditionibus, quas ſuo loco propoſuimus) celebrata? Niſi forte his ipſis placeat revocare in uſum rationes, in primitiva Eccleſia receptas, de quibus alibi prolixius agimus.

Pro certo atque definito quaſi ritu à precantibus obſervando, urgeri quidem hæc ſolent ex Pſ. 134. 2. *Attollite manus veſtras ſancte, & benedicite Deo.* Sed *primo* ſublatio manuum nihil commune habet cum ſtatione. *Deinde* metonymice, ſive per metonymiam adjuncti, Scriptura per ſublationem manuum ſolet intelligere ipſam precationem, quam ſæpe, non tamen ſemper, aut ordinario, multo minus vi certi alicujus pręcepti, ſublatio manuum comitari ſolet. Inde dicitur Pſal. 88. 10. *Expando ad te manus meas.* Thren. 3. 41. *Tollamus corda noſtra cum manibus ad Deum, qui eſt in cœlis.* 1. Tim. 2. 8. *Velim igitur viros precari in quovis loco, puras manus attollentes abſque ira, & diſceptatione.* Ad quem locum ſic commentatur *Antonius Fayus, Theologus Genevenſis, atque Theodori Bezæ conjunctiſſimus Collega*: Unde licet etiam animadvertere, quæ fuerit veterum quorundam præpoſtera cautio, qui certis temporibus nefas eſſe putabant, ſi quis oraſſet de geniculis. Nam geniculationem dicebant illis convenire, qui pœnitentes eſſent: ſtationem illis, qui eſſent à peccatis abſoluti: diebus Dominicis, & ab ipſo Paſchate ad Pentecoſten, nefas putabant orare genibus flexis: Illo autem tempore ſtantes orabant: unde ſtationum nomen manavit. Nihil autem aliud erat ſtatio, (*hæc ſuo loco relinquimus, nos enim aliud quid exiſtimamus de antiquorum Chriſtianorum* Stationibus, *ut alibi cum Deo docebimus*) quam actus corporis, quo orantes in Sacris cœtibus ſtabant: quod fiebat pręcipue Dominica die, producta oratione nonnunquam ad veſperam uſque; item quarta & ſexta feria, id eſt, diebus Mercurii & Veneris. Atqui hæc omnia ad libertatem Chriſtianæ eccleſiæ fuerunt examinanda & revocanda. Nam priſci fideles modo ſtantes orabant, ut publicanus V.

Lucæ

Digitized by Google

Lucæ 18. modo jacentes, ut Jacob, Geneſ. 49. modo in genua proſtrati, ut Chriſtus, Stephanus, & Apoſtoli. Denique in externis hujuſmodi geſtibus non ponebant primi Chriſtiani ullam precationum vim. Summa autem eo redit; ut quæ ad ædificationem pertinent in publicis cætibus procurentur honeſtè & decorè. *Hactenus Fayus.*

VI. Audio quidem Reyneſſium dicentem, ſe non improbare conſuetudinem eorum, qui ſedentes precantur, cæterum melius eſſe, ut in publico, quis aut ſtando, aut in genua procumbendo, precetur. Sed hoc probare deberet. Act. 9. 40. & Eph. 3. 14. quæ loca in margine notantur pag. 90. ſolummodo genuflexionis fit mentio. Nec conſtringere me poteſt authoritas Joſephi Halli, Theologi alias egregii. Certe Domini Præciſiani hic potius audire deberent Tertullianum: nam eum quoque pertinere ad Patriarchas Præciſiſmi, alibi probavi. At Tertullianus l. d. ſive lib. de Orat. cap. 12. pronunciat, omnia illa eſſe *vana, quæ fiebant ſine ullius, aut Dominici, aut Apoſtolici præcepti authoritate.* At cedo præceptum, ubi in publico jubeamur precari vel ſtantes, vel genua flectentes.

EXERCITATIO XIII.

Non eſt inſurgendum in Eccleſias Orthodoxas, ſi alio, quam Præsbyteriali, regimine gaudeant.

1. *Quam Theologos dedeceat πολυπραγμοσύνη, maxime ſi ea ſuadeat expendere aliarum Orthodoxarum Eccleſiarum regimen.*
2. *Ex publicis Eccleſiarum Orthodoxarum confeſſionibus docetur, quod, ratione rituum diverſorum, nulli moleſtia ſint creanda.*
3. *Quanquam Epiſcopi non ſunt diſtincti à Presbyteris, alicubi tamen Epiſcopalis poteſtas conſiſtere poteſt cum Orthodoxia.*
4. *Speciatim agitur de Epiſcopis Anglicanis. Nuperis turbis eorum poteſtas abrogari commode non potuit.*
5. *Nec culpandæ illæ Eccleſiæ, ſi modo Orthodoxæ, in quibus occurrunt Inſpectores.*
6. *Nec & illa quoque in quibus notatur perpetuus Senatus Eccleſiaſticus.*
7. *Quam D. Doctor Giſb. Voetius hac in parte modeſtiæ & veritatis fuerit oblitus.*

I. Quant-

Quantopere Deo diſpliceat ἡ πολυπραγμοσύνη, maxime, ſi Theologus, aut verbi Divini miniſter, eidem inſtituerit vacare, alibi notavimus. Deo vero diſplicere cum maxime, inde manifeſtum eſt, quod expreſſe Apoſtolus Petrus 1. Ep.4. 15. *homicidis*, & *maleficis* (τοῖς κακοποιοῖς) conjungat *alienarum rerum inſpectorem*, ſeu τὸν ἀλλοτριοεπίσκοπον. Inter τοὺς ἀλλοτριοεπισκόπους vero primo loco referri merentur illi, ſive Paſtores, ſive Theologiæ Doctores, qui, coram promiſcuis auditoribus, ſub cenſuram, acerrimam ſæpe, aliarum Eccleſiarum (conſentientium licet in dogmatibus fidei) Eccleſiaſticum regimen, pro ratione ſtatus reip. immutabile, illud traducendo, vocare ſuſtinent. Qui, ſi in Academia doceant, viderint quot paraſangis ab earum non minus deſtructoribus, quam publicis turbonibus diſtent. Si enim V. C. Profeſſor Politices, qui vivit ſub Ariſtocratico regimine, apud adoleſcentes, à quibus auditur, identidem, atque ſæpe ad ravim uſque, detonet verius quam declamet in regimen Monarchicum, cenſeri debeat peregrinos ſtudioſos, ſub Rege viventes, tacite incitare, ut domum reverſi turbas dent, laborentque regium jugum, velut libertati grave, excutere; multo magis (quod videatur authoritate præpollere, atque conſueverit per Scripturam conſcientias arguere) inſimulandus Theologię Doctor, ſi V. C. ſic inſtituerit tum pro lectionibus, tum in Diſputationibus commendare Eccleſiarum Belgicarum regimen, ut ſimul carbone notet ſive Eccleſiæ in Palatinatu, ſive Anglicanæ, conſiderandæ ante hodiernum regimen, ſive Hungaricæ, aut Tranſylvanicæ regimen, ordinatum pro politici regiminis ratione. Imo, ſi idem Doctor, apud improvidos, & quorumvis capaces, adoleſcentulos, eo uſque progrediatur, ut occaſione ordinis circa vocandos Paſtores in ſua provincia recepti, inſurgat in Jus Patronatus, per univerſam Friſiam, atque Ommelandiam receptum, & à Synodo Dordracena anni 1619. can. 5. Eccleſiaſt. admiſſum, *quatenus ad ædificationem uſurpari poteſt, ſine fraude aut diſpendio Eccleſiæ Dei, atque ordinis Eccleſiaſtici*, illudque condemnet, (ut ut folia ficulna, quibus ſe tegat, ſine numero connexat) cenſeri debet non modo ἀλλοτριοεπίσκοπος, verum etiam turbonum anteſignanus, qui doceat ſuos Auditores, (utinam experientia non foret teſtis!) ἀκίνητα κινεῖν, atque, quo videantur Doctores ſingulares, & non fruſtra talibus Præceptoribus operam dediſſe, I.

 non

non minus Eccleſiam,quam remp.turbare. Certe,ſic Theologiam [illegible] nevæ non docuerunt Calvinus,Beza, Sadeël,Fajus, Turretinus, D[illegible] tus, &c. nec Heidelbergæ, Olevianus, Boquinus, Urſinus, Zanc[illegible] Sochnius, Kimedoncius, Reuterus, Paræus, Coppenius, Scult[illegible] Altingius, &c. nec Leydæ, Capellus, Figuræus, Sturmius, Dan[illegible] Trelcatii, Junius, Gomarus, Kuchlinus, Polyander, Walæus, Riv[illegible] Thyſius, Triglandius, Spanhemius, &c. Intereſt vero non minus reip[illegible] Fœderati Belgii, quam Eccleſiarum in eo occurrentium in comm[illegible] hæc Theologiam docendi ratio,quieti Eccleſiæ & reip. prægravis, [illegible] peſtive (ne graviora per eam excitentur incommoda) in ordinem [illegible] gatur. Quod quandiu non fit,non minus ipſi Belgæ,quam peregrini [illegible] berent moneri,temere ſuos Theologię candidatos non ablegent ad [illegible] Palæſtram, cui non minus ab hac Theologiam docendi metho[illegible], (proxeneta interveniente ſtolido, & imprudente, cęterum amaro zelo, cornua aſſumente per favorem plebejum) captatur gloria, quam ab omnigenis litibus,ad eandem obtorto collo pertractis: quum tamen ſecundum D. Schotanum,illum pientiſſimum Ultrajectinæ Eccleſiæ atq; Academiæ Theologum, tempeſtive à Deo evocatum, in concione ad dictum Petri locum, præ aliis ἀλλοτριοεπίσκοποι haberi debeant, *qui ſe miſcent alienis rixis & diſcordiis, & non accedunt, ut mitigent animos, ſed tantum oleum camino addant.* Nec hos πολυπραγμοσύνης Doctores quicquam juvat Reyneſſius pag. 93. & ſeqq. Dato enim Eccleſiaſticum regimen jure Divino definitum eſſe; non tamen nævi in aliis Eccleſiis, ratione regiminis Eccleſiaſtici duntaxat diſſentientibus, acerbe ſunt traducendi ab iis, qui in libero quoque Belgio vivunt. Nam conceſſo quoque hoſce Liberios non intendere Eccleſias illas turbare, dum tamen contra earum regimen tonant,animum addunt iis,qui hoc agitant. Imo, cum inter ſtudioſos Auditores ſæpe occurrant capita anomala, & faſtuoſa, via iis oſtenditur, qua ſe poſſint tollere humo. Certe, qui ex admonitione Apoſtoli Eph. 3. pręſumpſerint ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ, moderatiores erunt.

II. Ne vero videar invectivam concionem meditari, omnino exiſtimo, hanc eſſe rationem Eccleſiæ militantis, ut non poſſit ubique locorum iiſdem aſtringi ritibus. Quemadmodum enim hac ratione temperata ſunt à ſapientiſſimo Deo hominum ingenia, ut non poſſint in omnibus locis admittere eundem regiminis politici modulum: ita ubique quoque in Eccleſia, ob diverſum reip. ſtatum, non poteſt urgeri eadem regiminis

regiminis Eccleſiaſtici, ſecundum eoſdem ritus, forma. A Paulo relicta nobis fuit hæc generalis regula 1. Cor. 14. verſ. ult. *Omnia decenter & ordine fiant.* Quam conſiderans Calvinus recte dicit: *Hinc colligimus perpetuam doctrinam, quem in finem dirigenda ſit Eccleſiæ Politia. Dominus externos ritus ideo in libertate noſtra reliquit, ne putaremus cultum ejus illis incluſum. Sed interea non permiſit nobis vagam effrænemque licentiam; ſed cancellos, ut ita loquar, circumdedit: vel certe ita moderatus eſt libertati, quam dabat, ut tamen aſtimare ex ejus verbo liceat, quid rectum ſit.* Pro æqualitate vero univerſali, quoad ritus, ut inde incipiam, in omnibus Eccleſiis Reformatis obtinenda, neutiquam digladiari, multo minus apud improvidos adoleſcentes claſſicum canere convenit. Apprime probanda cenſeo quæ habent fratres Bohemi in ſua Confeſſione cap. 15. *ubi ſic loquuntur:* Docent deinceps, ne ob ceremoniarum, conſuetudinum, & rituum diſcrimina, quæ in variis Eccleſiis inter Chriſtianos videre eſt, nec reclamant aut officiunt pietati, alii in aliis offendantur, aut ſe viciſſim contemnant, oderint & perſequantur. Nec etiam, ſectas aut ſeditiones excitantes, ſe ab Eccleſiæ unitate alienent & diſtrahant, cum nunquam in Eccleſiis eædem fuerint, nec nunc quoque ſint. Quod quidem etiam & Patrum Decreta palam oſtendunt, Diſt. 12. capite ſcit. Scit Sancta Romana Eccleſia, quod nihil obſunt ſaluti credentium, diverſę pro loco & tempore conſuetudines, ſi illis Canonica non obſtat authoritas. Cuique autem in Eccleſia ad pacem conſcientiæ ſuffecerit, ſi uno omnes Chriſti fideles Spiritu præditi ſint, hoc eſt, ſi in doctrina & fide conſentiant. Qui enim Spiritum Chriſti non habet, ut Apoſtolus dicit, hic non eſt ejus. Qualeſcunque tandem ritus, ceremonias aut traditiones obſervet. *Hactenus confeſſio Bohemica.* Nec alia mens eſt Eccleſiarum Helveticarum, quando *ita decernunt in ſua Confeſſione cap.* 27. Quod ſi in Eccleſiis diſpares inveniuntur ritus, nemo Eccleſias exiſtimet, ex eo eſſe diſſidentes. Socrates, impoſſibile fuerit, inquit, omnes Eccleſiarum, quę per civitates & regiones ſunt, ritus conſcribere. Nulla religio eoſdem ritus cuſtodit, etiamſi eandem de illis doctrinam amplectatur. Etiamſi qui ejuſdem ſunt fidei, de ritibus inter ſe diſſentiunt. Hæc ille. Et nos hodie ritus diverſos in celebratione cœnæ Domini & in aliis nonnullis rebus habentes in noſtris Eccleſiis, in doctrina tamen & fide non diſſidemus, neque unitas ſocietasque Eccleſiarum noſtrarum ea re diſcinditur. Semper vero Eccleſię in hujuſmodi ritibus, ſicut mediis, uſę ſunt libertate. Id quod nos hodie quoque facimus. *Huc uſque*

fratres Helvetii. Quis vero hæc publica Eccleſiarum Orthodoxarum teſtimonia, non præferat judicio unius alicujus Theologi, clamoſi licet & celebris?

III. Imo (ut accedam etiam ad regimen Eccleſiæ) quis ſemur non feriat, quod quidam Theologi in Belgio, eo tempore, quo non minus Anglia, fortunata ante paucos annos inſula, bello inteſtino concutiebatur, quam Eccleſia graviter affligebatur, inſtituerint ſcribere & detonare in regimen Epiſcopale? quo licet melius detur, intererat tamen Eccleſiæ ejus loci, illud antea non abrogari, quam publica authoritate Regis & Parlamenti introductum atque ſtabilitum eſſet moderamen Præsbyteriale. In ea ſum, atque ſemper fui, ſententia, ſecundum Scripturas Nov. Teſt. nullum diſcrimen intercedere inter Præsbyterum & Epiſcopum, multo minus hunc illo ſuperiorem eſſe, neutiquam autem huic vindicari poſſe aliquid ſecularis poteſtatis; adhoc exiſtimo regimen Præsbyteriale, quale in Eccleſiis Belgicis receptum eſt, juri Divino per omnia conſentaneum eſſe: interea tamen non putarim, tuto inſurgi poſſe in Epiſcopalem dignitatem, ob conditionem reip. receptam, ſi Orthodoxa religio cum eadem non modo conſpiret, ſed tuto quoque ſubſiſtere queat. Concedo lubentiſſimo animo Reyneſſio, veritatem Orthodoxam non eſſe premendam metu turbarum: cæterum late ſcio diſtare politiam Eccleſiaſticam à fundamentalibus fidei dogmatibus: Æque atque latiſſima differentia interceſſit inter Ambroſii & Auguſtini Epiſcopatum, & modernorum Epiſcoporum in Papatu. Adhoc, cum ſecundum Salomonem *ſit tempus ſilendi, & tempus loquendi*, Eccleſ. 3. 7. contendo non ſemper tutum eſſe, vitioſiſſimum licet, Eccleſiæ regimen reformare velle; cum ſæpe ſimul laborare debeat Orthodoxia. Denique diverſo quoque modo erronea doctrina argui poteſt. In Theſi multa bene docentur, quæ in Hypotheſi minus convenienter proponuntur. Probo omnino, ut Orthodoxus Theologiæ Profeſſor propugnet Pręsbyteriale regimen, & æqualitatem miniſtrorum: ſed ut ſimul ſpeciatim ſtylum ſuum dirigat adverſus fratres, arguendo quaſi Epiſcopatum Anglicanum (hoc factum à Voetio & ſequacibus) aut regimen Eccleſiæ Palatinæ, neutiquam eſt conſultum. Maxime ſi hoc fiat ſecundum ſpecialiſsima capita, odio excitando duntaxat ſervientia. Quantum vero profuerint Voetii libelli, contra regimen Eccleſiæ Anglicanæ antea vulgati, dies docuit. Quod placuit Molinæo, Theologo ſummo, Epiſt. 1. ad Epiſcop. Wintonienn-

nienſem, mihi non diſplicet. *Verba viri incomparabilis hæc ſunt*: Dixi in Novo Teſtamento voces Epiſcopi & Presbyteri perinde accipi, ſed non putavi inde imminui dignitatem Epiſcopalem, cum locutus ſim de ſolo nomine, non de ſolo munere, habeamque conſentientes, præter præsbyterum Hieronymum, celeberrimos Epiſcopos Veteris Eccleſiæ, Chryſoſtomum, Ambroſium, Theodoretum, qui non putaverunt ſibi fraudi eſſe, aut per hoc de ſua dignitate quicquam detrahi, ſi voces Epiſcopi & Presbyteri primitus eodem ſenſu uſurpatas fuiſſe crederetur. *Hæc Molinæus.* Cui ſententiæ eo libentius ſubſcribo, quod ipſe *ὁ πάνυ* Salmaſius, à veritate expugnatus, fateri cogatur, mox à temporibus Apoſtolorum, diſtingui cœpiſſe Epiſcopum à Præsbytero, tanquam eodem ſuperiorem. Ita enim loquitur ſub nomine Walonis Meſſalini latitans pag. 7. *Trapezitici* (inquit) *Fœnoris ſcriptor*, &c. *nuſquam negarunt antiqua etiam tempora diſcrimen illud inter Epiſcopos & Præsbyteros agnoviſſe, qui ſciunt rem eſſe antiquiſſimam, ut duo hi ordines in Eccleſia fuerint diſtincti, ſi excipiantur Apoſtolica tempora, quorum ævo nullum conſtat eorum ordinum fuiſſe diſcrimen.* Eoque exiſtimo, injuriam factam eſſe Rev. & Celeberrimo D. Mareſio, Collegæ plurimum honorando, ab illis, qui in illum ſubornarunt maledicum tenebrionem, ut duobus libellis (cæterum alienis exuviis indutus) in eundem debaccharetur, quod anno 1648. d. 7. Junii ſub limitatione affirmative reſpondiſſet ad hanc quæſtionem: *An inter Eccleſiæ Paſtores poſſit dari ordo aliquis dependentiæ, quod ad externam ſaltem directionem, & politiam?* Pariter utroque pollice probo ſequentia ejuſdem verba, *propoſita Th. 4. ad dictam quæſtionem*: Ut his ſuppoſitis (*inquit*) quæſtioni propoſitæ ſatisfaciam, non animo, vel conſilio, impugnandi aut improbandi eam formam regiminis, quæ obtinet in Eccleſiis Reformatis Galliæ, Scotiæ, & Belgii, quam è contrario ſuſpicio ut ſimpliciorem, & firmius munitam contra molimina Ambitionis & *typhi ſæcularis*, uti olim dicebatur à Patribus Africanis, ſed excuſandi, ac vindicandi ab Independentium calumniis ex Charitatis Chriſtianæ officio alias Eccleſias Orthodoxas, pér Helvetiam, Germaniam, Poloniam, Hungariam &c. collectas, quæ aliquantiſper deflectunt ab omnimoda illa æqualitate, & *ἰσοτιμίᾳ*, Paſtorum, ſaltem quoad externam directionem & politiam, ſuoſque habent Superintendentes, Inſpectores, Seniores, Paſtores, Epiſcopos, cætuum Eccleſiaſticorum Præſides perpetuos, &c. cenſeo jure Eccleſiaſtico, & poſitivo, quod non

 pugnabit cum

cum iis quæ ſunt juris divini, & ad εὐταξίαν, perſonis, locis, temporib
magis convenientem, talem ordinem dependentiæ poſſe retineri ci
ullam vel ἀταξίας, vel Tyrannidis, in Eccleſiam introductę notam, qu
Angli turbones, dum Hierarchicorum ſuorum nimis inſolentem faſtu
merito deteſtantur, tali ordini inuſtam vellent. Nam primo, no
Theologi ſemper conceſſerunt Petro aliquem primatum ętatis & or
nis poſſe tribui, modo juriſdictione & poteſtate illi inferiores non eſſe
cæteri Apoſtoli. Quapropter non ſtatim evertit eſſentialem omniu
paſtorum æqualitatem, accidentalis aliqua diſtinctio ordinis & εὐταξίας
gratia, prçſertim cum natura ita fere ſit comparatum, ut in uno quoq
rerum genere detur aliquod excellentiſſimum, & primum, cui, ſpo
quaſi ſua, cætera faſces ſuos ſolent ſubmittere. Armenta ultro rob
ſtiorem ex ſeſe taurum ſequi amant. *Hactenus ille.* Quibus verbis quu
Rev. D. Collega videatur innuiſſe ad ſummum, alicubi, ubi ſtationem ſuam Eccleſia Orthodoxa habet, ea ratione ordinatam eſſe remp. ut non poſſit ipſa Eccleſia eſſe ſalva, quin inter Miniſtros ipſius quædam notetur inæqualitas; etenim nefas eſt, talibus Eccleſiis inſultare, flagitioſum vero, monere adoleſcentes, qui aliquando Chriſti doctrinam in illis annunciabunt, qua ratione debeant everſum ire illa, cum quibus harum Eccleſiarum incolumitas longo tempore conſpiravit. Optarem quidem in omnibus Eccleſiis Orthodoxis æqualitas æque locum habere poſſet, atque in Eccleſiis Gallicis & Belgicis conſtantiſſime obſervatur! Quum enim jam anno 1558. Lutetiæ Pariſiorum haberetur Synodus Gallicarum Eccleſiarum, inter alios canones Eccleſiaſtici regiminis hic ſtabilitus: *Ne quis Miniſtrorum principatum inter Collegas ullo modo uſurpato.* Ad hoc, quum Phalaris alter, ſeu dux Albanus, in Belgicas Eccleſias, omniaque earundem membra igni ferroque graſſaretur, Belgicarum Eccleſiarum miniſtri anno 1570. Synodum Embdæ agitarunt, in qua unanimi ſuffragio hic Canon conſtitutus fuit: *Nulla Eccleſia in alias, nullus miniſter in miniſtros, nullus ſenior in ſeniores, nullus diaconus in diaconos primatum ſeu dominatum obtinebit, ſed potius ab omni occaſione cavebit.* Quem Canonem poſtea probarunt Synodi Nationales, habitæ Dordraci, Hagæ-Comitum, & Medioburgi. At non placet Deo, omnibus Eccleſiis hunc perfectionis gradum largiri, quemadmodum non placuit ei hactenus, Eccleſiis Gallicis Orthodoxum Magiſtratum concedere. Novi quidem à Tertulliano jam olim, exhortat. ad Caſtit. cap. 7. dictum eſſe: *Nulla neceſſitas excuſat, quæ poteſt non eſſe neceſſitas: dicam,*

nos

nos omnes Deus ita voluit eſſe diſpoſitos, ut ubique ſanctiones ejus obeundi ſit diſciplina. Interim, multum intereſt inter ea, quæ concernunt officium hominis Chriſtiani privatum, atque illa, quæ pertinent ad Eccleſiaſticum miniſterium, ex permiſſione Magiſtratuum, publice in Eccleſia obeundum. Hoc in caſu ſemper cogitandum, Eccleſiam eſſe in rep. non remp. in Eccleſia, atque nihil tentandum eſſe, quod Magiſtratuum animos alieniores reddat ab Eccleſia; pręterea, neutiquam Aaronem Moſi, aut regimen Eccleſię, legibus reip. antiquis & inveteratis, iisque in quas ſolenniter jurant Magiſtratus, adverſari poſſe. Si enim laudanda fuit prudentia Theologorum Belgicorum (probare eam videtur ipſe Dn. Voetius in Diſp. Theol. Miſcell. habita 24. May 1656. Th. 14.) quod in Synodo Hagæ-Comitana anni 1586. art. 34. conſenſerint in ſeſſionem delegatorum Magiſtratus in quovis conventu Synedrii, quum inter diſſenſiones Liceſtrenſes, vix alia ratione ſalvam præſtare poſſent Eccleſiam; quis non probet pariter modeſtiam eorum Theologorum, qui malunt, pro ædificatione Eccleſię, potius acquieſcere qualicunque regimini, quam, cum pręſenti Eccleſiæ periculo, laborare pro introducendo illo regimine, quod Scripturę tum maxime conſentaneum, tum ſimpliciſſimum eſſe videtur? Pręterea, quis non indignetur iis Theologiæ Doctoribus, qui ea inſtillent improvidę juventuti circa regimen Eccleſiaſticum, quę non poſſint ad praxin revocari citra commotionem non minus Eccleſię, quam Reip.? Convenienter Gerſon in Diſcept. de Mendac. & illius propriet. apud Goldaſtum tom. 2. de Juriſd. Imper. pag. 1600. *Præclare* (inquit) *dictum eſt à quodam, Reſp. vel Eccleſia non regitur per ſi: ſed nec ſolo dictamine ſpeculativa vel imaginaria rationis gubernatur, executio requiritur in practicatione operis, quantum res humanæ pro locis, temporibus, & perſonis, patiuntur.*

Quod in genere hactenus dixi, ſpeciatim velim notari de regimine Epiſcopali, eo maxime, quod ante infelices hoſce motus in Anglia fuit receptum. Regimen Præsbyterianum agnoſco eodem eſſe perfectius: non putarim tamen durius exagitandum fuiſſe illud regimen, (minime à Trans-marinis) quocum & ratio regni & Orthodoxia Eccleſiæ amice conſpirabant, maxime quod complures Epiſcopi, ſpeciatim *Cramerus*, *Latimerus*, *Ridleus* &c. orthodoxam reformationem ſanguine ſuo obſignaſſent, aliique pręclare meriti eſſent de vindicanda Orthodoxia adverſus Pontificios, (inter hos pręceteris nominandus magnus ille *Iuellus* Epiſcopus Sariſburienſis) omnes autem longe diſtarent à perſonatis in IV.

Papatu

Papatu Epiſcopis. Certe ipſe Calvinus, ordinator regiminis in lauda-
tiſsima Eccleſia Genevenſi, anno 1554. author fuit Regi Poloniæ, ut
non modo Epiſcopos conſtitueret in quavis provincia, verum etiam ſu-
per illos Archiepiſcopos. Verba illius, *prout occurrunt Ep.* 149. *hæc ſunt:*
Vetus quidem Eccleſia Patriarchias inſtituit, & ſingulis etiam provin-
ciis quoſdam attribuit Primatus, ut hoc concordiæ vinculo melius in-
ter ſe devincti manerent Epiſcopi. Quemadmodum ſi hodie illuſtriſsi-
mo Poloniæ regno unus præeſſet Archiepiſcopus, non qui dominare-
tur in reliquos, vel jus ab illis ereptum arrogaret; ſed qui ordinis cauſſa
in Synodis primum teneret locum, & ſanctam inter collegas ſuos &
fratres unitatem foveret. Eſſent deinde vel provinciales, vel urbani E-
piſcopi, qui peculiariter ordini conſervando intenti forent. Sicuti hoc
natura dictat (N. B.) Unum ex ſingulis collegiis deligendum, cui prę-
cipua cura incumbat. *Hæc ille.* Perſuaſum quidem vellet Reyneſsius
pag. 100. pro ſuo candore, locum hunc Calvini fide minus bona à me
productum eſſe: ſed provoco ad inſpectionem libri, eoque ne ſyco-
phanta quidem noſter integrum Calvini locum exhibere ſuſtinuit. Ita
Calvinus arguit hierarchiam Papanam, ut ſimul Regem Poloniæ (quor-
ſum enim cæteroquin ad eum ſcriberet?) doceat, qua ratione conſtitutis
inter Eccleſiæ miniſtros gradibus, Eccleſiam reformare poſsit? Calvi-
no ὁμόψηφος eſt ſummus illius amicus & ſucceſſor Beza: qui ut Pres-
byteriale regimen propugnavit adverſus Saraviam, ita non modo inte-
riorem amicitiam coluit cum Edmundo Grindallo Epiſcopo Londi-
nenſi; verum etiam (videatur *Beza Epiſt. octava*) agens apud eum de ra-
tione, qua ſuperfluæ cęremonię Eccleſia Anglicana exterminari poſſent,
tantum abeſt ut conſilium ſuggeſſerit de abroganda Epiſcopali digni-
tate, amplius commendat (habita ſcil. ratione Anglię) *tot doctiſsimos &
religioſiſsimos Epiſcopos Eccleſiæ Dei.* Similiter Abrahamus Scultetus
Theologus Heidelbergenſis anno 1620. non modo dedicavit ſuas De-
litias Pragenſes Arthuro Lakeſio, Epiſcopo Bathonio-Wallenſi, ve-
rum etiam Epiſtolam Dedicatoriam hoc voto obſignat: *Vale Præſul ve-
nerande, & tecum totus Britannicorum Epiſcoporum chorus.* Ne dicam de
Frederico Spanhemio, qui quum Genevę adhuc Theologiam doceret,
anno 1638. tertium Tomum Dubiorum Euangelicorum dedicavit
*Reverendiſsimo Ampliſsimoque Præſuli Iacobo Vſſerio Archiepiſcopo Armacha-
no, totius Hiberniæ primati.* Utq; univerſo orbi pateret, quid ſentiret de
Reformato Anglorum Epiſcopatu, non dubitavit in Epiſt. Dedicat. ſic
loqui:

Digitized by Google

loqui: *Sacrum ſtare munus illud* (NB.) *ad quod te Divina bonitas evexit, per ſe magnum eſt & ſplendidum, ſed cui major à te dignitas accedit.* De Zanchio, Celeberrimo Theologo Heidelbergenſi, nihil dico, quum conſtet, eum, quicquid nonnulli in adverſum excipiant, ordini Epiſcopali, ut Reformato, faviſſe, prout patet ex Confeſſ. illius cap. 25. art. 21. quo eo uſque etiam procedit, ut dicat ſe non diffiteri, *Epiſcopos, qui ſimul etiam Principes ſunt, prater autoritatem Eccleſiaſticam, ſua etiam habere jura politica, ſeculareſque poteſtates*, &c. Fateor quidem, Orthodoxos Theologos, quos produxi, Epiſcopatum non facere juris Divini (nec ego quoque unquam fecero) interim tamen & hinc liquet, eos per omnia infeſtos non fuiſſe ipſi ordini Epiſcopali, quum tam honorifice ſentiant de conſortibus, qua tali. Quæ in adverſum oggannit Reyneſſius pag. 101. ultro in fumum abeunt. Non diffiteri volo, quoſdam ex Epiſcopis Anglicanis, ſua prærogativa fuiſſe abuſos, atque forte ante fatales, eoſque nuperos, motus, quædam deſignaſſe, quæ cum Orthodoxia minus commode conciliari potuerint. Sed, an propterea, quum non ſuppeteret ratio, qua Eccleſia perfectiori regimini poſſet committi, oportuit laborare, ut propter paucos Epiſcopos minus convenienter compoſitos, Tranſmarinorum quoque Theologorum arietes advocarentur, adverſus Poteſtatem Epiſcopalem? Pro dolor! forte amplius quam unus in Belgio invenitur Theologus, in quo, per remiſſiorem diſciplinam, aliquid ſeveriori quoque nota dignum obſervetur: neutiquam tamen putaverim, propterea Presbyteriis, & Claſſibus, multo minus Synodis moleſtias eſſe exhibendas. Fuerint forte aliqui in hoc regno Epiſcopi ex parte ἄτακτοι, variiſque vitiis deformati, quid tum? Plures notati fuerunt pii atque eruditi. Certe D. Spanhemius loco jam dicto, ſive anno 1638. non dubitavit ita loqui: *Quamvis omnia illa regna, qua Sereniſſimi & Potentiſſimi Monarcha Veſtri ſceptro obnoxia ſunt, abundent Praſulibus eruditiſſimis, & Theologis ſummis*, &c. Inter quos Præſules putaverim haut poſtremos potuiſſe haberi, Abbotum, Davenantium, Hallum, Mortonum, Prideauxium, atque quem primo loco nominare oportuit, πάνυ πάνυ D. Uſſerium, nunc ἐν τοῖς ἁγίοις, licet de illius laudibus quid delibatum ſit per Spanhemium l. d. Approbarem virorum zelo æſtuantium conatum pro introducendo regimine Presbyteriali, ſi modo opportuno tempore hoc egiſſent: at, dum laborarunt de evertendis Epiſcopis, priuſquam alterum regimen foret ſtabilitum, procurata fuit ἀναρχία,

quæ non minus noxia ſolet eſſe Eccleſiæ, quam Reip. Atque utinam ingenia eorum, qui præ aliis hoc egerunt, in vulgus nimis-nota non forent! uſque adeo, ut de iis judicium ferre auſit Mercurius Batavus ſuperioris anni 1655. pag. 25. Vult quidem Reyneſſius pag. 101. me conſulere Honorium Reggium, docentem, quam intolerabile ante motus Anglicanos regimen Epiſcopale fuerit. Sed ille hiſtoricus apud me non eſt Authenticus: novimus è qualibus authoribus farraginem illam hiſtoricam concinnarit, &, Deus novit, quorum inſtinctu. Tempus, quod veritatem peperit, multa detexit, & plura deteget. Interim ſtatuo, non uno modo quoſdam in Anglia Epiſcopos abuſos fuiſſe ſua poteſtate: & plurimos viros vere pios juſto Zelo adverſus hos abuſus commotos fuiſſe. Utinam tamen hi obſervaſſent aureum Calvini monitum, quod occurrit ep. 8. *Sunt quædam* (inquit) *vulnera, quæ attactu magis recrudeſcunt, quiete melius & oblivione ſanantur.*

V. Ut exiſtimo, non eſſe declamandum ab Academico Theologiæ Profeſſore in regimen Epiſcopale, ſi alicubi cum Orthodoxa religione conſpiret; ita non putarim quoque eundem inclementer dicere debere Superintendentibus, ordinis gratiâ in Eccleſiis aliquibus Reformatis conſtitutis, ut invigilent conſervationi & propagationi purioris doctrinæ. Illi ſiquidem parum, aut nihil, diſtant ſive à Synodi Præſidibus, ſive à Synodi Deputatis. Quemadmodum hoc patet vel ex Zeppero, Theologo apud *D. Voetium* quantivis pretii, prout bona fide refert Parkerus lib. 1. de Polit. Eccleſ. cap. 28. Probaturus enim hic ipſe, qui fuit acerrimus ordinis Epiſcopalis adverſarius, quænam foret poteſtas *Inſpectoris, ſic loquitur*: Hoc ex *Gulielmo Zeppero (nempe lib. 2. de polit. Eccleſ. cap. 10. pag. 322. & ſeqq.)* liquet: qui non obſtante Superintendentis præſidentia, nullum tamen miniſtrorum altero majorem authoritate, vel in verbi & Sacramentorum miniſterio, inque diſciplinæ Eccleſiaſticæ uſu obtineri dicit. Addit etiam de ipſo Superintendente, quod in diſciplinæ ipſius ratione aliis ſubjectus ſit: quod illius præſidentiæ hoc tantum munus ſit, quod Eccleſiæ ſuæ claſſi operam ſuam plus aliis miniſtris omnibus impendere teneatur: quod cauſas difficiliores ad Conſiſtorii legitimam cognitionem & dijudicationem devolvere debeat: quod denique miniſtri & ſeniores earum Eccleſiarum, quibus præeſt, de eo ſtatuere, de eo judicare, eum punire, imo etiam, quemadmodum eligebant primum, ita etiam deponere & deſtituere poſſint. *Hactenus ex mente Zepperi Parkerus.* Qui volens nolens quoque fateri cogitur, non aliam eſſe

doctrinam

Digitized by Google

doctrinam Lutheranorum de ſuis Superintendentibus, *quando ſic porro ſcribit*: Idipſum de Lutheranis Superintendentibus dicendum eſt: Seniores enim agnoſcit Nicolaus Hemmingius, ita Epiſcopo, atque Superintendenti ſuo, nihil aliud relinquit niſi illam in Conſiſtorio, quam nuper deſcripſimus prę ſidentiam: id quod etiam ex ipſius verbis liquet quæ citantur à Bridgeſio, ad authoritatem Epiſcopalem Anglicanam confirmandam. Ita enim inter cætera habet: Qui labore & donis reliquos antecedit, is ab Eccleſia præfertur: non ut dominium ſuper cæteros exerceat, ſed ut alios regat ſapientia & conſilio. In teſtimonio vero Herbrandi, ab eodem citato, apparet iſtud adhuc luculentius: diſerta etenim verba Herbrandi allegat, in quibus dicit, Superintendentem nullam in cæteros poteſtatem habere. *Hæc iterum Parkerus.* Verum quidem eſt, hactenus Eccleſias B lgicas abhorruiſſe ab hiſce Inſpectoribus, atque cum forte in quadam Belgii Synodo mentio facta fuiſſet, de iis introducendis, mordaci libello Inſpectorum ordinem agitaſſe, ſi non traduxiſſe anno 1605. Sibrandum Vomelium Paſtorem Friſium. At perpetuo diſtinguere oportet inter Inſpectores abutentes ſua poteſtate, coſque qui munere ſuo inculpate ad Dei non minus gloriam, quam ad ędificationem Eccleſię (hoc regimen admittentis) funguntur. Deinde non ſequitur, ſi Eccleſiæ fœderati Belgii ex Dei benedictione commode ſint ordinatæ, ſecundum ſui regiminis modulum, pariter quoque alias Eccleſias Orthodoxas ad eundem eſſe componendas. Solemus alienos magis, quam noſtros, nęvos intueri, & raro inſpicere manticam, quæ à tergo eſt. Si conſulerentur Eccleſiæ, in quibus Superintendentes occurrunt, forte plurima in noſtro non minus regimine, quam in exercitio illius notarent. Non eo vero hæc ſcribo, quaſi optem quid mutatum circa regimen Eccleſiæ, cujus per Dei gratiam membrum ſum: de eo jam antea meam ſententiam propoſui. Solummodo ſtatum & conditionem Eccleſiæ militantis attendi velim. Convenienter Auguſtinus lib. 1. Retract. cap. 7. *Cùm tota dicat Eccleſia*, Dimitte nobis debita noſtra, *non utique hic eſt ſine macula, & ruga, aut aliquo ejuſmodi.* Eoque, licet ſecundum doctrinam Apoſtolorum Epiſcopi omnes fuerint æquales, mox tamen poſt Apoſtolorum tempora *in Schiſmatis remedium* factum eſt (quemadmodum recte docet *Hieronym. ad Euagr*) ut Epiſcopi cenſerentur ſuperiores præsbyteris; atque propter honorem & uſum Eccleſiæ, (ſic loquitur *Tertull. lib. de Baptiſ. cap.* 17 *& Auguſt. ep.* 19.) unus jam olim collegio fratrum præponi cæpit. Eandem neceſſitatem

ceſſitatem (domi magis, quam inter exteros notam) incumbere iis Eccleſiis putandum, in quibus hactenus, ſive Epiſcopi, ſive Superintendentes, prærogativa præ aliis miniſtris gaudentes, occurrunt. Certe, non convenit exagitare illud regimen, quod citra ſummam Eccleſiæ commotionem non videtur mutari poſſe. Maxime, quum Doctores multarum Eccleſiarum Reformatarum, quę retinuerunt ſive Epiſcopos ſive Superintendentes, ſententiam Pontificiorum de Hierarchia Epiſcopali deteſtentur. Quod ut pateat, non abs re fuerit unum modo *Brochmannum Theologum Lutheranum* vocaſſe ad ſuffragium, qui Loc. de Miniſt. Eccleſ. *qu.* 9. *ſic loquitur*: De diſcrimine Epiſcopi, & Presbyteri, quando quæritur, recte formandus eſt quæſtionis ſtatus. *Primo*, non quæritur: An inter Presbyteros ſervanda ſit εὐταξία, ita ut in cætu Presbyterorum aliquem dari oporteat, qui conſulendo, monendo, hortando alios præeat, ſuffragia in cauſis dubiis colligat, auctoritate ſua univerſam actionem moderetur, & id quod decernitur, pie & prudenter exequatur? Totum enim hoc ultro damus: non ignari, velle Deum, ut omnia in Eccleſia fiant εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν 1. *Cor.* 14. *verſ.* 40. *Deinde*, non venit in controverſiam: An Patres, qui vixerunt poſt tempora Apoſtolorum, agnoverint & admiſerint diſtinctionem inter Epiſcopum & Presbyterum? & an idem etiam hodie ſervetur, tum apud Pontificios, tum apud Lutheranos, tum etiam in Eccleſia Anglicana? Nimis enim ignaros rerum nos eſſe oporteret, ſi hoc negaremus. *Tertio*, Non quæritur: an officium Epiſcopale, iſto ſaltem ſenſu, quo in noſtris obtinet Eccleſiis, in uſu fuerit in Apoſtolica Eccleſia? Id enim qui negare volet, ſolide refutabitur exemplo Timothei, 1. *Tim.* 5. *verſ.* 19. *ſeq.* & *Tit.* 2. *verſ.* 5. *ſeq.* (*mea hæc non facio, quum non putarim, locis, quæ hic citantur, ſolide illud probari, quod vult Brochmannus.*) His enim hæc tria imprimis munia, Epiſcopis noſtris peculiaria, concredita fuerunt: videlicet, Paſtores conſtituere & ordinare: in vitam Paſtorum inquirere: accuſationes Paſtorum audire, & officii eos commonere. Verum hic Rhodus, hic ſaltus. An Epiſcopatus & Presbyterium ſint jure Divino diſtincti ordines, ita ut non modo plurima obire poſſit Epiſcopus, quæ Presbytero adminiſtrare non ſit conceſſum; ſed etiam prætoria ſit Epiſcopi auctoritas, ut circa ſacra pro arbitrio conſtituere poſſit, excluſo presbyterio? Ajentem ſententiam defendit, cum reliqua Schola Pontificia, *Bellarm. lib. de Clericis cap.* 14. & *Hadrianus Saravia tract. de*

gradib.

gradib. Miniſtr. Euang. cap. 20. *ſeq.* (*Non cenſerem, Saraviam eodem loco cum Bellarmino, reliquiſque Pontificiis DD. habendum eſſe, quod ad præſentem controverſiam*) Nobis vero, ſcripturas ſequutis, probatur aſſertio contraria. *Hæc Brochmannus*: cui, ut ſuffragantes, plures alios, non modo Lutheranos, verum Anglos quoque ſuperiorum annorum, ſuccenturiare poſſem, ſi modo neceſſitas efflagitaret. Ne vero quis clamet cum Parkero, aliiſque, ſaltem obnitendum eſſe incommodis, per Reip. conditionem quaſi obvenientibus, atque omnia agenda, ut obtineatur pro Eccleſia perfectio Apoſtolica; conſiderari optarim, quæ nuper, occaſione horum, in Anglia acciderint. Ubi incipit grave eſſe unius, ſed tolerabile, imperium, ferme ab extremo ad extremum declinatur, exeritque caput populare regimen, quod libertati non minus Reip. quam Eccleſiæ cum maxime videatur convenire. At hoc ipſum, ratione Eccleſiæ, nullo modo tolerabile eſſe, fatetur ipſe Beza, *quando epiſt.* 33. *ita loquitur*: Illud certum eſt (ſi humano judicio res iſta æſtimetur) nullum ſtatum aut pagi, aut vici, aut urbis, aut regionis alicujus magis obnoxium eſſe turbis, quam Democraticum, ita comparatis rebus humanis, ut rari ſemper ſint ſapientes cum ſtultis collati. *Hactenus ille Beza*, qui tam acriter aliquando (*legatur eadem Epiſtola*) obſtiterat *Morellio*, more dominantium Dominorum Independentium, urgenti in electione Miniſtrorum ſuffragium multitudinis. Multo minus audiendus Voetii hyperaſpiſtes Reyneſſius, pag. 103. clamans, per Epiſcopos, & Superintendentes, *infringi Dei legem, nequid frangatur unitas Eccleſiæ.* Hic enim diſtinguere convenit inter ea, quæ ſunt eſſentialia Dei legi, & quæ ſunt accidentaria. Illa violari neutiquam poſſunt: de his vero pro circumſtantia loci & temporis diſpenſari. Eccleſiaſticæ politiæ eſſentiale decretum eſt, ne unus ex miniſtris reliquis dominetur, 1. Petr. 5. 3. interim cum hoc decreto neutiquam confligit quæcunque Miniſtrorum inæqualitas, propter ordinem, & citra dominatum unius in reliquos, recepta. Certe Paulus, qui in Timotheo probat, quod ordinatus eſſet *per impoſitionem manuum presbyterii* 1. Tim. 4. 14. ſoli Tito injungit, ut per inſulam Cretam oppidatim *presbyteros inſtitueret*, Tit. 1. 5. Sed amplius, pag. 103. ut memet mecum committat, exprobrat quod ſtatuam, regimen Eccleſiarum Belgicarum *per omnia juri Divino conſentaneum eſſe.* At quid tum? Ergo, ratione accidentalium, cujuſque Eccleſiæ regimen ad illud exigendum eſt?

An non in ipſo Belgio Synodi habent ſuos Pręſides? An non aut iis ſolis aut ſimul cum Delegatis multa negotia Eccleſiaſtica committuntur? Sed an interim dominantur Clero, aut æqualibus? Non putem dicturum Reyneſſium. Similiter putandum eſt Epiſcopos & Superintendentes in Eccleſiis Reformatis (poteſtatis abuſu ſepoſito) ratione quorundam negotiorum Eccleſiaſticorum, eſſe velut perpetuos Synodales Præſides, quos Eccleſię Belgicæ (& hactenus rectius) ſolummodo annuos eſſe volunt. Interim hic defectus poteſt conſiſtere cum legis Dei eſſentia.

VI. Quæ hactenus, pro pacis vindiciis, circa Epiſcopos Reformatos, atque Independentes propoſui, eadem notanda exiſtimarim circa Senatum Eccleſiaſticum in Palatinatu receptum: qui licet perpetuus ſit, conſtet non minus perſonis Eccleſiaſticis quam politicis, provideat omnibus Palatinatus Eccleſiis, atque ſemper ferme habeat Præſidem Politicum, ipſum Electorem repræſentantem. Neutiquam video tamen cur aut huic ordinationi regiminis Eccleſiaſtici ſit detrahendum per Externos, aut apud improvidã juventutem pro Cathedra Theologica in Academia detonandum, *Electorem Palatinum eſſe Papam Germanicum*. Aliud, ratione pacis in his & ſimilibus colendæ, exiſtimo me edoctum eſſe è Scriptura Sacra, atque ex Hiſtoria Eccleſiaſtica. Ne vero proponendo & probando meam ſententiam, circa ea quæ hic controverti poſſent, alicui forte bilem moveam, contentus ero hoc tempore, pro vindiciis regiminis in Eccleſiis Palatinis, citaſſe Paręum, veteranum Theologum in Academia Heidelbergenſi, *hunc in modum loquentem in Præf. ad Landgr. præmiſſa Comment. in Hoſ.* Exemplis & legibus rem diſceptari volunt. Moſes Princeps populi religionis formam Dei juſſu conſtituit: Aaroni pręſcripſit. David rex tabernaculi miniſteria diſpoſuit: ad reducendam arcam Sacerdotes convocavit: Concilium aliud ſenex habuit. Salomon templum dedicavit: Abiatharum depoſuit: Zadocum conſtituit Sacerdotem. Joſaphat Sacerdotibus & Præfectis ſuis Eccleſias viſitandi, cultuſq; inſtaurandi negocium dedit: Amaziam Pontificem in templi cura negligentem caſtigavit. Hiskias cultum à Sacerdotibus corruptum repurgavit: Paſcha reſtituit, &c. Neque hęc pietatis magis, quam officii opera fuerunt. Chriſtiani vero Principes minus poteſtatis habebunt? minus ſpirituale ſubditorum bonum curabunt? Conſtantinus ergo cauſam Donati & Cęciliani, Melchiadi Romano Epiſcopo ejuſque collegis audiendam commiſit, literis injunxit, tandem ipſe judicavit: cauſam quoque

quoque Felicis, quod Cęcilianus in crimine traditionis ordinarat, audivit, finivit: Ariano diſſidio componendo ſynodum coëgit. Theodoſius fidem ὁμοούσιον legibus edixit: Epiſcopos Neſtorianos deponi juſſit: Irenæum Tyrium dejecit. *Hæc Paræus.* Quum ergo pro Electore Palatino tot exempla, non modo V. T. verum etiam Imperatorum Chriſtianorum militent; non putaverim, aut eum ſugillandum, aut à Belgis traducendum eſſe regimen Eccleſiarum Palatinatum, quibus plurimum debent Eccleſiæ Belgicæ.

Optarem vero Rev. *D. Voetius*, (qui adeo fervide laborare ſolet, pro introducendo ubiq; locorum regimine, quod ipſe optimum eſſe credit) veritati litaret, quando aliarum Eccleſiarum Orthodoxarum regimen diſcutit. Si quem enim conveniat à mentiendo alienum eſſe, næ Theologus eſt, is maxime, qui exemplo *D. Voetii* pro tam rigido juſti, honeſti, & veri ſatellite ſe gerit, uſque ad aliorum omnium contemptum. At, quam parum tantus vir hoc reputat? Certe jam anno 1651. in publico ſcripto exprobrata ei fuerunt quinq;grandia mēdacia, propinata credulę & improvidæ juventuti, in *Diſſ. illius prima de Temporalib. Eccleſiæ Theſ.* 2. *probl.* 4. *habita in Academia Ultrajectina d.* 10. *Iulii anno* 1650. Quamvis vero vir Rev. hactenus hoc nomine ſe non purgaverit, aut etiam purgare poſſit; ex judicio tamen charitatis, crediderim, eum, per imprudentiam, evertiſſe (hoc alias ei familiare) mentem eorum authorum, quos citat. Saltem hanc pœnam illius error & imprudentia merentur, ut ipſi, hoc modo erranti, nequaquam fides habeatur: & quidem ex mente Platonis, lib. 2. de LL. per Joannem Serranum, doctiſſimum interpretem, ſic loquentis & ſciſcentis: *Si quis falſi bis convictus fuerit, ad dandum teſtimonium lex eum in poſterum minime cogito: Si ter ne ei quidem ullo modo fas eſto teſtimonium perhibere.* VII.

EXERCITATIO XIV.

Quinam ſint Aſiarchæ apud Lucam *Act.* XIX. *Comm.* 31.?

1. *De Aſiarchis quid ſentiant Interpretes Belgici?*
2. *Quid Beza, & Piſcator? Item, per quos Beza profecerit?*
3. *Aſiarchas ſacerdotio apud Gentiles functos fuiſſe, ex LL. prolixe probatur.*
4. *Quamvis poſt Conſtantinum M. ſub Impp. Chriſtianis potiſſimum ſpectaculis præfuerint.*

5. Ex

5. *Ex Aſiarcharum exemplo colligere licet, aliquem cenſeri poſſe Chriſtianum, & tamen ferre titulum, pertinentem ad profeſſionem, Chriſtianæ, ſeu Orthodoxæ, religioni adverſantem.*

6. *Quod hactenus favet Canonicis Ultrajectinis, quibus per imprudentiam D. Voetius patrocinatur.*

I. ACtuum cap. XIX. comm. 31. ſic legitur in Græco textu, occaſione ſeditionis Epheſinæ, quæ extrema Paulo Apoſtolo minari videbatur: τινὲς ἢ καὶ τῶν Ἀσιαρχῶν ὄντες αὐτῷ (τῷ Παύλῳ) φίλοι, πέμψαντες πρὸς αὐτὸν, παρεκάλουν μὴ δοῦναι ἑαυτὸν εἰς τὸ θέατρον. Quo loco ut quæritur quinam ſint οἱ Ἀσιάρχαι, ita Belgici interpretes ſequentia in Notis habent: *Aſiarchen, vvelcke waren niet die de regeringe van Aſien hadden, maer ſeeckere Prieſters die de Schouſpelen, ter eeren harer afgoden aengeſtels, beſorgden: vvaer onder oock eenige ſchijnen van de Chriſtelijcke religie niet vreemt gevveeſt te zijn.* Cui opinioni, & explicationi, an quid tribui debeat, non ſine ratione quęritur? maxime, quod eidem videatur iniquior eſſe ὁ ἐν τοῖς ἁγίοις D. *Iacobus Gothofredus* in tract. cui titulus eſt; *De Interdicta Chriſtianorum cum Gentilibus communione.* Qui Tractatus, τῷ πάνυ D. Riveto dedicatus, quum diſcutiat, ex antiquitate quaſi Eccleſiaſtica, quid exiſtimandum ſit de *Fraternitate Mariana*, occaſione Sylvæducenſium varia ratione in fœderato Belgio examinata, pro vindiciis Annotationum quaſi publicarum, libere, ſed ſimul candide, à nobis, ratione præſentis hypotheſios, obſervatio viri eximii ad obruſſam *veritatis* revocabitur.

II. Atque initio teſtor, Gloſſam Belgicorum interpretum petitam eſſe ex Beza, *ita loquente ad dictum locum*: Vulg. & Eraſm. *ex Aſia primoribus.* quæ eſt hujus nominis notatio, ſed nimis ambigua, & male à pleriſque intellecta. Retinendum autem fuit Grçcum nomen, in libris Juriſconſultorum uſurpatum, ut & Syriarcharum. Sic autem dicti ſunt, non qui Aſiæ vel Syriæ prçeſſent, ſed Sacerdotes certi, quorum munus erat ludos Theatrales in Deorum honorem edere, quos propterea Rufinus apud Euſebium *Munerarios* interpretatur: quod ex eruditiſſimi Juriſconſulti Cujacii obſervationibus primum didici. Erant igitur nonnulli ex iſtis quoq; prophanis aliquatenus ſaltem Euangelium amplexi, ut etiam Romæ idem Paulus aliquos ex ipſo Neronis prętorio Chriſto lucrifecerat Philip. 1. 13. *Hæc Beza*, Anglicanarum ſuperſtitionum hoſtis acer.

Ei

Ei applaudit Venerandus Senex D. Johannes Piſcator, quando ad hunc eundem locum, in Scholiis, hæc pauca, pro ſignificando conſenſu, obſervat: *Vide annotationes D. Bezæ.* Quod vero Beza dixerit ſe hac in parte accedere incomparabili Ic. D. Cujacio, operæ pretium fuerit indicaſſe quoque, viam Bezæ munitam fuiſſe ab hoc lib. 2. Obſerv. cap. 13. cum quibus componi merentur, quæ idem habet ad *Tit. Cod. de Pericl Succeſſ. & ad leg.* 8. *Cod. de muner. Patrimon.* Quod vero τρισμέγιστος D. Salmaſius, hæc ipſa voluerit ſub cenſuram vocare in Exercit. Plin. pag. 805. in omnia non minus accurate inquiremus, quam comparaturi inter ſe ſumus quatuor ſummorum virorum obſervationes, nempe *Bezæ, Cujacii, Salmaſii, & Gothofredi.*

Initio noto, ante plura quoque ſecula controverſum fuiſſe, quiſnam in Oriente fuerit Ἀσιάρχης: ſiquidem Imp. Conſtantinus Porphyrogeneta in Them. lib.1.cap.3. interprete Bon. Vulcanio ſic loquitur: *Quod vero nunc Traceſiorum thema vocatur, olim quidem & initio Aſia minor dicebatur, & qui tunc præerat Procoſ.* (Ἀνθύπατος) *vocabatur* Ἀσιάρχης. Quæ obſervatio Imp. (ut recte D. Salmaſius notavit) propterea à vero recedit, quod apud Lucam, *Aſiarcharum* in numero multitudinis, mentio fiat. Nam quamvis negari non poſſit, Aſiam proconſularem provinciam fuiſſe, non tamen niſi unus Procos. in eam mitti ſolet: ut vel ex Ulpiano diſcere eſt in *l.* 4. §. 5. *ff. de Off. Proconſ.* Atque Imperatorem quam oſcitanter Lucam Euangeliſtam legiſſe, ſequentia ejuſdem verba oſtendunt: *Ac ne externos afferam, ipſemet teſtis eſt veritatis Lucas Euangeliſta & Apoſtolus, qui in Actibus Apoſtolorum idem dicit, ubi mentionem faciens Alexandri, qui tunc temporis, apud Epheſios, primatum obtinebat, eum appellat* Ἀσιάρχην. Ἀσιαρχῶν præter Lucam, & Impp. *in l. ult. Cod. Theodoſiano de Impenſis ludorum*, poſtea exhibenda, quod ſciam, ſolummodo meminerunt Strabo, & Euſebius, ex quibus ille lib. 14. Geogr. ita per interpretem ſuum loquitur: *Trallis urbs* (inquit) *eſt ſita in trapezio quodam, quod verticem habet natura munitum, ſicut & circum loca ſunt ſatis probe munita. Civibus optimè frequentata eſt, ut ulla Aſianarum urbium alia, opulentis, & ſemper aliqui eorum ſunt principe in provincia loco, quos Aſiarchas appellant.* Poſteriora verba ſic Græce ſonant: καὶ ἀεί τινες ἐξ αὐτῶν εἰσὶν οἱ πρωτεύοντες κατὰ τὴν ἐπαρχίαν, οὓς Ἀσιάρχας καλοῦσιν. Ad quæ verba hæc commentatur incomparabilis Caſaubonus: *Vocat* ἐπαρχίαν, *qua verius* ἱεραρχία, ſeu ἱερωσύνη *diceretur. De Aſiarchis vide quæ ſcripſit Cujacius.* Euſebii locus occurrit lib. 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 14. III.

 ubi

ubi hęc lego: ϗ ἠρώτων τὸν Ἀσιάρχην Φίλιππον ἵνα ἐπαφῇ τῷ Πολυκάρπῳ λέοντα. *Et rogarunt Philippum munerarium*, (ita reddit Rufinus hoc loco) *ut leonem, qui Polycarpum diſcerperet, emitteret.* Ut vero Caſaubonus, citatus modo, Cujacio quoque aſtipulatur, ita nullum dubium eſt, quin Syriarchæ, Aſiarchæ, Lyciarchæ, &c. nomina provincialium ſacerdotum fuerint. Quod adeo verum eſt, ut ipſe D. Gothofredus, à veritate expugnatus, l. d. fateri cogatur, quando ſic loquitur: *Verum nihilominus eſt, provinciarum ſacerdotia hac fuiſſe, atque ita diſerte vocari* ἐθνῶν ἱερωσύνας *l. 6. § 14. ff. de excuſ. tut. Imo in Conſtantini M. adhuc l. 1. Cod. de Natur. lib. & à Firmico lib. 4. cap. 16.* Nam hoc colligi poteſt vel ex ſolis legibus juris Romani. In dicta *leg. 1. Cod. de Natur. lib.* ſic ſancit primus Imperatorum Chriſtianorum: *Senatores ſeu præfectos, vel quos in civitatibus duumvirilitas, vel ſacerdotii, id eſt, Phœniciarchiæ, vel Syriarchiæ ornamenta condecorant, placet maculam ſubire infamiæ & alienos à Romanis legibus fieri, ſi ex ancilla, vel ancillæ filia, vel liberta, vel libertæ filia, vel tabernaria, vel tabernariæ filia, vel humili, vel abjecta perſona, vel lenonis, aut arenarii filia, vel quæ mercimoniis publice præfuit, ſuſceptos filios in numero legitimorum habere voluerint, aut proprio judicio aut noſtri prærogativa reſcripti.* Hanc Conſtantini M. legem tangit Imp. Juſtinianus, quando Nov. 89. cap. ult. hunc in modum loquitur. *Unde certa à Conſtantino piæ memoriæ in conſtitutione ad Gregorium ſcripta, quædam de talibus dicta ſunt filiis, ſed hanc non recipimus: quoniam & non utendo peremta eſt. Phœniciarchorum enim, & Syriarchorum, & Magiſtratuum & inſignium meminit, & Clariſſimorum: & neque naturales eſſe vult ex his procedentes: amovens eis etiam imperialis munificentiæ manſuetudinem. Quam videlicet conſtitutionem omnino perimimus.* Idem manifeſto patet ex d. l. 6. §. 14. ff. de Excuſ. Tutor. ubi ſecundum Pandectem Florentinum hunc in modum loquitur Ulpianus Ic. *Athletæ habent à tutela excuſationem, qui ſacris certaminibus coronati ſunt.* ἔθνους ἱερωσύνη, οἷον Ἀσιαρχία, Βιθυνιαρχία, Καππαδοκαρχία παρέχει ἀλειτουργησίαν ἀπὸ ἐπιτροπῶν, τοῦτ' ἔστιν ἕως ἂν ἄρχῃ. h. e. *Provincia ſacerdotium ut Aſiarchia, Bythyniarchia, Cappadociarchia præbet à tutela immunitatem, dum ei muneri quis præeſt.* Ex quibus duabus LL. ut luce meridiana clarius patet, Aſiarchas ſacerdotio conſpicuos, ordini Sacerdotali accenſos fuiſſe; ita ex Tertulliani libello *de Idololatr. cap.* 18. haud obſcure colligere licet; eos amplius propria ſua inſignia habuiſſe. Verba ſcriptoris Afri hæc ſunt: *Purpura illa & aurum cervicis ornamentum, eodem more apud Ægyptios & Babylonios inſignia erant dignitatis, quo*

more

more nunc ſunt prætexta, vel trabeæ, vel palmata, & coronæ aurea ſacerdotum Provincialium, ſed non eadem conditione. Qui enim hoc munere fungebantur, dicebantur ſuſcepiſſe *Sacerdotium Provinciæ.* Verba Papiniani ſunt in l. 8. ff. de vacat. & excuſ. munerum: *In Aſia Sacerdotium Provinciæ ſuſcipere non coguntur numero liberorum quinque ſubnixi.* Nec à vero plane abludit Chaſſanæus, quando poſt Cujacium, ad reſcripta Imp. Severi, cenſet hoc munus *Sacerdotii provincialis* fuiſſe tum familiare, tum hereditarium. Certe huc facere videtur lex 8. Cod. de Muner. patrimon. lib. 10. *Nec ſacerdotii munus corporale eſt, ſed tantum patrimonii eſſe, non ambigitur.* Et diſtinctius eod. lib. leg. un. de peric. ſucceſſ. parent. *Si de proprio ſuo patrimonio muneris editionem tuo nomine pater tuus repromiſit, ideoque etiam Sacerdotem te creari impetravit,* &c. Quod munus patrimoniale, cum & oneroſum foret, videntur illubentes hoc ipſum ſuſcepiſſe. Quo facit L. 103. Cod. Theod. de Decur. qua Impp. Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius ita ſciſcunt: *Voluntate propria unuſquiſque Syriarchiæ munus ſuſcipere debet, non neceſſitate impoſita.*

Interea non diffiteor, poſt tempora Conſtantini M. ſub Chriſtianis Principibus, hos ipſos, ſive Aſiarchas, ſive Syriarchas, ſive ſimiles, fere occupatos duntaxat fuiſſe circa ſpectacula provincialia, ab his ipſis ſic edi ſolita, ut tamen ſuperioris Magiſtratus moderamini ſubeſſent: quemadmodum manifeſto colligi poteſt, ex *leg. unica Cod. de Off. Comit. Orient.* Quum enim eſſent munera familiaria & hereditaria, prout modo annotatum fuit, vix aliter fieri potuit. Atque hanc eandem ob cauſſam, per hos ipſos, ſpectacula propriis ſumptibus exhiberi debuerunt; Impp. Theodoſio, Arcadio, & Honorio ſic decernentibus Leg. 1. Cod. Theodoſ. de prædiis Senatorum: *Si quid Syriarchiæ à ſenatoriis poſſeſſionibus annua collatione confertur, jubemus aboleri.* Quo facit quoque lex ult. Cod. Theod. de Expenſ. Lud. qua *Impp. Chriſtiani hunc in modum decernunt*: Cunctos judices admonemus, ut ludorum quidem, quibus moris eſt, interſint feſtivitati, & oblectamentis favorem eliciant populorum. Verum expenſarum non excedant duorum ſolidorum librata impendia, nec inconſulta plauſorum inſania curialium vires, fortunas civium principalium domus poſſeſſorum, opes reipublicæ robur evellant: exceptis Alytarchis, Syriarchis, agonothetis, itemque Aſiarchis, & cæteris, quorum nomen votiva feſtivitatis ſolemnitas dedicabit. *Huc uſque Imperatores.* Quæ omnia hactenus nobis ſufficiunt adverſus D. Gothofredum. IV.

V. Nam fuerint Aſiarchæ *munerarii* ſolum; (quomodo Rufin. apud Euſeb.*lib*.4.*cap*.14. Ἀσιάρχην (ut dictum, interpretatur) Impp. Chriſtiani Sacerdotii provincialis onere eoſdem liberaverint; nihilominus hoc certum, viros ſpectabiles, eoſque Chriſtianos, etiam uſque ad tempora Juſtiniani, Chriſtiani principis, tum nomen tuliſſe ſacerdotum gentilium, tum etiam præfuiſſe ſpectaculis, Gentilium Diis Deabuſque conſecrari ſolitis: quod hactenus nobis ſufficit. Maxime, quod hi ipſi fere pertinerent ad ſpectabilem conſeſſum, ſive Concilium ſuæ provinciæ, uti, poſt D. Salmaſium, ex Strab. oſtendit ipſe D. Gothofredus, ita loquens: ***Ex Strabone, lib.* 14 *pag*.457.*ubi de Lyciarcha agens, exerte eos concilii totius provinciæ primates fuiſſe teſtatur***: ad rem neutiquam facientibus ejuſdem D. Gothofredi cavillationibus, circa moderamẽ, quod Theodoſius Magnus ſpectaculis definivit. Fuerit enim hoc vel moderatiſſimum, interim illud remanet, Chriſtianos provinciarum antiſtites, ſub ipſo Theodoſio M. edidiſſe ſpectacula ſub elogio Sacerdotum gentilium. Miror vero D. Gothofredum ambigere, an Aſiarchę, qui dicuntur Paulo adfuiſſe, Chriſtiani extiterint? Quaſi veroſimile ſit, aut Paulum, in urbe profundę idololatriæ immerſa, alios præter Chriſtianos amicos habuiſſe, aut, alios præter Chriſtianos voluiſſe Paulũ conſilio ſuo juvare. Ego etenim *judicium* Interpretum Belgicorum prętulerim privatæ opinioni D. Gothofredi. Inſignitam vero injuriam mihi facit Reyneſſius pag. 105. quando perſuaſum vult, me inde ſolum probaſſe Aſiarchas Chriſtianos fuiſſe, quod vocentur ***Pauli amici.*** Attendantur modo præcedentia mea verba, & hominis Sycophantia pelluceſcet. Quoniam ut amici Paulum conſilio, cum maxime laboraret, voluerunt adjuvare, Chriſti veneratores ſe eſſe prodiderunt. Ne tamen agnoſcantur Chriſtiani, & tamen idololatrico titulo notabiles, idem hic homo ſua audet proponere ſomnia. I. ***Non probari quod unquam Sacerdotes fuerint, cum potuerint civilem ſpectaculorum curam gerere.*** Cur ergo præcedentes rationes non enervavit noſter homo? Hoc enim oportuit, ſiquidem contrarium per illas evictum videtur. II. ***Si*** inquit *ſacerdotes fuiſſent, potuerunt & principes fuiſſe.* Interim hactenus ſufficit ſacerdotes fuiſſe, & Chriſtiani licet eſſent, idololatricum titulum tuliſſe Præterea à poſſe ad eſſe non valet conſequentia. III. ***Si & Sacerdotes & Chriſtiani fuiſſent, non probatur tamen, quod ipſi non voluntate vulgi potius, ac ſua, ea nomina tuliſſent.*** Sed hæ ſunt meræ conjecturæ. Dnn. Mei alias infeſti admodum ſunt illis (& quidem merito) qui contendunt Sp. Sanctum in Scriptura loqui ex judicio errantis vulgi: viderint

derint vero an hic iis non proſint. Sufficit hactenus ſic loqui ipſum Sp. Sanctum per Lucam. Si Voetius cenſeat aliter, digitum non vertero: ut neque curo ejus Rhapſodica farſari folia de Aſiarchis, occurrentia in tractatu de Fraternitate Mariana: meam, & ſimul communem Theologorum Orthodoxorum, opinionem ſufficienter aſſertam eſſe confido contra viros ſummates quoque, Dn. Salmaſium, & Dn. Gothofredum.

Atque, ſi, ut hactenus evictum, conſcio, &, dubio procul, conſentiente ipſo Paulo Apoſtolo, quidam ex Chriſtianis potuerint retinere titulum ſacerdotii Paganici, plures, quadringentis quoque annis poſt eodem inſigniti fuerint, ſub ipſis Chriſtianis Impp. etenim quis inclementer dicat, ut ab aliquot annis factum, Reformatis inter Ultrajectinos Canonicis? Titulus, quem ferunt, haut magis eos arguit eſſe perſonas Eccleſiaſticas, in Eccleſia Reformata, atque Aſiarchæ Pauli Apoſtoli amici debebant agnoſci ſacerdotes Epheſinę Dianæ. Mirum vero, quam ipſe *D. Voetius*, ſeu Magiſter ille *Contradictionis*, circa hos ipſos Canonicos ſecum confligat. In Diſp. de Vocat. Miniſtr. Eccleſ. Theſ. 9. *pag.* 29. *ſic loquitur*: Quid autem de redituum Eccleſiaſticorum uſu & Poſſeſſione, de titulo-tenus Eccleſiarum rectoribus ſeu Curatis, de dominis Politicis, ſed titulo Eccleſiaſticis Epiſcopis, de Abbatibus & ſimilibus regalibus (ut vocant) ſacerdotiis ex verbo Dei & antiquo jure Eccleſiaſtico credendum aut non credendum ſit, hic non eſt dicendi locus. Si eſſent modo reditus (qui curam animarum præciſe annexam non habent) una cum muneribus, dignitatibus, & privilegiis politicis, & abeſſent tituli ac fictiones illę miniſteriorũ ſpiritualium ſeu Eccleſiaſticorum (quæ inferunt verbi prędicationem & regimen Eccleſiæ ac curam) utique nihil fere Theologice, atque Eccleſiaſtice, diſquirendum reſtaret de talibus electionibus aut pręſentationibus. *Hactenus D. Voetius*, quem rogo, ut aliquando liquido nos doceat, quomodo titulis Capitularibus aut cura animarum adhæreat, aut quare non æque aliquis ex proceribus Ultrajectinæ Provinciæ, ſecundum publicæ Reformationis formulam, audire poſſit ſive Decanus, ſive Canonicus, ſive Vicarius, &c. atque tempore Conſtantini, Theodoſii, & Honorii, Aſiarchæ, Syriarchæ, &c. notabantur? Certe, vel ex hac Exercitatione (digitum ne intendam in præcedentes) liquere abunde poteſt, titulum ſive Paganici, ſive Papiſtici, cultus, citra piaculum & conſcientiæ vulnus circumferri poſſe, modo nudus titulus maneat. Quemadmodnm pro Confraternitate Mariana, reformata Sylvæ-ducum, ab Aſiarcharum exemplo

recte argumentatus fuit Rev. D. Mareſius; ſic judicante quoque Con-ſultiſſ. D. Wiſſenbachio, qui poſtquam Diſp. 4 ſubjecta Collegio Diſputationum *ad Inſt.* qua agit de vi ac ſignificatione quarundam dictionum, Th. 3. docuiſſet ex Cujacio, quid ſit *Aſiarchia*, hæc ſubjicit: *Hinc adeo magnum cauſſæ ſuæ momentum concinnaſſe videtur vir eximius Sam. Mareſius.*

EXERCITATIO XV.
DE EXCELSIS.

1. *De Occaſione hujus Exercitationis.*
2. *Montes videntur è reliquis terræ partibus Deo placere.*
3. *In iis quam Dei veri cultores olim ſacra fecerint, exemplum eorundem imitati ſunt Gentiles, imo ipſi Iudæi Gentilium æmuli.*
4. *In montibus aræ fuerunt collocatæ: item quid fuerint Excelſa?*
5. *Duplicia Excelſa in Iſraële fuerunt nota.*
6. *Qua ratione & potuerint, & debuerint, Excelſa exſcindi?*
7. *Deſtructio eorundem quam parum iis faveat, qui hæc ut exſcindenda perpetuo in ore habent?*

I. Quotquot propemodum ex Theologis Zelotis gloriam captant è Reformationis opere, intenſive magis quam extenſive, per ſe quaſi promovendo, in eo toti ſunt, ut idololatriæ ſive Paganicæ, ſive Papanæ reliquiæ, ex ſuo quaſi ſenſu ſuperſtites, cum pulviſculo, non tam extirpari quam everri queant. Utque hoc perſuadeant, paſſim in ore habent *Excelſa*, à pientiſſimis Regibus prioris fœderis quaſi deſtructa. At, ſi ſemel modo inſpexiſſent illa, quæ Rivetus commentatur ad Oſ. cap. 4. verſ. 13. & Cornelius à Lapide ad lib. 1. Reg. cap. 3. verſ. 11. imo quæ habet Ravanellus in Bibliotheca ſacra, moderatius dubio procul agerent. Nos, ut triumvirum horum (more nobis conſueto) in veſtibulo hujus Diſſertationis mentionem facimus, quod lubentes fateamur, nos iis aliquid debere; ita cuncta non minus ſuccincte proponemus, quam ab ovo quoque (prout hactenus fecimus) accerſemus. Reyneſſius pag. 107, more ſuo *συκοφαντῶν*, adducto Junio, Theologo ſummo, me proſtituere laborat: at quam auſpicatò, ſpeciali Sectione infra expendemus.

Quamvis

Quamvis verum ſit, quod dicit Regius vates Pſal. 24. 1. *Iehova eſt terra & plenitudo ejus*; nulluſque angulus ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ occurrat, qui non proclamet Dei Majeſtatem, ſpeciali tamen ratione, montibus & collibus, hæc alligata videtur. In cauſſas inquiſiverunt multi. Sed, quamvis dici queat, montana loca reliquis fere, ſive ſalubriora ſive jucundiora, ſive munitiora ac tutiora eſſe; illud tamen præ cęteris obſervatu dignum occurrit, quod Deo placuerit, ex quo cœpit Eccleſiam ſuam adornare, loca elatiora eligere aut pro manifeſtanda ſua Eccleſia, aut pro exercitio ſui cultus: forte ut nos homines, hoc quaſi viſibili ſigno, non modo doceret, ſed & invitaret, ad corda noſtra ſupra terram, cœlum verſus ſublevanda. Nam, ut inde incipiam, pater omnium fidelium Abraham, juſſus eſt filium ſuum immolare in monte Moria, Gen. 22. 3. In monte Sinai, qui videtur idem fuiſſe cum monte Horeb, non modo Deus primum apparuit Moſi, Exod. 3. 1. & Act. 7. 30 ſed etiam lex data fuit Exod. 9. 20. In monte Sionis tum Urbs ædificata fuit Jeruſalem, tum ipſum pariter quoq; templum, quod proinde mons ſanctus dicitur Jeſ. 27. 13. & Jer. 31. 23. Utque deveniamus ad Chriſtum, is gloriam ſuam in monte manifeſtavit, Matth. 17. crucifixus eſt in colle Golgotha Joh. 19. 13. aſcendit in cœlos ex monte Oliveti, Act. 1. Hanc ob cauſſam quoque, non ſolum Scholæ Prophetarum olim in collibus erant, ut colligere eſt ex 1. Sam. 10. 5. verum etiam viri pii in montibus & collibus ſepeliri voluerunt, ut de Eleazaro liquet, ex Joſ. 24. 33. Quo reſpiciens Hieronymus in Epitaph. Paulæ ſic loquitur: *Sepulchra quoque in monte Ephraim, Ieſu filii Nave, Eleazari filii Aaron Sacerdotis è regione venerata eſt, quorum alter conditus eſt in Thamnathſare, à Septentrionali parte montis Gaas, alter in Gabaa filii ſui Phinees; ſatiſq; mirata eſt, quod diſtributor poſſeſſionum, ſibi montana & aſpera legiſſet.* Nec contrarium colligere licet, ex eo quod Syris dicitur 1. Reg. 20. 28. quem locum quum Reyneſſius pag. 108. mutilatum propoſuerit, ingenium ſuum prodit. Integer locus ita habet: *Sic ait Iehova, eo quod dixerunt Syri, Deum montium Iehovam, ac non convallium eſſe: idèo ſum traditurus totam multitudinem maximam iſtam in manum tuam, ut cognoſcatis me eſſe Iehovam.* Nam quum Syri Deo Iſraëlis maledicerent, quaſi in montibus duntaxat potentiam ſuam prodere poſſet, Deus ad erigendum populum ſuum, Prophetam ſic edicere juſſit. Sed quid hoc πρὸς ἔπος? Extreme vero impudens eſt Reyneſſius, quando non modo dicta pag. ſuſtinet ſcribere, Deum *ſpeciali mandato prohibuiſſe montana ſacrificia*, II.

ſicia, verum etiam hoc dici Deut. 12.13. & 14.23. At ubi frons? Prior locus ita habet: *Cave tibi ne offeras holocauſta tua, in omni loco qui videbitur tibi: Sed in eo loco, quem elegerit Iehova* Poſteriore vero hæc verba notare eſt: *Et comedes coram Iehova Deo tuo, in loco quem elegerit, ad collocandum nomen ſuum ibi.* At Deus elegit ſpeciatim loca montana, prout patet ex præcedentibus: ergo neceſſum eſt Reyneſſius cum ſuis adjutoribus æternum maneat confuſus.

III. Ut vero diabolus, ab origine mundi, ſolitus fuit ſe gerere pro Dei ſimio, ut quadantenus Dei cultum, in locis excelſis exerceri ſolitum, proſtitueret, illos quoque in quos ſortitus erat imperium, docuit non modo ſacra facere in montibus, verum etiam aut montes transformare in Deos, aut iiſdem peculiaria Numina præficere. Notæ ex poëtis Nymphæ Oreades, & Sylvani Monticolæ, de quibus Ovid. lib. 1. Faſt.

> *Dii ſumus agreſtes, & qui dominamur in altis*
> *Montibus: Imperium eſt in ſua tecta Iovi.*

Atque Jupiter Xenius peculiarem ſtationem habuit in promontorio Genetæo, ubi & colebatur. Unde Val. Flaccus lib. 5. Argonaut. 18.

> *Inde Genetai rupem Iovis, hinc Tibarenum*
> *Dant virides poſt terga lacus.*

Similiter Auguſtinus lib. 4. de Civit. Dei cap. 8. meminit Jugatini & Collinæ. Verba illius hæc ſunt: *Nec agrorum munus uni alicui deo committendum arbitrati ſunt, ſed rura, deæ Ruſinæ; juga montium deo Iugatino: collibus, deam Collitinam; vallibus Valloniam præfecerunt.* Cappadocibus vero, præter montem, alius non erat Deus. Sic quippe per Interpretem Maximus Tyrius Diſſert. 38. *Mons Cappadocibus & Deus, & jusjurandum eſt, & ſtatua.* Perſæ præterea non niſi in montibus altiſſimis Jovi ſacra facere ſolent. Ita enim Herodotus de illis lib. 1. cap. 131. νομίζουσι Διῒ μὲν ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν ὀρέων ἀναβαίνοντες, θυσίας ἔρδειν. *Solent, editiſſimis montium conſcenſis, Iovi hoſtias immolare.* Et Strabo lib. 15. de iiſdem: Θύουσι δ' ἐν ὑψηλῷ τόπῳ, τὸν οὐρανὸν ἡγούμενοι Δία. Similia habet Xenophon lib. 8. de Inſtit. Cyri. Moris hujus veſtigia apud Americanos remanſiſſe videntur, teſtis ſiquidem eſt Acoſta, illos, ipſos montes, & quicquid communem naturæ ordinem egreditur, conſueviſſe venerari. Atque in Peru hodie adhuc inveniri Iudos, qui quemcunque montem, ſi paulo ſublimior & ſpecioſior ſit, Deum eſſe exiſtiment, ſcribit Corn. à Lapide in Comment. ad cap. 2. Jerem.

Ut

Ut de Romanis aliquid delibem, qui olim omnium populorũ politiſſimi habebãtur, conſtat apud eos, montẽ Capitolinũ, cui Capitoliũ Jovi ſacrũ inædificatũ fuit, in ſumma veneratione fuiſſe. Teſtis unus Virgil. lib. 8. Æneid. *Hinc ad Tarpejam ſedem & Capitolia ducit,*
Aurea nunc, olim ſylveſtribus horrida dumis.
Iam tum relligio pavidos terrebat agreſtes
Dira locis: jam tum ſylvam, ſaxumque tremebant.
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoſo vertice collem
(Quis Deus incertum eſt) habitat Deus: Arcades ipſum
Credunt ſe vidiſſe Deum.

Huc facit & illud Vitruvii lib. 1. de Architect. cap. ult. *Ædibus vero ſacris, quorum Deorum maxime in tutela civitatis videtur eſſe, & Iovi, & Iunoni, & Minervæ, in excelſiſſimo loco, unde manium maxima pars conſpiciatur, areæ diſtribuuntur.* Gentes imitati ſunt Judęi (populus hic ad quamcunque idololatriam projectiſſimus erat) atque, contra expreſſum Dei mandatum, inſtituerunt ſacra Idololatrica in montibus facere. Quemadmodum hoc colligere licet ex ſequentibus Scripturæ locis, quæ longum foret ſigillatim examinare, nempe Deut. 12. 2. Verba cum obſervatione digna ſint, exhiberi debent. Ita ergo Moſes: *Omnino perdite omnia illa loca, ubi gentes, quas hereditario jure poſſeſſuri eſtis, coluerunt Deos ſuos: in ſingulis montibus excelſis, & in ſingulis collibus, & ſub quacunque arbore virenti.* E quibus ſane verbis nemo ſanus homo collegerit prohiberi omnia ſacrificia in montibus & excelſis, ſed ea ſolummodo quæ erant conjuncta cum idololatria. Addere licet ſequentia loca, è quibus tantundem elici poteſt, 1. Reg. 11. 7. 8. & 14. 23. 2. Reg. 16. 4. & 17. 10. 2. Chron. 28. 4. Eſ. 65. 7. Jer. 2. 20. & 3, 7. 6. & 13. 27. & 17. 2. Ezech. 6. 3. 4 & 20. 28. 29. Oz. 4. 13.

Speciatim vero in montibus collocari ſolent aræ à Gentilibus, ut ſu- IV.
per illas idolis ſuis ſacrificarent. Quomodo, non ſolum Solinus refert cap. 8. *Hirpos ſacrificium annuum ad montem Soractem Apollini facere ſolitos fuiſſe*, &c. verum etiam cap. 14. teſtatur, *in cacumine montis Olympi aram fuiſſe Iovi dicatam.* & cap. 17. ſcribit, *Athon montem aras cacumine ſuſtinuiſſe.* Imitati & hoc fuerunt Iſraëlitæ, ſi non exemplum Gentilibus dederint: nam in montibus excelſa, hoc eſt, ædiculas cum aris, aut aras ſine ędiculis extruxerunt. Scio equidem, Petrum Martyrem, Theologum Orthodoxum quantivis pretii, quem quidam ſequuntur, ita ſcribere ad 1. Reg. 3. verſ. 2. *Excelſa vocantur montes vel colles,*

Digitized by Google

ubi populus rem Divinam faciebat. Cæterum inter montes colleſque, atque excelſa, differentiam interceſſiſſe, inde *primo* manifeſtiſſimum eſt, quod 2. Chron. 21. 11. expreſſe Joram dicatur *feciſſe excelſa in montibus*: deinde quod *excelſa* potuerint funditus ſubverti atque extirpari. Quod quamvis dici queat de illis rebus, quæ montibus collibusve ſuperſtructæ ſunt, neutiquam tamen ipſis montibus applicari poteſt: quum conſtet Dantiſcanos, tot licet ſumptibus profuſis, ne quidem hactenus ſubmovere potuiſſe montem, urbi ſuæ incubantem, licet hic ipſe excelſioribus accenſeri non mereatur. Unde neque inconvenienter viri docti exiſtimant Græcorum βωμὸν, ſive *aram*, nomen habere ab Ebræorum voce *bom*, ſive *bamah*, quæ tum *excelſum* notat, tum etiam in numero multitudinis, deſignandis his ipſis excelſis applicatur.

V. Porro, hæc ipſa *Excelſa* duplicia occurrunt in libris V. T. in quibuſdam verus Deus colebatur, in aliis idola. Atque illa permiſſa fuiſſe pro tempore, ſive, donec templum ædificatum eſſet in eo loco, quem Deus ſibi elegerat, teſtantur non modo Rabbini, verum etiam fatentur Theologi Orthodoxi. Rabbinorum mentem expreſſit vir in ſacris his exercitatiſſimus Joan. Druſius in Comm. ad Difficil. loca Deuter. cap. 78. ubi *ſequentia occurrunt*: Licita fuerunt Judæis excelſa poſt deſtructam Silo, cum arca eſſet in Nob & in Gabaon &c. uſque ad extructum templum Salomonis, quæ vocatur domus æterna & domus electa. Hoc ſignificat R. Salomo per hæc verba Deut. 12. Ex quo deſtructa fuit Silo & veniſſent in Nob; & deſtructa fuit Nob & veniſſent in Gabaon, excelſa licita & permiſſa fuerunt, uſquedum veniſſent Jeroſolymam: nam aliquanto poſt, conditum fuit à Salomone templum, de quo & pater ejus cogitaverat antea. Ab eo tempore illicita fuerunt. Prius etiam vetita erant cum arca in Silo, & Iſraëlitæ in deſerto. *Hactenus ille*. Ex Orthodoxis ſuffecerit, unum Petrum Martyrem adduxiſſe, *qui ita loco jam antea citato*: Ethnici ad ſuos colendos Deos amœna loca, montes colles, ſaltus, & lucos deligebant. Hebræi vero captabant ea loca, ubi eorum Patres immolaſſent, atque hoc tolerabatur ad tempus, donec templum ædificaretur in eo loco, quem Deus elegiſſet. Statuerat enim ne alibi ſacrificaretur, quam ubi ipſe monſtraſſet. Cumque illo tempore Arca, nec non tabernaculum fixum locum non haberent, licuit paſſim in excelſis ſacrificare. *Huc uſque Martyr*. Quæ tamen Martyris & Rabbinorum ſententia erit limitanda per illa, quæ proxime ſequuntur. Fateor quippe lubens, quam controverſum eſſe, an in Excelſis, quæ Deus

ad

ad tempus toleravit, non fuerit pro ratione temporis, quo tolerabantur, ſive tabernaculum, ſive arca, ſive utrumque, adeo ut hæ montanæ domunculæ exhibuerint vicem quaſi templi Hieroſolymitani, a Salomone demum extructi. At, licet hoc ſtatui poſſit, *de excelſo Gabaon*, in quo non modo David ſacrificavit, 1. Chron. 16. 39. 40. & 21. 29. 30. verum etiam populus cum Rege Salomone 1. Reg. 3. 2. & ſeqq. quod tabernaculum ibidem pro eo tempore fuiſſe pateat ex 1. Chronic. 16. 39. & 21. 29, item 2. Chron. 1. 3. nihilominus tamen D. Rivetus l. d. contra Auguſtin. *qu.* 36. *in lib. Iud.* haut pręter rationem objicit, pręter factum Gedeonis Jud. 6. 19. ſub quercu Angelo, qui erat Jehova, immolantis, hiſtoriam Samuelis, quod videatur (1 Sam. 10. 9.) ſacrificaſſe in *Excelſo* extra Silo, ubi tum erat arca Domini. Ad quæ duo poſteriora loca priuſquam reſpondeam, hoc velim notari, Deum Opt. Max. qui eſt ſuperior cogitatione & ratiocinio non modo hominum, ſed ipſorum quoque angelorum, toleraſſe Excelſa & ſacrificia in illis, ipſo quoque templo Salomonis ſtabilito. Nam quamvis (ut jam antea notatum fuit) eodem erecto, oportuerit aboleri omnia Excelſa, partim tamen propter populum cervicis duræ, partim etiam propter conditionem ſtatus politici, cui hunc ſuum populum ſubjectum volebat, connivit ad hæc ipſa Excelſa, pro avertendis gravioribus peccatis, haut ſecus atque connivebat ad ipſum divortium. In adverſum ſtrepentem Reyneſſium pag. 108. quis moretur? Ut temere divertentes ſub priori fœdere peccabant, gratioſum tamen (ſi cęteroquin Deum timerent) Dominum habuerunt. Non excuſo adolentes in Excelſis Deo dicatis, quum daretur Templi copia: Deum tamen ſpeciali tolerantia, proveniente ex affectu ſingulari erga poſteritatem Abrahami, hoc ad tempus diſſimulaſſe (non *conceſſiſſe* ut per calumniam pag. 109. Reyneſſius affingit) pertendo. Quare enim putabimus, Eliam Prophetam ſeſe profudiſſe in hanc querulam vocem 1. Reg. 19. 10. *Zelo affectus ſum pro Iehova Deo exercituum, eo, quod dereliquerunt fœdus tuum Iſraëlitæ, altaria tua deſtruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio*; niſi quod putaverit, non fuiſſe deſtruenda altaria in Excelſis extructa, ſervientiaq; uſibus Iſraëlitarum, politico regimine, à tempore Jeroboam uſque diviſorum à Judæis, quibus tutum magis erat Hieroſolymam adire. Alias, videri poſſent Achab & Jeſabel recte feciſſe, quod obſequium quaſi hac in parte præſtiterint pręcepto Dei, Deuter. 12, 5. & ſeqq. Fruſtra vero eſt Reyneſſius dicta pag. 109. quando Theologos Belgas, authores Annotationum in Biblia,

adverſum me adducit: neque enim aut dicunt humani quid in hac, præpoſtera quaſi, Elijæ querela obſervari debere; aut etiam altaria fuiſſe alibi, quam in Excelſis collocata: Sed largiter concedunt quoque ea potuiſſe per ſpecialem Dei inſtinctum à Prophetis quibuſdam extructa eſſe. Quod hactenus nobis ſufficit: ſiquidem inde evincitur, extante quoque templo Hieroſolymitano, Excelſa quædam Deo diſplicere non potuiſſe, utpote quæ erecta eſſent ſuo inſtinctu. Homo vero Noſter ſolitam ſuam dexteritatem in explicanda Scriptura prodit, quando contendit, Elijam, conquerentem de confractis Altaribus, reſpicere illud, quod ipſe erexerat, 1. Reg. 18. verſ. 23. Nam, ut ſacrificium Elijæ, quod Prophetarum Baaliticorum ſacrificio dijudicando ſerviebat, modo ſingulari & extraordinario adornatum fuit; ita neutiquam in Textu dicitur, quod ad illud pro gloria Dei indicanda, duraturum Altare Elijas extruxerit. Sed, quod duodecim conportatis lapidibus, ſecundum duodecim tribus Iſraëliticas, Altare pro præſenti uſu extruxerit, quod deinde cum ipſo holocauſto, & omnibus, quæ in propinquo erant, totum deſtructum fuit. Sic enim exſerte dicitur: com. 38. *Tunc ignis Iehovæ decidens conſumpſit holocauſtum, & ligna, & lapides, & pulverem ipſum, etiam aquam, quæ erat in aquæ ductu elinxit.* Abſumptis vero lapidibus neceſſum erat Altare deſtrui. Adeo ut fatuum ſit, cum homine noſtro fingere hoc ipſum Altare, igni cœleſti abſumptum, ab Achabo deſtructum fuiſſe. Longe ineptius, Elijam ſtomachatum fuiſſe hoc nomine: quum Altaris hujus deſtructio Dei gloriam aſſeruerit. Reliquum ergo, altaria & Excelſa ob quæ Elijas indignatus fuit, Deo Iſraëlis conſecrata fuiſſe, eumque merito indignatum fuiſſe, quod deſtructa eſſent à Baalita. Hæc ſi notentur, non neceſſum fuerit, admodum ambigere circa Samuelis factum, multominus fingere cum Franc. Junio, Theologo alias longe doctiſſimo, Samueli ſacrificaturo adductam fuiſſe arcam; alias eadem debuerit illi adduci ſacrificanti in Miſphath, 1. Sam. 7. 8. Gedeonis vero, Spiritus inſtinctu peculiari præditi, factum æque ſingulare cenſeri debet, atque Davidis, immolantis in area Ornani Jebuſæi, 1. Chron. 21.

VI. Ne vero recedam ab Excelſis, ea, quæ idolis erant ſtatuta, nullo modo tolerari potuerunt: atque pii Reges in iis exſcindendis zelum ſuum perpetuo probaverunt; quemadmodum de Aſa expreſſe annotatur, 2. Chron. 14. 3. 5. de Joſaphato, 2. Chron. 17. 6. &

de

Digitized by Google

de Joſia, 2. Chronic. 34. 3. Neutiquam vero pari ratione hunc ſuum zelum exercere potuerunt circa Excelſa, in caſu quaſi neceſſitatis, Deo vero ſtatuta. Novi quidem, eximium Theologum Genevenſem, Antonium Fayum, Comment. in Pſal. 87. *ſic ſcribere*: Nefas erat extra urbem, templumve Deo conſecratum, offerre ſacrificia: quæque alibi fiebant, non erant Deo grata. Propterea loca excelſa, ſcriptis Propheticis, paſſim damnantur, licet dicerent omnes ſe ſacra facere Deo vero, quem Abrahamus, Iſaacus, & Jacobus venerati erant. Nam tales, qui in locis excelſis adorabant, Idololatræ erant, quia non adorabant in loco quem Deus illis conſtituerat. *Hactenus Fayus*. Non tamen pro idololatris ſimpliciter habuero illos, qui in Excelſis, Deo vero ſtatutis, immolabant: licet eos hactenus peccaſſe putarim cum patribus Vet. Teſt. polygamis, inter quos tamen, & adulteros, quid intereſt. Certe ipſe Spiritus Sanctus in Scriptura de Aſa Rege ſic loquitur, 1. Reg. 15. 14. *Excelſa quidem non amota ſunt*; (intelligi debent Excelſa poſterioris ordinis, nam altera, quæ idolis erecta erant, Aſa, ut modo fuit oſtenſum, amovit) *ſed animus Aſæ fuit integer erga Iehovam omnibus diebus ejus*. Atque de eodem, 2. Chronic. 15. 17. *Excelſa quidem non amota ſunt ex Iſraële; ſed animus Aſæ fuit integer omnibus diebus ejus*. Similiter de Joſaphato hunc in modum loquitur Spiritus Sanctus 1. Reg. 22. 43. & ſeq. *Et ambulavit prorſus in via Aſa Patris ſui, non receſſit ab ea; faciendo quod rectum videtur in oculis Iehova. Verumtamen excelſa non deſiſtebant, adhuc populus ſacrificabat & adolebat in excelſis*. Novi equidem, haut paucos ex Theologis non minus Orthodoxis, quam Pontificiis, exiſtimare, hactenus hoſce pios Reges aliquid humanitus paſſos fuiſſe, atque deliquiſſe, quod non amoverint hæc ipſa excelſa: at non video, qua ratione pariter Sp. Sanctus circa mentionem quaſi hujus neglectus, potuerit commendare integritatem animi, qua erga Jehovam fuerint affecti, ſi hæc ipſa omiſſio in crimine debuerit cenſeri. Ipſe Rivetus, à veritate expugnatus l. d. hoc de iis teſtimonium perhibet: *Qua in re tamen utcunque poſſunt excuſari, quod quamvis votum non defuerit ea tollendi, facultate fortaſſe fuerunt deſtituti*. Quæ garrit Reyneſſius pag. 110. de Davide, nulli conveniunt æque, atque illi ipſi. Scilicet, David *non receſſerat ab omnibus, quæ præceperat illi Iehova, omnibus diebus vitæ ſuæ, præterquam in re Uriæ Chittbai*, 1. Reg. 15. 5. Ergo concludas Joſaphati & Aſæ, ratione non deſtructorum excelſorum, eandem rationem fuiſſe, quę adulterii Davidis. Sed, ſic commendatur integritas

 Davidis,

Digitized by Google

Davidis ut ab ea, per modum exceptionis, removeatur ejuſdem adulterium: quum Sp. S. non excipiendo, ſed componendo, perdurationem excelſorum Aſæ & Joſaphati integritati ſociet. Eoque hæc nihil πρὸς ἔπος. Licet interim agnoſcam à parte Regum, alias pientiſſimorum, quod ἥττημα. Peculiare vero privilegium ex Dei ſingulari, & ſapientiſſimo, moderamine uni Ezechiæ obtigit, qui ſolus utraque Excelſa amovit. Nam ut de excelſis idolis erectis intelligi debet Sp. Sanctus 2.Reg.18.4. 22.2.Chron.31.1. hiſce locis comparatis cum 2.Reg.21.3. & 2.Chron. 33. 3. ita altera quoque ab eodem funditus deleta & exciſa fuiſſe, patere videtur ex 2.Chron.32.12. ubi legati Zancheribi ſic proloquuntur: *An non ipſe Iechizkia abſtulit excelſa ejus* (Jehovæ ſcil. aut quæ Jehovæ erant conſecrata) *& altaria ejus?* (quæ ſcil. in Excelſis ſacellis erant erecta) *Edixitq; Iehudæ & Ieruſchalaimis dicendo, coram altari unico incurvatote vos, & in eo adoletote?* D.Rivetus l.d.in Ezechiæ ſocietatem invitat regem Joſaphat, argumentando ex loco 2.Chron.17.6. At ſolidus alias Theologus, purgamentum tum calcaverat, quum ſic ſcriberet: ſiquidem, ut modo oſtenſum fuit, hic ipſe locus intelligi debet de Excelſis, idolis ſacratis, quæ ut ſuſtulit Joſaphat, ita altera ab eodem neutiquam ſublata fuiſſe, jam antea evicimus ex 1. Reg. 22. inter quæ duo loca neutiquam conflictus intercedere poteſt. Eoque mens mea hæc eſt, Ezechiam potuiſſe pariter exſcindere Excelſa cum altaribus ipſi Jehovæ dicatis, quæ Aſa, & Joſaphat, pluresque Reges pii tolerare debuerint propter ſpecialem temporis & regni ſui rationem. Ut ſic ſtatuam præivit mihi ſolidiſſimus Theologus Joannes Oecolampadius, qui ad Eſ. 36. 7. ſic commentatur: *Et erant quidem excelſa in honorem Dei erecta, ſed non ex præcepto, & propterea abominabilia oculis ejus, tamen populis gratiſſima, & ſummo honore digna viſa ſunt. Et auferre Regum nullus antea poterat* (NB.) *etiam qui juſtiſſimi erant, ut Aſa, Ioſaphat, Ioas, Amaſias, Ioatham. Unus autem Ezechias diſſipavit excelſa, contrivit ſtatuas, ſuccidit lucos, confregit ſerpentem æneum, cui etiam filii Iſraël contra mandatum Dei incenſum adolere cœperant.* Nec movere me poteſt Reyneſſius, ut Aſam & Joſaphatum Ezechiæ adęquem. Hęc quidem apud eum p. 111. lego: *Aſa Excelſa quæ erant in locis publicis, Ioſaphat vero ea, quæ erant in locis privatis amoverunt: ſic tamen ut ex his aliqua ipſum fugerint,* &c. *Adeo ut Rex nullis ſciens pepercerit, populus aliqua clam habuerit, de populo enim dicitur* 2. Chron. 20. 33. Excelſa non ſunt amota: Populus enim animum ſuum non comparaverat ad Deum. *Quicquid ſit certum eſt,*

omnia

Digitized by Google

omnia aboleri debuiſſe, utpote ἐθελοθρησκείας inventa, At, ſimul video hæc omnia ἀπροσδιόνυσα eſſe. Nam I. æque à me conceditur omnia abolenda fuiſſe. Sed quęſtio eſt, an à Regibus alias à Zelo & ſingulari pietate in Scriptura commendatis, ratione habita circumſtantiarum reip. aboleri quoque potuerint? Locus qui adducitur, plane pro mea ſentententia militat. Nam ut ille pertinet ad imperium Joſaphati; ita hoc innuerit tantam fuiſſe pro illo tempore pervicaciam populi, ut Excelſa poſterioris ordinis non fuerit tutum removere. II. Diſtinctio in Excelſa publici & privati uſus, licet Ravanellum habere videatur Authorem (in cujus verba non juravi) inconveniens plane eſt. Nam ut Excelſa collocata erant in montibus ad jus publicum pertinentibus, ita non potuerunt non quoque publici juris eſſe.

Quod ſub initium hujus Exercitationis promiſimus, bona fide hic VII.
præſtare debemus. Noſter Reyneſſius, ut me conſtringat authoritate ſummi Theologi Franc. Junii pag. 170. ſic loquitur: *Iunius*, inquit, *ad Deut.* 12. *inter Idololatrarum ſuperſtitiones numerat, quod apud ipſos prealti montes neſcio quid dignius ad cœleſtium obſervationem habere videbantur.* Sed ubi fides! Sycophanta integrum locum adferre debuiſſet. Verba Junii ad verſ. 2. cap. 12. Deuter. ita habent: *Moſes dicit* ſuper montes excelſos, ſuper colles, & ſub omni arbore virente. *Nam his tribus modis idololatra plurimum captabant auctoritatem ſuperſtitionibus ſuis: quia apud ipſos prealti montes neſcio quid dignius ad commoditatem auguriorum, cœleſtiumque obſervationem habere videbantur.* Quæſo arbitrare, (mi Lector) fueritne hominis ingenui, omittere hæc verba, *ad commoditatem auguriorum?* Sed familiare eſt Theologis Pręciſiſtis, exemplo Patris Voetii, à patre mendaciorum diabolo, per fraudes, & inſidas citationes incautis & ignaris fucum facere. Quid vero dicit Junius? Gentes propter *commoditatem auguriorum* delegiſſe montes. Sed, an non ergo potuit Deus, licet improbet ac deteſtetur Auguria, in montibus licet capta, montes aliis uſibus, iiſque ſacris, deſtinare?

Explicata Excelſorum ratione, facile liquere poteſt, quam bene vul- VII
go ab iis argumententur multi hoc ſeculo, qui cum (ut aliquoties notavi) ſtudeant reformationi, ex ſuo judicio, intenſive procurandæ, quo laureolam in muſtaceo inveniant, omnia quæ aut in Papatu fuerunt recepta, aut ab eo ad nos derivata ſunt, Excelſa eſſe, ac proinde extirpanda clamant. Quum tamen neque ſerviant uſui Idololatrico, neque extet præceptum Dei de iiſdem abolendis. Etenim, ut jam antea liquido

evictum

evictum fuit, Excelſa (hoc plebi improvidæ perſuadetur) non erant fugacia quaſi idololatriæ veſtigia; ſed, ſive arę, ſive ædiculę, in quibus, aut in propatulo ſacra Idololatrica exercebantur, aut, ſi Deo vero fieret, fiebat hoc in præjudicium templi Hieroſolymitani, atque contra expreſſum Dei mandatum. Si idem evinci queat de illis, quibus Excelſorum ratio applicatur, eadem funditus extirpanda eſſe, lubens conceſſero. Utque abolenda penitus putarim, omnia Papanorum idola, dies feſtos in honorem Sanctorum inſtitutos, Bacchanalia, Martinalia, &c. quod non modo arguant communionem cum idololatria, partim Paganica, partim Pontificia, (contra expreſſam admonitionem Apoſtoli 1. Cor. 10. 14.) verum etiam eorundem occaſione, eadem fere fiant, quæ idololatrę facere ſolent: Ita non video, cur idem ſtatuendum ſit de Reformatis ſive Fraternitatibus, ſive Canonicorum Capitulis; itemque de nominibus Sanctorum, Deorumve Gentilium, quæ, citra ullam omnino ſuperſtitionem, pro uſu ſive Politico, ſive Hiſtorico, ſerviunt tum deſignandis, tum diſtinguendis certis locis, temporis differentiis, Collegiis, aliiſque rebus. Si indifferenter hoc argumentum, ab *Excelſis* deſumptum, valeret, ante omnia extirpanda forent templa à Pontificiis nobis relicta, quod dedicata ſint partim more Pagano, partim more Pontificio. Quæ tamen legitime tolerari, exemplo Reformatorum in Anglia & Belgio, contra Separatiſtas Anglos, adductis variis rationibus, probare nititur ipſe D. Doctor *Voetius Diſp. alt. de Templis*, *Th. 6. Probl.* 1. Idem ſtatuendum eſſet de Campanis, ab iiſdem Pontificiis nobis relictis, ſiquidem non modo ſuperſtitioſum in modum ſunt baptizatæ, verum etiam ridiculum in modum die quaſi luſtrico proprium nomen acceperunt. At, adverſus has non inſurgunt illi, quibus (tu, ô Deus, interiores animi receſſus perſpectos habes!) Ultrajecti Reformata Canonicorum Capitula ſudes ſunt in oculis. Dicit quidem noſter Reyneſſius pag. 112. *Hæc etenim non Papatui ut tali, ſed religioni in communi ſubſerviunt.* Interim ſubſerviunt cum velamine Papano Idololatrico: quod cum tolli non poſſit, niſi his ipſis deſtructis, quid ſtatuendum ſit, liquet. Præterea cum Eccleſia his ipſis carere queat (prout caruit primitiva Eccleſia) ſecundum hominum horum principia non foret fovendus qualiſcunque ſyncretiſmus cum Papatu. Porro, pro intenſivorum hominum nugamentis, audio quidem hæc amplius objici ex Pſ. 16. com. 4. *Non ſum libaturus libamina iſtorum ex ſanguine, neque aſſumpturus nomina eorum in labiis meis.* item Oſ. 2. 17. *Amovebo nomina Babali-*

Babalimorum ab ore ejus, ut non commemorentur amplius nomine ſuo. Sed, quum ipſa Scriptura tot in locis mentionem faciat variorum idolorum, (ſpeciatim ipſe Paulus Rom. 11. 4. recitative nomen Baalis commemoret) conſequens eſt, aliter per Spiritum Sanctum non prohiberi mentionem & uſum horum ipſorum, quam quatenus is, qui ore ea frequentat, pariter animi reverentia ad eadem inclinat. De qua diſtinctione conſulendus vir longe doctiſſimus & accuratiſſimus, *Martinus Chemnitius part. 4. Exam. Concil. Trident. loc. 2.* cujus ſcrinia cum non modo multi Auguſtanæ Confeſſionis Theologi, verum etiam ex noſtris, quo videantur ſui ſimilibus in antiquitate Eccleſiaſtica probe verſati eſſe, conſueverint compilare, rariſſime tamen nomen illius laudatur. Porro, non improbaverim ſimpliciter, ſi turris cacumini, ſeu campanili, imponatur Gallus æneus, qui auræ quaſi ventorumque index ſit, licet hoc valde diſpliceat noſtris Dominis Zelotis, uſque adeó, ut ſciam in vicinò nobis pago, Paſtorem hujus ordinis acerrime contendiſſe cum Patronis ſuis, nec ante quieviſſe, quam, ſubmoto Gallo æneo, ſubſtituta foret ſtella inaurata. Quod enim fingunt, Pontificios, Gallos hoſce pro hoc uſu frequentaſſe, ut forent quaſi præcones reſipiſcentiæ, quod Petro Apoſtolo uſum hunc Galli cantus exhibuerit, admodum dilutum eſt: Nec ſaniores ex Pontificiis Doctoribus hoc unquam docuerunt; licet forte negandum non ſit, unum forte aut alterum delirum & ſuperſtitioſum caput, ſic inſanire potuiſſe. Beza quoque fruſtra hic ſollicitatur ex Hom. 15. in Hiſt. Paſſ. Verba quippe Theologi egregii hæc ſunt: *Nunquid enim abhinc annis circiter ſeptuaginta, non aves quid ſuus notet cantus ignara, non etiam ferrei antive Galli, quales in campanilibus ac templorum ſummitatibus conſpiciuntur, miſerorum illorum ſuperſtitioſorum, quorum diuturnus eſt futurus ſomnus, ſi ſuorum Gallorum cantum expectent, ſed inſignes viri ſunt excitati?* Quibus non innuit ſane, Pontificiorum hanc doctrinam eſſe, ut Galli in templis ſint quaſi typici reſipiſcentiæ præcones, ſed hoc ſuperſtitioſis quibuſdam (è vulgo ſcil.) forte perſuaſum eſſe. Præterea, qui legit vel ſolam Bezæ Confeſſionem, ignorare non poteſt, eum in exagitanda Papanorum ſuperſtitione nimis quam vehementem eſſe. Scio Dnn. Præciſiſtas hic quidem obtendere authoritatem Dn. Bezæ, ſed fide ſibi conſueta. Alias conjecturam quoque ſuam & inanem ſuſpicionem folium Sibyllæ haberi cupiunt. Quare ſic etiam cornicatur Reyneſſius pag. 112. *Gallum in ſummitate turris quod attinet,*

ponitur is procul dubio ut converſionis præco, ad exemplum ejus, ad cujus cantum flevit amarè Petrus. Sarcaſmum vero hominis non moror, quando eadem pag. ſic me pungit: *Author eſſem Paſtori illi, ut loco galli poſthac imaginem Schoockii ibi collocet: qui multo melius peccata cantare & exaggerare novit, quam gallus aneus: ſed tamen aliena magis, quam ſua.* Quis in oculis meis ſim, novit Deus: qui cujuſque opus dijudicabit. Si ludere voluiſſet, gallo ſubſtituiſſet imaginem ſui Voetii, ſiquidem, teſte decima Muſa, *Viva eſt virtutis imago.* Porro, putarim ob Phyſicam potius rationem Gallos turrium cacuminibus ſolere imponi: hoc ſiquidem animal ut ſanguine calidiori & ſpiritibus ſubtilioribus gaudet, ita mox leviſſimam aëris & auræ mutationem percipit. Pegaſi, ſtellæ, equi, & ſimilia plura, quæ gallorum vicem in turribus & templis ſæpe ſubire ſolent, æque facile ad originem idololatricam referri queant. Sane nulla eſt ratio, cur, contra mentem ſaniorum Pontificiorum, Galli, velut idolomaniæ ſtultæ inſtrumenta, æquo vehementius exagitentur.

EXERCITATIO XVI.

DE ENCÆNIIS.

QUod multi ex Zelotis, argumento ab Excelſis petito, conſueverint oppugnare per Belgium, annuas nundinas, ideo, quod nomen earundem Miſſam Papanam quaſi redoleat, ipſæque audiant *Kermiſſen* quaſi *Kerckmiſſen*: operæ pretium fuerit de his breviter proxime agere. Initio exiſtimo haut quaquam falſam eſſe noſtram Catecheſin, quando qu. LXXX. cenſet *ipſum Miſſæ fundamentum nihil aliud eſſe, quam abnegationem unici illius ſacrificii & paſſionis Ieſu Chriſti, & execrandam idololatriam*: interim, non cenſuerim omnia æque execranda eſſe, quibus nomen Miſſæ tribuitur. Nam quicquid compilatorum Alpha Hoſpinianus quoque judicet, apud Belgas, Germanoſque, nomen Miſſæ in communi notat quamcunque ſolemnitatem; prout obſervavit quoque doctiſſimus Lindenbrogius in accuratiſſimo Gloſſario, ſubjecto Codici LL. Antiquarum. Adeo, ut quilibet dies Feſti, ob ſolemnitatem ſibi peculiarem *miſſæ* nomen ferant: quo & Corn. Kilianus, vir ad miraculum linguæ Belgicæ peritus (tingatur licet Reyneſſius pag. 113. æque Belgici idiomatis atque

que Latini peritus) haſce voces refert; *Kerſtmiſſe*, *Lanſmiße*, *Baef-miſſe*, &c. adeo, ut nomen hoc, quod generale antiquitus fuit, hactenus cenſeri queat defæcatum eſſe à ſordibus Papanis. Ratione vero nundinarum, quæ & vulgo à *Miſſa* deſignantur, (Miſſæ Francofurtenſes & Lipſienſes per Germaniam ſunt celebratiſſimę) jam olim in mentem venit,admiſſa quoq;propria & execranda vocis *Miſſæ* ſignificatione,dici poſſe,ex accidenti duntaxat nundinis nomē *Miſſæ* adhętere. Nam quum nundinæ, ut plurimum annuatim conſueverint recurrere circa diem certum, huic illive Sancto in Papatu ſacratum, atque poſt adultam Papanam ſuperſtitionem, in honorem illius quaſi Sancti miſſa celebrari ſolita fuerit, factum fuit, ut & ipſæ nundinæ, *Miſſæ*, dici conſueverint. Nec officit quicquam Rhenanus, à Reyneſſio licet pag. 114. cum Chemnitio adductus. Neque enim dicit Miſſas annuas ordinaſſe annuas nundinas; ſed has, Miſſa quoque abrogata, etiamnum ab ea, velut appendice,nomen ſuum retinere. Quam conjecturam meam licet poſtea probatam invenerim à *Dreſſero de Urbibus German.fol.*415. in alia tamen omnia diſceſſi. Quum enim nundinarum plerarumque tempus (excutiantur Archiva,itemque diplomata quæ in illis cuſtodiuntur) non conſpiret cum tempore, quo in loco, ubi agitantur, templum (minimum Cathedrale,uti loquuntur) primitus dedicatum initiatumve fuerit; nec etiam ſemper eædem cohæreant diei Feſto, cujus quaſi Patronus nundinis miſſam conciliet, in eam deveni ſententiam, noſtrum *Ker-miſſe*, non dici quaſi *Kerck-miſſe*, ſed quaſi *Merck-miſſe*, atque ita revera pronunciandum eſſe; ita ut vox illa componatur ex duabus vocibus medii ævi, nempe ex voce *Mercada*, (videatur Lindenbrogius loco dicto) quæ ſignificat mercatum,& ex voce *miſſatico* (conſulatur pręter Lindenbrogium jam citatum *Voſſius lib.* 3. *de Vitiis ſerm. Latini*) quæ notat certam regionem ſive tractum,cui pręerat miſſus à Principe,atque *Merck-miſſe*, ſeu corrupte *Kermiſſe*, nihil aliud ſit, quam mercatus ſolemnis, ſeu annuus certi alicujus tractus, aut regionis. Cum qua Etymologia conſpirare videtur locutio per Friſiam, ſpeciatim hic Groningæ, recepta: noſtrates ſiquidem,rogantes ſibi dari munus encœniale,dicere ſolent corrupte,*Geeft my een merrimiſſe*; quum dicere debeant,*Geeft my een Merckt-miſſe*. Quomodo, ſimili ferme ratione, pueri apud Romanos parentes ſuos *Sacram viam* rogare ſolent. Notum illud Ovid.lib.1.Amor.eleg.8.

Munera præcipue videat, quæ miſerit alter,
Si tibi nil dederis, Sacra roganda via eſt.

 Idem

Digitized by Google

Idem inde quoque patet, quod conventus, qui quotannis bis Franco-furti ad Mænum, tanquam in proprio miſſi loco fiunt, olim ex decreto Imperatorum, alibi, tanquam indefinito Imperii miſſo agitari conſueverint. Quomodo *Goldaſt. ad tom. 3. conſtit. Imper.* annotat, conventum annuum, olim à Conſtantino M. in urbe Arelatenſi inſtitutum, à Carolo M. Moguntiam tranſlatum, inde à Friderico II. Francofurdiam. Cæterum à Carolo IV. eaſdem nundinas autumnales Moguntiam revocatas, iiſdem à Gunthero Cæſare Tridbergenſes vernales ſubſtitutas, ſed utraſque à Carolo IV. Francofurdiæ reſtitutas & confirmatas. Quæ adverſus hæc ineptit Reyneſſius pag. 114. & ſeq. ne legi quidem, nedum examinari merentur. Sed dato, legitimam eſſe Etymologiam noſtræ vocis *Kermiſſe*; an propter nomen (quod hic retineri poſſe, antea patuit) aboleri debebit res, ſeu annuus mercatus? Aut, an Magiſtratus Orthodoxus, cui ſalus populi ſemper ſuprema lex eſſe debet, magis curabit Stentoreos quorundam Theologorum clamores, falſo contendentium, encænia Mercurialia pertinere ad mundi excelſa, quam civium ſuorum emolumentum & commodum reſpiciet? Haud equidem putaverim. Encæniorum promercalium occaſione, ſi cives helluationibus, intempeſtivis epulis, ebrietati, atque *ἀσωτίᾳ* indulgeant, (hos abuſus, quum aliud non poſſet, exaggerare, per ſolitam loquentiam, inſtituit Reyneſſius pag. 115.) exiſtimandum eſt, per accidens duntaxat hoc fieri. Utque hiſce vitiis jure merito per ſua edicta, ſeveriora quoque, Magiſtratus obviam it; ita nulla eſt ratio, cur idem Magiſtratus, ob nudum nomen, in totum aut rejiciat encænia Mercurialia, aut transferat in tale anni tempus, quod non minus civibus, quam extraneis mercatoribus, hoſpitibuſque annuatim amicos ſuos inviſere ſolitis, incommodiſſimum ſit. Sane nundinæ, maxime ſi oportuno tempore, & loco, celebrentur, *civitates impinguant*, ut ait *Gl. in leg. un. Cod. de nund.* Miror vero quoſdam ex Theologis Ultrajectinis, infeſtos poſſe eſſe Encæniis, tot per annos, menſe Julio in hac urbe patria ante hac celebratis. Nam, cum credantur ſecundum hos homines repræſentaſſe memoriam dedicationis primi templi, quod conſtruxit, teſte Joan. Beka, Willebrordus, *in fundo Baſilicæ ſancti Thomæ*, iſque, teſte *D. Voetio Diſp. de Plantatorib. Eccleſiarum, tom. 2. Diſput. pag.* 571. neutiquam *formaliter Papiſta fuerit*; etenim non poteſt liquida reddi ratio, cur non licite potuerit celebrari memoria conſtructi primi templi, deſtinati ſcil.

cultui

Digitized by Google

cultui veri Dei, ab eo, qui teſte *D. Voetio* ibid pag. 572. dici debeat *Noſter, non vero Papiſta?* Notum eſt illud Nazianzeni: Ἐγκαίνια τιμᾶσθαι παλαιὸς νόμος, καὶ καλῶς ἔχων: *Honorare Encania vetus mos eſt, & bene ſe habens.* At Zelum horum intenſivorum Reformatorum eventus proſtituit. Licet enim homines mei, nundinis relatis ad Feſtum Pentecoſtes, hoc primo, & dein alia quoque feſta, exemplo Scotorum (ita Edinburgi loco feſti Natalitii ipſa bruma mercatus celebratur) abrogare moliti ſint, prudens tamen Magiſtratus Ultrajectinus, ut oſtenderet ſe non eſſe Theologorum peregrinorum mancipium, variis ſuadentibus rationibus, anniverſarias nundinas menſi Julio reſtituit.

EXERCITATIO XVII.

Qua quæritur, an liceat Martinalibus anſerem comedere?

IDololatriæ reliquias (tales modo agnoſci poſſint & debeant) funditus extirpandas eſſe, lubens do, nec de eo unquam mihi fuit in ſuperioribus cum quoquam contentio. Patrocinium quoq; non paraverim Bacchanalibus, impurum Ethnico-Papiſmum redolentibus, jureque ſummo accurato Tractatu exploſis per eximium Theologum Gerardum Hyperium. Cenſuerim quoque ſyncretiſmum cum Pontificiis fovere, qui cum iis, aut liberis ſuis Feſto S. Nicolai dant munuſcula, aut regalia agitant in memoriam trium quaſi Regum, aut die Jovis, qui proxime feſtum Paſchatis præcedit, cum iiſdem largiuſcule ſeſe invitant, &c. Quibus Papiſmi reliquiis an accenſeri debeat anſer, ſive *ganza* Martinalibus comedi ſolita, non ſine ratione aliquis quærat? Atque à me quaſi hunc conſcientiæ caſum proponi, nemo mirabitur, ſi conſideraverit in provinciali Academiæ noſtræ contubernio, in quo magnam partem vivunt ſtudioſi Theologiæ, Oeconomum ex conſuetudine obſtringi in vigilia Martini (ut loquuntur) cuique menſæ anſerem aſſatum exhibere. De Martino Turonenſi, atque de ipſis Martinalibus memini me quædam annotaſſe in *Tract. de bonis quaſi Eccleſ.* I.

 Sect. 3.

Sect. 3. *cap.*2. Quibus addo, ob cauſſam ibidem annotatam, Martinum hunc (velut Sanctum) in ſumma veneratione fuiſſe non minus apud Gallos, quam Belgas: uſque adeo, ut apud Gulielmum Hedam occurrat ſequens epigramma Rabdodi XIV. Epiſcopi Ultrajectini;

Sis pius, oro, mihi Martine, habitator Olympi,
Solamen miſero, ſis pius oro mihi.
Porrige quaſo manum, ne me trahat ecce profundum
Portus naufragium, porrige quaſo Manum.
Imminet umbra necis, nunc tu mihi proximus adſis,
Res nimium triſtis, imminet umbra necis.
Eripe me tenebris, & diris ſubtrahe flammis,
Dilector lucis, eripe me tenebris.
Me quoque redde polo, regnum quo permanet agno,
Qui frueris cœlo, me quoque redde polo.

Quod carmen, ſi modo referri debeat ad ævum Radbodi, omnino blaſphemum eſt, atque multis modis prꝗjudicioſum pretioſis meritis Chriſti Salvatoris noſtri unici. Antiquitus vero, inter Germanos non minus quam Gallos, receptum fuit, non modo in vigilia S. Martini, comeſſationibus indulgere, verum ſpeciatim anſeribus veſci. Quanquam vero anſeres, ipſo Galeno teſte *lib.* 3. *de facult. aliment.* carne gaudent excrementitia & concoctu difficillima, adeoque fere negliguntur in menſis delicatioribus, juniores tamen ſi fuerint, & probe ſaginati, omnino negligi non poſſunt. Certe, Diodoro Siculo teſte, in menſis Regum Ægyptiorum anſer flos cœnæ habebatur: atque apud Romanos plurima erant χηνοβοσκεῖα, de quibus conſuli poſſunt Varro lib. 3. de R. R. cap. 10. & Columella lib. 8. cap. 14. Similia anſerum paſcua, in Belgio non minus quam in Germania, occurrunt plurima, quæ cum circa illud tempus, in quod incidere ſolet feſtum S. Martini, anſeres obeſos & bene habitos, fere exhibeant, receptum fuit ſub Papatu, uno aut altero die ante Martinalia, non modo in majoribus urbibus anſerum mercatum inſtituere, verum etiam in honorem quaſi S. Martini, non minus anſerem comedere, quam muſtum bibere. Quod quicunque ex Reformatis faciunt, ſaltem in memoriam S. Martini, veluti Sancti, non video quomodo ab indirecta idololatria excuſari queant, lubenſque accedo illis Theologis, qui exiſtimant tales cenſuram promereri. Cæterum, quum Martinalia, uſum politicum quoque habeant, atque circa illa, ex conſuetudine, alicubi non modo anſeres, verum boves & porci quoq; vendi

conſueverint

conſueverint: etenim licite patresfamilias circa illud tempus æque anſeres in uſum menſæ ſuæ coëmere poſſunt, atque aut porcos, aut boves emunt. Quos anſeres, ſi urgente ratione Oeconomiæ, forte comedant Martinalibus, ſive pridie eorundem, aut poſtridie, non magis peccant atque illi, qui ex Reformatis die Veneris piſcibus veſcuntur, non quidem vi præcepti & propter conſcientiam, ut à Pontificiis fieri ſolet, ſed, quod die illo fere occaſio occurrat, piſcium viliori pretio comparandorum. (Videatur Calvini locus ſupra adductus) Nam ex conſuetudine politica, circa Martini Feſtum, publice proſtant venales anſeres, æque atque diebus Veneris venales piſces. Quę vero fiunt Feſto Nicolai, trium Regum, &c. nullum reſpectum politicum habent alium, quam quod quidam velint Papiſtis ſe conformare: quod ut poſſent non facere, ita non eſt in poteſtate alicujus privati, obniti conſuetudini, qua Martinalibus anſeres, & diebus Veneris frequentiores piſces venduntur. Adeo, ut Reyneſſius pag. 116. in caſſum laboret mihi contradictiones affingere. Diluta quoque ejuſdem eſt contemplatio circa diem Veneris, quaſi ratione illius occurrat ſolum præceptum Papanum negativum, ne ſcil. *comedantur carnes*; (intelligendæ ſcil. ſenſu Papiſtico) quum ſic abſtineatur carnibus, ut ſimul piſces, ova, legumina, &c. meliora, ſi non ſanctiora, pariter haberi conſueverint. Interim in reformatis familiis, noluerim anſerinas lautitias definite aſtringi aut ad ipſa Martinalia, aut ad veſperam S. Martini. Ubi vero inter Reformatos, in contuberniis publicis, ex lege quaſi Oeconomica, ſive ipſis Martinalibus, ſive in veſpera S. Martini, anſer menſæ infertur, non putandum mox eſt, hoc fieri ſive in honorem, ſive in memoriam S. Martini; ſed quod Oeconomi, qui annuatim ſuis convictoribus præpinguem anſerem exhibere tenentur, ob annuum anſerum mercatum, delitias haſce, tum meliores, tum etiam commodiori pretio nanciſci queant. Sed dixerit aliquis, Pontificios ad maledicendum hac ratione invitari, & Reformatos inſectari, quaſi Martinalia libentius agitent, quam ſecum jejunia obſervent. Sed pari ratione, die Veneris nunquam comederis piſces; ne Pontificius fortaſſis calumnietur, te hac in parte *παπίζειν*. Propter uſum politicum eadem fieri poſſunt, quæ propter ſuperſtitionem fiunt à Pontificiis; quemadmodum hujus rei exemplum Anglia exhibet, ubi, propter uſum mere politicum, per Quadrageſimam carnibus abſtinetur.

EXERCI-

EXERCITATIO XVIII.
DE JURE PATRONATUS.

1. *MInus convenienter Papa Romanus Author conſtituitur Iuris Patronatus.*
2. *Quænam ejuſdem ſint incunabula?*
3. *Quomodo cum jure Patronatus cæperit præſentatio Miniſtri conjungi?*
4. *Ius Patronatus poteſt in Eccleſiis Reformatis tolerari.*
5. *Ut recte definitum in Synodo Dordracena, qua vindicatur.*
6. *Occurritur Objectionibus D. Voetii contra jus Patronatus.*
7. *Interim jus Patronatus habendum pro nævo Eccleſiæ.*
8. *Expendũtur quæ declamãdo contra Ius Patronatus adduxit D.Matthæus.*
9. *Qui tamẽ non tã deformis,ut patronus Reformatus eo ſe debeat abdicare.*
10. *Imo Reformatus uſurpare poteſt.*
11. *An Diaconis poteſtas Eccleſiaſtica conveniat? inquiritur.*
12. *Occurritur objectionibus Reyneſii circa Diaconos.*
13. *Qualis fuerit Acronius, & quid præſtiterit contra jus Patronatus?*
14. *Tres notantur illius per Belgium abuſus.*
15. *Quam Paſtores dedeceat avaritia, cujus, ratione illorum, quidam Caſus proponuntur.*
16. *Author rationem reddit ſui inſtituti, ſimul improbat promiſcuam Iuris Patronatus venditionem.*

I, HAc exercitatione,cum bono Deo,breviter agere decretum eſt de jure Patronatus. Quod cum alicubi in Eccleſiis Reformatis adhuc ſit receptum, atque toleretur in fœderato Belgio,ſecundum conſtitutionem Eccleſiaſticam à Synodo Dordracena recenſam & approbatam, iniquum in modum tamen ſugillatur à *D. Voetio*, qui anno 1639. non dubitavit prolixum centonem contra illud adornare: in quo licet Th. 4. non verecundetur ſic ſcribere: *Propria origo & genuinum hujus prætenſi juris fundamentum alibi non eſt quærendum, quam in jure Antichriſtiano Papali. Illi enim ſive errore, ſive ignavo timore (quia conſcientia ipſos multiplicis uſurpationis arguebat) ſive aſſentandi ſtudio, ſive ut privatis rebus ſuis conſulerent, ſive ut præſtantiſſimis fundis, & prædiis, ſpolia Clericorum tanto facilius augerent,*

equum

equum hunc Trojanum & Eccleſiæ, & poſterorum, malo, etiam ad ſuam non minimam vexationem introduxerunt, juxta illud: Malum conſilium conſultori peſſimum. Certum tamen eſt Papam cum ſuo ſatellitio, huic juri, tanquam ſuæ hierarchiæ gravi, quam infeſtum eſſe; prout ipſe *D. Voetius*, Andabatis non abſimilis, cognoſcere potuiſſet, ſi modo attendiſſet ad inſtitutum *Ioannis Fileſaci* Theologi Pariſienſis, ex quo tam multa compilavit, qui commentarium ſuum *de ſacra Epiſcoporum auctoritate* nullum alium in finem conſcripſit, quam ut Clericos eximere poſſet juriſdictioni ſeculari, ſpeciatim evertere jus Patronatus, Papæ illiuſque Hyperaſpiſtis quam moleſtum. Unde & libellum ſcripſit Anno 1614. ad Dionyſium Argenterium Abbatem Claræ-Vallenſem, cui ipſe hunc titulum voluit præfigi: *De ſacrilegio Laico commentarius*, ſeu, *Veteris Eccleſiæ Gallicanæ querela.* Imo Papas Romanos non favere juri Patronatus, patet ex Bullis ab Innocentio VIII. Hadriano VI. & Pio IV. adverſus illud evulgatis, quas *D. Voetius* eadem Theſi adverſus ſe adducit. Sed ſapit hic Doctor cum *Sibrando Lubberti*, ejuſque armigero, viro cæteroquin docto, *Gothofredo Sopingio*, (alias tantis Theologis, nunc ἐν τοῖς ἁγίοις, nihil volo detractum) quorum ſcrinia cum uſque ad pulviſculum compilaverit, non potuit non quoque ſtatuere jus Patronatus originem trahere à Papa Romano.

Quo vero in hac controverſia omnia ſint liquida, originem juris Patronatus aliquanto altius accerſam. Atque initio Deum teſtor, me hoc ipſum Jus agnoſcere quod ῥῆγμα & nævum Eccleſiæ, nec alia ratione illud velle propugnare: quod ut facerem, nec odium nec amor ſuaſit: utriuſq; enim cauſſas (ut ut tumultuetur Reyneſſius pag. 117. & ſeqq. in anteceſſum D. Voetii argumenta ſolitæ loquentię plumis ornata proponendo) quam procul habeo. Ad aſſerendam exiſtimationem Dordracenæ Synodi, quæ prudenter malum quaſi neceſſarium certis legum limitibus coërcuit, ſtylum arripui. Sed hoc jam agere oportuit, atque hujus juris incunabula pandere. Ergo cenſeo veriſimile, tribus perſecutionum ſeculis prioribus poſt Chriſtum natum, vix nomen hujus juris fuiſſe cognitum, cum nondum ejus cauſa, quæ Eccleſiarum fundatio, & dotatio, exiſteret. Templa ſiquidem, ſive baſilicas laborantis Eccleſiæ ſeculis habere, Perſecutorum crudelitas non patiebatur. Pro templo erat cœmiterium, ſepulturæ Martyrum deſtinatum. Theodor. *lib. 2. cap. 19.* Pro baſilica domus privata, *in qua Chriſtiani ritus Cultores ſtato die ante lucem conveniebant, Chriſto ſecum invicem carmen dicentes,* II.

ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringentes, ſed ne furta, ne adulteria committerent, nec fidem fallerent, depoſita appellati non abnegarent, ut ad M. Ulpianum Trajan. Imperatorem initio ſeculi II. ſcripſit Plinius junior, Bithyniæ tum Proconſ. *referente eo ipſo libr.*10. *Epiſt.*101. Quod ipſum & Tertullian. ejuſdem ætatis Scriptor, teſtatur. Et quamvis quidem circa medium ſeculi III. Imperat. Gallienus, qui initio ſumma benignitate Chriſtianos ample&ebatur, Oratoria & tẽpla iiſdem permiſerit extruere; momentanea tamen fuerunt illa Chriſtianorum Halcyonia. Quippe immanis ille Diocletianus, perſecutorum principum anteſignanus, palam propoſitis edictis, imperavit Provinciarum rectoribus, ut Oratoria & templa Chriſtianorum in toto imperio diruerent, & ſolo æquarent, Codices etiam eorum in igne abolerent, ut Euſeb. tradit *libr*. 8. *c*. 5. Ex quibus videre licet, dictis illis ſeculis tribus prioribus, in uſu non fuiſſe Jus Patronatus, nec eſſe potuiſſe, cum ipſo actu nondum extiterit ejus cauſſa, poſtea demum enata. At tandem cum Conſtantino M. primo Chriſtiano Imperatore, circa initium ſeculi IV. poſt tot perſecutionum tenebras, amica tranquillitatis lux emicaret, multa Oratoria magnifica ubivis locorum extrui cæperunt, & quidem ex Imperatoria lege atque licentia, de qua Melchiades Papa, *c. futurum* 15. *cauſ.* 12. *q*. 1. cujus de fide tamen jure merito dubitat Marc. Anton. de Dominis *de Republ. Eccleſ. libr*. 9. *c*. 3. *n*.4. At, utut illud ſit, de voluntate Conſtantini M. hic dubitandum non eſt, cum præter Melchiadem, ſive verum, ſive falſum, de ea etiam teſtetur *Euſeb. libr*. 2. *de vita Conſtantin.* Ex quo Scriptore hoc etiam conſtat, quod Byzantii duo magnifica templa, & unum in loco ſepulturæ Dominicæ, laſcivæ Veneris fano ante conſpurcato, erexerit, cujus veſtigia etiam preſſit Mater, & alii quam plurimi. Juſtinianus deinde Imperator incomparabile illud Sophiæ templum, & multa alia condidit, ut de eo Zonar. *tom*. 3. teſtatur: aliis, ex privatis quoque, Imperatores æmulantibus, atque nomen qualecunque captantibus ex ſtructura templorum, Chriſtianæ religionis propagationi deſtinatorum, prout liquet manifeſto ex *Novell*. 5. *cap*.1. *&* *Novell*.67. *cap*.1. *&* 2. Qui, ut ſui Zeli qualecunque prçmium ferrent, uſque à temporibus Juſtiniani Imp. hoc ipſo pro plenitudine poteſtatis Imperatoriæ, approbante, inconſulto plane Pontifice Romano, cujus poteſtas tum adhuc valde exigua erat, per Eccleſiæ conſenſum admittere cœperunt jus illud, quod poſtea à Canoniſtis, jus patronatus fuit vocatum; ut clare liquet ex *Novell* 57. *cap*. 2. maxime ex *Novell*. 123.

cap. 18.

Digitized by Google

cap. 18. Contra quam quando *D. Voetius* ſic cornicatur, ut dicto Tract. th. 8. ſub finem inferat, Juſtinianum hanc conceſſionem acceptam referre non *Imperatoribus*, *ſed Eccleſiæ*, nobis favet: nam exiſtimamus, Patronis jus præſentandi initio ab Eccleſia fuiſſe delatum. Præterea Impp. Chriſtiani, quæ aut in Codice Juſtin. aut Theodoſiano circa ſacra pro plenitudine quoque poteſtatis ſuæ decernunt, videri volunt hoc facere ex conſilio & arbitrio ipſius Eccleſiæ, quod ipſi, laudabili exemplo, in talibus illius antiſtites ſolerent conſulere. At viderit bonus vir, an non hæc exceptio ſibi & ſuis quam officiat? Si enim *jus patronatus* pendet *à conceſſione Eccleſiaſtica*; atque Eccleſia Juſtinianæa, Orientalis maxime, non poſſit cum ratione Antichriſtiana vocari; næ ſemetipſum, more ſolito, ſuo gladio *D. Voetius* jugulat, qui jam antea, in ſuo rhapſodico libello, *juris patronatus* prima incunabula inveniſſe videbatur in regno Antichriſtiano. Si diligenter excuſſiſſet Authorem Altaris Damaſceni pag. 591. cognoſcere potuiſſet, Chaſſanæum Ic. Pontificium in eadem nobiſcum ſententia eſſe, licet juri Patronatus videatur infeſtior fuiſſe ob eandem cauſſam, quæ quoque movit (ut antea vidimus) *Fileſacum*. Nec præceptori ſuo ſuccurrit diſcipulus Reyneſſius pag. 121. dicendo, *Epiſcopos, & promotores Myſterii iniquitatis*, ac conſequenter *præcurſores Antichriſti*, promoviſſe incunabula Juris Patronatus. Gratis enim hoc dicitur, & ſine teſte. Quis unquam enim (niſi forte πάνσοφος Voetius hoc doceat) ex conſultis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ docuit, Epiſcopos in Græcia tempore Imperatoris Juſtiniani promoviſſe Hierarchiam Papæ Romani? Item ad illum exaltandum fundamenta jeciſſe Juris Patronatus? Somnia hæc ſunt, vaniora iis, quæ videt febricitans anus.

Ut vero liqueat, qua ratione cum jure Patronatus, cujus toties fit III. mentio in Jure Canonico, cęperit connecti pręſentatio miniſtri Eccleſię: non quidem dixerim, per expreſſam Chriſti & Apoſtolorum ejuſdem conſtitutionem, jus hoc præſentandi perſonis ab Eccleſia remotis conceſſum eſſe, diſerta ſive lege, ſive definito N. T. exemplo; tale tamen eſſe confido, quod non poſſit cenſeri adverſarium δὶς διὰ πασῶν ſcriptis N. T. Fateor lubens cum veneranda antiquitate, (documenta plurium Patrum adferre poſſem, modo neceſſum foret) Apoſtolorum temporibus, Eccleſiaſtica munera Spiritus Sancti judicio potiſſimum (licet videantur quoque interveniſſe cauſſæ inferiores) collata fuiſſe. Atque licet iiſdem jam demortuis, eadem popularibus ſuffragiis delata quoque fuerint, hic tamen popularis modus paulatim in deſuetudinem abiit. Uſque

Digitized by Google

adeo, ut Canone XIII. Concilii Laodiceni, quod celebratum fuit ſeculo IV. ſic fuerit ſtatutum: *Quod non ſit permittendum turbis* (τοῖς ὄχλοις) *Electiones eorum facere, qui in ſacerdotio conſtituendi ſunt.* Progreſſu vero temporis, atque antequam Poteſtates quoque Chriſtianiſmum profiterentur, Epiſcopi plerumque videntur Presbyteros elegiſſe: cæterum ea ratione, ut eorum nomina proponerent, hortantes populum, ut ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis verbis. Colligere hoc eſt ex Scriptore Gentili, ſive Ælio Lampridio, qui de Alexandro Severo Imp. hæc habet; *Ubi aliquos voluiſſet vel rectores provinciis dare, vel præpoſitos facere, vel procuratores, id eſt rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum ut ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus; ſi non probaſſet, ſubiret pœnam capitis: dicebatque, grave eſſe, quum id Chriſtiani & Iudæi facerent in prædicandis ſacerdotibus qui ordinandi ſunt, non fieri in provinciarum rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur & capita.* Ad quam conſuetudinem uti ſæpe in ſuis ſcriptis reſpicit Cyprianus; ita eandem manifeſto tangit Epiſt. 33. quando ita loquitur: *In ordinationibus clericorum, fratres chariſſimi, ſolemus vos ante conſulere, & mores ac merita ſingulorum communi conſilio ponderare.* Porro abſit, ut cum quibuſdam (Theologis quoque) contendam, electiones & ordinationes miniſtrorum Eccleſiæ pertinere ad Magiſtratum. Interim tamen Marſilius Patavinus, qui Apologiam ſcripſit pro Ludovico Bavaro, (eam ſub Titulo *Defenſoris Pacis* evulgavit, notiſque marginalibus egregiis illuſtravit anno 1592. ὁ πάνυ D. Gomarus) auſus fuit tutari hanc Theſin: *Quod lege Divina non ſit prohibitus Legiſlator, aut Princeps ab officiorum Eccleſiaſticorum inſtitutione, Collatione, ſeu diſtributione*: quam licet non velim abſolute meam facere; certum tamen eſt, per plura ſecula jus hoc uſurpaſſe Magiſtratus Politicos, atque (ut jam antea oſtenſum fuit) uſque à tempore Juſtiniani Imp. receptum fuiſſe in Eccleſia jus Patronatus. Quod cum ſecundum Lancelottum, *Sit poteſtas præſentandi Epiſcopo inſtituendum ad munus Eccleſiaſticum, aliudve beneficium vacans, Patrono certis ex cauſis competens*, formaliter conſiſtit, judicio Canoniſtarum (quorum hæc vox eſt) in *præſentatione*, quæ Juſtiniano videtur eſſe *denominatio*: nam ſic lego Novell. 123. cap. 18. *& aliquos denominent.* Græci vocant προσβάλλω. Scriptura videtur uti verbo *vocationis*. Hebr. 5. 4. *Nemo ſumat ſibi honorem, niſi vocatus à Deo, ut Aaron.* Quod cur diſpliceat Reyneſſio, pag. 121. non video. Cauſſam dicere debuiſſet. Nam quomodo quæſo Aaron à Deo vocatus eſt? niſi per præſentationem,

nem, quæ & inauguratio erat ad ſpeciale miniſterium. 1. Chron. 23. 12. ſic expreſſe legitur: *Separatus fuit Aaron ad ſanctificandum rem ſanctam ſanctarum ipſe & filii ejus in ſeculum.* Quod clarius patebit ſi conferatur cap. 28. Exod. ubi is, qui à Deo ſeparatus erat ad ſacrum miniſterium, eidem per Moſen quoque inauguratur. Non inconvenienter Jacobus Capellus ad dictum Pauli locum: *Quinta Pontificatus dignitas eſt, inauguratio Divina, vocationis legitimæ comes individua.* Sycophanta tamen Reyneſſius, eo, quod cum ratione oſtendi *denominationem* ad miniſterium, in Scriptura quoque dici *vocationem*, pro ſuo ingenio paſſim mihi affingit, quaſi patronis vocationem proprie & formaliter ita dictam attribuam. Qui jus hoc uſurpant, in jure Canonico varia nomina ferunt. Ordinario audiunt I. Patroni *c. perlatum* 1. *extr. de jure patron.* ad ſimilitudinem Patris; quia ſicut hic filium, ita ille Eccleſiam deducit à non eſſe ad eſſe, juxta Rochum de Curte, *de jure Patron. in Proleg. n.* 5. II. Advocati *c. cum autem.* 24. *extr. h. t. & c. in quibuſdam* 12. *extr. d. pœn* quia patronus Eccleſiam defendere tenetur. Licet quidam inſtituerint diſtinguere inter advocatum & patronum Eccleſiæ. Quos refutat Hoſtienſis ad *c. præterea h. t.* III. Vicedomini, ſed lata ſignificatione *d. c. in quibuſdam.* IV. Similiter Pręſentatores *c. cum vos.* 4. *Extr. d. Offic. Iudic.* V. Appellantur quoque Fundatores *c. quoniam* 3. *extr. h. t.* VI. Conſtructores *c. monaſterium* 33. *Cauſ.* 16. *q.* 7. VII. Conditores *c. noverint* 6. *Cauſ.* 10. *q.* 1. VIII. à Juſtiniano *Novell.* 67. *cap.* 2. Fabricatores Eccleſiarum. IX. Hodie uſitate Collatores, ſed ſatis improprie: ſtricta enim & propria ſignificatione Epiſcopus dicitur Collator *c. tranſmiſſa* 21. *extr. h. t.* Poſtremo in Eccleſiis Orientalibus, quæ hodierno adhuc tempore ingemiſcunt ſub jugo Turcico, vocantur κτίτορες à voce κτίζειν, hoc eſt, extruendo: ſiquidem Eccleſias, olim à majoribus erectas & dotatas, ſi vacent, Presbyteris conferunt.

Licet vero optandum ſit ex animo, ut Eccleſia plene in hoc mun- IV.
do ſuis privilegiis fruatur, atque in ea ejuſmodi obtineat libertas, quæ illius ædificationi maxime ſerviat; talis tamen quum voveri magis queat, quam obtineri, à prudente atque pacis ſtudioſo Theologo multa tolerari debent, quod non ſit in illius poteſtate, ſalva Eccleſia, (quæ volens nolens ſemper ferme cogitur ad regimen politicum, gladio munitum, ſeſe componere) eadem corrigere. Ad illa omnino referri debet jus Patronatus, quod eo magis tolerabilius eſt, quod libertati Eccleſiæ, plebiſve Eccleſiaſticæ, non plane præjudicet.

Nam hactenus Patronatus jus ſartum tectumque præſtat jus populi, quod nominatus à Patrono verbi Divini miniſter toti Eccleſiæ ter proponatur, poſſitque vel ab ea approbari, vel rejici quoque. Nihil vero amplius populo deberi, cognoſcere eſt ex ipſo Calvino lib. 4. Chriſt. Inſtit. cap. 3. ſect. 15. *ita loquente*: Bene ergo Cyprianus, dum contendit ex divina authoritate deſcendere, ut ſacerdos plebe præſente ſub omniũ oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac teſtimonio comprobetur. Siquidem hoc videmus juſſu Domini in ſacerdotibus Leviticis fuiſſe obſervatum, ut ante conſecrationem in conſpectum populi producerentur. Non aliter aſcribitur Matthias Apoſtolorum collegio, nec aliter ſeptem Diaconi creantur quam populo vidente & approbante. Hæc exempla, inquit Cyprianus, oſtendunt ſacerdotis ordinationem nonniſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia fieri oportere: ut ſit ordinatio juſta & legitima, quæ omnium teſtimonio fuerit examinata. Habemus ergo, eſſe hanc ex verbo Dei legitimam miniſtri vocationem, ubi ex populi conſenſu & approbatione creantur, qui viſi fuerint idonei. *Huc uſque Calvinus*. Λόγοι Reyneſſii, his pag. 122. oppoſiti, de circumſcripto quaſi Presbyterio per Jus quaſi Patronatus, nulli æque conveniunt, atque ei ipſi. Neque enim Patrono, presbyterium quaſi exhibenti, exprobrari jure merito à quoquam poteſt, quod velut ſacrilegus eripiat Eccleſiæ repræſentativæ ſuum jus circa vocationem Miniſtri: nam, uti in Eccleſiis Belgicis, hunc (priuſquã ſuæ Eccleſiæ proponatur) Claſſi exhibere non ſolum debet, ſed amplius eundem ejuſdem Cenſuræ ſubjicere; ita in Eccleſiis Auguſtanæ Confeſſionis (videatur *Rittershuſ. ad Novell. part. 1. cap. 7. num. 36. & 37.*) priuſquam accedatur ad *Ordinationem*, præcedere ſolet *Præſentatio*, qua Patronus nominatum & vocatum, vel ſolus, vel pro cujuſque loci conſuetudine una cum Superintendente ad Conſiſtorium mittit, ut ibidem, accurato adhibito examine, eruditio & mores ejus explorentur. Qua vero ratione Miniſter, ſecundum jus Patronatus vocatus, certus in conſcientia eſſe poſſit, ſe divinitus vocatum eſſe ad ſublime hoc munus, malo docere verbis Toſſani, Theologi Heidelbergenſis, quam meis, qui ita loquitur *in Paſtore Euangelico cap. 3. pag. 32. & ſeqq.* Ut vero non temere conqueruntur nonnulli pii Theologi de iis Magiſtratibus, qui excuſſa Papæ tyrannide, jus & libertatem Eccleſiaſticam in ordinationibus Miniſtrorum reſtitui non curant, nec populum de ſuo jure edoceri, ſic (ut ſunt hodie homines in pleriſque Germaniæ locis) tolerabilior videtur hæc ratio,

ratio, qua utuntur Principes, & Reſpublicæ Euangelicæ, quam ſi populo minus inſtituto aut idoneo ad Electiones omnis electio ſimpliciter committeretur. Nam cum aliquid juris & ſuffragii populo commiſſum fuit in vetere Eccleſia, hoc pręſupponebatur, quod ſcribit Cyprian. epiſt. 4. lib. 1. *Plebem illam eſſe obſequentem Dominicis præceptis, & Deum metuentem.* Deinde quando principes ad illas Electiones ſelectos viros cum miniſtris adhibent, taleſque, qui hujuſmodi deliberationibus Eccleſiaſticis omnino vacant, non confunditur Eccleſiaſtica gubernatio cum politica: & extat conſtitutio Juſtiniani 123. quæ in ipſo decreto Gratiani diſtinct. 23. probatur, ut quoties *opus fuerit ordinari* Epiſcopum, *coëant in unum clerici & primores civitatis, jurentque ſe electuros, qui fidei & vitæ ſit probatæ.* Deniq; non omnis libertas populo adimitur: quia cum à Superintendentibus vel inſpectoribus præſentantur ordinati alicui Eccleſiæ, id fit hac lege, ut liberum ſit toti Eccleſiæ quotieſcunque volet, inprimis autem in viſitationibus annuis, ſuam de miniſtris ſententiam dicere, & cenſuram tum in doctrinam tum in mores inſtituere. Verum hoc inprimis ordinatos ſub principibus in ſua vocatione confirmare debet, quod eſſentialia vocationis Canonicæ retinentur, videlicet preces, electio perſonæ idoneæ, examen doctrinæ & morum, & aptitudinis ad docendum ſaltem mediocris, & ſolennis præſentatio ad Eccleſiam, cum hac conditione, ut liceat ei probare ſpiritus, an ex Deo ſint, & conſentientia ſcripturæ & Symbolis tradant. Quapropter qui ita ordinantur, bonam habent conſcientiam, licet non plane eodem modo ordinati ſint, qui rebus melius conſtitutis requireretur. Si tamen in ſuo miniſterio ita ſe gerant, ut populus, licet initio propter imperitiam vel pręjudicia reluctetur, tandem comperiat & intelligat, eos eſſe fidos Paſtores, & pro talibus eos agnoſcat. *Hæc Daniel Toſſanus.*

Atque ut hactenus patet ex iis, quæ ediſſerui, qua ratione ſic tolerari V. queat jus Patronatus, ut pariter Eccleſiæ miniſtris ſecundum forum conſcientiæ ſua conſtet integritas; ita hactenus nobis favet Synodus Dordracena. Quæ cum recte cenſuerit, Patronis Eccleſiæ (quicquid hic multi cornicentur) re vera nihil aliud competere quam *jus Præſentationis*, pariter (videatur Canon. Eccleſiaſt. v.) quæcunque pręcipit, circa ordinarium modum vocandorum Miniſtrorum Eccleſiæ, aliter non vult attendi, aut ad praxin deduci, quam *ſalvo cuique legitimo jure Præſentationis, ſive Patronatus, aut alio quocunque jure vel privilegio, quatenus illud ad ædificationem uſurpari poteſt, ſine fraude aut diſpendio Eccleſiæ Dei,*

atque

Digitized by Google

atque ordinis Eccleſiaſtici. Pro interprete horum verborum, (dicto Canone occurrentium) ſuſtinuit ſe gerere D. Voetius, ratione occaſionis (quæ ſuaſit quaſi Synodo hanc moderationem) itemque reſpectu verborum modo adductorum, *ita loquens in iterata (anni 1639.) Edit. Tract. de Iure Patronatus pag.61. & ſeqq.* De Synodo Dordracena ſic ſe res habet. Approbabat illa abſolute conſtitutiones Eccleſiaſticas conſcriptas in Synodo Hagæ-Comitana anno 1586. & decernebat ab Illuſtr. ac Præpot. DD. Ordinibus confirmationem Politicam earum petendam. Sed interpellabant DD. Delegati Illuſtr. Ordd. monentes res ſuas & tempora tunc minime ferre, ut plane Jus illud tolleretur: præſertim cum alicubi in Provinciis aliquot illius uſus adhuc vigeret; immo Nobiles certæ Provinciæ nulla ratione talem communem Ordinem Eccleſiaſticum probaturi eſſent: quippe qui in convocationem Synodi Nationalis non conſenſerant, niſi ſub hac cautione: Ne quid in prejudicium hujus juris iſtic ageretur: cogitaret ergo Synodus potius de ejus reformatione & limitatione. Quid faceret Synodus? Volens nolens poſt omnes admonitiones, & obteſtationes, tandem toleravit clauſulam illam capiti de electionibus adſcribi: *ſalvo cuique jure patronatus, &c.* Quia aliter non poterat, & quia certa ſpe jam devorabat tam neceſſariam confirmationem *Ill. DD. Ord. totius Belgij.* Quia etiam credebat, nonnullas tantum Provincias hoc incommodo alicubi laboraturas; putabat itaque preſtare ut omnes Provinciæ ordinem aliquem Electionum publica authoritate ſtabilitum haberent, quam ut propter paucas Eccleſias Patronatas, reliquæ non patronatæ ſolenniter authorizato ordine & communi toti Belgio una cum patronatis perpetuo carerent. Nec clauſulam illam ita nude (*Notet Lector hujus Hiſtorici fidem,*) paſſa eſt intrudi, ſed cum iſtis limitationibus, de quarum receptione minime dubitabat. Dictas limitationes lectori hic exhibeo:

I. *Ut nemini permittatur Ius Patronatus, niſi ubi liquido probaverit Ill. DD. Ordd. ſe debito ejus uſu & poſſeſſione gaudere: ne Eccleſia ſervitutibus, non neceſſariis, oneretur.*

II. *Ne patronis aliud jus tribuatur, quam præſentandi perſonam habilem: quandoquidem in ipſo Papatu aliud jus non habuerint.*

III. *Ut patroni miniſtris proſpiciant de debito ſtipendio; quanto ſcil. alii miniſtri fruuntur: nec cum aliquo tranſigant, & pactum quaſi locationis ineant, atque ita præſentent eos, qui minima mercede aut ſalario miniſterium obire velint.*

IV. *Ut*

IV. *Ut præſentatio fiat ad ſummum intra duos aut tres menſes poſt Eccleſiæ vacationem: ſecus ſi fecerint, ut illa vice præſentationis jure excidant & priventur.*

V. *Ut patroni teneantur præſentare talem, qui ſit extra omnem ſuſpicionem heterodoxiæ, adhæc vita inculpatus, ac talibus donis inſtructus, ut Eccleſiæ queat eſſe acceptus, eique ſatisfacere.*

VI. *Ut Eccleſiæ retineant jus præſentatum repudiandi, ſiquidem dona aut ingenium ac mores ejus ipſi minime placeant: ne invitis miniſtri obtrudantur.*

VII. *Ut præſentatus ab Eccleſia receptus, ejuſque receptionis documento exhibito, juxta communem ordinem Eccleſiaſticum à Claſſe examinetur, Eccleſiæ proponatur, & in miniſterio confirmetur.*

VIII. *Ut controverſiæ, ſi quæ inter patronos & Eccleſias ſuper præſentatione exoriantur, decidantur & terminentur, à Claſſe aut Synodo particulari.*

IX. *Ne patrono adſcribatur poteſtas miniſtrum à ſe præſentatum & legitime in miniſterio inſtitutum ſua ſolius authoritate abſque judicio Claſsis aut Synodi exauctorandi.* Hæc eo loco *D. Voetius.* Quibus verbis, ut vir ſcil. prudens, ſaltem concedere videtur, ſub LL. & conditionibus (quas ſomniat univerſæ Synodo, atque ſingulis illius membris obverſatas fuiſſe) quadantenus in Belgio tolerabile eſſe exercitiũ Juris Patronatus; ita huic (parum alias ſui memor ſolet eſſe) longe infeſtiorem ſe exhibet in Diſput. Anno 1655. menſe Majo habita, quando Th. 14. ejuſdem, hunc in modum, *non modo contra Synodum, verum ſeipſum quoque furit:* Vocatio & electio miniſtrorum Eccleſiaſtica eſt, eiq; repugnat vulgo jactatum jus Patronatus. Quod perperam ex additamento anno 1619. in Synodo Dordracena Canonibus regiminis Eccleſiaſtici defenſum eunt. Cum ex hiſtoria conſtet illud additamentum à Synodalibus non propoſitum, nec inventum, nec probatum, nec adjectum; ſed à Provinciæ unius atque alterius delegatis Politicis. Synodales plerique à ſe quamvis invitis & fruſtra obnitentibus ἥττημα hoc debere tolerari judicarunt; ſiquidem communi omnium provinciarum autoritate ordinem ſuum Eccleſiaſticum comprobatum ac munitum vellent. Sed hæc tolerantia ac συγκατάβασις eos longe fefellit, &c. *Atque deinceps*: Nec valet hic regula, Per quam poteſtatem & formalitatem quid conſtitutum eſt, per eam tantum abrogari aut mutari debet. Quia hæc à Synodis citatis nec inventa, nec conſulta, nec ſuggeſta ſunt, nequidem ſponte admiſſa; nedum ut ex mandatis aut poſtulatis claſſium & Synodorum Provincialium

Digitized by Google

talia tractare & determinare debuerint: ſed ſolummodo tolerata, cum tollere non poſſent à vi majori impoſita, ad majora mala vitanda. Siquæ ergo Eccleſia particularis hactenus immunis fuit ab his, aliiſque, per potentes, aut per violentam conſuetudinem, impoſitis; aut ſi quæ ſubjugis liberationem & libertatem ſuam molitur ſive reali executione ſive verbali inſtructione: illi hoc fraudi eſſe non debet, nec ea à vicinis Eccleſiis ad defectum hunc retrahi, & vel ad momentum, in eo retineri debet. Idem dicimus de correſpondentia in vocatione miniſtrorum, cujus ibidem meminit ordo Eccleſiaſticus anno 1619. artic. 4. quæ in præjudicium liberæ electionis inſtar naſi cerei paſſim ad quidvis flectitur. Et hanc diſtinctionem inter Canones ſeu eorum partes, decreta, nos conſilia, & conatus Synodorum provincialium, claſſium, ſynedriorum abunde docuerunt. Quid contra jus Patronatus tentatum ſit ſtatim poſt Synodum Nationalem anno 1619. in Synodo Holland. Leidenſi, diſce ex actis,& egregia remonſtrantia, Ill.& Præpot. Hollandiæ Ordinibus tunc exhibita. Ut ſequentes Hollandicas, aliarumque Provinciarum, Synodos, Claſſes,Eccleſias nunc prętoream; quę quamcunque occaſionem aut captare aut obſervare non deſtiterunt. *Hactenus iterum D. Voetius.* Quibus velitationibus *D. Voetii*, Academicæ duntaxat juventuti, eique credulæ rerumque meliorum imperitæ, propinatis, ſequentes ſolummodo ſtricturas, vice prolixiorum reſponſionum, oppono. *Primo*, quis, cui modo mens ſana in corpore ſano ſupereſt, crediderit, Synodum Nationalem Canonibus Eccleſiaſticis,ſive decretive, ſive exceptive, ſive limitative aliquid voluiſſe inſeri, quod, à ſe præter animi quaſi ſententiam ſtatutum, ſpectaverit Provincialium, earumque particularium, Synodorum abrogationem? *Secundo*, dato,ratione certæ alicujus Provinciæ, per vehementiorem quoq; inſtantiam, Synodum eo uſque quaſi inquietatam fuiſſe (quod hactenus *D. Voetius* non probat, quem ſcio nunquam auſurum Provinciæ illius indicium facere) ut debuerit per limitationem tolerativam (hoc, ut dicitur, ita ad ſummum concedi poteſt) admittere Jus Patronatus; exiſtimandum nihilominus eſt, eandem in hanc quaſi tolerantiam conſenſiſſe, quod exiſtimaret, jus ipſum Patronatus directe non adverſari Scripturæ Sacræ: cui ſi illud ipſum hac ratione non adverſetur, judicio ipſius Synodi (quis enim auſit ſuſpicari, tam venerabilem conſeſſum, aliquid Scripturæ eo modo adverſarium, voluiſſe vel tolerare) hactenus, illa ratione, quam nos definivimus ex ipſo *D. Voetio*, ob ſtatum militantis

Eccleſiæ

Eccleſiæ, tolerabile cenſeri poteſt. Quæ adverſus hæc & pręcedentia cornicatur Reyneſſius pag. 122. & ſeqq. hilum Voetium juvare non poſſunt. Quid ſi enim concedamus non ipſum jus Patronatus, ſed abuſus, per certas cautelas præcavere voluiſſe Synodum, hactenus evictum fuerit, eam conſenſiſſe in ejuſdem tolerantiam, (vellem nomen ipſius alias ignorari) modo pręcaveantur abuſus. Voviſſe eam ejuſdem abrogationem, omnino credo: ſed quoniam pręfracte non inſtitit (quod alias facere potuiſſet) pro ejuſdem abrogatione; cum ratione concludere licet, venerabilem conſeſſum cenſuiſſe ex re magis eſſe, jus hoc in Fœderato Belgio tolerari, quam ἀκίνητον κινεῖν. Nec hactenus aut Voetius, aut Reyneſſius probavit, licet voveret, Synodum laboraſſe jus hoc plane tollere. Imo, ne quidem extrema tentavit, quod cum periculo conjunctum foret. *Tertio*, Chimæricæ diſtinctiones *D. Voetii*, circa decreta venerabilis Synodi Dordracenæ, ab eodem fictæ & excogitatę, ſi ex ipſis Actis ejuſdem Synodi, aut conſenſu Mss. plurium, (eorum ſcil. qui interfuerunt Synodo) probatæ fuerint, pondus aliquod apud nos, omneſque, qui modo ſapiunt, habere poterunt: quum hactenus, velut particulares conjecturę ſingularis Doctoris, duntaxat ſerviant infirmandæ authoritati conſeſſus, uſque adeo venerabilis. *Quarto*, nullus Theologus in Fœderato Belgio unquam urſerit, ex Canonibus Eccleſiaſticis, Juris Patronatus introductionem, ubi illud non obtinuerit: at jure merito ejuſdem continuationem, ubi legitime modo receptum fuerit, ex iiſdem defenderit, ſimulque, propter illius abrogationem, turbas dandas non eſſe convenienter intulerit. *Quinto*, audio quidem dici à viro Reverendo: Per Synodum Dordracenam ſolummodo Jus Patronatus tolerari; ſed voluiſſem definite expoſuiſſet, quid exiſtimet ſtatuendum eſſe de ejuſmodi tolerantia. Quædam ab Eccleſia tolerantur ut imperfecta, alia ut mala: atque ſi his extirpandis quantum in ſe operam non det, applicari ei poteſt, quod Apoc. 2. 20. dicitur Angelo Eccleſiæ Thyatyrenſis: *Habeo adverſus te pauca: quod permittis mulierem Iezabel, quæ ſe dicit Prophetiſſam, docere*, &c. Verum longe alia ratio eſt illorum, quę propter temporis & loci circumſtantiam, duntaxat tolerantur ut imperfecta. Circumciſio in quibuſdam, Chriſto etiam in cœlum ſubvecto, ab Eccleſia, imo ab ipſis Apoſtolis, Eccleſię columnis, tolerata fuit, velut quoddam ἥττημα illius temporis: quę ut ratione certarum circumſtantiarũ tum temporis non erat mala, ſed arguebat potius quandã Eccleſię nondum adultę imperfectionem; ita hoc tempore nullo modo

Ee 2 poteſt

poteſt adminiſtrari. Similiter, jus Patronatus, ubi eſt receptum, nævum quendam Eccleſiæ arguit, oletque imperfectionem verius, imputandam loco & tẽpori, quam vitium, quod exprobrari quaſi poſſit Paſtori, tanquam minus legitime vocato. Sed dicit noſter Reyneſſius pag. 124. & ſeq. Jus hoc *tolerari ut malum à parte patronorum, ut imperfectum à parte Eccleſiarum.* At quæro, an in aliquo ſuo membro Eccleſia tolerare aliquid poſſit, quod formaliter malum ſit, citra cenſuram Eccleſiaſticam? Si ſit formaliter malum à parte patronorum, nę peccatur graviſſime, ſi privatim ſaltem à verbi Miniſtris non moneantur illi, qui jus patronatus uſurpant, & exercent. Verum, ringatur licet Reyneſſius, ſi debito modo patronus aliquis exerceat Jus Patronatus, cenſurę immunem eſſe debere contendo; ſiquidem illud jus exercet, quod authoritate Nationalis Synodi toleratur: quod dum legitime amplius exercet, oſtendit, ſe Deũ, qui eſt Deus ordinis, magis revereri, atq, multi è ſociis Diotrephis, qui prętexendo authoritatem Presbyterii, in quo dominantur, eos duntaxat ad miniſterium promovere laborant, per quos authoritatis ſuæ incrementum exſpectant. *Sexto*, fruſtra valde eſt vir Celebris & Reverendus, quando perſuaſum cupit, jus Patronatus per Synodum Nationalem toleratum, per Synodum Provincialem, ratione certæ Provincię Belgicę abrogari poſſe. Quaſi vero, ſi Synodo Provinciali, in Nationalẽ, quod ad ritualia & agenda Eccleſiaſtica, jus concedatur, pariter quoq; eadẽ Provincialis Synodus jus ſibi arrogare non poſſit quod ad Dogmatica. Saltẽ, licebit impune Synodo Provinciali, pro ſuo arbitratu (ſi *D. Voetio* credimus) novum regimen Eccleſiaſticum condere. Nam, ſi Synodus Provincialis impune unũ, ex Canonibus Eccleſiaſticis Nationalis Synodi, aut rejicere, aut pro ſua ſingularitate interpretari queat; cur non pariter quoq; reliquis Canonibus ſuam ſingularẽ, ſeu ſpecialem gloſſam aptare poſſit? Quid vero ad hæc noſter Reyneſſius? p. 125. ita è Tripode ſuo profatur: *Synodo nunquã in mentẽ venit, ligare nos, ut id amplius toleremus, quando eo liberari poſſumus.* Quod lubens admitto, modo liberari Eccleſia hoc ἡτλήματι poſſit rite atq; ordine, & citra motus. Sed nunquam Synodus cõſenſit, ut στηλιτευτικῶς aut conciones, aut diſputationes habeantur, adverſus illa, quæ penitus tolli poſſe, hactenus deſperant prudentiſſimi quique ex ordine qua Eccleſiaſtico, qua Politico. *Septimo*, quę admiſcet vir Rev. de *Correſpondentia*, viderint Magiſtratus Politici quo ſpectent. Quid ad virum Rev. vero, ſi extra ſuam Eccleſiam quid fiat, quod eum non concernat? Aut, quid ad Synodum Dordracenam ejuſque Patres, ſi

ſiquidam ἀλλοτριοεπίσκοποι plus æquo tribuant in regimine Eccleſiaſtico PoliticoMagiſtratui,quam revera eidem debeatur? Synodus urget duntaxat circa Paſtorum vocationem, cum Magiſtratu ***bonam*** (hoc eſt, legitimam, atque Dei verbo conſentaneam) ***correſpondentiam.*** Nam ſic can 4. (integre verba debuiſſet adducere **D. Voetius**) Synodus ipſa Nationalis loquitur: ***Legitima vocatio illorum, qui Miniſterio hactenus nondum functi erunt, tam inCivitatibus, quam in Pagis conſiſtit primo in Electione, quæ præmiſſo jejunio & oratione fieri debet, per Senatum Eccleſiaſticum & Diaconos,*** non ſine bona correſpondētia cumChriſtiano Magiſtratu ejus loci, ***Claſſe etiam conſcia, vel ſuadente, ubi id hactenus in uſu fuit.*** Denique, ſive ***Octavo,*** quid refert, particularis ſive claſſis, ſiveSynodiRemonſtrantiam, adverſus jus Patronatus, jam anno 1619. & forte quoque alias, exhibitam fuiſſe Synodo Zuyt-Hollandicæ, quæ Leidæ aut etiam alibi agitabatur? Notum nobis abunde eſt, qua ratione ſæpe Claſſicalia gravamina & Remonſtrantiæ coëant. Eo ipſo vero, quod hæc Remonſtrantia & ſimiles aliæ ſint rejectæ, atq;, quod Synodi Provinciales hactenus nihil ſtatuere voluerint contra decretum Synodi Nationalis, facile colligere licet, numquam mentem fuiſſe provincialiumSynodorum in Belgio, quoad jus Patronatus aliquid decernere, quod ulla ratione vergere poſſit in præjudicium Synodi Nationalis. Quod hactenus non minus nobis, quam modeſto Synodi Dordracenę patrocinio ſufficit contra ***D. Voetium,*** qui, ubi ad ſe redierit, viderit quæ Theſibus illeverit.

Sed, non ſatisfecerimus Lectori, ad cujus judicium liberum in tota hacDiſſertatione provocamus, niſi etiam diluerimus ***D.Voetii*** argumenta, quibus praxin Eccleſiæ à Synodo Dordracena confirmatam, circa Jus Patronatus (quod hactenus ut nævum quem habemus) laborat proſtituere. Illa vero uſque adeo multa ſunt, ut quis ad ſolum eorum numerum exhorreſcere poſſet: urget ſiquidem in Tract. de Jure Patronatus quindecim rationes velut palmarias, quibus ſuccenturiat, tanquam velites, ſeptem alia argumenta, quę condecorat titulo argumentorum quod ad hominem. Interim terribiles has numero copias non exhorreſco, cogitando illud Auguſtini, qui aliquando Petiliano Donatiſtæ (***lib.*** ſcil. ***2.adverſ. Petilian. cap.*** 38.) dicebat: ***Non invenirem quomodo te refellerem, niſi ut, aut jocantem viderem, aut inſanientem dolerem, ſed, quia te jocari non credo, vides quid reſtat.*** Cęterum ne videamur tergiverſari, hoc agamus. ***Primum*** ergo **D. Voetii** argumentum, occurrens pag. 29. & ſeq. hoc eſt: ***Quia in Scriptura non comparet,*** (Jus ſcil. Patronatus) VI.

 nec

nec ulla ratione probari poteſt eſſe illud juris Divini, ut Electiones Eccleſiaſticæ in unum aliquod Eccleſiæ membrum transferantur, quotieſcunque dotatione, aut fundatione lapidei & externi templi, viſum fuerit alicui jus illud acquirere: nedum ut juris divini ſit ſucceſſio & devolutio earum electionum ad hæredes & mercatores fundi ſeu prædii, cui adnexum eſt jus Patronatus; adeo ut perpetuo ab Eccleſia abalienatæ maneant. Atqui in rebus ſacris & quidem tanti momenti, à quibus ſalus & exitium Eccleſiæ Magiſtri Ieſu Chriſti, ſine juris Divini tabulis nihil tentandum. Reſp. I. Argumentum eſt negativum, cui quantum tribuendum ſit, Theologię tyronibus notum eſt. Sed dicit Reyneſſius pag. 125. interim ex admonitione Apoſtoli ad Heb. 5. 4. *nemo Eccleſiaſticam poteſtatem, ſibi jure divino non datam rapere poteſt.* Sed hoc eſt ζητούμενον, an rapinam Eccleſiaſticæ Poteſtatis illi exerceant, qui interveniente Patroni pręſentatione, eandem conſequuntur? Eoque inania hęc verba nequicquam exarmant ſolidam noſtram reſponſionem. II. Admiſſa majori propoſitione, non video, quomodo Diaconi concurrere poſſint, cum Paſtoribus & Presbyteris, in vocatione miniſtrorum Eccleſię. Cum enim Scriptura N. T. hoc jus nequaquam iis tribuat, nec eos velit eſſe διδακτικὺς inſtar Paſtorum, ſed duntaxat *retinere myſterium fidei*, 1. Tim. 3. 2. & 9. ſecundum principium hujus argumenti deberent excludi: quum tamen Synodus Dordracena *d.* can. 4. expreſſe, pro inſtituenda electione, eos ſociet *Senatui Eccleſiaſtico.* De Diaconis licet infra ſit agendum, lubet tamen expendere, quæ pro convellenda hac reſponſione, acumen noſtri Reyneſſii excogitavit. Pag. 125. hæc *primo* lego: *Funguntur Diaconi etiam publico in Eccleſia officio, & peragunt aliquam partem officii, quæ alioqui Miniſtris peragenda incumberet.* Sed interim collectio & diſtributio Eleëmoſynarum ſi in ſolidum quoque ſolis Miniſtris relinquatur, non tamen arguet partem officii Eccleſiaſtici: quod utrumque quoque fieri queat ab infidelibus. Miniſtri Pagani apud nos alicubi quoque ſunt Æditumi, atque & campanam movent, & oſtium templi recludunt: ergo concludas utrumque hoc munus, quia Miniſter iis defungitur, eſſe Eccleſiaſticum. Progreditur *ſecundo* ſubtilis noſter Diſputator: *Admittuntur* (Diaconi ſcil. ad Electionem Miniſtrorum) *ut major appareat Eccleſiæ in vocandis Miniſtris libertas, ut alibi ab omnibus membris vocationem peragi notum eſt.* Ergo ſecundum hunc hominem Diaconi duntaxat ad pompam adhibentur, & nihil, eo ipſo fatente, juris amplius habent in *Senatu Eccleſiaſtico*, quam quilibet è plebe, modo agnoſcatur membrum Eccleſiæ,

Digitized by Google

cleſiæ. At hoc nobis ſufficit, & nihil amplius deſideramus. III. Minus convenienter & candide, ea, quæ ex permiſſione ipſius Synodi Nationalis, limitate duntaxat conveniunt Patronis, abſolute iis competere finguntur. Neque enim electio vere dici poteſt iis competere, quibus duntaxat competit Nominatio & Præſentatio miniſtri Eccleſiæ. Undecim qui poſt Chriſti aſcenſionem in cœlum ſupererant Apoſtoli, nominarunt & præſentarunt quaſi ad Apoſtolatum Matthiam & Barnabam, elegit vero ipſe Deus ex iis Matthiam, ut patet ex precum formula: *Tu Domine, qui corda omnium noſti, oſtende utrum elegeris ex his duobus*: certiſſimo indicio, præſentationem, quam nos, cum Synodo, ſolummodo Patronis concedimus, plane ab electione diſtinctam eſſe. Nec hæc infirmari poſſunt per *Inſtantiam D. Voetii* pag. 33. ſic loquentis: *Hoc moneo, Eſſentiale vocationis eſſe liberam electionem: accidentalem verò eſſe modum electionis ſive per ſuffragia ſingulorum ad hoc evocatorum; ſive per ſcrutinium; ſive per expreſſum aut tacitum aſſenſum; ſive per compromiſſum.* &c. *Dicendum itaque, jus electionis Eccleſiaſticæ in Presbyterio conſervari & per illud principaliter exerceri, non verò à populo tolli & in Presbyterium transferri. Quod enim quis per alium facit, per ſeipſum facere putandus eſt. Cum enim Eccleſia conſtet & anteceſſoribus & populo (tanquam partibus integrantibus) dicimus radicaliter poteſtatem eligendi reſidere in anteceſſoribus, adæquate autem in tota Eccleſia, quæ conſtat ex anteceſſoribus & populo.* Reſp. Ego homo ſimplex, (ſi fallar opto erudiri) hactenus perſuaſum habui, tum perfecte & plene aliquid fieri, quando illud fit adæquate, ſeu, debito modo, concurrentibus omnibus cauſſis eodem pertinentibus. Sed quando Miniſter à Patrono præſentatus ſive populo ſoli, ſive presbyterio ſimul, (modo in loco occurrat) exhibetur, ſive præſentatur, an non eo ipſo populo & presbyterio, hoc eſt, adæquate toti Eccleſiæ defertur illius præſentatæ perſonæ Electio, quum ſit in poteſtate hujus totius Eccleſiæ, ejuſmodi perſonam ſive admittere, ſive rejicere? Æque, atque proclamatur Miniſter à presbyterio deſignatus, nullum alium in finem, quam ut ſaltem cenſeatur electus eſſe per tacitum conſentientis populi ſuffragium: qui populus ſi forte attulerit ſufficientes rationes, adverſus deſignatum à Presbyterio miniſtrum, etenim deſignatio Presbyterii non poterit deſinere in electionem, niſi publica perſonæ deſignatæ propoſitio debeat haberi pro hiſtrionia, & ſchemate ludicro. Attendantur modo illa, quæ ſupra ex Calvino adduxi, quæ uti oſtendunt, tum demum *habendam eſſe ex verbo Dei legitimam*

Digitized by Google

mam miniſtri vocationem, ubi ex populi conſenſu & approbatione viſus fuerit idoneus; (ex antiquitate Eccleſiaſtica, ſi luberet hoc agere, quę dico, poſt tot alios ſic illuſtrare poſſem, ut ſimul confidam me plures laureolas in hoc muſtaceo eſſe offenſurum) ita contendo, pro vindiciis Synodi Nationalis, hunc conſenſum, atque hanc approbationem, à parte populi, ibi quoque intervenire, ubi nomine Patroni, poſt diligens Claſſis examen (hoc amplius intervenit) aliquis Miniſter præſentatur. Reyneſſii ineptiæ prolixe dilatatę per pag. 126. & ſeq. οὐδὲν ὑγιὲς complectuntur. Quinta earundem eſſentia eſt hęc, quod nemo poſſit dici *eligere præſentatum miniſtrum, niſi plures ei præſentati fuerint*. Sed, eo ipſo quod quis jus habet, pręſentatum Miniſtrum rejiciendi, revera eligit, quod in illo, qui proponitur, plures virtualiter proponantur, & rejecto forte tam diu alii ſubſtitui debeant, quam talis offeratur, quem approbando Eccleſia eligat. Quod patroni ſępe nimis quam pervicaces ſint, atque pro primo, indigniſſimo ſæpe ſed per ſe præſentato, cœlum & terram moveant, quò ab Eccleſia recipi poſſit, nos cum Reyneſſio ſerio deploramus, atque referimus ad abuſus Juris Patronatus, quibus abſit, ut ulla ratione patrocinari velim. Pro altera *Inſtantia*, adverſus illa, quæ, citra omnes ambages & digreſſiones, modo adduxi, fortę haberi queant *D. Voetii* verba ſequentia, occurrentia pag. 56. *Patrono ſaltem* (inquit) *non competit electio (cuicumque demum competat) nec jure divino, nec antiquo Eccleſiaſtico, nec canonico ſeu Papali, nec noſtro reformato. Relinquitur ergo cōpetere illud aut Magiſtratibus, aut Eccleſiis, & presbyteriis parochialibus. Sed illis, nec jure divino, nec antiquo Eccleſiaſtico, nec canonico ſeu papali competit*, &c. *Ergo competit cuique Eccleſiæ & Presbyterio*, &c. Niſi ea nobis hactenus, ut oſtenſum fuit, faverent. Quum enim plurimum interſit inter Præſentationem, quam ſolummodo Patrono concedimus, & Electionem (nomen vocationis, quod, forte cum multis, antea Patrono detulimus, generalius eſt) formaliter ita dictam, atque hęc, ut eſt probatum, admiſſo Jure Patronatus per Synodum limitato, Eccleſiæ competat, nulla eſt cauſſa, cur leviter quoq; commoveamur. Excuſſo breviter hac ratione primo *D. Voetii* argumento, ſubſequentia, ut ut prolixe ab Authore deducta, paucis verbis exarmari poterunt. Ergo *ſecundum* argumentum, per plures paginas diſtractum, atq; in forma demum propoſitum pag. 35. hoc eſt, ſuſpiciendum hactenus, quia Author *palmarium* eſſe pronunciat: *Eſt* vero *hoc deſumptum à jure Electionis, quod Eccleſiis jure divino & antiquo Eccleſiaſtico competere probavimus ex ſcriptura & anti-*

& antiquitatis conſenſu, &c. Reſp. At, uti jam antea patuit, per jus Patronatus hactenus nihil derogatur juri Eccleſiæ, quæ Miniſtrum præſentatum à Patrono, ſi velit, rejicere poteſt. Si vir Rev. quid ſe dignum preſtare velit, oſtendat è Scriptura eſſe de eſſentia Electionis, veluti liberæ, ut Presbyterium per ſe atque quaſi principaliter, antequam populi conſenſus fuerit imploratus, poſſit dici Miniſtrum adæquate elegiſſe: quod ut ſolide atque plene probare poſſit, eundem moneo, ſimul ex verbo Dei oſtendat, in has Electionis partes ipſos Diaconos ſecundum Scripturam eſſe admittendos. Contra hęc noſter bucco pag. 127. hæc ſolummodo effutire potuit: *Dici poteſt, eligi à presbyterio miniſtrum tacite conſentiente populo, tum proponi populo ut conſenſus ſit publicus.* Sed pueris quoque notum eſt inter nos eodem fine ter proponi nomina Miniſtrorum, quo Presbyterorum & Diaconorum ſolent: quibus propoſitis moneri ſolet Eccleſia, ut ſi quæ adverſus aliquem habeat gravamina, convenienti loco & tempore proponat. Quæ ut currente termino populus proponere poteſt, ita antea nec cenſetur tacite probare electionem Presbyterii, niſi terminus prius effluxerit. *Tertium* Voetii argumentum his verbis proponit idem vir Rev. p. 37. *Quia hujus juris fundamentum eſt malum, ergo & ipſum eſt malum. Eſt autem fundamentum ejus, contractus innominatus,* Do ut des; *patrono enim donanti olim & hoc urgenti aut vi majori quaſi extorquenti viciſſim quid dedit ſive indulſit Epiſcopus cum, &c. Atqui talis contractus in ſacris eſt illicitus, quippe implicans ſimoniam, ſacrilegium, & eleëmoſyna profanationem, &c.* Reſp. I. Nicolaus le Maiſtre complens Theſin 3. viri Rev. (in hanc & ipſe digitum intendit) fuit Doctor Sorbonicus, qui veluti Papæ addictiſſimus cliens, infeſtiſſimus fuit juri Patronatus (Papis, ut antea evicimus, adverſanti) ab iiſque per jus Canonicum admiſſo, quod refragari non poſſent vi majori politicorum potentium: eoque, licet à viro Rev. ſit adductus, parum tamen aut nihil fidei meretur. II. Moraliter, atque ſecundum ea, quæ docet Scriptura, non poteſt ſubſiſtere hoc viri Rev. axioma, *quorum fundamentum* (hoc eſt, principium, alia quippe ſignificatio ne quidem hic fingi poteſt) *eſt malum, ea in ſe ſunt mala.* Una contentus ero ἐνστάσει: Benedictio Iſaaci terminata in Jacobum, fundamenti, ſeu principii rationem habet Rebeccæ mendacium: Ergo & illa benedictio, à Deo ab æterno decreta, fuit mala. Quis dixerit? Cornicationes Reyneſſii, occurrentes pag. 128. ſunt plane ineptæ. Do lubens, in toto hoc actu benedictionis Iſaaci ſupra Jacobum, ante omnia adorandam

Ff eſſe

Digitized by Google

eſſe Dei providentiam ; ſed ut hic agitur de executione hujus, & benedictio ut peracta reſpici debeat,aliud illius, hoc modo conſideratæ, non eſt principium, quam mendacium Jacobi, ipſo Iſaaco, poſtquam fraudem cognoviſſet, ad Eſavum dicendo : *Venit frater tuus per fraudem, & abſtulit benedictionem tuam*, Gen. 27. 37. Quæ porro declamat homo furioſus in fundamentum Juris Patronatus æternum quaſi malum, arguunt eum ratione deſtitui, & Voetium præceptorem habuiſſe, qui ſcit ſolummodo conſcientias ταράσσειν. III. Falſiſſimum eſt, Patronos, per modum innominati contractus, jus Præſentationis, oneroſum magis quam lucroſum, obtinuiſſe. Si liberet hoc jam agere, oſtendere infinitis exemplis poſſem, jus hoc Patronis obveniſſe eo, quod templo ſuis ſumptibus ſtatuto, laborarint in certis locis Eccleſiam colligere, quæ ut colligi poſſet, opus fuit Sacrorum miniſtro, quem cum ipſi Patroni nulla occurrente Eccleſia primitus conſtituerint,Eccleſia collecta quoque, in gratiarum actionem, tacite jus hoc illis detulit, quibus poſt Deum potiſſimum debebat, ut unquam quoque potuerit colligi. IV. Si valeant hæc viri Rev. verba, Simoniam olere debebunt preces Chriſto oblatæ pro Centurione à Senioribus Judæorum ; ſiquidem, ut Chriſtum moverent ad commiſerationem, apud Lucam cap. 7. verſ. 5. hoc argumento utuntur : *Diligit enim gentem noſtram, & Synagogam ædificavit nobis*. Ne locus hic mihi ulla ratione faveat, omnem lapidem Reyneſſius movet, quam ſarcaſtice (ſed pueriliter) mihi inſultando, quaſi inveniſſet, quod pueri in fabis ſolent. Fateor inter donum à Chriſto datum, & jus Patronatus, variam differentiam intercedere, ſed quid hoc ad rem ? Quum Seniores Judæorum ad modum Argumenti, quo Chriſtum movere poſſent, prætexuerint *Synagogæ ædificationem* : quæ, ut quid Eccleſiaſtici, ex ſenſu D. Voetii, complectitur, ita conſiderata tanquam merx,ex ejuſdem principiis,(neque enim aliter poſſum progredi,niſi cum ipſo ineptire velim)arguitSimoniam,quod veluti res ſacra offeratur pro conſequendo beneficio. Ut enim emptio & venditio ſe habent reciproce;ita quotieſcunq; in commercium veniunt res ſacræ, Simonia committi cenſetur. Argumentum *quartum* D.Voetii his verbis pag. 39. eſt conceptum: *Quia pari, imo majori ratione oblata ſeu donationes ditiorum fundare poſſent jus eligendi ad Diaconiam*. Reſp. I. Falſum præſupponit vir Rev. ſcil. nudam donationem, ſeu ædificationem templi fundare jus Patronatus. Si accurate vir Rev. legiſſet Zepperum lib. 2. c. 13. oſtendiſſet (alias cauſſas licet fingat Jus Canonicum) potiſsimum ipſius Eccleſiæ,

Eccleſiæ,ut gratæ in benefactorem,conſenſum JusPatronatus fundaſſe. II. Novi equidem, ſecundum Canoniſtas, duplices ſtatui modos acquirendi jusPatronatus,quoſdam regulares,quoſdam irregulares. Regulares habentur hi quatuor: Fundatio, dotatio, ditatio,& reædificatio.Irregulares duo: Præſcriptio, & Privilegium. At non eſt curandum, quomodo ordinaverit ſeculis ſequioribus jus Patronatus Papa, ſed quomodo, refragante ipſo Papa, initio illud in Eccleſia agnoſci cæperit. Præterea, diſtinguendum eſt, inter accidentarios modos conſtituendi hoc jus, in jure Canonico expreſſos, & modum acquirendi proprium, ſeu eſſentialem, qui nobis non eſt alius, quam conſenſus Eccleſiæ, ſeu expreſſus, ſeu tacitus: quum putemus, legitime ibi jus Patronatus nunquam potuiſſe coaleſcere, ubi Eccleſia eidem refragata fuit. Quod innuitur quoque in ipſo Jure Canonico *c. quoniam 3. extr. de Iure Patron. in verbis; Eccleſia huc uſque ſuſtinuit.* ubi & conſuli ex ipſis Canoniſtis poſſunt Hoſtienſis atque Petrus de Ancharano. III. Ut nuda donatio non fundat, ſecundum nos, jus Patronatus; ita neque donationes ditiorum fundant jus eligendi ad Diaconiam. Quanquam interim, ſi concurrant reliquæ conditiones, ditiores illi capaces ſunt Diaconiæ, atque alicubi in ipſis Eccleſiis Reformatis, hereditaria per poſteros offenditur adminiſtratio bonorum in uſum pium à majoribus legatorum. IV. Præterea aliud eſt Jus Patronatus conſiſtens in præſentatione Paſtoris, aliud jus ad Paſtoratum, Presbyteriatum, ſeu Diaconiam. V. Ut valere poſſet argumentum à pari, pro jure Electionis adDiaconiam,ſubſtitui deberet jus præſentandi idoneum ad Diaconiam. Λόγοι Reyneſii Sycophantæ pag. 129. 130. adverſus has noſtras reſponſiones, quum nihil complectantur, quod examen mereatur, ne quidē in ſummam contrahi debent. *Quinto* ead. pag. ſic vir Rev. argumentatur: *Pari jure ditioribus vendi potuiſſet deſtitutio & remotio miniſtrorum; & patroni eodem fundamento illam uſurpabunt aliquando.* Reſp. I. Hoc poſſet metui, ſi Patronis competeret jus abſolutum conſtituendi Miniſtrum; ſed per Synodum iiſdem permittitur ſola *præſentatio*. II. Miniſtri conſtituti, licet primitus à Patrono fuerint præſentati, ſecundum praxin Eccleſiarum Belgicarum, non ſubſunt judicio ſui Patroni, ſed claſsis, & Synodi. Cumque *D. Voetius* fateatur Paſtorum ſecuritati ipſum jus Canonicum ſuccurriſſe, atque multo magis iiſdem cautum ſit per conſtitutiones Eccleſiaſticas Synodi Dordracenæ, metum ſuum vanum atque inanem eſſe abunde oſtendit. Ut hęc, quæ confido ſolidiſsima eſſe, aliquatenus luxare queat Reyneſius

 p. 130.

pag. 130. ſic profatur: *Non quid agant patroni, ſed quid convenienter ſuis principiis agere poßint, diſputamus.* At mi homo, quis jus Patronatus, quod toties profeſſus ſum eſſe ζήτημα, aliter defendit, quam ut legum cancellis eſt circumſcriptum? Eoque tu, cum tuis adjutoribus omnibus, dum hoc modo progrederis, oppido falleris. Sed progrediamur ad *Sextum* D. Voetii argumentum: *Hac ratione electiones miniſtrorum ad catechumenos, pueros, fœminas, Atheos, libertinos, apoſtatas, hereticos, idololatras, breviter quoſcunque religionis & Eccleſiæ juratos hoſtes transferuntur.* Reſp. I. Miror R. V. eadem chorda oberrare, atque confundere electionem cum præſentatione, quum hæc ſolummodo Patronis conveniat. II. Pueri, quos Canonitæ excludunt à præſentatione, ſi fuerint infantiæ proximi, non poſſunt prçſentare miniſtrum niſi per tutores. Non placent hæc Reyneſſio cum ſuis adjutoribus, eoque large cornicatur pag. 131. ſed ſimul aëra ferit. Tutor quando pro pupillo exercet jus Patronatus, non facit hoc fide pupilli, ſed ſua, æque atque pro eo adminiſtrare poteſt Feudum, atque ſi legitime progrediatur, non peccat. Audio quidem noſtrum ſic ineptire: *Cum Chriſtus curarit, ne unquam Eccleſia tutoribus indigeat, quaſi ſapiens nullus ſit in ea. An non turpe eſt miniſtrum ejus vocari per tutorem?* Concedo, ſi tutor fuerit fatuus. Sed, an omnes in promiſcua plebe, quibus noſter cum ſuo Voetio jus vocandi miniſtros vindicari vellet, ſapientes haberi merentur? Si, quæ acta Ultrajecti tantum fuerunt, expendantur, patebit eos, qui hic tacite commendantur, ut pueros paruiſſe ſuis paſtoribus, ut tutoribus. III. Verum quidem eſt, arceri fœminam à docendo in Eccleſia 1. Tim. 2. 12. ſed, quis inde concluſerit, eam non poſſe præſentare Miniſtrum, ſive aliquem commendare ad miniſterium? maxime cum primitiva Eccleſia agnoverit & diaconiſſas, *quæ creabantur, ut publico Eccleſiæ miniſterio erga pauperes defungerentur*, ut loquitur Calvinus lib. 4. Chriſt. Inſtit. cap. 13. ſect. 19 atque ab Apoſtolo Rom. 16. 1. commendetur Phœbe *miniſtra Eccleſiæ Cenchreenſis.* Fateor lubens, dictis locis non dici, quod fœminæ hæ vocarint Paſtores: ſed quis commendare non potuiſſe, neget? Cum Paulus ipſum ſuum Timotheum commendet ab educatione aviæ & matris 2. Tim. 1. 5. Patronus, abuſus ſi tollas, ſolummodo commendat. Atque ſuo more pag. 132. Reyneſſius mentitur, quando dicit, me ei *vocationem conceßiſſe.* IV. Mirum eſt, V. Rev. contendere, ſecundum jus quaſi Canonicum, jus Patronatus exerceri poſſe ab Atheis, Libertinis, apoſtatis, hęreticis, &c. Quum tum diſerte

Digitized by Google

diſerte ipſum jus Canonicum, tum illius Interpretes Canoniſtæ, ante omnes alios ab illius exercitio velint excluſos, quos religio notat; inter quos ſignanter cēſetur infidelis, ſive qui fidem Chriſtianam non habet *c. pia mētis 26. cauſ. 16. q. 7. in verbis: omni Chriſtiano.* Fundamentum enim Juris Patronatus eſt, ut fundantes Eccleſiam, vel dotantes, ſint fideles h. e. Chriſtiani. Paul. de Citadinis *part. 3. artic. 1. n. 14. h. t.* Unde Juris Patronatus capaces non ſunt I. Judæi, Saraceni, Mahumedani, & reliqui infideles *Argum. c. Frigentius 27. cauſ. 16. q. 7. & ibi* Gloſſ. *ſub. lit. C. junct.* Johann. de Anania *ad c. nobis 25. n. 4. extr. h. t.* II. Propter infidelitatem vel Hæreſin excommunicatus: quod per excommunicationem pereant omnes actus atque privilegia, pro hoc ſimilive jure à lege introducta, *arg. c. 1. Nov. 109.* & quidem quoad actum ipſum præſentandi ſive ut loquuntur, exercitium. Licet enim excommunicatus Eccleſiam ædificare, aut dotare poſſit, ante abſolutionem tamen, Præſentationis jus ipſo actu non habebit; Rochus de Curte *prædict. c. competens. n. 20. h. t.* & Henr. Boich. *ad c. nobis 25. n. 3. eod.* III. Hæreticus, propterea quod bona ejus ipſo jure ſint confiſcata, *per text. in c. cum ſecundum. 19. verſ. bona hæreticorum, de hæret. in ſexto.* Et ideo ſi ædificet Eccleſiam, dotetve, Fiſco quæratur; Petr. de Anchorano *ad dict. c. nobis 25. extr. h. t. n. 3.* Quæ quum hactenus ita ſint recepta ſecundum ipſum Jus Canonicum, oppido miror, quod Reformati Magiſtratus, nulla tamen reip. circumſtantia contrarium ſuadente, promiſcue ad juris hujus exercitium, non minus Pontificios, multiplicium hæreſium reos, quam alios quoq; Heterodoxos, ipſi Reformatæ religioni alias perquam graves, admittant. Nec moror Rev. *D. Voetium*, qui p. 64. exiſtimat gravius delinquere Reformatum, ſi exerceat jus Patronatus, quam Pontificium: quum hoc perpetuo præſupponat (quod tamen jam confutavimus) jus Patronatus eſſe proprium εὕρημα Papæ Romani, quatenus eſt Antichriſtus. *Septimo* ſic argumentatur vir Reverendus: *Quia jus illud comparatum eſt, ut patronorum neceſſarii, conſanguinei, clientes, beneficiarii, ſupplices, obnoxii, aulici Gnathones, partem emolumentorum ſive Patronis, ſive aliis ad eorum nutum, cedentes, quamvis indigniſſimi Eccleſiis invitis obtrudantur, digniores arceantur.* Reſp. Quum hoc fiat per accidens, atque per abuſum, nec ſecundum propriam rationem juris Patronatus, Nationalis vero Synodus adverſus hæc & ſimilia abunde providerit, putrido pyro hoc argumentum valere non poteſt. Reyneſſii verba p. 132. & ſeq. ſunt verba & λόγοι: probare debuiſſet, contra

 hunc

Digitized by Google

hunc abuſum à Synodo non fuiſſe proviſum. Pergit vir Rev. *octavo* ſic loquens pag. 40. *Quamvis in ſe non eſſet malus hic Patronatus, tamen quia ſaltem in eo ſpecies mali eſt & colluſio cum Monarchia Papali & Oligarchia pſeudo-clericali, quia etiam ſunt mera Excelſa Antichriſti & pons reducendo Papatui ac libertiniſmo (quibus Patroni non pauci adhærent) maxime idoneus, utique arbor illa radicitus exſcindenda eſſet ab iis, qui pietatem amant.* Reſp. I. Quid ſibi velit Apoſtolus, quando 1. Theſſ. 5. vult *nos abſtinere ab omni mali ſpecie* (quod hoc loco multi abuti conſueverint) fuſe docuimus Tract. de *Præciſitate.* II. Papam invitum ordinaſſe jus Patronatus, ſæpius oſtendimus, & infra pluribus vindicabimus. III. Non putamus (quamvis pro dolor! de facto, ut loquuntur, contingat, & tolerari per neceſsitatem politicam ſæpe debeat) Pontificios in Reformatis Eccleſiis jus Patronatus legitime uſurpare poſſe. IV. Negamus per Preſentationem, quæ fit à Patrono, viam expeditam ſterni ad Papatum: eoque omnia hæc τοῖς λόγοις ἢ λήροις ſolummodo accenſeri merentur. Ejuſdem furfuris ſunt, quæ pro aſſerendo hoc Voetii argumento garrit Reyneſsius p. 133. Nec quicquam ſuum Voetium juvat, quod dicat miſceri regimen Politicum, & Eccleſiaſticum. Pari jure cum ſuis adjutoribus, maxime D. Voetio, qui hoc diu agitavit, Magiſtratum plane arceat ab Eccleſiæ politia, & nihil ei juris concedat circa vocationem miniſtrorum. Si Patroni, ut vult noſter, debeant haberi Epiſcopi, næ majori jure tales habeantur, qui in Conſiſtoriis dominantur. *Nono* ſic inſurgit pag. 41. vir Reverendus: *Quia illud jus neceſſario annexum & implicitum eſt τοῖς βιωτικοῖς, id eſt, negotiis hujus vitæ ſeu ſecularibus; quorum tranſlatio & poſſeſſio millenis fori vitilitigationibus obnoxia eſt.* Reſp. I. Ex accidenti Patroni inter ſe litigant, atque utinam in conſiſtoriis, quando agitur de vocando verbi miniſtro, nunquam litigaretur! II. Poſſet objici: ſed donari & vendi ſæpe jus Patronatus. At ſi hoc fiat (interim fieri non optarem) in præjudicium Eccleſiæ, atque ad turbandum ordinem per Canones Eccleſiaſticos definitum, admitti non deberet. III. Certe, quamvis ſecundum jus Canonicum, per venditionem transferri poſsit jus Patronatus, hoc tamen aliter non conceditur, quam ſi væneat univerſitas, ſive omnes res τῆς ἐσίας, tam corporales, quam incorporales, veluti urbs, pagus, caſtrum, villa, prædium, per *text. in c. ex literis 7. c. cum ſeculum. 13. c. præterea.* 23. Alias, ſecundum idem Jus Canonicum, Jus Patronatus per ſe & ſua natura, quod ſacro ſeu religioſo ſit annexum, ſingulariter vendi non

non poteſt *c. de Iure 16. & c. quia Clerici 6. Extr. de Iure Patronat.* Atque miror ſummopere, inter ipſos Reformatos inveniri poſſe, qui ſuadeant Ordd. Provinciarum, alicubi jus Patronatūs obtinentibus, ut illius nundinationem in ærarii quaſi ſubſidium inſtituant, admiſsis inter emptores ipſis Pontificiis. Sed de venditione juris patronatus aliquando pluribus. Quæ habet Reyneſsius pag. 134. nos ferire nulla ratione poſſunt: quæcunque enim objicit, pertinent ad abuſus, quos, tantum abeſt ut probemus, & nos ſerio deteſtamur. Porro *decimo* ſic prȩliatur idem vir Reverendus: *Quia Deus ut ordini à ſe conſtituto benedicit, ſic huic invento humano ſemper maledixit. Minus vigent & florent Eccleſia doctrina, moribus, pace, ordine, & diſciplina, ubi obtinent hac & ſimilia circa vocationes Eccleſiaſticas* ἡτlήματα*, quod non obſcure fatetur Toſſanus in Paſtore Euangelico cap.* 3. Reſp. I. Minus iterum Theologicum hoc effatum: *Deus ordini à ſe conſtituto benedicit*, ſcil. ſemper quod ad externa; nam eo vergit viri Reverendi diſcurſus. Conjugium eſt ordo à Deo legitime conſtitutus: & tamen pii conjuges plurimis afflictionibus domeſticis ſępe obnoxii ſunt, ut evincunt vel ſola exempla patriarcharum atque Davidis. Nec tamen afflictiones has ſemper maledictiones dixerim, ut ſiniſtre noſter Sycophanta pag. 134. interpretatur. Quomodo neque Voetius, qui Dei ſacrarium non eſt ingreſſus, quaſcunque Patronorum afflictiones, maledictiones cenſere poteſt, quum inter illos plurimi ſincere pii occurrant. II. Quid Rev. vir, contra variam experientiam, aliud facit, quam ut detrahat exiſtimationi tot miniſtrorum in Fœderato Belgio? qui per Jus Patronatus admiſſi ad paſcendam Dei Eccleſiam, ita ſeſe multoties in vinea Domini probaverunt, ut judicio non ſolum Claſſium, ſed Provincialium quoque Synodorum, digni fuerint habiti, qui ad frequentiores, & quidem urbicas, Eccleſias paſcendas promoverentur. III. Vir Rev. injurius eſt non minus in veritatem, quam etiam in τὸν ἐν ἁγίοις *Toſſanum*, quando illi hoc affingit, quod ne quidem Argus offenderit in ejuſdem ſcripto. Supra fide optima verba illius adduxi, atque cæteroquin coram quibuſcunque arbitris provoco ad inſpectionem ipſius libri. *Undecimum* argumentum ſubſequentibus verbis pag. 42. proponitur: *Quia hac ratione & Presbyteri & quicunque Eccleſia cives, ſi tenuioris fortuna ſint, ab Electionibus & jure praſentandi in perpetuum excluduntur: nunquam enim illud acquirent, utut meritis in Eccleſiam & ſpiritualibus donis atque exercitiis reliquos omnes ſuperent, quia deſunt ipſis nummi.* Reſp. I. Huic argumento, ne videatur ridiculum

ridiculum omnino eſſe, hoc præſtrui debet, in parte miſeriæ eſſe putandum, ſi quis non admittatur ad electionem Miniſtri Eccleſiæ: atque à pari jure contra Scripturam, imo contra judicium ſaniorum ex Ethnicis, concluſeris pauperes propterea miſeros eſſe habendos, ideo, quod ipſis præcluſus ſit aditus ad Remp. II. Imo pauperes quoque, modo membra ſint Eccleſiæ (ut ſæpius jam dictum fuit) Electoribus poſſunt accenſeri, quod præſentatum à Patrono, ne procedat circa eum Electio, rejicere queant. Pueriles Reyneſſii ineptiæ, Sycophanticum ſolum Scriptoris ingenium produnt, nobis vero nequaquam adverſantur. Nam, eo ipſo quod pauperes, modo fuerint membra Eccleſiæ, ad hoc ut præſentatum miniſtrum rejicere queant, admittimus, pariter iiſdem plurimum quoque deferimus circa vocationem Miniſtri Eccleſiæ. Ut Reyneſſius pag. 135. ſe duntaxat Sycophantam eſſe prodat, quando quæ dicta ſunt de pauperibus; ut arceri ſolitis à repub. fingit à nobis extendi uſque ad ſecluſionē eorundem ab Eccleſia. O fidem Præciſiſticam! III. At, quod tacite hic negatur, jus Patronatus poteſt quoque extingui. Canoniſtæ quinque habent modos; (videatur vel unus *Lancelottus in Inſtit. Iuris Canonici*) ex quibus *Primus* eſt: Si Patronus vel ipſe, vel per alium, Rectorem Eccleſiæ, aut alium Clericum, auſu nefando occidere aut mutilare præſumſerit. *Secundus* eſt, ſi Patronus in Hæreſin inciderit. *Tertius* eſt *Ceßio*, quando ſcil. quis jus Patronatus, quod habet, Eccleſiæ cedit. *Quartus* eſt, quando Patronus patitur, ut ſua Patronata Eccleſia, collegiata fiat. *Quintus*, ſeu ultimus ſecundum Lancelottum amittendi modus eſt: Si templum, Eccleſiæ uſibus ſerviens, aut incendio fuerit conſumptum, vel etiam terræ motu, aut temporis tractu corruerit. Quibus quinque modis à Lancelotto enumeratis, ſecundum Lambertinum, aliosque qui de Jure Patronatus egerunt, annumerari poteſt modus *ſextus*, ſive *Præſcriptio*. Quando enim aliquis jure ſuo, quod in Eccleſiam habet, non utitur, cum tamen uti poſſet, per neglectum uſus, amittit jus Patronatus, prout egregie docet Panormit. 2. *Volum. conſ.* 106. ubi & notabilis caſus proponitur. Hæc ut ignorare non debuiſſet Rev. *D. Voetius*; ita ſi eadem expendiſſet, erubuiſſet ſcribere, *in perpetuum*, per jus Patronatus, à præſentando Presbyteros excludi. Sequitur *duodecimum* argumentum, eadem pag. occurrens: *Quia plane monſtroſum eſt, poteſtatem aliquam Eccleſiaſticam electivam ſcil. hæreditario jure ſuccedere, multo magis monſtroſum eam pretio vendi. Nam quod diſtinguitur non poteſtatem vendi, ſed prædium, cui poteſtas annexa, id multo turpius*

Digitized by Google

turpius eſt. Quis unquam vel fando audivit in N. T. *aut in* V. T. *(ubi tamen hæreditaria quaſi ſucceſsio ſacerdotii) poteſtatem ſpiritualem & Eccleſiaſticam prædio aut toparchia tanquam umbram corpori ſuo conjunctam eſſe, adeo ut ſubjectum ſeu vehiculum poteſtatis ſit prædium ?* Reſp. I. Ut prædiis adhærent beneficia & privilegia politica, ita iiſdem Eccleſiaſtica jura adhærere monſtroſum non eſt. Nec ſic, aut *caput* Eccleſiæ redditur *corporale & cauda ſpiritualis, aut cum gleba terræ venduntur claves cœli*, ut pueriliter ineptiens declamat Reyneſſius pag. 136. Rationalis idemque ſpiritualis Eccleſiæ cultus non arguitur à modo, ſecundum quem vocantur miniſtri, ſed à doctrina, quam hi proponunt. II. Quomodo per venditionem, ſecundum jus Canonicum, alienari queat jus Patronatus, ſupra ex ipſis Canonibus oſtendimus. Interim optandum foret, illius venditio, (à Papa conceſſa, ut ejus ſubſidio Patronatus jus circumſcribi, & ad Clericos pecunia inſtructiſſimos transferri poſſet) penitus interdicta foret. Eoque reliqua, quæ addit vir Rev. quam leviter nos afficiunt. III. Porro velim vir Rev. hoc obſervet, multos eximios Theologos colligere ex cap. 38. Jeremiæ, Levitarum prædia vendi quoque potuiſſe: quod ut merito videatur abſonum, eo, quod Deus, tanquam ſuam poſſeſſionem ſeu hæreditatem (Num. 18. 20.) ea Levitis aſſignaſſet; ita inde quis argumentari poſſet, ad venditionem Juris Patronatus, niſi eandem ſerio improbaremus. Fateor, non omnes Theologos idem exiſtimare de venditione prædiorum ad Levitas pertinentium: ſed noſtram ſententiam evertere debuiſſet Reyneſſius, non vero pag. 136. ſolum Theologorum diſſenſum opponere. Argumentum vero noſtrum comparative procedit: Nam, ſi potuerint vendi prædia Levitarum ab ipſo Deo iis aſſignata; næ & Jus Patronatus (agnoſcimus libenter eſſe ἥττημα Eccleſiæ) vendi magis poteſt ex ſenſu Patronorum, quos optaremus tamen hic ſapere. Baculus (cujus noſter Flagrio meminit) capiti ipſius Sycophantico comminuendo ſervire deberet. Succedit *decimum tertium* argumentum, in hiſce verbis occurrens: *Quia David, Salomon, Ezras, Nehemias, centurio Luc.* 7. 5. *aliique populi primores, quos in Scripturis fundaſſe aut dotaſſe legimus, nullum tale jus hæreditarium ſibi ſtipulati ſunt, nec unquam vindicarunt tanquam dotatione illa quæſitum.* Reſp. I. Dici poſſet in genere, non eſſe attendendum, quid ſibi ſtipulati fuerint hi, qui hoc loco enumerantur, ſed quid ſibi ſtipulari potuerint. Paulus Apoſtolus, ob ſpeciales rationes, à variis, quas

plantaverat, Eccleſiis,ſtipendium accipere renuit,quod alias licite quoque potuiſſet exigere. II. Jam ante oſtendimus (quamvis Papa forte ratas habuerit ejuſmodi ſtipulationes) per conſenſum Eccleſiæ jus hoc coaluiſſe. III. David, Salomon, Ezras, & Nehemias, circa moderamen negotiorum Eccleſiaſticorum,plus juris ſibi uſurparunt,quam unquam patroni arrogare voluerunt. Speciatim de Salomone ſic cenſent Profeſſores Leidenſes Diſp. 50. Th. 54. *Si Paſtor ſit ſeditioſus ac manifeſtus pacis publicæ violator, ſummus Magiſtratus eum, interveniente ſubordinatorum procerum conſilio, poteſt eodem jure exautborare, quo Rex Salomon Abiatbarum depoſuit.* Opponit quidem Reyneſſius pag. 137. quod deponere formaliter,niſi ut Prophetæ,Reges non potuerint. Sed hoc non ſomniarunt Leidenſes. Legitime Salomon Abiatharum depoſuerit ſaltem ut ſuum ſubditum, ſuffecerit Leidenſibus & nobis. eum hactenus non potuiſſe defungi officio Eccleſiaſtico; qui enim à Magiſtratu habetur inidoneus civis, is non poteſt agnoſci idoneus miniſter ſacrorum in templo. Sed tantum ne concedatur patronis, jam antea deprecantem audivimus *D. Voetium.* Argumentum *quartum decimum* ſic habet: *Quia novum eſt hoc Ius Patronatus, ſequioribus Eccleſiæ ſeculis decreſcente fide ac pietate introductum, tandem ab Epiſcopis & Papis admiſſum, certis legibus roboratum, & Iuri Canonico inſertum.* Reſp. I. At, ex quo tempore Eccleſia Chriſtianos magiſtratus accepit,ſimulque ratione purioris doctrinæ varia ratione defecit, in regimine Eccleſiaſtico quædam obſervata fuerunt, quorum nec vola, nec veſtigium ſeculo Apoſtolico notabatur. II. Si, attendendo ſtatum Eccleſiæ militantis, omne illud rejici mereatur, quod eſt novum, hoc eſt, quod tribus primis ſeculis non fuit cognitum, velim edoceatur, quo ſeculo Diaconis, quorum munus eſt gerere curam pauperum, poteſtas fuerit facta, una cum Eccleſiaſtico Senatu, eligendi Paſtores. III. Papæ non niſi inviti conſenſerunt in Jus Patronatus, atque quæcunque de illo in Jure Canonico traduntur, alio non ſpectant, quam ut Patroni, prægraves Papanæ Hierarchiæ, quadantenus in ordinem redigi queant. Nec me movere poſſunt illa, quæ *D. Voetius* habet pag. 43. *Papatum non eſſe autborem bujus juris, quod ſemper fere illi obſtiterit: id argumentum noſtrum non tollit. Ut enim prædonis de injuſta præda poſtmodum orta & reciprocata contentio cum illo, cui prius partem illius prædæ volens nolens conceſſerat, non negat originem iſtius conceſſionis; ſic nec oppoſitio Clericorum Papalium adverſus patronatum laicalem (ſeu potius bunc vel illum ejus uſum) non negat primam ejus inſtitutionem*

nem à Papatu. Reſp. I. Sed ex Juſtiniani Novellis, maxime ex Novell. 57. cap. 2. jam antea patuit, cum nulla extarent adhuc ſtatuta Papalia de jure patronatus, quoſdam ideo, quod aut Eccleſiam ædificaſſent, aut Clericis alimenta decreviſſent, jus habuiſſe præſentandi Miniſtros. Ne quis ambigat, hæc ſunt dicti capitis verba: *Illud quoque ad honorem & cultum ſedis tuæ decernimus, ſi quis ædificans Eccleſiam, aut etiam aliter expendens in ea miniſtrantibus alimenta, voluerit aliquos Clericos ſtatuere: non eſſe ei fiduciam ullam, quos vult per poteſtatem deducere tuæ reverentiæ ad ordinandos eos; ſed examinari à tua ſanctitate: ſententiaque tua, & qui pontificalem ſedem rexerit, ſemper hos ſuſcipere ordinationem, qui tua beatitudini, & qui poſtea oportuni videbuntur exiſtere, & Dei miniſterio digni: ut non profanentur ſancta Dei, (hoc videlicet quod ſacris ſancitur eloquiis) ſed intacta hæc & ineffabilia tremendaque conſtituta, ſanctè, & Deo amabiliter, & venerandè tractari.* Forte Juri Canonico hoc deferri poſſet, quod nomen juris Patronatus adinvenerit; ſed, quid hoc ad rem, quum res ipſa diu ante illud jus nota fuerit? III. Si D. *Voetii* ſimilitudini aliquid deferendum fuerit, ipſe probet, jam Juſtiniani ævo aliquem ex Papis nomen dediſſe in ſocietatem illorum, quos ipſe per contemptum latrones vocat. Hoc eſt τὸ κρινόμενον, atque exſpectamus, ut hac in parte nos erudiat. Contra hæc ſolidiſſime deducta, cum nihil adferre poſſet Reyneſſius, fingit pag. 138. ſe in contrarium multas hiſtorias poſſe coacervare, cæterum ſuperſedere labore, ne ſuo Lectori, & ſibi, ab immenſa hac *exercitatione nauſea creetur*. Credo hiſtorias has corradendas fuiſſe ex ineptorum Scriptorum foricis, ut Author propterea ſibi metuat à nauſea. Quod vero refert, quod antea ſcripſerim, *inconſulto Papa* jus Patronatus conſtitutum fuiſſe: an propterea mihi contradico, ut inſulſus noſter Scriptor p. 137. contendit? Inconſulto Papa primitus eſt conſtitutum, ac poſtea invito eodem coaluit. Supereſt *quintum decimum* argumentum D. *Voetii*, ſubſequentibus verbis pag. 44. conceptum: *Quia ſiquidem antiquitus per errorem & male jus qualecunq; ſtabilitum fuiſſet, tamen hodierni patroni maximam partem eo excidiſſent: non enim præſtiterunt conditiones, nec onera ſubjerunt à prædeceſſoribus ſuis in acquiſitione Patronatus ſuſcepta*. Reſp. I. Sed, cum nobis lis ſit de jure, quorſum in præjudicium illius, ea adducuntur, quæ meri facti ſunt? Valde difficile foret D. *Voetio*, indefinite hic loquenti, per liquida documenta atque teſtimonia probare, pleroſque patronos detrectare ea, quæ velut onera, jus Canonicum quoque ab iiſdem exigit. II. Certe Jus Canonicum, Papæ locupletando

à prima pagina ad ultimam ſerviens, uſque adeo circumſcripſit quod ad τὰ βιώτικα patronos, ut ne quidem illis permittat poteſtatem adminiſtrandi res in Eccleſiam collatas. Notabilis eſt textus in *c. noverint. 6. Cauſ.* 10. *q.* 1. ubi ſequentia occurrunt: *Noverint conditores baſilicarum, in rebus, quas iiſdem Eccleſiis conferunt, nullam ſe poteſtatem habere: ſed juxta Canonum inſtituta, ſicut Eccleſiam, ita & dotem ejus ad ordinationem Epiſcopi pertinere.* Quibus conſentanea habet Franc. Duarenus lib. 5. de ſacr. Eccleſ. miniſt. ac benef. cap. 4. ita loquens: *Nec vero rerum Eccleſiæ adminiſtrandarum ullam facultatem Patroni habent, ſed ſi male verſari miniſtros deprehenderint, non ſolum admonere eos & increpare, verum etiam deferre, tam apud magiſtratum ac Principem, quam apud Epiſcopum poterunt: ſiquidem cum & Ordinatio eorum ad Epiſcopum, & qui Epiſcopalia jura habet, pertinet.* Reyneſſius pag. 138. ad hæc profundit ſolum loquentiæ ληκύθυς. Delinquentes patronos neutiquam excuſo. Et optandum foret, publice plecterentur. Eximii quod per publicam conniventiam habeantur, per me non ſtat, nec quiſquam, niſi forte noſter Sycophanta, hoc ex meis ſcriptis collegerit. Gratulari nobis poſſemus, viſo portu, niſi vir Rev. (illius argumenta ut plurimum *plus habent in extenſione quam intenſione*, ut Gerſon loqui ſolet) urgeret adhuc ſeptem alia argumenta, quæ, ut *ad homines* vocat, ita librare eadem oportet, ne quis proclamet, nos haud auſos fuiſſe eadem attingere. Ergo I. pag. 44. & ſeq. ſic iterum vir Rev. inſurgit: *Quia repugnat illud jus libertati & poteſtati miniſteriali ſingulis Eccleſiis in Belgio conceſſa. Ex Reformatorum apud nos communi fide, profeſſione, ac praxi, ſervitus omnis Epiſcopalis, cathedralis, &c. ablata, & cuilibet Eccleſia poteſtas regiminis ac Iuriſdictionis (cujus adminiſtratio & executio penes Synedrium ſeu presbyterium) reſtituta eſt.* Reſp. I. Merus eſt κοκκυσμὸς: ſæpius jam fuit oſtenſum, quomodo jus Patronatus poſſit conſiſtere cum libertate Eccleſiaſtica. Libertas gradus admittit, & ſi nimia fuerit, deſinit in licentiam. II. Verba multa quidem profundit V. R. ſed quæ nihil ad rem faciant, aut à quoquam curari debeant. III. Si Eccleſiæ quoad Electionem ſuorum miniſtrorum ſumma libertas competat, presbyteriorum authoritas abroganda erit: ſiquidem ſumma, quæ fingitur, libertas cum illa (nam multitudo, quę Eccleſiam conſtituit, pendet ab arbitrio Presbyterii, Paſtorem amplius quam pręſentantis) vix conciliari poteſt. Verba Reyneſſii, profuſa pag. 139. neutiquam hæc ipſa evertere poſſunt. Fruantur Eccleſiæ Gallicæ, Anabaptiſticæ & Judaicæ, jure ſuos miniſtros eligendi, citra

reſpectum

Digitized by Google

reſpectum politicorum; jus Patronatus tamen manebit ἡ πλῆμα Eccleſiæ Belgicæ. Quod quoniam aboleri noluerunt ſupremi Patriæ moderatores, atque tolerandum eſſe ſtatuit ipſa Synodus Dordracena; Voetius cum ſuo Reyneſſio habendus eſt ſeditioſus, quod ad irritationem uſque Magiſtratuum ea abrogare nitatur, quæ Synodus Dordracena judicavit toleranda eſſe. II. Ita declamare pergit V. Reverendus: *Caſſante cauſſa ceſſat effectus, ſublato fundamento tollitur relatio; ſed cauſſa & fundamentum juris Patronatus apud Reformatos ceſſat, Hierarchia ſcil. ſeu poteſtas Papalis & Papæ-Epiſcopalis, cum omnibus ſervitutibus & ſubjectionibus Eccleſiarum, cum dependentia unius ab alia*, &c. Reſp. I. Quod eſt κελνόμενον, quodq; nunquam à viro Rev. adhuc eſt probatum, velut certum & probatum ſupponitur, nempe Juris Patronatus parentem, educatorem, atque tutorem eſſe unum Papam Romanum. II. Miror, cur tam liberaliter V. R. auſit loqui, atque denegare omnem Eccleſiarum ſubjectionem, quum ſecundum ipſos Canones Eccleſiaſticos Synodi Dordracenę, detur ſubjectio ordinis. Ita quippe ſancitur Can. 36. *Eadem authoritas Claſſi eſto in Senatum Eccleſiaſticum, quæ Synodo particulari in Claſſem, & Generali in particularem.* Quæ dependentia, reſpiciens non minus Eccleſias ipſas, quam earum regimen, ſi audiamus *D. Voetium*, nimis liberaliter hic loquentem, non erit ulterius toleranda, quod oleat aliquid Papani, & analogice dici poſſit reſpondere ordini, qui inter minores clericos, Epiſcopos, & Epiſcoporum quaſi Principem Papam intercedere ſolet. Nec reſponſiones noſtræ ideo infirmantur, quod Reyneſſius pag. 140. contendat, proſcripto Papa, proſcribendum quoq; eſſe Fœderato Belgio jus Patronatus. Ego pariter optarem proſcriptum. Sed huic rationi nullum pondus ineſt: quia Patroni jus ſuum exercent abſque ullo reſpectu ſive ad Papam, ſive ad quem alium Epiſcopum. III. Argumentum hoc eſt: *A majori ad minus. Patronatus Clericalis apud nos ſublatus eſt, qui tamen majori juris ſpecie prætenditur; quidni ergo laicalis auferatur?* &c. Reſp. I. Per Clericalem Patronatum introductus Miniſter, non poſſet rejici, ut minus idoneus; qui, ſi idoneus non deprehendatur, licet à Patrono Politico præſentatus, commode atque convenienter rejici poteſt, ſecundum ipſum ordinem Nationalis Synodi, ut patet ex antecedentibus. II. Pari ratione liceret inferre, (quod alias hic noſter *D. Voetius* vellet, ut evincit ejuſdem Diſputatio *de Temporalibus Eccleſiæ*, habita Ultrajecti d. 10. Julii anno 1650.) à vocatione Miniſtrorum plane ſubmovendum eſſe Magiſtratum Reformatum, quod ſubmota approbatione Papę,

circa Epiſcopum interveniente, non requiratur amplius Magiſtratus approbatio, tanquam gravis Eccleſiæ. Dicit quidem Reyneſſius p. 141. *Magiſtratus eodem loco habendus non eſt, quo Patroni.* Sed hoc adverſatur ſuo Voetio, qui dicta Diſputatione hactenus putat nævum eſſe Eccleſiæ, ſi Magiſtratus in illa qualecunq; jus uſurpet, & exerceat. *Inſtantia* ab Abbate Trudonenſi, pro probatione quaſi antecedentis in hoc argumento, vitioſa non valet nuce. Nam, ut recte hactenus per ſupremas Poteſtates Hollandiæ, Abbas ille ab uſurpatione juris Patronatus, velut heterodoxus (hoc jam antea improbavimus) fuit ſubmotus; ita certum eſt, propter jus Patronatus, florentibus rebus Palatinatus, Electorem Moguntinum in ipſo Palatinatu repræſentaſſe quaſi Reformatos Paſtores, ſed examinandos à Senatu Eccleſiaſtico. Nec refert, quod ut plurimum illi, qui à Patronis proponuntur, *à Claſſe probentur, examinentur, confirmentur*, ut innuit Reyneſſius pag. 140. Nam ſi ſint idonei, cur rejicerentur? Si non ſint idonei, aut quod ad doctrinam, aut quod ad mores, cur Claſſis ſe non opponit? At diu obſervatum eſt, multos ex ipſis Reverendis viris, Patronis nimium quam placere ſtuduiſſe. IV. Sic argumentatur pag. 47. hic idem vir Reverendus: *Quia ſequeretur hoc abſurdum, Eccleſiis patronatis minus libertatis ac poteſtatis relictum eſſe, quam Anglicis, Gallicis, imo quàm cœtibus Anabaptiſticis, aliiſque ſectariis, addo & ipſis Iudæis in Belgio. Illis enim permittitur ſuos ſibi eligere Paſtores, abſque patronatu.* Reſp. I. Sed ipſe Author Altaris Damaſceni, qui ſolitus eſt D. *Voetium* inſtruere, inſectatur pag. 591. Jus Patronatus, uſurpari licet ſolitum antehac in Anglia ab Epiſcopis Orthodoxis. II. Alias Gallicis Eccleſiis d. Diſp. *de Temporalib. Eccleſiæ*, vir Rev. gratulatus eſt, quod *poſſint totum regimen ſuum & diſciplinā exercere, abſque ullo alterius & alienæ poteſtatis interventu.* Quibus verbis tacite innuit, quod alias tota Diſp. aperte ſatis docet, nęvum eſſe Eccleſiarum, quod ſpeciatim in electione Miniſtri conferre cum Magiſtratu debeant. Ita, viro novarum rerum, inſtar vulgi avido, perpetuo pręſentia diſplicent. III. Semper eadem chorda hic homo oberrat, ac piget omnino iterum inculcare, hic falſum præſupponi. Ut toties diximus, & ſolide probavimus, præſentatio Patroni nulla ratione præjudicat liberæ Eccleſiæ electioni. Si viro Rev. quæ cauſſæ fiducia, inhęrendo lineis, nec more ſolito divagando & aliud agendo, contrarium è Scriptura probet, promitto illi non defore reſponſum. V. Pag. 47. ita argutari more ſolito vir Rev. inſtituit: *Quia ut Patronatus omnibus Reformatis debebat*

eſſe

Digitized by Google

eſſe ſuſpectus, quippe ex lacunis Antichriſti ad nos derivatus: ſic hodiernus, qui prætenditur, imprimis debebat eſſe abominabilis, quia papalem dupliciter pejori papalitate auget. Ibi erat limitatus, hic abſolutus; ibi dependens & quidem ab Eccleſiaſticis, eorumque moderamini & arbitrio ſubjectus, hic quaſi independens & ſupremus, imo plane independens, quotieſcunq; cum jure Majeſtatis in eadem perſona reſidet; ibi poterat Epiſcopus (qui Eccleſiæ & Preſbyterii poteſtatem poßidebat) præſentatum rejicere, adhac multis in caſibus abſque omni præſentatione immo & contra præſentationem parochum inſtituere, hic vero Eccleſiæ & presbyterio nihil tale conceditur; ibi tantum erat præſentatio, commendatio, &c. Hic electio, conſtitutio; ibi erat præambulum vocationis, ut loquitur Panormitanus, hic eſt ipſa vocatio; ibi amitti poterat per hæreſin, templi conflagrationem, &c. Hic nihil tale obtinet, ſive enim templum perierit, & ab ipſa Eccleſia novum ædificatum ſit, ſive patroni ſint orthodoxi, ſive idololatræ, aut hæretici nobis & nos viciſſim illis (quod inprimis verum eſt in Romano-Curialibus Papiſtis, qui poſt detectum Antichriſtum etiamnum ejus pedes oſculantur) prætendunt nihilominus ſuum patronatum; ibi tenebatur onera ſubire, nempe in ædificando templo, in procurandis ſtipendiis, hic ſolo honore, aliquando etiam emolumento contentus eſt; ibi debebat fundari jus illud in fundatione, conſtructione, & dotatione ſimul, hic plus ſatis eſt ſi unum ex tribus compareat; ibi non poterat transferri abſque conſenſu Epiſcopi, hic nulli conſuluntur in quos poteſtas Eccleſiaſtica (tunc in Epiſcopo reſidens) diſtributa eſt; Denique ibi nemo fruebatur hoc jure, niſi illud ſibi conceſſum probaret vel authentico documento & aliis jure requiſitis, vel ex multiplicatis præſentationibus per antiquiſſimum temporis curſum, qui hominum memoriam excedat, *ut loquitur Concil. Tridentin. ſeſſ. 25. cap. 9. hic vero non pauci patroni ex ſua ſolum affirmatione jus illud ſibi vindicant.* Reſp. I. Si Rhetoricum hoc argumentum, indignum ingenuo Diſputatore, valere debeat, res optimæ inſtar bidentalis erunt fugiendæ, quod circa illas multiplex abuſus contingat, atque conſtitutiones omni laude dignæ fuerint intermittendæ, quod aut integræ illibatæque non obſerventur, aut circa illas non habeatur ratio earum limitationum, ſecundum quas aut conceduntur, aut tolerantur. II. Iterum falſum præſupponitur: Jus Patronatus ſcil. deſcendere è lacunis Antichriſtianis, qua talibus. III. Falſiſſimum eſt, in Belgio tolerari exercitium juris Patronatus abſque limitatione. IV. Pariter falſum eſt, citra reſpectum ad Presbyterium & Eccleſiam, in Belgio legitime poſſe exerceri jus Patronatus, quum ſit in poteſtate Eccleſiæ, ſi legiti-

mas

mas modo cauſſas oſtenderit, eum, qui à Patrono pręſentatur, rejicere. V. Interim ut ambabus manibus amplectimur, quod *D. Voetius* ex Panormitano concedit, pręſentationem non eſſe ipſam vocationem, ſed ſolummodo *quid præambulum* illius; (mentitur Reyneſſius more ſuo, quando p. 141. perſuaſum cupit, nos alibi pręſentationem, ut hic conſiderandam, confudiſſe cum *vocatione* formaliter tali) ita negamus, ſecundum Canones Eccleſiaſticos, quos hactenus defendimus, Patronũ pręter præſentationem amplius quid poſſe uſurpare. Præterea nos non tangit, ſi quidam ut ἀλλοτριο ἐπίσκοποι pręſumant uſurpare Jus Patronatus, ſibi non competens; quum ſecundum leges, & ea, quę hactenus diximus, alii illud exercere non debeant, quam qui ſimul oſtendere poſsint titulum, cujus ratione cenſeri queant tales qui jure hoc legitime gaudeant. Sane pro dolor! per abuſum & minus legitimum agendi modum, ſæpe circa vocationes Miniſtrorum Eccleſiæ, ab ipſis Presbyteriis varia deſignantur, quæ neque verbo Dei, neque Canonibus Eccleſiaſticis conſentanea ſunt: abſit tamen, ut aliquis, qui pro viro candido haberi vult, inde contendat æſtimandum eſſe illud ipſum jus, quod legitime Presbyteriis competit. VI. Argumentum ita habet: *Quia jus & authoritatem miniſtros conſtituendi & conſequenter præſentandi eripiunt ſupremis poteſtatibus, ex. gr. Illuſtr. Ordd. Provinciar. Belgic. atqui illis ſolis poteſtatem illam & electionem tribuendam aſſerit Grotius in Piet. Ordd.* Reſp. I. Quid Grotius, & alii cum illo, ſtatuerint de jute Magiſtratus in negotiis Eccleſiaſticis, neque nos tangit, neque Synodum Dordracenam, cui patrocinamur. Per Dei Gratiam, novimus ſic Cęſari dare quæ Cęſaris ſunt, ut pariter Deo relinquamus, quæ Dei ſunt. II. Velim vero vir Rever. expendat, quum ſit voluntas ſupremarum Poteſtatum, ut ab aliquibus ſecundum certas limitationes jus Patronatus exerceatur, an per conſcientiam ſuam, quam adeo teneram prętexit, ſuis Superioribus hac in parte poſſit refragari: ſiquidem nunquam probare poterit, jus Patronatus, quatenus ſecundum Synodicos Canones cenſetur tolerabile, directe Dei verbo adverſari. Nec juvo Voetium, quod non putem Jus Patronatus legitime exerceri ab heterodoxis. Nam ſi ab his exerceatur, convenienter non ſatisfit illis conditionibus, ſub quibus eſt admiſſum. Quod tamen per publicam tolerantiam alibi heterodoxi illud exerceant doleo; nec tamen turbas eo nomine do, eo, quod mutari hoc tempore illud poſſe deſperem. Cum bono Deo devenimus ad poſtremum, ſive VII. argumentum, quod uti ejuſdem eſt furfuris, ita pag. 49. his verbis

Digitized by Google

bis concipitur: *Quia Patroni, & advocati eorum (ſi ſint Papiſtici) hac ratione conſcientiæ ſua à Papiſmo informata & Pontifici ſubjecta vim inferunt, ſatagunt enim præſentare & promovere quantum in ſe eſt, ad curam Eccleſiarum tales, quos cenſent eſſe hæreticos, ſeductores, Apoſtatas.* Reſp. hoc argumentum neutiquam contra nos militat, quum jam antea profeſſi fuerimus, in Eccleſiis Reformatis exercitium juris Patronatus non eſſe permittendum Heterodoxis, nullatenus vero Pontificiis. II. Ego, ne me ſimilem viro Rever. exhibeam, potius cum Paulo dixero: *Quid mea intereſt de extraneis judicare, de quibus Deus judicat?* 1. Cor. 5. 12. 13. Atque ita reſpondimus ad viri Celeberrimi argumenta, quæ nullum alium in finem libuit examinare, quam ut conſtare poſſet, eſſe κωφὰ βέλη, & talia, quæ adverſarium, qui Canonibus Eccleſiaſticis (quorum vindiciis parata tota hæc Exercitatio) exiſtimarit ſtandum eſſe, ferire non queant.

Dn. Antonius Matthæus Fil. dum viveret, Juris Profeſſor Primarius in Academia Ultrajectina, objici proxime hic poſſet velut terribilis larva, prout innui quoque in priori Exercitationum editione pag. 269. niſi cuivis exploratum foret, quantum interſit inter declamationem Academicam, atque ſerium & accuratum Examen. Si quæſtionis hujus Deciſio accerſi debeat uſq; ab Orationibus D. Matthæi, etenim ratione & D. Matthæi & D. Voetii ante omnia attendi deberet illius Oratio ſexta: in ea ſiquidem per ipſum D. Matthæum vapulat uterque & quidem quam ſarcaſtice, tacite licet, quod Theſes citationum cumulo ſaburrarint. Palmarium interim viri egregii argumentum eſt, ulterius non poſſe deduci juris hujus incunabula, quam à tempore Juſtiniani Imperatoris. Sed quis hoc negat? Eoque, ut ἤπημα Eccleſiarum, in quibus obtinet, agnoſci volumus. Sed quod Jus hoc à Papa (qui duntaxat interpolavit, ne nimium ſuæ præſumptæ authoritati obeſſet) derivat, in eo æque fruſtra eſt atque D. Voetius. Abuſus notat multos, ſed, quos nos quoque & agnoſcimus, & deteſtamur. Ut vero abuſus præjudicare non poſſunt legitimo uſui; ita cuivis patet, quod argumento tali parum ponderis inſit. VIII.

Licet vero hactenus abunde evicerimus, quicquid jactet *D. Voetius*, quidquid & perorarit D. Antonius Matthæus, ita tolerabilem eo uſque eſſe conſtitutionem Synodi Dordracenæ circa jus Patronatus, ut fas non ſit cuiquam, ratione habita Status reip. Fœderati Belgii, eidem conſtitutioni, ut limitata eſt, obniti, turbaſque ſive in Synodis pro- IX.

Hh vincialibus,

vincialibus, ſive coram ſupremis Belgii poteſtatibus pro ejuſdem abrogatione dare; interim tamen (quod ſæpe innuimus) lubentes fatemur hactenus, debere haberi velut ἥττημα aliquod ſeu nævum Eccleſiæ, qui ut tolli quam commode poſſet, optandum foret, modo permitteret ratio Reipublicæ, &, ex viris Politicis in ejuſdem ſublationem conſentire vellent, qui videntur & plurimum in Fœderato Belgio poſſe, & quam acerrime pro ejuſdem uſurpatione digladiari. Nam quamvis, ut probatum fuit, non directo adverſetur aut juri divino, aut libertati Eccleſiæ, vix tamẽ exerceri poteſt, quin varia oboriantur incommoda, quę, ut ut omnia ferme aguntur, vix præcaveri poſſunt, maxime, quod hactenus in patria noſtra uſurpatio hujuſce juris permittatur ipſis Pontificiis, aliiſque Heterodoxis. Quis tamen hic præſumpſerit contra torrentem niti, & malum bene poſitum cum Eccleſiæ periculo movere? Imo, quis pręſumpſerit inquietare conſcientias eorum miniſtrorum, qui licet non potuerint aliter ad Paſtoratum promoveri, quam per jus Patronatus, integra tamen conſcientia in miniſterio verſantur omneſque numeros paſtoris, ad unguem facti, ſufficienter complent. Convenienter Danæus lib. 1. de Eccleſ. cap. 13. *Diligenter diſtinguendum ac notandum eſt, non ob quemlibet errorem, nec ob quodvis vitium ab eo cœtu, in quo vera alioquin doctrina viget, recedendum eſſe. Nam vita vitia, imo etiam leves errores ibi tolerari debent, ubi retinetur vera fidei ſubſtantia, ac ſacramentorum uſus. Errant enim Donatiſta, qui Angelicos hominum cœtus in hoc mundo quærunt, aut Eccleſias nulla omnino labe maculatas volunt. Quod eſt quidem optandum, ſed ſi non eſt, toleranda etiam ſunt ea vitia aliorum, ſine quibus in viſibili ulla Eccleſia eſſe nemo poteſt: aut ſine quorum patientia ſchiſma privatum facias neceſſe eſt.* Quale Schiſma cum, ratione Eccleſiarum Belgicarum, ob certas Provincias (quæ teſte ipſo Domino *Voetio* nolint jus Patronatus miſſum facere) omnino metuendum ſit, laudanda non minus eſt prudentia Synodi Dordracenæ, quam earum Synodorum Provincialium, quæ, ut hactenus intempeſtiva & imprudentia quarundam Claſſium gravamina adverſus jus Patronatus in theſi conſideratum (aliud putandum eſt de ejus uſu in hypotheſi ſpectato, de quo pro dolor! juſtæ ſæpe inſtituuntur querelæ) prudenter rejecerunt, ſic, ſat ſcio, nullam ex Provincialibus Belgii Synodis approbaturam eſſe Rhapſodicum D. *Voetii* libellum de jure Patronatus. Pudeat vero Reyneſſium quod p. 144. Lectori ſuo perſuaſum cupiat, Synodum Dordracenã *totum monſtrum Iuris Patronatus deſideraſſe ſublatum, eo quod plane ex malis elementis*
confectum

conſectum crederet. Nam ſi ita exiſtimavit veneranda Synodus, quæ iniquitas quod illud ſuſtinuerit tolerare, atque tempeſtive & intempeſtive non inſtiterit ut abrogaretur?

Sed an aliquis ex Patronis, qui Reformatam religionem profitetur, X. ſecundum conſcientiam jus Patronatus uſurpare poteſt? Negat D. *Voetius*, qui in dicto Tract. pag. 64. cum quæſiviſſet: *Quid faciendum patronis, ut animam ſuam liberent? Reſp. Ius male quaſitum, male traditum, male uſurpatum à majoribus ipſorũ in tenebris Papatus, non* σοφοῖς φαρμάκοις *curent, multo minus pervicaciam luci Scripturarum opponant, ſed Eccleſiis reſtituant.* &c. Reſp. I. Iterum R. V. κοκκύζει præſupponendo tanquam probatum, quod eſt τὸ κεκλινόμενον; ſcil. jus Patronatus, qua tale, eſſe inventum Antichriſtianum. II. Quum certum ſit, & ipſe vir Rev. agnoſcat, in medio Papatu fuiſſe multos gementes, inficias ire non licet, quin multi tales fuerint inter ipſos proceres, occurrente alibi Obadia, qui exercendo jus Patronatus, velut per Eccleſiæ delationem, à ſuis majoribus ad ſe devolutum, Paſtorem conſtituerit & foverit Papiſmo minus æquum. Rogo virum Rev. modo attendat ad ea, quæ à Paulo Merula referuntur in vita Angeli Merulæ, qui conſtantiſſimus Martyr ut ad Curionatum Heenvlitanum, à Generoſo Domino Jodoco Cruningio, loci toparcha fuit promotus, ita tanto Patrono ſuperſtite ſecure ſatis opus Reformationis promovit. Cui exemplo, ſi luberet hiſtoriæ cognitionem oſtentare, plurima alia ſuccenturiare poſſem, exhibenda ξὺν Θεῷ aliquando in noſtra Hiſtoria Eccleſiaſtica Belgii. III. Quum ipſa Synodus, ſub certis conditionibus, admittat uſurpationem juris Patronatus, non video cur adhibitis omnibus debitis reſtrictionibus, id uſurpare non queant, qui in conſcientia ſua certi ſunt, juſto titulo illud ad ſe devolutum eſſe; qui ut pariter conſcientiæ ſuæ ratione, ſecuriores reddantur, quando vocandus eſt Eccleſię Miniſter, antequam aliquem pręſentẽt, conſultent antea cum Eccleſiæ Presbyterio, aut ſi non occurrat, loco illius cum Claſſe. Apageſis vero Reyneſſium quod p. 144. & 145. perſuaſum cupiat, ex meis principiis ſequi, *peccatum pie exerceri poſſe*; eo quod ante dixerim, malum bene poſitum movendum non eſſe. Sed unde collegerit me intellexiſſe *malum turpe?* Quod ἀδιάφορον eſt, ratione Reip. & Eccleſiæ malum eſt, ſi cum εὐταξίᾳ & præſenti tempore minus conveniat. Adiaphorum eſt media nocte habere conciones, non tamen conveniens in Belgio; ſi tamen hoc receptum eſſet, & abrogari non poſſet, vocari poſſet malum bene poſitum. Quod ſi applicatum fue-

rit ad jus Patronatus, quiſquis ingenuus eſt, deteſtabitur Reyneſſium ut Sycophantam. Quanquam ne quidem Jus Patronatus in ſe ἀδιάφορον dixero. Quod, licet ſit nævus Eccleſiæ, abſque peccato tamen legitime exerceri poteſt. Atque ut carnifex non peccat, ſi homini in ſe inſonti, jubente Magiſtratu, cujus urnam non ſcrutatur, caput amputet; ita hactenus Patronus, præciſe ſe componendo ad decreta Synodalia, nec invitæ Eccleſiæ aliquem obtrudendo, non poteſt præſumi peccare. Si quidem hoc modo æque Eccleſiæ de idoneo miniſtro proſpicere poteſt, atque ipſa plebs. IV. Unde probabitur, Diaconos, in vocatione Miniſtrorum Eccleſiæ, pari ſuffragio cum Presbyteris debere gaudere? quis propterea tamen præſumat inquietare eorundem conſcientias?

XI. Quod ex re eſſe videatur, lubet circa Diaconos digredi, & quædam ſingularia de iis annotare. Ergo eorum munus eſt, duntaxat curam gerere pauperum: cumque olim iis liceret quoque, præſente Epiſcopo preces in Eccleſia fundere, ut ſcribit Socrat. lib. 2. cap. 11. hoc tamen nunc ceſſat. Atque, ſi Diaconi cum Presbyteris legitime concurrant, cur non pariter quoque admittantur alii pauperum curatores? Nam & hi olim Diaconis accenſi fuerunt. Convenienter *Danæus lib. 2. de Eccleſia cap. 11.* Diaconorum autem duplex fuit genus in Eccleſia. Alii enim conſtituti erant, ut pauperum bona & reditus procurarent ac colligerent, velut ærarii Eccleſiaſtici quæſtores. Alii vero, ut pauperum menſis miniſtrarent, & dietim neceſſitatibus ſubvenirent ſuo miniſterio. Hoc duplex genus videtur à Paulo notatum, Rom. 12. verſ. 7. Primum genus plane virile eſt, & hi videntur eſſe Diaconi, qui poſtea pauperum procuratores ſunt appellati. Sozom. lib. 8. cap. 12. Oeconomi quoque Chalcedonenſi concil. cap. 25. & 26. Horum vero poſtea fuit multiplex genus pro varia ratione rerum & pauperum, quibus deputabantur. Alii igitur Noſotrophi, alii Orphanotrophi, alii Gerontotrophi, alii Oeconomi vocati ſunt, ut apparet ex titulo de ſacroſanctis Eccleſiis, & de Epiſcopis & Clericis lib. 1. Codicis Juſtinianæi. *Huc uſque Danæus.* An ipſa Scriptura, ut vult Danæus, duplices hoſce Diaconos agnoſcat, &, an commode ad hoc probandum ſollicitetur Apoſtoli Authoritas Rom. 12. 7. hoc loco & tempore ſcrupuloſius non inquiſiverim. Hoc certum, noſtros Diaconos, qui admittuntur cum Senatu Eccleſiaſtico ad electionem Miniſtrorum Eccleſiæ, ſecundum Canones Eccleſiaſticos, haut magis pro ſe ratione hujus juris adducere poſſe Scripturam & antiquitatem Eccleſiaſticam, quam illos, qui ex membris

Digitized by Google

Eccleſiæ conſtituuntur Curatores Orphanotrophiorum, Gerontocomiorum, Noſocomiorum, quos, ut cognatos Diaconorum prioris ordinis, ipſa Dordracena Synodus conſiderat, quando Canone Eccl. 26. ſic loquitur: *Diaconi, cum Ptochotrophis aliiſve eleëmoſynariis, (ſi alicubi diſtincti à ſe fuerint muneribus) bonam correſpondentiam ſervare annitantur,* &c. Lepidus Reyneſſius, ἀκονιτὶ, atque citra jactum pulveris, hæc & alia mea argumenta ſe protriturum confidit, adigendo me quaſi ad contradictionem: quod Exerc. 11. *profeſſus fuerim, regimen Eccleſiarum noſtratum per omnia juri Divino & antiquitati Eccleſiaſticæ conſentaneum eſſe; Diaconi vero ab Eccleſia eligi conſueverint.* At, mi funge, an ergo Diaconi pertinent ad Senatum Eccleſiaſticum, cui ſoli conveniunt partes regiminis? Diſce ex ſolis Canonibus Eccleſiaſticis: Can. 5. & 10. ubi agitur de ipſa miniſtrorum electione, aperte Senatus Eccleſiaſticus à Diaconis diſtinguitur. Interim alii, Reyneſſio doctiores, differentiam hic invenire videntur inter Diaconos, & alios pauperum curatores, quod illi conſueverint eligi ab Eccleſia, hi vero à Magiſtratu Politico, aut ſaltem, non ab Eccleſia. At, ſi hæc reſponſio (nondum melior mihi à quoquam dari potuit) ſufficere debeat, velim hic ſcrupulus mihi eximatur: Genevæ, ubi cenſetur Eccleſiaſticum regimen quam convenientiſſime ordinatum eſſe, ſecundum articulum 24. Conſtit. Eccleſiaſt. Genev. (ſequor hic fidem τȣ̃ μακαρίτȣ *Dn. Blondelli*, qui procuravit anno 1648. alteram Edit. lib. *Hugonis Grotii* de Poteſtate ſummarum poteſtatum circa Sacra, nec Reyneſſius, à ſuo D. Voetio inſtructus, contrarium evincere potuit pag. 147.) *ex Senatorio ordine & quidem ab ipſo Senatu eliguntur Eccleſiæ presbyteri, Paſtoribus ad hanc rem admiſſis, tantummodo deliberandi cauſſa.* Si vero hiſce Presbyteris non obſtet hujuſmodi modus Electionis, quo minus exequantur ea, quæ jus Divinum iiſdem concedit; cur ſimilis modus officiat poſterioris ordinis Diaconis, prioribus per omnia æqualibus? Niſi prioribus forte prærogativa, per Conſiſtorii frequentationem, & Eleëmoſynarum collectionem in templo (alias alteri hoc oſtiatim facere ſolent) concedi debeat. In aliquibus Hollandiæ urbibus, Orphanotrophiorum curatores, dum habetur concio, pro pauperibus curæ ſuæ commiſſis, pariter circumeunt, colligendo non minus Eleëmoſynas ab Eccleſiæ membris, quam ipſi Eccleſiæ Reformatæ membra ſunt; qui hactenus iterum pares agnoſcendi erunt, ſi valere debeat qualiſcunque hæc reſponſio. Dicet iterum aliquis

Hh 3 cum

cum D. Fayo in Comment. ad 1. Epiſt. Tim. cap. 3. pag. 134. ad Diaconos, ab Eccleſia electos, pertinere quoque *publicæ diſciplinæ obſervationem*, ac proinde recte accenſeri Presbyteris. Sed, ſi ex Scriptura doceri poſſit, hoc legitime iis competere, aliquod pondus argumento ineſſe fatebor. Liturgia Eccleſiæ Belgicæ, reſpiciens Diaconorum confirmationem, iiſdem tantum non defert, nullibi autem ipſa Scriptura Sacra, quæ hic Cynoſura habenda. Nec obeſſe quoque poſſunt Patres primitivæ Eccleſiæ, ne quidem ipſe Cyprianus, recte explicatus, ratione locorum, quæ videntur contrarium ſuadere, à viro doctiſſimo, melioriq; fato digniſſimo Joh. Forbeſio Inſtruct. Hiſtor. Theolog. lib. 16. cap. 1. §. 14. & 15. Non ſtringit quoque argumentum, quo quidam utuntur, quaſi Diaconi aliquando in Scriptura ſacra comprehendantur vocabulo τῶν πρεσβυτέρων, ſive προεστώτων, ſpeciatim in notiſſimo illo textu 1. Tim. 5. 17. cui objectioni præter verba Gerſomi Buceri, viri vere eximii, nihil quod opponam habeo. Is diſſert. de Gubern. Eccleſ. pag. 148. ita loquitur: *Aliquod Scripturæ teſtimonium produci velim, quo Diaconi ſimpliciter publice praeſſe memorantur. Scio hoc injungi ipſis, ut liberis propriiſque domibus recte præſint*, 1. Tim. 3. 12. *ſed quid hoc ad publicam* προστασίαν, *quæ inſpectionem totius Eccleſiæ complectitur? Quid? quod Apoſtolus ſcribens ad Romanos cap.* 12. 8. *utramque Diaconorum ſpeciem, ab iis qui præſunt, & alio loco Diaconos ab Epiſcopis circa Eccleſiæ inſpectionem occupatis* (Phil. 1. 1.) *manifeſte diſcriminat?* Contrarium quoque non patet ex Act. 14. 23. ubi quando dicitur *cum creaſſent per ſingulas Eccleſias presbyteros*; Beza ſic commentatur: *Id eſt, Paſtores, Diaconos, & alios Eccleſiæ gubernationi præfectos. Hic enim, ut alibi ſæpe, generaliter accipitur presbyteri nomen.* At, quod pace tam eximii viri dictum ſit, nomen Presbyteri eo loco ſtricte debet accipi. Nec ullus locus ex N. T. adferri poterit, ex quo certo & dilucide pateat, nomine Presbyteri comprehendi debere Diaconos. Quomodo neque ex ullo loco N. T. probabitur, ad eos æque, atque ad Presbyteros, pertinere Electionem miniſtrorum Eccleſiæ. Quid quod ipſa Synodus Nicena (quæ prima Oecumenica) cap. 18. expreſſe eos à presbyteris diſtinguit, iiſque inferiores eſſe pronunciat. Verba ita Latine ſonant: *Diaconi intra propriam menſuram maneant, ſcientes quod miniſtri ſunt Epiſcoporum, & Presbyteris inferiores exiſtant. Accipiant autem ſuo ordine Euchariſtiam poſt presbyteros, vel Epiſcopo dante, vel presbytero; ſed nec ſedere in medio Presbyterorum liceat, id enim fit præter Canonem & ordinem.* Presbyteri ſiquidem pertinebant ad ſenatum Eccle-

Eccleſiaſticum, quo Diaconi excluſi erant, idem Eccleſiarum Belgicarum Canonibus, ut patuit antea, ſuadentibus. Ignat. epiſt. ad Trallianos: *Quid vero eſt presbyterium, niſi cœtus ſacer, conſiliarii & conſeſſores Epiſcopi?* & Hieronym. epiſt. ad Ruſt. *Eccleſia habet Senatum, cœtum Presbyterorum.* Ac licet Diaconi conſecrarentur quoque ab Epiſcopo, non tamen pari ratione cum Presbyteris, in quorum ordinatione Presbyterii cum Epiſcopo, ordinandi capiti manus imponere ſoliti erant, ut patet ex can. 3. Concilii 4. Carthaginenſis. Nec ſine ratione: nam Diaconi duntaxat ordinabantur ad miniſterium, de cujus ratione infra pauca venient annotanda. Quod dico manifeſtum eſt ex can. 4. ejuſdem Concilii, qui ita habet: *Diaconus ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat: quia non ad ſacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur.* Nec contrarium ex eo liquere poteſt, quod quidam, qui & Theologi haberi volunt, (ſed ex ſuo ſenſu tanti, quanti ex eodem ſenſu Hiſtoriographi) conjecerint, ab ipſo Chriſto inſtitutum fuiſſe ordinem Diaconorum, quibus cura pauperum commiſſa eſſet; contra expreſſam Lucæ Act. 6. narrationem; atque contra Liturgiam Belgicam, (cui hactenus, quotquot ſapiunt, qua antiqui, qua recentiores Theologi, accedunt) quæ, capite de Diaconorum confirmatione, ita incipit: *Quantum ad Diaconos, originem ipſorum ac inſtitutionem legere licet Act. cap. 6. Ubi reperire eſt, principio ad ipſoſmet Apoſtolos curam pauperum pertinuiſſe,* &c. Amplius dato ordinem Diaconorum ab ipſo Chriſto inſtitutum eſſe, aliter tamen de eo cenſendum non fuerit, quam in Dei verbo docetur. Pro Diaconis porro, ut videantur tum à Chriſto conſtituti eſſe, tum ad Senatum Eccleſiaſticum, proprie ita dictum, pertinere, quidam ſollicitant authoritatem Pauli Apoſtoli: qui cum ita loquitur, 1. Cor. 12. 28. *Et alios quidem conſtituit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, deinde Prophetas, tertio Doctores: deinde dona ſanationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum;* ἀντιλήψεις, ſeu *opitulationes*, cum Beza interpretantur, *Diaconorum & viduarum miniſteria, pauperibus & ægrotis ſublevandis deſtinatorum.* Sed, quis iis dixit, *Diaconos* ſolos pauperibus & ægris hoc in caſu extraordinariam opem tuliſſe? Nam Apoſtolum potiſſimum hic occupari in enumeratione Ordinum Eccleſiaſticorum, apud Corinthios receptorum, (quorum plerique extraordinarii erant) totus contextus docet. Eoque, interpretes Belgici, ut vocem Græcam reddiderunt, *Behulpſels*, ita ſuper ea hunc in modum παραφράζουσι: *Die de arme en krancke beſorgen en helpen.* Paucis (cæterum

rum ſalvo meliori judicio) hunc locum expendam. Ergo ἡ ἀντίληψις deſcendit à verbo ἀντιλαμβάνω, aut ἀντιλαμβάνεσθαι. Quod proprie idem notat, atque fulcire, ſeu ſuſtentare illud, quod ruinam minatur, aut lapſurum eſſe videtur. Quomodo Herodianus dicit lib. 2. ἐκλιπαροῦντες (Nigrum intelligit) τῶν πραγμάτων ἀντιλαμβάνεσθαι. Similiter Demoſthenes Olynth. 1. ἕως ἐστὶ καιρὸς, ἀντιλάβεσθε τῶν πραγμάτων. Atque ita videtur accipi, Luc. 1. verſ. 54. ut recte obſervatum fuit à Grotio. Alias, idem eſt quod auxiliari, opitulari, ſubſidio eſſe. Heſych. Ἀντιλαμβάνεται, βοηθεῖ, ἢ κωλύει. Plutarchus in Sympoſiacis dixit, ſaltem τῶν ἐπὶ τὴν φθορὰν φερομένων ἀντιλαμβάνεσθαι. Ita accipitur Actor. 20. verſ. 35. ubi Paulus in concione Epheſi habita dicit: οὕτω κοπιῶντας δεῖ ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων: pro quo videtur dicere 1. Theſſ. 5. verſ. 14. τῶν ἀσθενῶν ἀντέχεσθαι. Similem ferme ſignificationem habet verbum συναντιλαμβάνεσθαι, quo utitur Apoſtolus Rom. 8. verſ. 26. Nomen ἀντίληψις, hinc deſcendens, licet ſecundum Suidam idem ſit, quod ἐπίληψις, ſępe tamen notat adminiculum, & opitulationem, ſpeciatim apud Xenophontem in libello de re Equeſtri, ubi ſic de coma Equina lego: ὅπως τῷ ἀναβάτῃ ὡς ἀφθονωτάτη ἀντίληψις ᾖ. Atque hæc ſignificatio hoc loco pleriſque Interpretibus placuit, modo notetur metonymia, atque per opitulationes intelligantur opitulatores, qui alias vocantur, ἀντιλήπτορες (ſic legas in gloſſario Philoxeni, Ἀντιλήπτωρ, *Suſceptor*, *Adjutor*: & apud Heſych: ἀντιλήπτωρ, ὑπερασπιστὴς, βοηθός.) Nec tamen neceſſum fuerit, interpretari hunc locum de Diaconorum, viduarumque, miniſteriis. Nam quamvis (ut notatum eſt à τῷ πάνυ *Heinſio*) 2. Macchab. 11. verſ. 26. ἀντίληψις τῶν ἰδίων vocetur cura, quam pro ſuis quiſque rebus ſuſcipit; poſſunt nihilominus intelligi alterius generis opitulationes, & adjutores. Non quidem dixerim cum Lyrano, hic eſſe intelligendos ejuſmodi *opitulatores*, qui opem ferunt majoribus Prȩlatis, velut *Decanos*, & *Archidiaconos*; ſiquidem, ut conſiderantur vulgo in Papatu, nihil conferunt ad ædificandam Dei domum. Interim, cur non licuerit loco Diaconorum noſtrorum ſubſtituere, cum Doctiſſimo Muſculo, quoſdam, (in primitiva quaſi Eccleſia notos) qui fuerint *ſpecialiter ad hoc deputati, ut cauſas fratrum in ſe ſuſciperent, & pro ſingulari prudentia, ac dexteritate, qua dono Spiritus pollebant, agerent & expedirent*? aut dicere cum Victorino Strigelio? ab Apoſtolo Paulo, inter ſpecialia χαρίσματα Sp. Sancti,

Sanɑi,ratione primitivæ Eccleſiæ conſideranda,recenſeri *auxilia,& liberationes ex magnis periculis*, ut,cum Paulus liberaret ſimul navigantes. At, ut dicam quod ſentio, mihi placet Chryſoſtomi ſententia, qui ita Homil. 32. in 1.Cor. 12. τί ἐστι ἀντιλήψεις τῶν ἀσθενῶν ἀντέχεσθαι. Quibus verbis, ut Paulum ex Paulo illuſtrare laborat, ita oſtendit pariter, locum, de quo agimus, eſſe intelligendum de Presbyteris, eos, qui in fide infirmi erant, ſingulari & extraordinaria ratione ſublevantibus per fomenta Spiritus Sanɑi, tempeſtive atque prudenter adhibita. Nam, cum Apoſtolus ſermonem Epheſi habuerit apud Presbyteros, à ſe convocatos, (Act.20.17.) com.35. ejuſdem capitis, eoſdem alloquitur ut κοπιῶντας. Quod verbum cum iiſdem iterum applicet 1. Tim.5.17. atque d. com. 35. eos velit ſuſtentare ἀσθενεῖς, (quod alias iis præcipitur Jacob. 5. 14.) conſequens eſt, locum controverſum circa opitulationes, minus convenienter applicari Diaconis, convenientiſſime vero Presbyteris; quorum officium erat in primitiva Eccleſia, ex ſpeciali gratia,quam conſecuti erant,ſublevare eos,qui afflictionibus interioribus,ſola Spiritus Sancti malagmata exſpectantibus,erant obnoxii: quum Diaconi ex officii ſui primigenii formula, duntaxat corporeę neceſſitati ſuccurrere qua tales conſueverint.Novi quidē,verbum ἀσθενεῖν, apud Apoſtolū Jacobum l. d. aliter accipi,ſed quum illum locum ὁ μακαρίτης Seldenus lib.2.de Syned.pręter communem Interpretum opinionem explicare cœperit(quę omnia tamen non probo hactenus)non video, cur non poſſint apud Jacobum per ἀσθενοῦντας intelligi illi, quorum συνείδησις ἀσθενὴς erat, ut loquitur Apoſtolus 1.Cor.8.12. Iis ſiquidem, per Presbyteros prærogativa ſingulari pro illo tempore gaudentes,peculiariter unctio deſtinari poterat,ut propediē ξὺν Θεῷ alibi probabimus.Sufficiat hactenus ἀντιλήψεις ſubmoviſſe à Diaconis primę inſtitutionis. Deniq; contra nos, pro admittendis Diaconis in Eccleſiaſticum Senatum, proprie & formaliter ita dictum, è Scriptura quaſi & antiquitate Eccleſiaſtica minus convenienter hoc adducitur, quod jam olim conſueverint inſervire cœnę Dominicę adminiſtrationi. Nec nos multum movere poſſunt illa, quæ habet D.Beza Theologus alias ſummus, & maximę apud nos authoritatis, qui hunc inmodum loquitur in Tractatu(ſi D.Voetius eum habuiſſet,prolixum ſyrma ex p.35.& ſeqq. emendicare potuiſſet nuperis ſuis *Nubibus* ἀνύδροις) de Miniſtrorum Gradibus contra Saraviam p. 32. *Quod* (inquit) Diaconi *dicuntur menſarum miniſterio vacaſſe,declarat expreſſius quo ſpectarit illa colligendarum &*

diſtribuendarū συλλογῶν & προσφορῶν *cura, ex quibus Agapæ inſtruebantur, ita ut totius etiam ordinis in toto illo ſanctiſſimo conſeſſu conſervādi ſollicitudo iſtis fuerit impoſita: ſicut ſub lege Levitæ in tota ſacrificiorum adminiſtratione ſubſerviebant, quibuſcum merito propterea iſti Diaconi à veteribus Scriptoribus comparantur. Iſtæ autem Agapæ (ſicut manifeſto liquet* Act. 20. 7.) *partim in ſumendo communi cibo*, 1. Cor. 11. 20. *& quidem in primis in Cœnæ Domini celebratione, partim in ſacris deinceps ſermonibus erant poſitæ*, 1. Cor. 14. 26. *quod copioſe inter cæteros Iuſtinus Apologetico poſteriore & Tertullianus declarant.* Ad quæ, pace tanti viri, nos breviter ita reſpondemus. I. Damus lubentiſſime, Diaconos jam olim, ipſis primis Eccleſiæ ſeculis, panem & calicem populo miniſtraſſe; quo pertinet illud Juſtini (in quem vir venerandus digitum intendit) ex Apologet. II. *Qui apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui adſunt, percipiendum panem & vinum & aquam, quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt, & ad eos, qui abſunt, perferunt.* At interim non ſequitur, eos, qua Diaconos, pariter aut accenſeri potuiſſe Presbyteris, aut Euangelium annunciaſſe. Nobis perplacent ea, quæ ipſe ὁ πάνυ ibidem habet pag. 35. *Qui* (inquit) *tum ex veteribus, tum ex recentioribus Scriptoribus exiſtimarunt, Diaconis etiam impoſitum fuiſſe docendi in Eccleſia verbi Divini munus, decepti ſunt ambigua ſignificatione verbi* κηρύττειν: *quod Paſtoribus attributum, idem declarat atque* εὐαγγελίζεσθαι; *in Diaconis vero declarat illa Diaconorum edicta, quibus, dato Orarii ſigno, actionum ſacrarum ritus & ordinem moderabantur.* Erat vero *orarium*, proprium indumentum Diaconorum, ut recte obſervat eruditiſſimus Juſtellus in Notis ad Canones Eccleſiæ Univerſæ pag. 206. & ſeq. Quod non abſimile fuiſſe faſciæ de collo pendulæ, & lævo Diaconi humero imponi ſolitæ, docet incomparabilis Caſaubonus ad Vopiſcum pag. 236. Nomen vero inde habuiſſe, quod *ora* veſtis adſui ſoleret, obſervatum à viro, Caſaubono haut minori, nempe τῷ ἐν ἁγίοις D. Salmaſio ad eundem Scriptorem pag. 409. Clamoris autem, ſeu τοῦ κηρύγματος Diaconorum, edi ſoliti tempore quo Euchariſtia adminiſtrabatur, dilucide meminit Chryſoſtomus Hom. 17. ad Cap. 9. Epiſt. ad Hebr. ubi ita per interpretem: *Diaconus* (inquit) *in altiori loco ſtans, magna voce, terribili clamore veluti quidam præco, manus ſuſtollens in altum, alios quidem vocat, alios autem prohibet, alios excludit, alios introducit.* II. Quamvis lubens dederim, initio Diaconos eum in finem per Apoſtolos fuiſſe conſtitutos, ut poſſent διακονεῖν τραπέζαις; (Act. 6. 2.) non putaverim tamen, *hoc menſarum*

menſarum miniſterium quid commune habuiſſe cum Agapis, poſt cœnam Dominicam celebratam agitari ſolitis, quamvis hoc Venerandus D. Beza videatur innuere. Hęc enim mea ſententia: Agaparum agitationem non manaſſe ab inſtituto ipſorum Apoſtolorum;ſed à Corinthiis, aliiſque,qui à Gentiliſmo ad Chriſtianiſmum converſi erant. Ut enim Eccleſia Corinthiaca videtur primitus introduxiſſe morem Prophetandi ab Apoſtolo Paulo 1. Cor. 14. ordinatum; ita ipſorum Apoſtolorum tempore, variæ appendices in diverſis Eccleſiis, pro diverſo ingenio ipſorum hominum, Chriſti ſimpliciſſimæ inſtitutioni ſuperaddi cæperunt, ſpeciatim *in Græcia & Africa* (ſunt verba Parei in comment. ad 1. Cor. 11. 21.) ubi *peractis ſacris ad conviviolum ex collectis frugaliter inſtructum divites promiſcue & pauperes conſidebant,piis colloquiis atque hymnis ſeſe recreantes, &c. Has epulas vocabant* ἀγάπας dilectiones, *quaſi dilectionis Chriſtianæ ſymbola & vincula. Probabile eſt, eos ad Chriſti exemplum reſpexiſſe, qui Euchariſtiam inter cœnandum inſtituit. Neſcio an non etiam Iudæorum & gentilium imitatione id fecerint. Conſtat enim Chriſtianos gentilium & Iudæorum conſuetudines, quantum potuerunt ſimilitudine aliqua ſecutos eſſe: qua de re Theodoreti ſermo octavus ad Græcos ſub finem & epiſtola multæ Gregorii legi poſſunt: præcipue epiſtola ſeptuageſima prima, libri noni. Iudæi ſacrificia ſua epulis finiebant. Gentiles etiam in idoleis convivia luxurioſa plerumque agitabant. Chriſtiani rem ſibi alio titulo ſequendam, vitia & luxum vitandum exiſtimantes, ipſi quoque ſacris peractis, eo, quo dictum eſt, modo celebrabant.* Nam ἀγάπας non promanare ab inſtitutione Chriſti,dilucide innuit ipſe Paulus Apoſtolus,quando 1.Cor.11. verſ. 23. Corinthios revocat ad primam cœnæ inſtitutionem, poſtquam eoſdem corripuiſſet propter ἀταξίαν, quæ circa Agapas à ſe excogitatas, jam tum in eorundem Eccleſia invaluerat. Atque notandum quod ſignanter dicat Apoſtolus Judas comm. 12. *Hi ſunt in Agapis veſtris* (ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν, quoniam ſcil. à vobis ſunt inſtitutæ & ordinatæ) *maculæ.* Contrarium vero colligi non poteſt ex loco Petri Apoſtoli 2. Pet. 2. 13. nam ibi non convenit legere ἀγάπαις cum Vetere Interprete, & Eraſmo, ſed ἀπάταις: licet contrarium velit Grotius, qui neſcio cur contra fidem omnium Codd. Mss. fide Arabis Interpretis, exiſtimet auferendam voculam τῶν αὐτῶν, additam alias ſive ταῖς ἀγάπαις, ſive ταῖς ἀπάταις. Eoque, ſi omnia ad primam ſuam originem revocari debeant, patebit, τὴν διακονίαν τῶν τραπεζῶν nihil commune habere cum Agapis, quas jam ſua ætate Clemens Alexan-

 drinus,

drinus, ob abuſus multiplices per Carpocratianos introductos, lib. 2. Prædag. elegantiſſime vocavit, *δειπναρια τινα, κνίσσης καὶ ζυμῶν ἀποπνέοντα*, *conviviola quædam, quæ nidorem & juſcula redolerent*: & conſequenter, hinc non poſſe colligi, quaſi, Diaconorum, velut alterorum Presbyterorum, quædam partes fuerint in adminiſtratione Sacræ Synaxios. Quod & ipſe D. Beza vidit, quando ad controverſum locum ex Actibus, ſic commentatur in quarta editione Notarum ſuarum anni 1588. *ταῖς τραπέζαις, id eſt, conviviis, aut in conviviis, de quibus dictum eſt ſupra 2. 46. Quanquam συνεκδοχικῶς cætera etiam munera intelliguntur quæ cum iſto erant conjuncta, atque adeo in primis quæ ad pauperum curam & Eccleſiaſtica pecunia diſtributionem pertinebant: ſic tamen ut omnia rite & ordine fierent, & Diaconi Presbyterio ſubeſſent.* Neque enim hæc ſignificatio aliena eſt à voce τραπέζης: quum eadem vox quoque accipiatur in ſignificatione haut multum abſimili in ipſo N. T. ſiquidem in celebri illo textu 1. Cor. 10. 21. aliud notare non poteſt, quam cibum, qui menſis infertur. III. Nec putaverim quoq; Diaconos, quibus cura pauperum commiſſa fuit, reſpondiſſe Levitis, quos conſtat ſacris curandis præfectos fuiſſe. *Hoc enim Miniſterium* (Diaconorum ſcil.) *in Synagogis nunquam fuit uſitatum, in quibus menſæ non erant communes, ut inter primos Chriſtianos*, ut recte loquitur *ὁ πάνυ D. Rivetus* Diſcuſſ. Διαλ. Grot. p. 475. An vero Α᾽ζανῖται inter Judæos, ut cenſet Epiphan. Hæreſ. de Ebion. (eum ſequitur vir longe doctiſſimus *Hammondus* Diſſert. 4. de Epiſcop. Jur. pag. 248. & ſeqq.) reſponderint ἐκ παραλλήλου noſtris Diaconis, hoc tempore inquirere non lubet, quod ad lineas, à quibus jam diu aberravi, tandem redeundum ſit. Non eo vero hæc circa Diaconos hactenus notavi, quod eorundem ordini ulla ratione quid velim detractum, ſed tantum, ut oſtenderem ex Scriptura & antiquitate Eccleſiaſtica probari non poſſe, ad illos ſpectare jus vocandi verbi Miniſtros, nec eoſdem proprie pertinere ad Senatum Eccleſiaſticum, qui, ut recte cenſet Synodus Dordracena can. Eccl. 2. & 5. conſtat miniſtris & Senioribus, licet *Diaconi* in illis locis, *ubi Seniorum numerus valde exiguus eſt, in ſupplementum veniant, Senatuique Eccleſiaſtico adjungantur*, ut loquitur dicta Synod. can. Eccl. 38. Atque licet *totus Diaconatus ſit Oeconomicus*, (ſunt verba Bezæ l. d. pag. 38. & ſeq.) *non tamen ut in privatis familiis, neque ut in politia mere civili, ſed ut in ſacra Domini Domo.* Eoque Diaconi, ex univerſo Eccleſiæ cœtu legitime delecti ad diſtribuendas eleëmoſynas, ſunt prima quaſi cœtus Eccleſiaſtici membra, atque ſpeciatim ad illos non

Digitized by Google

non minus, quam ad *Epiſcopos*, Apoſtolus Phil. 1. 1. dirigit ſuam ſalutationem; (licet quidam verbum διακονῶν ibi generaliter accipiant, ut Matt. 20. 26. Rom. 13. 4. Ego vero ſequor Interpretes Belgicos) quam ob cauſam quoque Synodus d. c. 2. eos admittit ad Electionem Miniſtrorum. Sed, ut tandem finiam hanc ſectionem, rationem liquidam reddat *D. Voetius*, cur audiamus & ſequamur libenter Synodum Dordracenam quod ad Diaconos, atque non pariter eam audiamus abſque murmure, ratione *juris Patronatus, quatenus illud ad ædificationem uſurpari poteſt, ſine fraude aut diſpendio Eccleſiæ Dei, atque ordinis Eccleſiaſtici?* Denique rogo eundem *D. Voetium*, ſatisfaciat huic ſcrupulo: Quum ipſe exiſtimet, non poſſe exerceri jus Patronatus, ideo quod de illo nihil Scriptura præceperit, quomodo Miniſter aliquis tranquillare conſcientiam poſſit, atque certus eſſe ſuæ vocationis ut legitimæ, ſi reclamante majori parte Paſtorum & Seniorum, per Diaconos, numero in majoribus urbibus prævalere ſolitos, moderante eos aliquo Diotrephis ſocio (utinam notari non poſſent exempla!) qui anhelat habere adjutores ad opprimendos fratres, fremente vero genuino Senatu Eccleſiaſtico, miniſterio fuerit admotus? Obteſtor virum Rever. huic difficultati ex verbo Dei plene ſatisfaciat. Interea obſigno hanc ſectionem verbis pientiſſimi Angliæ Primatis, Georgii Abboti, ſed commodato acceptis à ſummo Theologo Zanchio, quibus terminat ſecundam quæſtionem pag. 106. Edit. Oxon. anni 1598. *Illius* (inquit) *ſum animi, cujus eſt doctiſſimus Hieronymus Zanchius*, &c. (in Obſervationibus ſuper cap. 25. Confeſſ.) *Multum nempe conſenſui doctorum, & piorum, tribuendum eſſe, neque à recepta ab antiquioribus temporibus ſententia recedendum eſſe; niſi ubi Sacræ literæ aut diſerte, aut aperta & neceſſaria collectione, contrarium doceant.*

Deſpiciendum porro, antequam ad lineas, à quibus deflexìmus, redeamus, qua arte & quibus rationibus noſter Reyneſius probare nitatur, Diaconos pertinere ad ordinem Eccleſiaſticum. Ut hoc perſuadeat, ſollicitat ipſum Apoſtolum Paulum, quo ſucceſſu inquiramus. Pag. 146. ſic loquitur: *Neque enim Politicis annumerari poſſunt Diaconi*, cum in Eccleſia publico munere fungantur. *Quod cæcus videat docere Apoſtolum*, 1. *Tim.* 3. *Non enim* I. *tantummodo conjungit eos cum Epiſcopis, ut viros Eccleſiaſtico officio fungentes*, Diaconos ſimiliter verſ. 8. *Sed &* II. *curam & examen committit Eccleſia, ut ea probet eos, priuſquam ad munus hoc admittat verſ.* 10. explorentur prius, dein miniſtrent. XII.

Atque III. *eos, ad alia officia Eccleſiaſtica ſibi, miniſterio ſuo, gradum p*
rare dicit: quod ſcil. nunc ut publice Probati loqui queant verſ. 13. *Tand*
IV. *ſe hæc ſcripſiſſe addit, ut edoceret quomodo regi debeat Eccleſia, verſ.* 1
Ut noris quomodo oporteat in domo Dei verſari. *Quæ omnia ſatis evi*
cunt, Paulum Diaconos ut publico officio in Eccleſia fungentes, introduxiſ
Bellum equidem, & per quam lepidum Scripturæ interpretem! Si jux
hanc Analyſin licuerit Sacrum Codicem interpretari, quid non ex e
colligi poterit? Inſiſtam hominis veſtigiis, ut, cum ſuo Doctore Voetio
ſi modo frontem retinuerit, erubeſcat. I. Colligit ideo Diaconos haberi
debere perſonas Eccleſiaſticas, quod Paulus eos Epiſcopis conjungat.
At, quomodo procedit hęc argutatio? niſi, quod eodem capite de Epiſcopis & Diaconis egerit Paulus. Pari ratione concludas, Diaconorum uxores miniſterio quoque Eccleſiaſtico defungi, atque formaliter eſſe perſonas Eccleſiaſticas (hoc enim eſt τὸ κρινόμενον, ut proxime liquebit) quod Paulus hoc ipſo quoque cap. 3. verſ. 11. iis pręcepta det. II. *Explorari prius debent Diaconi*; Ergo, ſecundum fungum Reyneſſium, ſunt Perſonæ Eccleſiaſticæ? Pari ratione concludas, Lectores, Phonaſcos, & Canicidas haberi quoque debere perſonas Eccleſiaſticas, quòd præcedat (aliqualis ſaltem) exploratio, antequam muneri ſuo inaugurentur. III. Inde argutatur, quod Paulus verſ. 13. *innuat eos, ſi bene adminiſtraverint, gradum ſibi parare ad officia Eccleſiaſtica.* Belle admodum! Mi homo, ſcribendo tot cacatos libellos gradum tibi ſtruis ad Profeſſionem Theologicam; (ex tuo & Voetii tui ſenſu) ſed an jam ſalutari potes Theologiæ Profeſſor? Quæſtio eſt, an Diaconi actu officio Eccleſiaſtico fungantur? & tu duntaxat concludis, eos ſibi gradum ſtruere ad officium Eccleſiaſticum. Quid poteſt hoc nobis obeſſe, qui negamus eos eſſe perſonas Eccleſiaſticas, aut pertinere ad Senatum Eccleſiaſticum? IV. Quid prodeſt quoque quod Paulus ſuo Timotheo dicat verſ. 15. hujus capitis, *ut noris quomodo oporteat in domo Dei verſari.* Sed, an ex generali illa admonitione, alius quis præter noſtrum hominem collegerit, Diaconos eſſe perſonas formaliter Eccleſiaſticas? Hęc admonitio concernit quoque ſingula membra Eccleſiæ, quæ ut pertinent quoque ad domum Dei, ita verbi Miniſter providere debet, ut non niſi probati, & qui deprehenſi fuerint idonei, ad ſacram Synaxin admittantur; quis tamen inde intulerit, eos formaliter eſſe perſonas Eccleſiaſticas? Ut Eccleſiæ contingant non niſi idonei & probati Diaconi, provident, exemplo Apoſtolorum, verbi Divini miniſtri, non tamen

Digitized by Google

men ut, per hanc de iis ſollicitudinem, perſonæ reddantur formaliter Eccleſiaſticæ. Sed Reyneſſius ſubtilius adhuc progreditur, atque me vult confundere, arguendo quaſi contradictionem. Sic vero loquitur pag. 147. *Supra pag.* 252. *laudavit Calvinum, quod Diaconiſſas* publico Eccleſiæ miniſterio *defungi aſſereret. Atque hic ne Diaconis quidem publicum Miniſterium concedit.* Sed, ut ſolummodo adduxi verba Calvini, hypothetice ex iis argumentando, ita meam nondum expoſui ſententiam. Verum admiſſa Calvini ſententia, non omnis qui Eccleſiæ miniſterio fungitur formaliter quoque cenſeri poteſt miniſter Eccleſiæ, & conſequenter perſona Eccleſiaſtica. Lectores, oſtiarii, ſilentiarii, funguntur quoq; miniſterio Eccleſiæ, ſive miniſterio, quod ad Eccleſiam pertinet, quis tamen illos perſonas Eccleſiaſticas eſſe cenſuerit?

Atque hactenus liquere exiſtimo, me non *ἀπροσδιονύσως*, aut inſubide per omnia, argumentatum fuiſſe à Diaconis, paſtores quoque in Belgio vocare ſolitis, ad jus Patronatus, circa quod tamen perpetuo nævum notari volo. Iis vero, quæ de Jure Patronatus verecunde diſputavi adverſus D. Voetium, nimis quam inverecundum Synodi Dordracenæ contemptorem, nequaquam officere poſſunt, quæ pag. 142. ex Johanne Acronio adducit Reyneſſius. Is Acronius fuit homo, Heſhuſio haud abſimilis, de quo hoc circumfertur Diſtichon: XIII.

Quæritur, Heshuſi, quarta cur pulſus ab urbe?
In promptu cauſſa eſt; ſeditioſus eras.

Nam cum Eccleſiam Veſalienſem tempore periculoſiſſimo deſeruiſſet; Daventriæ probaſſet ſe non fore idoneum civem, ſi factus fuiſſet Eccleſiæ miniſter; atque Groningæ minus honeſtè valedixiſſet; Franekeræ denique affectatam Theologiæ Profeſſionem per ignorantiam proſtituiſſet; devenit Harlemum, ubi in memoria adhuc eſt apud ſenes quoſdam, quibus nondum excidit, quomodo in miniſterio ſe geſſerit. Theodorus Screvelius in Hiſtoria Harlemenſi pag. 332. ſic eum commendat: *In de vvelcke te ſien vvas de ſtrafheyt van* Cato; *die alles berichte, en beriſpte, een man die diep geleert vvas, maer ongeruſt.* Quis vero tali homini, varias ex Jure Canonico farragines (his conſtat opuſculum Belgicum Acronii) conſuenti, & turbatorum affectuum vitrea bile condienti, fidem habeat? Nutarint quoque plures viri, vere in Belgio eximii, circa exercitium Juris Patronatus; hactenus, quantum ad ſe ſecuri eſſe poſſint, ſi religioſe ſatisfacere præſumpſerint legibus, à Synodo Dordracena requiſitis.

XIV. Hacte-

XIV. Hactenus licet ſufficienter ſententiam noſtram de Jure Patronatus vindicavimus, non tamen conſentire poſſum circa Exercitium illius in Fœderato Belgio, niſi tria ſequentia ſcrupuloſe præcaveantur. *Primo*, ut non niſi idonei à Collatoribus offerantur Eccleſiis, nec hi ægre ferant, ſi forte per Claſſes rejiciantur illi, quos nunquam repræſentaſſent, niſi (ut ſæpe fit) plus æquo tribuiſſent commendationibus, non minus gravium virorum, quam muliercularum; quæ, ut aliquem è ſuis promoveant, pro dolor! imitari ſolent matrem filiorum Zebedæi, atque non tam ipſos Collatores, quam eorum uxores & familiam magis fatigare, atque vidua Euangelica, quæ per ſuam importunam impudentiam, judicem, qui nec Deum, nec homines reverebatur, expugnare potuit. Convenienter ſerius Theologus Martinus Bucerus de ordin. legit. Miniſtr. Eccleſ. pag. 254. *Cum per legitimos ordinandorum examinatores indigni à ſacris Eccleſiæ Miniſteriis arceantur, nulla fit omnino injuria iis, qui jus ſibi vendicant, tales præſentandi, ſive id jus ſit Patronatus, quod vocant, ſive quodvis aliud. In Eccleſiam enim Chriſti, quæ ſponſa Chriſti eſt, nemo vel angelorum vel hominum poteſtatem ullam habere poteſt, niſi ad ejus ædificationem. Tum & in Canonibus, & legibus, nominatim de patronis cautum eſt, ut quos illi Eccleſiis offerunt ad ſacra miniſteria, examinentur, & niſi ad id muneris, ad quod præſentantur, idonei deprehendantur, ab eo rejiciantur.* Speciatim viderint Patroni, ne nimis præcipites ſint in promovendis νεοφύτοις, contra expreſſam admonitionẽ Apoſtoli, (1. Tim. 3.) qualibus inſpectio liberorum, & cura pædagogica, Patroni favorem, in præjudicium doctiorum & meliorum, ſæpe deprehenduntur procurare. *Solent vero tales* (verba ſunt pientiſſimi Hyperii ad dictum Apoſtoli locum) *ſubito ad dignitatem evecti, inflari, & confidentes eſſe, ſibi plus juſto tribuere, ad res novas movendas propenſi: quaſi ipſi ſoli in tanta multitudine idonei invenirentur, & ipſi præ cæteris longo tempore exercitatis omnia ferent myſteria conſecuti: unde alios incipiunt contemnere, ſuo arbitrio omnia velle ſtatuere, de quibuſvis rebus ſtatim velle definire: quo fit ut in errorem ſubinde incidant.* Lubens quidem fateor, dona Dei non definiri annorum vel dierum ſpatiis, ſed eum, qui linguas creavit, ipſas linguas infantium poſſe reddere diſertas, ut *in illis diſponat laudem ſuam*, Pſ. 8. 3. de tribus illis pueris Anania, Azaria, & Mizaële dici, quod Deus illis *dederit notitiam & intelligentiam in omnibus literis & ſapientia*, Dan. 1. 17. Samueli natu inferiori apparuiſſe Dominum, eumque juſſum fuiſſe arguere ſummum ſacerdotem Heli, ferme nonagenarium, 1. Sam. 3.

Hiere-

Hieremiam audiviſſe ex ipſo Deo: *Noli dicere, quia ego puer ſum: ad omnia, ad quæ mittam te, ibis*, Hier. 1. Imo ipſius Apoſtoli verbum eſſe ad Timotheum: *Nemo tuam juventutem deſpiciat.* Interim hæc aliis applicari non merentur, quam qui cum Timotheo ſunt *exempla fidelium, in ſermone, in converſatione, in charitate, in ſpiritu, in fide, in caſtitate*, 1. Tim. 4. 14. Quibus ut ſuperiori ſeculo accenſeri jure ſummo meruerunt Philippus Melanthon, Nobiliſſimus Antonius Sadeel, Baro Chandæanus, qui non modo, vixdum viginti annos egreſſus, cooptatus eſt in ordinem Paſtorum Pariſienſiū, verum paulo poſt quoq; præfuit primę Synodo Eccleſiarum Gallicarum, Johannes Bollius prima ętate Miniſter Orthodoxus Eccleſiæ Gandavenſis (videatur de hoc Danæus in Epiſt. Ded. præf. Expl. Orat. Domin.) & Wernerus Helmichius ante primam barbam paſtor Ultrajectinus, cujus & juventutē admirata fuit Sereniſſima Angliæ Regina Elizabetha, cum anno 1587. una cum aliis Miniſtris ab Eccleſiis Belgicis ad Ipſam foret delegatus. Sed, hæc pauca exempla τῶν ἀετῶν ἐν ταῖς νεφέλαις neutiquam patrocinari poſſunt temerariis adoleſcentibus, qui, manu vixdum ferulæ ſubducta, atque omnimodo neglectis ſtudiis τῆς προπαιδείας, Theologis dant operam, quo (ſi fors fuat!) ante vigeſimum ætatis annum, ſubſidio Poſtillæ, obtinere queant Parochiam cum Puella, nec tam Chriſti gregem, quam ſemetipſos delicate reliquo vitæ tempore paſcere. Imo, quis à ſe impetret ut credat, octo aut novem miniſtros, ad paſcendam majoris Urbis Eccleſiam, ante vigeſimum quintum ætatis annum à Diotrephe aliquo promotos; omnes æquales cenſeri debere Timotheo, quem unum, ut juvenem, ex Novi Teſtamenti miniſtris, Paulus Apoſtolus commendavit; & non potius cogitandum eſſe, ejuſmodi Diotrephem (ut ut nebula pietatis atque zeli, pellucente in oculis Jehovæ, ambitioſum atque avarum animum velare laboret) ſe ſimilem exhibere ſuo ſocio Catilinæ, qui *juventutem illexerat*, teſte Salluſt. in Conjur. Catil. cap. 16. Miniſtros, præter alias virtutes, commendare quoque debet σεμνότης, ſeu *gravitas*, teſte Apoſtolo Tit. 2. 7. quæ certe rariſſime relucet in juvenibus, minime in illis, qui cum ſic vixerint in Academiis, ut videantur diabolo magis quam Chriſto militaſſe; ſimulac tamen quacunque arte ſuggeſtum obtinuerint, Catonianum vultum menti puerili aptant, qui ut convenientis perſonæ videatur habere rationem, Phariſæorum in morem tumultuantur contra leviora quædam peccata, quo plebeculæ ſuas rugas, & fucatos gemitus pro-

Kk bent,

bent, quum ipſi nunquam præſumpturi ſint valedicere peccatis, in oculis Jehovę execrandis, minime hypocriſi; quam ſi ęque Deo (qui eam extreme deteſtatur) probare poſſent, atque hominibus vice ſcuti ſuę exiſtimationis objiciunt, certo non minus cœlum obtinerent, quam thronos in eo occuparent, Apoſtolicis proximos. At, quo provehor! Attendite ad tales mei Patroni, imo non modo ad tales, ſed illos quoque, qui ex ordine Eccleſiaſtico, vobis, hujus commatis adoleſcentes, ob privatas magis conſiderationes, quam pro Chriſti gloria promovenda, & ore & ſcripto, non minus de nocte quam interdiu, obnixiſſime commendare ſolent. Utinam vero tu, qui zelo infucato ſuadente, Eccleſiæ miniſterio te conſecraſti, audias Bernardum, ſerm. 18. in Cant. ſic elegantiſſime loquentem: *Si ſapis, concham te exhibebis, & non canalem. Hic ſiquidem pene ſimul recipit & refundit. Illa vero donec impleatur, exſpectat, & ſic, quod abundat, ſine ſuo damno communicat. Verum canales multos hodie habemus in Eccleſia, conchas vero perpaucas. Tantæ charitatis ſunt, per quos nobis fluenta cœleſtia emanant, ut ante effundere, quam infundi velint; loqui quam audire paratiores, & prompti docere, quod non didicerunt, & aliis præeſſe geſtientes, qui ſeipſos regere neſciunt.* Præterea, quo Patroni eos, qui minus habendi donei, non temere promoveant, provideant ſedulo, ne præcipiti conſilio illos ad Cathedras Eccleſiaſticas ſubvectos velint, qui vittis ruptis, è clauſtris Monachalibus, in quibus ut plurimum antea teſſeram confregerant, profugerunt. Haud abſque cauſſa, Magnus ille Lutherus in operum limine Lectorem obteſtatur, meminiſſe dignetur, ſe aliquando *Monachum* fuiſſe. Experientiaque docet (interim bonis nihil detractum cupio) plurimos ex hoc hominum grege, utut ſingularem zelum pro Orthodoxa religione jactent, tædio cælibatus magis, quam amore veritatis, vitæ ſolitariæ nuncium mittere. Non poſſe nos hic ſatis circumſpectos eſſe, monet ipſa Synodus Dordracena, quando Can. 9. Eccl. ita ſancit: *Neophyti, Miſſifici, Monachi, aut alias ſecta aliquaque deſertores, non admittantur ad Miniſterium Eccleſiaſticum, niſi ſumma cum ſollicitudine, & providentia, poſtquam pluſculo tempore accurate fuerint probati.* Atque, ut quam circumſpecte & caute hic procedamus, ipſi Pontificii aurem vellunt, quando circa probationem eorum, qui, quod ex nobis non eſſent, ad ſe tranſeunt, extremam adhiberi volunt cautelam. Verba ſunt Johannis Molani, quondam Theologiæ Profeſſoris in Academia Lovanienſi lib. 2. de Canonicis cap. 10. *Quia Calviniſtæ, inquit, aliique*

Hæretici

Digitized by Google

Heretici mentiri & pejerare non reformidant; nulli ad docendum admittendi ſunt, quantumvis promptiſſimi ſint ad fidem Catholicæ Romanæ religionis *profitendam, niſi aut cogniti ſint, aut à Viris gravibus bonum habeant teſtimonium. Poſtquam etiam admiſſi fuerint, & ipſi, & diſcipuli, eorumque libri, mores & ſtudia, frequenter erunt viſitanda.* Secundo optandum, Patroni non injicerent compedes iis, quos ad miniſterium promovere laborant, obtrudendo illis, aut demortuorum Paſtorum viduas, aut filias. Quod tamen pro dolor! nimis quam frequenter in hoc ipſo Fœderato Belgio contingit. Non diffiteor, Apoſtoli Jacobi cap. 1. verſ. 27. verbum eſſe, ad religioſum cultum pertinere, *inviſere orphanos, & viduas, in afflictione ipſorum*: interim, nullibi libertas æque neceſſaria, atque circa matrimonium; ac grande piaculum, ſpe ſucceſſurarum nuptiarum, alicui ſpem facere obtinendæ cathedræ. Ut non probo illius patris inſtitutum, (videatur Plutarch. in Demetr.) qui ut perſuadere poſſet filio, vetulam locupletem uxorem ducere, ex Euripidis Phœniſſis occinebat: *Ubi lucrum ſuadet, reluctetur licet natura uxorem ducatis*: ita neque conſultum paſtori, ut reſpectu unius miſericordiæ, pauperem uxorem domum ducat. Nam licet poëta Græcus exiſtimet, *ſponſam ſine dote non habere loquendi libertatem*: talis tamen ſæpe deprehenditur procaciſſima eſſe, atque marito ſuo quam immorigera; imo nec abſimilis Acteriæ Paulæ, quam (teſtis eſt Hieronym. lib. 1. in Jovin.) cum Cenſorius Cato thoro ſuo ſociaſſet, velut *obſequentiorem* futuram, utpote *humili loco natam, pauperem, & indotatam*, eandem tamen *vinolentam, impotentem, ſuperbam* expertus eſt. Quo Paſtor hoc ſeculo omnes muneris ſui partes explere poſſit, honeſta & pacifica dos ex benedictione Dei (per media agere ſoliti) non minus ejus matrimonium exornare, quam familiam ſuſtentare apta eſt: quæ tamen ne officiat quieti ejuſdem domeſticæ, ipſe non modo ut vir prudens, verum etiam ut Chriſti in ſua Eccleſia miniſter providebit. Quum alias certum ſit, eam utplurimum turbari, quando ſive ab ipſa Eccleſia, ſive à Patrono, futuro miniſtro hæc conditio, velut neceſſario explenda, proponitur, ut, aut defuncti paſtoris viduam, aut filiam ducat. Si quærat aliquis, an nunquam ergo alicui Miniſterium Eccleſiaſticum, ſub hac conditione, offerri debeat? Ne rem actam agam more hoc ſeculo recepto, pro me adoptabo verba Balduini, qui lib. 4. de Caſib. Conſc. cap. 8. caſ. 9. *hunc in modum ad quæſtionem hanc reſpondet*: Matrimonium Paſtorum Eccleſiæ nemo piorum improbat, quin & *Paulus* inter requiſita Epiſcopi ponit, *bene proſpicere*

Kk 2 *domui*

domui ſuæ, & liberos habere ſubditos, cum omni reverentia 1. Tim. 2. v. 4. Iniquum ergo non eſt, liberis ſuis bene educatis ut & relictæ poſt mortem conjugi, de honeſto proſpicere matrimonio. Si quis ergo ad officium ſatis aptus, & toti Eccleſiæ acceptus fuerit, & in tale conjugium non invitus conſenſerit, non peccat Eccleſia, ſi ei hac cum conditione functionem aliquam promittat, ut vel viduam, vel filiam, defuncti ſui paſtoris ducat. Eſt enim ſpecies gratitudinis erga bene meritum paſtorem, liberorum ſuorum habere rationem, quod hoc modo, ubi dignitas perſonę, quæ Eccleſiæ pręficienda eſt, non negligitur, optime fieri poteſt. Sed quando jam concluſum eſt, vel à patrono, vel ab Eccleſiæ miniſtro, nemini committere Eccleſiam, quam, qui relictam viduam aut filiam paſtoris duxerit, etiamſi ei conjugium hoc non arriſerit, nec ipſe ad functionem illam ſatis aptus ſit, hoc minime probari poteſt. Ita enim Eccleſiæ ſępenumero obtruditur indignus, in cujus vocationem ordines Eccleſię omnes minime conſenſerunt, pręttereuntur alii digniores, difficultates conjugii augentur rixis & jurgiis, interdum etiam cędibus conjugum occaſio præbetur, id quod maxime ſcandaloſum eſt, & nullo modo excuſari poteſt. In talem ergo vocationem nemo conſentire debet, ne per ipſum & Eccleſia decipiatur, & ipſe conjugii plane imparis jugo implicetur. *Huc uſque Balduinus*. Poſtremo provideant ſedulo Patroni, ne patiantur ſe muneribus induci, ut hujus præ illo in demandando munere Eccleſiaſtico rationem habeant: nulla quoque ratione audiant eos, qui oblata certa annuorum proventuum parte, parati ſint ſecum tranſigere de vacante loco. Multa hic dici poſſent, optaremque ex animo, ſordes has, per Belgium Fœderatum, ubi jus Patronatus alicubi obtinet, plane ignotas eſſe: quæ, quam abominandæ ſint, eleganter oſtendunt Imperatores Leo & Anthemius, quando *in leg. Si quemq;* 31. *Cod. de Epiſcop. & Clericis, ita loquuntur*: Nemo gradum Sacerdotii pretii venalitate mercetur, quantum quiſque mereatur, non quantum dare ſufficiat, æſtimetur. Nec pretio, ſed precibus ordinetur Antiſtes. Tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, ut quęratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat: ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi. Profecto enim indignus eſt ſacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus. Cum ſane, ſi quis hanc ſanctam & venerandam Antiſtitis ſedem pecuniæ interventu ſubiiſſe, aut ſi quis, ut alterum ordinaret, vel eligeret, aliquid accepiſſe detegitur, adinſtar publici criminis & læſæ Majeſtatis accuſatione propoſita, à gradu ſacerdotii retrahatur. Nec

hoc

hoc ſolum honore privari, ſed deinceps perpetua quoque infamia damnari decernimus; ut eos, quos par facinus coinquinat & æquat, utroſque ſimilis pœna comitetur. *Hactenus Impp.*

Ut tandem coronidem huic Exercitationi, quæ nimium quam ex-XV. crevit, imponam, non poſſum non unum amplius notare, nempe, pro dolor! non minus exercitium Juris Patronatus (quod lubens ut aliquod Eccleſiæ ἥττημα agnoſco) quam Eccleſię vocationes, quæ alias magis legitimę videntur, turbari per duas immanes belluas, avaritiam ſcilicet & ambitionem, quarum alterutram dum quidam ex illis, qui Chriſto conſecrati ſunt, mollius curant, quam regis Antiochi oculi ſolent, plurima ἀτάκτως in Dei domo peraguntur. Quam vellem, nullis, qui vivunt, imo qui docent, in Eccleſiis Reformatis, aptari poſſent verba viri ſanctiſſimi & diſertiſſimi Iſidori Peluſiotę, qui jam olim, (verba illius, prout reddita ſunt ab Interprete, exhibeo) ſua tempora reſpiciens Epiſt. 235. *ſic locutus fuit*: Res quędam honorifica, & magni momenti, & pręclara, unde factum eſt, ut Apoſtolici conventus, tanquam lumina fulgerent ubique terrarum, ea per incuriam nunc omiſſa, confuſione, & perturbatione replevit Eccleſias. Quidnam eſt hoc rei? Liberè dicam, neque enim alio modo poſſem. Eo tempore promovebantur ad res ſacras adminiſtrandas qui virtuti ſtuderent, modo qui pecuniæ. Tunc qui detrectabant provinciam propter ipſius molem, nunc qui ultro ſe inferunt, atque intrudunt propter ubertatem deliciarum. Tunc qui gloriabantur eo nomine, quod nihil poſſiderent, ita volentes, nunc qui eo, quod habent, plus adhuc habere volunt; & pecuniis congerendis dant omnem operam. Tunc qui præ oculis habebant divinum judicium, nunc autem qui ne cogitationem quidem ejus rei ſuſcipiunt. Tunc qui verbera ferre, modo qui inferre, ſunt parati: & quid attinet plura dicere? De cætero videtur ipſa dignitas à rerum ſacrarum adminiſtratione ad tyrannidem converſa, à demiſſione ad ſuperbiam, ab inediæ patientia ad affluentiam delitiarum, à diſpenſatione ad damnationem. Non enim ut diſpenſatores adminiſtrare ſat habent, ſed tanquam Domini volunt ſibi vindicare. Hęc autem non contra omnes dicta ſunt, ſed contra illos, qui obnoxii ſunt his criminibus. Sunt enim, qui juxta formam Apoſtolicam vivunt, ſed vocem mittere non audent, quo fit, ut reprehendendi non parum ſint, propterea quod veriti multitudinem eorum, qui intemperanter ſe gerunt, quatenus ſaltem illos attingit, negligunt eam curam, ut mala tanta corrigantur,

 atque

atque emendentur. *Hæc Iſidorus Peluſiota*, & quidem ille Iſidorus, qui propter inſignem vitæ morumque ſanctitatem dictus fuit jam olim θεοφόρος. Jungo illi Sulpitium Severum, *ſic loquentem lib.* 1. *Sacr. Hiſt.* Levitis, *inquit*, in Sacerdotium aſſumptis nulla portio data, quo libentius ſervirent Deo. Equidem hoc exemplum non tacitus præterierim, legendumque miniſtris Eccleſiarum libenter ingeſſerim. Etenim præcepti hujus non ſolum immemores, ſed etiam ignari mihi videntur: tanta hoc tempore animos eorum habendi cupido, veluti tabes inceſſit; inhiant poſſeſſionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt, vendunt, quæſtui per omnia ſtudent. At ſi qui melioris propoſiti videntur neque poſſidentes, neque negotiantes, quod eſt multo turpius, ſedentes munera exſpectant, atque omne vitæ decus mercede corruptum habent, dum quaſi venalem præferunt ſanctitatem. *Huc uſque Severus Sulpicius* de temporibus ſuis: quid autem diceret, ſi hoc tempore viveret? Profecto exclamaret cum Hieremia: *A majori uſque ad minorem omnes avaritiæ ſtudent, & à Propheta uſque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum.* Atque, utinam hæ querelæ duntaxat locum haberent circa eos, qui in Papatu audiunt Clerici, quos, cum omnia, Papæ ſui exemplo, venalia habeant, uni quæſtui ſtudere, mirum non eſt. Haut pauci, ex illis ipſis, qui agnoſcuntur Anteceſſores in Orthodoxa Eccleſia (quod ſine lachrymis vix meminiſſe poſſum) ſecundum Apoſtoli verbum, *quæ ſua ipſorum ſunt, quærunt, non quæ Chriſti Ieſu*, Phil. 2. 21. Cumque avaritia, quæ eſt *idololatria*, Col. 3. 5. maxime dedeceat verbi Miniſtrum, cui nulla ratione licet *turpem quæſtum facere*, cum debeat *alienus eſſe ab avaritia*, 1. Tim. 3. 3. rariſſime tamen, imo fere nunquam, cenſura notantur illi, quos ex ipſis Eccleſiæ & quidem Orthodoxæ paſtoribus, conſtat ad ſordes uſque avaros eſſe. Continere me non poſſum, quin notem hic aliquos caſus, Miniſtrorum animum habendi ſtudioſum arguentes, quoniam pro dedecus! eo res rediit, ut ipſi viri Politici obſervarint eos ipſos, qui à ſua Præciſitate commendari cupiunt, quam jejunos & ſteriles eſſe circa præceptum octavum, atque dormitare propemodum, quando, occaſione illius, fibræ τῆς φιλαργυρίας veniunt excutiendæ. Ad eos vero referendum eſſe τὸν πάνυ D. *VVilhelmum Teelingium*, quem uſque adeo commendat *D. Voetius* in Præf. quam præfixit Comment. ejuſdem poſtumo ad 7. cap ad Rom. nunquam crediaiſſem, niſi vir quis ampliſſimus me manu duxiſſet ad egregium alias illius librum, qui inſcribitur *Noottwendigh Vertooch*, atque juſſiſſet (me interim erubeſcente)

beſcente) inſpicere pag. 265. & ſeq. Edit. anni 1627. Ne vero ſolus ego videar caſus ejuſmodi proponere, atque forte per quoſdam iterum vapulem, (qui femur antehac percuſſerunt, quod digito ſolummodo incepiſſem attingere quorundam Miniſtrorum τὴν πλυνεργυρωσύνην) præmittam illos caſus, quos non minus eximius, quam pientiſſimus, Theologus Andreas Hyperius notavit, in aureolo libello; jam antea laudato *de probatione ſui ipſius*, qui, ratione Miniſtri, ad octavum præceptum pag. 423. *Edit. jam antea indicatæ, ſequentia habet:*

Miniſter Eccleſiæ. Num ipſe evectus fuerit ad functionem ſacram, vel alios promoverit, datiſve muneribus, aut iis omnino perfectis, quæ munerum, pretiive, loco cenſeri poſſent. Quod crimen ob Simonem Magum, cupientem ſibi pretio comparare facultatem conferendi, per impoſitionem manuum, Spiritum Sanctum (Actor. 8.) hodie vocatur Simonia.

Num pro exhibito officio in diſpenſatione Sacramentorum, atque eorum quæ his conjuncta ſunt, mercedem poſtularit vel acceperit.

Num propter commodum & mercedem potius, quam aliam ob cauſſam, ſe ad munus Eccleſiaſticum contulerit.

Num ab una Eccleſia ad aliam commigrarit ſpe opimioris ſtipendii, vel pacto aliquo de acceſſione amplioris commodi interveniente.

Num paſſus fuerit Eccleſiæ facultates ita diminui, ut propter eam diminutionem decedat miniſtrorum vel pauperum, qui ab Eccleſia illa aluntur, uſibus neceſſariis.

Num diverſarum Eccleſiarum proventus ſine juſta & neceſſaria cauſſa recipiat. Juſtam & neceſſariam cauſſam intellige, cum aut ex alterius Eccleſiæ proventibus non poteſt miniſter ſe alere, aut ad illud tempus inveniri nequit, qui alterius Eccleſiæ gubernandæ labores ſuſcipiat.

Num Eccleſiæ, cui præeſt, facultates curarit in eos uſus rite impendi, in quos debent: nimirum ad alendos miniſtros, ſtudioſos adoleſcentes pauperes, ætate confectos, viduas, pupillos, &c.

Num in diſpenſandis facultatib. Eccleſiarum iis plus dederit, qui minus egebant aliis, quam decebat, neglectis interim iis, quorum inopiam ſublevari juſtiſſimum erat.

Num quæ accepit ab Eccleſia, ad neceſſarios tantum honeſtoſque uſus converterit, alens nimirum honeſtam & bene moratam familiam, impartiens egenis, non conſumens in luxu, in conviviis, in veſtitu, item cum ſcortis, &c. Num

Num ad ſe pertraxerit vel receperit aliquid, quaſi annexum ſuæ Eccleſiæ, quod tamen annexum ei non eſt.

Num ſtipendium ab Eccleſia quapiam receperit, cui tamen ipſe nullam impendere dignatur ſuam operam.

Num ex iis quæ pertinent ad Eccleſiam, aliquid ad alios uſus quam conveniebat, tranſtulerit, vel iis utendum permiſerit, qui Eccleſiæ non commodant. *Hactenus Hyperius.*

Hiſce Hyperii caſibus, interrogative propoſitis, triginta ſubſequentes ſubjicio. Ergo poſſet per modum explorationis ex verbi Miniſtro quæri: An non ſecurior fuerit Oeconomice, Eccleſiaſtice vero negligentior, oblato opimiori Paſtoratu? An non dotem magis reſpexerit, quam mores, cum quæſiturus ſibi eſſet conditionem? An non valedixerit piæ & modeſtę alias puellæ, atque ex parte quoque ſibi deſponſatę, cum ſpes de dote decollaſſet? An non finxerit novas quaſdam muneris ſui appendiculas, tantum ut auctarium ſtipendii nanciſci poſſet? An pariter eundem in finē non prętexuerit ſe pauperiorem eſſe, quam revera erat? An non ſectatus fuerit quoſdam, iiſdem etiam blandiendo, ſpe ſolummodo compendii? An non neglectis pauperibus, ad conſolationem ſpiritualem anhelantibus, tales ſuos fautores adierit? An ex ſuperfluo ſtipendii ſui convenienter proſpexerit pauperibus, reputando hoc iis magis deberi, quam ſuis liberis? An non imploraverit ſubſidium pro ſtudiis filiorum ſuorum, quos tamen ipſe ſuſtentare poterat? An non libros ſcripſerit magis ob conſequendum ex Dedicatione honorarium, quam ut Eccleſiæ ædificandę iidem ſervire poſſent? An non alacrior ſit in exigendis ſuis reditibus, quam in viſitandis ægris, itemque viduis pauperibus? An, ſi aluerit convictores, eoſdem, fingendo varia, quęſtui non habuerit? An non jactarit novas vocationes, tantum ut ſtipendii auctarium conſequi poſſet? An, cum eſſet delegatus ſive Synodi, ſive Claſſis, tempus non protelarit, tantum, ut plurium dierum dimenſum conſequi poſſet? An in edendis talium commiſſionum rationibus non egerit fraudulenter? An non in rationes illas retulerit quid in hoſpitio expenſum, quo tempore ipſe apud amicum diverterat? An non mercatoribus aliquibus, à quibus merces petere debebat, objecerit paſtoralem authoritatem, ſolummodo ut viliori pretio merces illas comparare poſſet? An non quibuſdam peccatoribus in propatulo pepercerit, ne excideret honorariis ab iis accipere ſolitis? An non neglectis pauperum caſis, ſpe ſtrenæ, ſub novi anni auſpicium,

ſpicium, quoſdam, ſive Nobiles, ſive opulentos, adierit, bona verba dicturus? An non cælibum, viduarumque improlium teſtamentis fuerit inſidiatus, laboraritque pro conſequendo legato? An non uſuras mutuæ ſuæ pecuniç adauxerit, eo quod videret creditorem pauperiorem eſſe, nec hypothecam poſſe offerre? An non hoc tempore à ſuis debitoribus pro mutua pecunia ſenos in centuriam florenos exigat, cum ordinario quini ſolum in Belgio ſolvi conſueverint? An non agros, ad Paſtoratum ſuum pertinentes æquo carius elocet? An non acerbiſſime à pauperioribus quoque uſuras exigat? An non quæſtori, à quo ſolitus eſt ſtipendium accipere, etiam quando eo non indiget, in præjudicium aliorum, quibus prius ſolvi deberet, quam importunus ſit, ut ex hac pecunia quæſtum queat facere? An non detraxerit ſuis Collegis proletariis, eo, quod plus ſtipendii perciperent, quam ipſe, qui aut cçlebs, aut improlis eſt? An non curarit negari ſe domi eſſe, tantum ut officium hoſpitalitatis declinare poſſet? An non lites acerbe ſectetur, ſolum ut lucrum conſequi poſſit? An non filios ſuos moneat, dotatas ſectentur puellas, levi Religionis, pietatis, & morum mentione injecta? Triginta hç quæſtiones, ad modum ſuperpondii, Hyperii quæſtionibus ſuperadditæ, hoc tempore ſufficiant, quas cum propoſuerim ſimplici animo, utque tempeſtive ſe convertant, quorum conſcientia ad avaritiam videtur occalluiſſe; ita ne quis forte ringatur, ſubjicio amplius verba Theologi in Belgio non incelebris Wilhelmi Teelingii, qui in libro Belgico, (modo in eum digitum intendi) qui inſcribitur *Nootvvendich Vertooch*, poſtquam non minus libere quam acerrime quorundam miniſtrorum vitia arguiſſet, tandem pag. 102. col. 2. hæc ſuperaddit: ***Nu dit en heeft ſich niemant an te trecken, dan die daer aen mochte ſchuldich ſijn; Godt de Heere, de kender der herten, vveet met vvat beſcheet ende gemoet, vvy onſe dingen doen.***

Et ſic quidem hactenus tuitus fui Eccleſiarum Belgicarum Praxin, XVI. ab ipſa Synodo Dordracena determinatam & approbatum. Abſit vero, ut, quemadmodum ſæpius jam profeſſus fui, ulla ratione multiplicibus abuſibus (qui circa exercitium hujus juris notantur) patrocinari velim: Abſit maxime, ut promiſcuam Juris illius venditionem, circa quam inter Orthodoxos & Heterodoxos non diſcernitur, approbem. Scio pro dolor! eam alicubi, in hoc Fœderato Belgio, ante annos non ita multos, haſta quoque poſita, peractam fuiſſe. Viderint vero, qui ex Politicis hoc conſilium ſuggeſſerunt; viderint quo fine hoc fecerint, &

an Eccleſiæ, an Reipublicæ, an vero ſuum emolumentum intenderint; viderint deniq; Eccleſiarum moderatores àSynodis particularibus conſtitui ſoliti, ſeſeque excutiant, an obviam quoque iverint talibus conſiliis, erudiendo illos, qui vulgo Politici audiunt, quod ejuſmodi nundinationes juxta ipſum Jus Canonicum illicitæ ſint. Certe *c. de Iure 16.* & , *cap. quia Clerici. 6. extra de jure Patron.* ſancitur, quod illud per ſe & ſua natura, ac ſingulariter vendi non poſſit, quod ſacro, ſeu religioſo eſt annexum. Nec Canoniſtæ, qui occaſione Textus *in c. ex literis. 7. c. cum ſeculum.* 13. eod. tit. aliquam venditionem admittunt, in eam conſentiunt, niſi ut veneat univerſitas, h. e. omnes res τῆς οὐσίας, tam corporales, quam incorporales, veluti urbs, pagus, caſtrum, villa, prędium, &c. Adeo ut deteſtandum ſit, & deplorandum maxime, quod alicubi Reformati Magiſtratus in Belgio, ſolum jus Collationis abſque prædiis publice vendere pręſumpſerint quibuſvis, tam Pontificiis ſcil. & Anabaptiſtis, quam Reformatis, illis jus hoc addicendo, qui præ aliis largius auſi fuiſſent licitari. Fieri non poteſt, quin, qui hoc jus publica authoritate emerunt, iterum vendant, nulla habita ratione indigenarum præ alienigenis, quum tamen illorum, quod ad promotionem Eccleſiaſticam, præ aliis rationem haberi velit tum jus Civile, tum etiam Canonicum. Quod ad jus Civile, illud ſic ſancit, leg. *in Eccleſiis.* 11. Cod. de Epiſc. & Cleric. *Clerici non ex alia poſſeſſione, vel vico, ſed ex eo, ubi Eccleſiam eſſe conſtiterit, ordinentur.* In Jure Canonico vero ita lego *c. hortamur.* 8. *diſtinct.* 71. *Hortamur, ut in Eccleſiis à vobis fundatis, aliunde veniens Presbyter non ſuſcipiatur,* &c. Quis ſperet quoque, tales Patronos, qui uni ſuo commodo ſtudent, Eccleſiæ miniſtris ſufficienter de neceſſariis proſpecturos eſſe, atque operam daturos, ut omnia, quæ templum concernunt, ſarta tectaque ſint? Ut ſupra oſtendimus, ſecundum jus Canonicum, Patronus jure ſuo excidit, ſi in Hæreſin prolapſus fuerit; prout late illud deducit *Paulus de Citadinis de jure Patronatus part. ult.* Quam non deplorandum ergo, non modo authoritate Magiſtratus jus hoc vendi Pontificiis, Anabaptiſtis, &c. ſi non & Atheis: verum ipſos quoque Magiſtratus nomine quaſi publico hoc factitare, & quidem abſque prædiis, quibus annexum eſt? Quicquid quidam ſibi perſuadeant, pudebit (ut ſpero) aliquando poſteros ſuorum Majorum. Subjicerem ſyllabum multiplicium abuſuum circa hoc jus, in ipſo hoc Fœderato Belgio committi ſolitorum tum ab ipſis Collatoribus, tum ab iis, qui ab ipſis ad Miniſterium deſtinantur, niſi hoc alibi faciendum foret.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO. XIX.

An Miniſtri Eccleſiæ, ſalvo munere ſuo, vacare queant aut exercitio artis Mechanicæ, aut Agriculturæ, aut etiam Medicinæ?

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

1. *Quatenus verbi Divini miniſtri exercitio artis Mechanicæ vacare poſſint?*
2. *An praxin Medicam exercere poſſint?*
3. *Occurritur Reyneſii objectionibus.*

Cum præcedenti Exercitatione, occaſione juris Patronatus, delapſus ſim ad φιλαργυρίαν, pro dedecus! quibuſdam ex ordine Eccleſiaſtico nimis quam familiarem; non poſſum non tres cognatas quæſtiones attingere. Experientia ſiquidem conſtat, quoſdam ex hoc ordine, cum æſtuent inſano habendi ſtudio, ac nolint attingi ſua ulcera, inſectari tamen papulas alienas, atque exiſtimare, propterea, impune ſibi licere eſſe avaris, quod hoc ſuum vitium non prodant aut exercendo artem mechanicam, aut agriculturam, aut Medicinam. Incipiam ab artibus Mechanicis, expendamque, an & quatenus earum exercitium Miniſtro Eccleſiæ poſſit concedi? Quamvis Plato lib. 5. de LL. omnes artes ſellularias ſordidas eſſe judicaverit, & Lacedęmonii eas exercere noluerint, quod crederent corpus ab iis effœminari, ſecundum Plutarch. in Ageſil. & Ælian, lib. 6. Var. Hiſt. cap. 6. eorumque exemplo, urbe & rep. ſua eas exterminaverit Romulus, teſte Dionyſ. Halicarn. lib. 2. Nihilominus Chriſtiani in Primitiva Eccleſia, ne ſibi invicem oneri eſſent, gnaviter artibus hiſce, pleriſque gentilium inviſis, vacaverunt, memores dicti Apoſtoli, 2. Theſſ. 3. verſ. 10. εἴ τις οὐ θέλει ἐργάζεσθαι, μηδὲ ἐσθιέτω: *Si quis noluerit laborare, etiam non edat.* Sectati verò fuerunt magni illius Pauli exemplum, qui teſte Luca Act. 18. v. 3. σκηνοποιὸς τὴν τέχνην fuit: & quidem ex præſcripto paternarum traditionum, quarum ſe æmulatorem ante converſionem fuiſſe teſtatur Gal 1. 14. Schemaja enim & Althalia Rabbini antiqui & celebres meminerunt I.

in Cabala hiſt. & in 1. lect. 1. hebd. Azymorum, vetuſtæ cujuſdam legis, qua præſcribebatur Judæis, qui ſacras literas profiteri vellent, ut addiſcerent manuale aliquod opificium, quo victum ſibi pararent. Inde & dicitur Judia. 43. 1. & 2. *Plerique ſapientes alicujus artificii erant, ne utilitatem caperent ab aliis.* Nec Paulus ad Chriſtum converſus in exercenda, quam juvenis didicerat, arte, ſegnis unquam fuit. Sic enim de ſe ipſo loquitur, 1. Theſſ. 2. v. 9. *Nocte ac die operando, ne cui veſtrum oneri eſſemus, prædicavimus apud vos Euangelium Dei.* De Chriſtianis in primitiva Eccleſia, idem teſtatur Epiphan. hæreſ. xxc. contra Meſſalianos, ita loquens per Interpretem: *Omnibus Dei ſervis, propriis manibus laborantibus ad juſtitiam, ut poſſint ſufficere indigentibus.* Irriſi propterea fuerunt à cæca gentilitate. Juſtin. Apol. 1. *Manuum opifices, & omnino idiotæ, & gloriæ, metus, mortiſque contemptores.* Minucius Octavio: *Itaque indignandum omnibus, imo indoleſcendum eſt, audere quoſdam, & hos ſtudiorum rudes, literarum profanos, expertes artium, niſi ſordidarum, certum aliquid de ſumma rerum ac majeſtate decernere.* Sic gentilium turba Chriſtianos apud Theodor. ſerm. 8. per contemptum vocat: σκυτέας, καὶ ὑφάντας, καὶ χαλκοτύπους, καὶ τοὺς ἄλλους, ὅσοι τὰς τέχνας μεταχειρίζουσι: *Cerdones, & textores, ærarios fabros, & quotquot manuarias exercent artes.* Reſpexit huc Juvenal. ſat. 4.

Atque utinam his potius nugis tota illa dediſſet
Tempora ſævitiæ, claras quæis abſtulit urbi
Illuſtreſque animas.
Sed periit, poſtquam cerdonibus eſſe timendus
Cœperat.

Vult enim innuere, calvum Neronem Domitianum, è medio fuiſſe ſublatum, cum tyrannidem in Chriſtianos exercere inciperet. Nec vulgus ſolum Chriſtianorum, manuaria qua arte ſe ſuſtentavit, ſed ipſi etiam Doctores Eccleſię. Sic Origenes lib. 3. contra Celſum obſervat eos fuiſſe ἐριουργοὺς, σκυτοτόμους, καὶ κναφεῖς: *Lanarios, Sutores, & Fullones.* Præclarum hoc inſtitutum poſtea dimanavit ad monaſteria & monachos. Epiphan. l. proxime laudato, immediate hæc verba ſubjicit: *Quemadmodum & in ſingulis monaſteriis in regione Ægypti, aliiſque omnibus regionibus ſic laborant ad juſtitiam.* Hieronym. Epiſt. 4 ad Ruſticum Monachum: *Facito aliquid operis, ut te ſemper diabolus inveniat occupatum. Si Apoſtoli, habentes poteſtatem de Euangelio vivere, laborabant manibus ſuis, ne quem gravarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro ſpiritua-*

Digitized by Google

ſpiritualibus debebant metere carnalia, cur tu in uſus tuos ceſſura non præpares? vel fiſcellam texe junco, vel caniſtrum lentis plecte viminibus: Sarriatur humus, areola æquo limite dividantur: in quibus cum olerum jacta fuerint ſemina, vel plantæ per ordinem poſita, aquæ ducantur irriguæ, ut pulcherrimorum verſuum ſpectator aſſiſtas, &c. Inſerantur fructuoſæ arbores, vel gemmis, vel ſurculis: ut parvo poſt tempore, laboris tui dulcia poma decerpas. Apum fabricare alvearia, ad quas te mittant Salomonis proverbia, & monaſteriorum ordinem, ac regiam diſciplinam, in parvis diſce corporibus. Texantur & lina capiendis piſcibus: ſcribantur libri, ut, & manus operetur cibum, & animus lectione ſaturetur. In deſideriis eſt omnis otioſus. Ægyptiorum monaſteria hunc morem tenent, ut nullum abſque operis labore ſuſcipiant, non tam propter victus neceſſitatem, quam propter animæ ſalutem. Iſidor. Peluſiota lib. 1. Ep. 470. ad Theodorum Scholaſticum Monachum, per Interpretem: *Tu quidem opus omne, quod manibus elaboratur, turpe ac probroſum eſſe exiſtimas, cum alioqui utile ſit, atque ad tuendam vitam conducat. At Mitylenæus Pittacus, quamvis Rex eſſet, piſtrinum tamen manibus ſuis extruebat, ſimulque & actuoſe ſe exercebat, & cibum operabatur.* Fallitur vero Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 42. (quem ſequitur Lorin. Comment. in cap. 18. Act) quando docet, olim pro arbitrio Monachos vel laboraſſe, vel otio litaſſe. Contrarium evincitur ex Epiphan. item ex Auguſt. qui ita lib. de opere Monach. cap. 17. *Quid agant, qui operari corporaliter nolunt, cui rei vacent, ſcire deſidero. Orationibus, inquiunt, & Pſalmis, & lectioni, & verbo Dei. Sancta plane vita, & in Chriſti ſuavitate laudabilis: ſed ſi ab his avocandi non ſumus, nec manducandum eſt, nec ipſa eſca quotidie præparanda, ut poſſint apponi, & aſſumi. Si autem ad iſta vocare ſervos Dei certis intervallis temporis, ipſius infirmitatis humanæ neceſſitas cogit, cur non & Apoſtolicis præceptis obſervandis aliquas partes temporum deputamus? Citius enim exauditur una obedientis oratio, quam decem millia contemptoris.* Neque verba illa Afri Doctoris intelligi debent de iis tantum, qui ante ingreſſum in monaſterium, ex labore manuum vixerunt: ſed de ipſis (ut loquitur Cardinalis) contemplativis, qui omnia ſua inter pauperes diſtribuerunt. Clare colligitur ex cap. 25. ejuſd. operis: *Quamobrem etiam illi, relicta, vel diſtributa, ſive ampla, ſive qualicunq; opulenta facultate inter pauperes Chriſti pia & ſalubri humilitate numerari voluerunt, ſi corpore ita valent, & ab Eccleſiaſticis occupationibus vacant; quanquam eis tam magnum animi ſui documentum aſſerentibus, vicem ſuſtentandæ vitæ eorum,*

res ipſa communis & fraterna charitas debeat: tamen ſi & ipſi aliquid manibus operentur, ut pigris ex vita humiliore & ab hoc exercitatiore venientibus auferant excuſationem, multo miſericordius agunt, quam cum omnia ſua indigentibus diviſerunt: quod quidem ſi nolunt, quis audeat exigere? Sed, miſſis Monachis, ad quos invitante tam commoda occaſione divertimus, manuariæ artis peritia tantum abeſt ut dedecori Theologi, aut verbi Divini miniſtri cedat, amplius tempore perſecutionis, ad quam genuinus Chriſtianus perpetuo ſeſe componere debet, (quod *judicium incipiat à domo Dei* 1. Petr. 4. 17.) ſummum uſum habet, ſuggeritque, ut vel ex Pauli Apoſtoli exemplo liquet, commodum vitam abſque alicujus onere tranſigendi remedium. Quod ſuo exemplo comprobat Theologus quantivis pretii, Wolfgangus Muſculus, (refert filius *Abrahamus Muſculus in vita Patris*) qui, poſtquam deſerto Monaſterio, uxorem duxiſſet, quo commode agitare poſſet, & nulli unquam gravis eſſe, uxore Argentorati famulari juſſa, in diſciplinam ſe dedit textori, à quo, utpote Anabaptiſta, cum dimitteretur, non dubitavit operam ſuam fodiendis foſſis locare. Atque, hanc ob cauſſam, Theologus pientiſſimus Caſpar Olevianus Theologiæ ſtudioſis author ſolet eſſe, ut horis ſucciſivis addiſcerent ejuſmodi artem mechanicam, quæ non turbaret ſtudia, ſuo autem tempore ſummo uſui eſſe poſſet. Atque hoc olim obſervatum fuiſſe ab Ungaris Theologiæ candidatis, notiſſimum eſt. Quod vero Miniſter honeſtè quoque domui ſuæ proſpicere debeat, ſi ruri vivat, atque minus onerum Eccleſiaſticorum ſuſtineat, poſtquam ea, quæ ad munus ſuum pertinent, expedivit, legitime Agriculturæ vacare poteſt, aratrumque non minus tractare, quam cum pecoribus in Dei timore degere. Obſervatione digniſſimum eſt, quod Patriarchæ, qui ſua ætate fuerunt Eccleſiæ capita, atque in ea ſupremi Doctores, vitam non minus ruſticam vixerint, quam mutorum quoque animalium, quorum naturam exploratiſſimam habebant, paſtores extiterint; quodque Elizæus Propheta à ſtiva & bobus vocatus fuerit ad munus Propheticum, 1.Reg. 19. 19. Interim primas partes perpetuo ſibi vindicare decet ipſum munus Eccleſiaſticum, alias totum hominem occupare aptum, quum non fuerit fruſtra dictum ab Apoſtolo, *Nemo qui militat, implicatur hujus vitæ negotiis, quo ei placeat, à quo delectus eſt miles,* 2. Tim. 2. 4.

II. Sed, an pariter exercitio artis Medicæ verbi Divini miniſter convenienter vacare queat? ſæpius quæſitum memini, atque amplius quam ſemel

ſemel in Synodis particularibus Belgii Fœderati hoc diſcuſſum fuit. Multi ex Pontificiis DD. in negativam ſententiam inclinare videntur, quorum plures ad ſuffragium vocat quidam *Ioannes Quintbeduus, de Benef. Eccleſiaſticis*, ubi contendit, Medicum ſacerdotem abſtinere debere à medendo, quod ars Medica non poſſit exerceri niſi cum periculo hominis vitæ. Sed cum dona ſanationum, (1. Cor. 12. 9.) ſive immediate ſive mediate exerceantur, ſemper ſint dona Dei, non videtur Miniſter, ſi illa impendat, citra præjudicium ſui muneris, ſaluti proximi ſui, eam potiſſimum intendendo, culpandus eſſe. Certe Spiritus Sanctus ipſe annotat Col. 4. 14. Lucam Euangeliſtam fuiſſe Medicum. Certumq; eſt, in primitiva Eccleſia, multos pios & doctos Epiſcopos notatos fuiſſe, qui miniſterio Eccleſiaſtico ſociarunt exercitium Medicinæ. Præ aliis hoc nomine quendam Theodorum Epiſcopum laudat Euſebius lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 3. quod ſingulari artis Medicæ cognitione inſtructus, plurimis ægris feliciter mederetur. Atque de Monacho medico duæ extant Bernardi Epiſtolæ ad Monachos Flaviacenſes, nempe Epiſt. 67. & 68. quibus ſub certa lege, iis quoque, qui vitam Monaſticam amplexi erant, medicinæ exercitium permittit. Ne dicam, à tempore Reformationis uſque, haut paucos Theologos & verbi Divini miniſtros, ſingulari cum fructu praxi non minus Medicæ vacaſſe, quam φαρμακευτικὴν & χειρουργικὴν exercuiſſe. Nec ipſum jus Canonicum ſimpliciter Clericis interdicit exercitio artis Medicæ, ſed duntaxat eo in caſu, ſi conſcientia eos remordeat. Huc enim pertinet reſcriptum Clementis Tertii ad Cremonenſem, quod extat lib. 1. Decret. tit. 14. de Ætate. Verba ſic habent: *Ad aures noſtras, te ſignificante, pervenit, quod cum in arte Phyſica eruditus ſis, pluribus juxta ipſius artis traditionem exhibuiſti cum diligentia medicinam, licet pluribus in contrarium ſucceſſerit, & quibus putabas adhibere medelam, medicinæ præceptis, mortis periculum incurrerunt. Verum quia ad ſacros ordines deſideras promoveri, ſuper eo nos conſulere voluiſti. Tibi breviter reſpondeo, quod ſi ſuper præmiſſis conſcientia tua te remordeat, ad majores ordines de noſtro conſilio non aſcendas.* Interim verbi Miniſter praxin Medicam inter πάρεργα ducat, minime vero, ut (pro dolor!) aliquibus mos, ad eam provolet ſolo lucro invitante; exploret amplius ſuam peritiam, aut potius ſe explorandum peritioribus exhibeat, ne, quod multis mos eſt, pro Æſculapio ſeſe venditare auſit, quando vixdum ad cortinam nobiliſſimæ artis eſt admiſſus; denique cogitet,

Digitized by Google

cogitet, ſe, arte ſanandi morbos corporis, à Deo ſic donatum eſſe, ut multo magis ſollicitus eſſe debeat de curandis animabus. Plura qui voluerit, adeat Danæum Theologum Orthodoxum, de vita Chriſtiana cap. 4. qui cum verbi Miniſtro permittat Medicinæ exercitium, ſimul nobis patrocinatur, qui ſub juſtis limitationibus hoc duntaxat concedimus.

III. Sed, cum Reyneſſius noſter nulla ratione admittat ad exercitium aut manuariæ artis, aut Medicinæ, Verbi Divini miniſtros, deſpiciendum eſt, quibus argumentis moveatur. Illa proponuntur pag. 150. & ſeqq. Atque, ſic quidem (1) inſurgit: ***Eccleſiæ nunc tot ſunt bella cum civibus & hoſtibus, ut niſi Paſtores ſe quotidie hoc armorum genere exercuerint, facile ea ab inſidiis caſura ſit.*** At, quid hoc nobis obeſſe poteſt, qui Eccleſiæ miniſtris non permittimus artis ſelluarię exercitium, niſi tempore perſecutionis: quò cum hoc modo ſe ſuſtentare exemplo Pauli poſſint, Eccleſiæ non ſint oneri. 2. ***Semper*** (dicit) ***præſto eſſe debet, ſi quis forte ejus auxilio, aut conſolatione, in Eccleſia egeat. Tempeſtive & intempeſtive: De nocte & die.*** Nec hoc ferit, neque enim adverſatur Theſi, quatenus à nobis propoſita eſt. Ubi Eccleſiæ eſt inſerviendum, ſe totum fidelis Paſtor ei mancipare debet: ſed, tempore perſecutionis, quando Eccleſia diſſipata eſt, ſæpe fideliſſimus Paſtor non offendit occaſionem dona ſua Chriſti membris impertiendi. 3. ***Paſtores artes exercentes monopolia fere erigunt, & omnes emtores ad ſe trahunt, membra enim Eccleſiæ, ſive amore, ſive metu, apud eos quærunt, quibus opus habent.*** At, quod accidit per avaritiam alicujus τοῦ Δεῖνα, non debet imputari rei in ſe licitæ, ad hoc ut evadat illicita. Pro dolor! plurimi ex mercantium ordine, pro quam devotis Eccleſiæ membris ſe gerunt, ad hoc ut plures emptores invitare poſſint, quibus ſi imponant aut per adulteratas merces, aut per menſuras injuſtas, cenſuram mereri non credunt. Quis tamen hinc inferre auſit, Mercaturam eſſe minus legitimum acquirendi dominii modum? 4. ***Species hac mali foret, & viderentur ſua magis quàm Eccleſiæ quærere.*** Quid exiſtimandum ſit de mali ſpecie, cujus meminit Apoſtolus 1. Theſſ. 5. fuſe expendi in Tractatu de Præciſitate. Attendatur ad Theſin, quatenus à me limitata eſt, atque reſtricta ad tempus Perſecutionis, & nihil occurret, quod cum ratione arguatur. 5. Pergit, & contendit, artium harum exercitio Paſtores non debere vacare, quod ***liberaliter ſatis ſuſtententur, aut, ſi minori, quam indigent, ſtipendio fruantur, ſpes ſit,***
non

non adeo duras fore ſupremas poteſtates, &c. Velim expoſuiſſet, unde, tempore perſecutionis, ſtipendium verbi Miniſtri ſperare debeant? Si adeo liberales ſunt ſupremæ Poteſtates in Belgio, cur toties de ſtipendio, oppidò quam tenui (certe ratione paſtorum agrariorum negari non poteſt) ante hac conqueſti fuerunt? 6. & *poſtremo* ſic cornicatur Noſter: *Artes, illi non niſi magno cum diſpendio temporis, honoris, eruditionis, & damno Eccleſiæ exercerent.* Sed, tempore perſecutionis, ſæpe pro dolor! nulla Paſtori offertur occaſio, in uſum membrorum Chriſti depromendi illa dona, quibus divinitus eſt inſignitus. Miror vero, quod homo ambitioſus, metuat honori Miniſterii, ab exercitio harum artium. Quaſi vero B. Paulus vocationem ſuam proſtituerit, quod eſſet σκηνοποιός? Et hæ ſunt rationes hominis noſtri, aut verius λῆροι, & gerræ germanæ.

EXERCITATIO XX.
An Paſtor Eccleſiæ poſſit intereſſe conviviis?

1. *Occaſio quaſtionis. Quidam ex Paſtoribus hic in defectu, alii in exceſſu, peccant.*
2. *Paſtores conviviis poſſunt intereſſe.*
3. *De conviviorum differentia.*
4. *De vicinorum conviviis.*
5. *Quomodo ſe Paſtor in convivio gerere debeat?*
6. *Expenduntur Reyneſii rationes, ob quas Paſtores conviviis intereſſe non debeant.*
7. *Reſpondetur ejuſdem argumentis adverſus convivia Vicinorum.*

EO res rediit hoc ſeculo, ut quidam ex junioribus etiam Verbi Divini miniſtris, quo vulgo Collegarum ſanctiores videantur, præfractè recuſent ulli convivio intereſſe. Quod ne lateat eos, apud quos geſtiunt præ cæteris æſtimari, non minus pro concione, quam in Catechizatione, captant occaſionem, illud plenis buccis exponendi, exemplo I.

illius hominis, qui in Euangelio inter precandum alta voce dicebat: *Ieiuno bis hebdomade, decimo quæcunque poſſideo*, Luc. 18. 10. Ut certum, Deum, qui ſolus eſt ſcrutator cordium, horum hominum corda, ſæpe quam fallacia, poſſe perſpicere; ita experientia docuit, quoſdam ex hoc ordine noluiſſe ulli invitanti condicere ſui præſentiam ad amicam menſam, quod deſperarent, ſe foras apud amicos lautius cœnaturos eſſe, quam quotidie domi ſolent; alios, ſuæ infirmitatis conſcios, omnibus negaſſe, quod percepto flore Liberi Patris, inſtar anus identidem ad armillum ſuum redeuntis, ſibi temperare non poſſent, quin eo ad aures uſque ſe paterentur non tam aſpergi, quam perfundi; nonnullos vero hac abſtinentiæ & ſobrietatis ſimulatione, conſueviſſe, à ſuis amicis accipere integra artocreata, gallos indicos, agnos, capones, tragemata omnis generis, &c. nec non grandiores lagenas, vino generoſiſſimo repletas, atque loco unius neglecti convivii, quater aut quinquies cum univerſa familia, hilaria alieno ſumptu agitare. Ut vero quidam hic in defectu peccant, ita nonnulli ex ſacratiſſimo ordine, pro dolor! in exceſſu; ſiquidem ſimiles ſe reddunt illis hominibus ex gente Paraſitica, quos Plaut. Pœn. 3. 3. eleganter *muſcas* vocat, quod ſemper ederent alienum cibum: qui cum videantur aut offendi nidore ſuæ culinæ, aut odiſſe illius ſordes, ſi non invitentur ad convivium, ſingulari arte ſciunt ſe inſinuare apud eos ſub ſpecie Chriſtianæ viſitationis, quibus ordinario lautiora apparantur fercula. Utinam vero! præter hos non occurrerent quidam, qui, quod de Agapis jam ſuo ævo conqueſtus fuit Apoſtolus Judas, in ipſis Claſſicalibus & Synodalibus conviviis notarentur σπιλάδες, ſive *maculæ*, Jud. 12. Imo, utinam! quidam cenſura uſque ad ſuſpenſionem non debuiſſent notari, quod in ſacris conventibus, donis Dei, ad frugalitatem cum gratiarum actione fruendis, ad luxum abuti ſolerent. Ut præteream Tabacoſugas, &c. qui quam tempeſtive ſe ſolent munire adverſus grandiora pocula, aliquando in conviviis haurienda, qui licet tribus aliis debellandis in Bacchico prælio ſufficiant, ut tamen Sanctuli videantur, malunt convivialia ſacra conturbare, quam in Salutem alicujus vel guttulam bibere. At ſubſiſto, nam ohe jam ſatis! Ut hos nominatim prodam, urget Reyneſſius pag. 153. modo notam calumniæ evitare velim. Sed quid opus eſt? Quæ dico in vulgus nimium quam nota ſunt, atque ab hoſtibus Eccleſiæ, qui hic ſunt Lyncei, in opprobrium Orthodoxæ Eccleſiæ, nimis quam frequenter eidem fuerunt objecta. Pii, probi, & prudentes Verbi

Divini

Divini miniſtri, quod bene ſibi conſcii ſint, haud ægre ferunt, hæc referri. Atque publice intereſt, hæc diſcuti, quo & hypocritis perſona detrahatur, & vitam emendare diſcant, qui in propatulo delinquere non erubeſcunt.

Ut ergo me ad rem ipſam, ulteriori proloquio omiſſo, convertam, II.
initio preſuppono, quod Deus, qui omnis boni largitor eſt, nobis minime invideat opiparas atque hilares convivationes, modo id fiat cum debita gratiarum actione, atque vitetur non minus omnis donorum ipſius abuſus, quam inutilis profuſio. Ipſe quippe eſt, qui vinum producit de terra, *ut lætificet cor hominis, quique nitidam efficit faciem oleo*, Pſal. 104. 15. Unde & ipſe Spiritus Sanctus expreſſe annotare voluit, quod Abraham, pater fidelium, *fecerit convivium magnum, quo die pellebatur à lacte Iiſaack*, Gen. 21. 8. Quod vero Abraham ſimul eſſet primus Anteceſſor in Eccleſia, quæ Deo tum collecta erat, manifeſto colligere licet, neutiquam probro eſſe vertendum verbi Divini Miniſtro, ſeu Eccleſiæ Paſtori, ſi condicat ad convivium, opipare licet inſtructum. Maxime, quum placuerit Spiritui Sancto annotare, quod idem Abraham, cum ei in ſpecie viri cum duobus aliis Filius Dei appareret, lautius ſolito menſam inſtruxerit. Quem apparatum unctiorem ut pro illo tempore tantus hoſpes approbavit, Gen. 18. 21. ita, poſtquam in plenitudine temporis aſſumpta è virgine carne, inter nos converſatus fuit, ſæpius ſui copiam fecit in conviviis, ſplendidioribus quoque. Ne dicam de nuptiis Cananæis, à quibus Chriſtus auſpicatus fuit ſua miracula, Joh. 2. ſe ipſum convivam obtulit Zachæo, Luc. 19. 5. nec aſpernatus eſt magnum illud convivium, quod expreſſe *ei feciſſe* dicitur Matthæus, qui & Levi, Luc. 5. 29. Imo ipſo Sabbathi die comparuit in convivio, quod quidam è Phariſæis adornaverat, Luc. 14. 1. Chriſti exemplum ne quem moveat, non erubeſcit pag. 157. ſic ſcribere Reyneſſius: *Chriſtus talia convivia non vidit unquam, Iudais ſe familiarem præbuit, ut filiis Eccleſiæ; tale vero compotatorum chaos, dubitare licet an tunc notum fuerit.* Ergo, ſi homini noſtro credimus, hodie omnia convivia haberi debent *compotatorum chaos*, ſaltem ordinario agitari ſolita. Sed quis fidem habeat huic homini? Pergo. Quid, quod ipſe Deus expreſſa lege (vide Deut. 14. 29.) caverit, ut Levitæ, conviviis ex decimis tertii cujuſque anni adornatis, intereſſent, atque, tempore Pædagogiæ, ſacrificiis conjuncta fuerint convivia, quibus Sacerdotes Levitaſque non minus interfuiſſe, quam benedixiſſe, manifeſto colligere licet ex

1. Sam. 9. 12. 13. Ne dicam, benedictum Salvatorem noſtrum, mortis ſuæ memoriam ſacramento convivali obſignaſſe, illudque nomen ferre *δεῖπνυ κυριακῦ*, quod Miniſtri Eccleſiæ, una cum fidelium cętu, cæterum eidem prędidentes, ſpirituale convivium agitent. Convenienter Iſidorus lib. 20. Origin. cap. 2. *Cœna vocatur à communione veſcentium. κοινὸν quippe Græci commune dicunt. Unde & communicantes, quod communiter, id eſt, pariter conveniant.* Apageſis proinde illos Præciſiſtas, imo Timones, qui, quod Reverendi audiant, omnibus conviviis ſe ſubducunt: imo, apageſis illos hypocritas, qui hoc nullam aliam ob cauſſam faciunt, quam ut paſtoralem authoritatem ſibi apud plebeculam promoveant, exemploque Phariſæorum, Chriſtum arguentium in ſimili caſu Luc. 19. 7. impune traducere queant ſuos *συνέργυς*, pro hominibus ſeſe gerentes, atque attendentes ad omnem occaſionem, qua Chriſti regnum promovere queant. Certe, ut ſecundum Salomonem, *Rex in ſolio ſuo inſidens in oculis ſuis ventilat omne malum*, Prov. 20. 8. ita pius & gravis Verbi Divini Miniſter, ſi conviviis interfuerit, diſcutere poteſt varia, alias Chriſtianorum convivia dehoneſtare ſolita, ſuaque authoritate fibulam moribus incompoſitis imponere.

III. Nec tamen promiſcue Paſtor intereſſe debet omnibus conviviis, ad quæ vocatur: videre debet, quid locus, tempus, & aliæ circumſtātiæ moneant. Quod cum accurate ſit definitum à Nicolao Hemmingio in Paſtore Euangelico, malo hoc illius verbis, quā meis referre. *Ita ergo ille:* In conviviis itaq;, *(inquit)* ſpectentur hæc: Locus, tempus, convivii genus, convivæ, colloquia, edendi bibendique modus, hilaritatis moderatio, & morandi tempus. Ad hæc membra referamus præcepta de diſciplina paſtoris, quam ſervandam eſſe in conviviis judicamus. Locus convivii ſi fuerit obſcurus, aut infamis, fugiendus eſt paſtori. Nullo enim pacto decet, ut paſtor in tabernis, aut lupanari, aut in hominum infamium domo convivam agat. Nam hac ratione non ſolum ſuæ perſonæ, verum etiam miniſterio inureret infamiæ notam, ac ita ſuam famam periclitari permitteret, & miniſterium probro afficeret. *&c.* Tempus convivii ſit oportunum. Opportunum dico, quod nec noctu ſit, nec tempore ſacrorum in templis, nec tempore communis luctus. Nocturna convivia ſemper fuerunt infamia. Videntur enim potius turpitudinis gratia inſtituta, quam honeſtæ hilaritatis. Sacrorum tempore celebrata convivia, in contumeliam cedunt miniſterio. Illis ergo intereſſe debent nulli pii, nedum paſtores Eccleſiaſtici. Tempore communis luctus conviviis

viviis operam dare, ſignum eſt malignæ naturæ, quæ calamitatibus publicis non afficitur. Hoc enim tempore, melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum convivii, juxta Eccleſiaſtę ſententiam, cap. 7. Conviviorum genera ſunt duo: Honeſta & Inhoneſta. Honeſta dico, quæ vel amicitiæ ineundæ confirmandæve cauſa, vel honeſtæ hilaritatis gratia, vel gratulationis ergo, vel moris gentis ſervandi cauſa inſtituta ſunt. Hæc tantiſper honeſta voco, donec locus & tempus ſervantur debita, & non juſtę hilaritatis modum convivę tranſgrediuntur. Convivia amicitiæ cauſa inſtituta, à Græcis dicuntur ἀγάπαι, propterea, quod in eis mutua fovebatur charitas. Hoc nomine etiam dicuntur convivia, quæ pauperibus refocillandis inſtituuntur, &c. Hunc morem commendabit paſtor, & invitabit convivatores ad humanitatem erga pauperes, commendans ipſis præceptum Domini, qui ait: Cum facis convivium, voca claudos, pauperes, cæcos: & beatus eris, quia non poſſunt vicem rependere tibi. Retribuetur enim tibi in reſurrectione juſtorum. Hac ſententia multa continentur. Primum, probantur à Chriſto honeſta & pia convivia. Deinde, monemur, ut cum hilares eſſe velimus, cum amicis & familiaribus non negligamus pauperes, ſed eos quoque in noſtrum recipiamus convivium. Tertio, promittitur merces à Deo, quia pauperes non poſſunt vicem rependere: Eamque mercedem dicit reddendam eſſe in reſurrectione juſtorum. *&c.* Hilaritatis honeſtæ cauſa inſtituta convivia, non improbantur: ſed inter honeſta numero, quæ potiſſimum exhibere ſolent homines, poſt aliquem laborem honeſte peractum. Idque potiſſimum reficiendarum virium cauſa, per honeſtam & moderatam hilaritatem. Gratulatoria convivia, qualia ſunt nuptiarum & puerperiorum, commendantur exemplis ſanctorum patrum: illi enim ſolebant gratulationis ergo, amicos conviviis excipere. Laban nuptiarum ſolenni more dies celebravit. Abraham in die ablactationis filii Iſaac, grande convivium fecit. Solent etiam convivia fieri ex conſuetudine gentis, certo anni tempore, qualia nos in noſtra patria vocamus fraternitates. Hęc convivia, modo abſit ſuperſtitio, & inſana ebrietas, culpari non poſſunt. Verum in hujusmodi conviviis modum ſervari ſuadebit pius paſtor. Ad hoc genus refero ea convivia, quę in Synodis agitari ſolent à paſtoribus, finitis conſultationibus, & ſacris, de quorum modo, probo ſententiam D. Petri Palladii pię memorię, qui in ſuis ſynodalibus de illis pręcepta conſcripſit. Hactenus de honeſtis conviviis. Inhoneſta convivia voco, quæ

libidinis & ingurgitationis cauſa inſtituuntur, quæ potius porcis Epicuri conveniunt, quam Chriſti ovibus. Ab his dehortatur Salomon Proverb. 23. Noli, inquit, eſſe in conviviis potatorum, neque in commeſſationibus eorum. Commeſſationes autem dicuntur, nocturna poſt cœnam inſtituta convivia, & alia quævis intempeſtiva & inhoneſta, &c. *Huc uſque Hemmingius.*

IV. Occaſione conviviorum, quæ licita eſſe cenſet Hemmingius, agendum obiter eſt de conviviis, quæ collatis ſymbolis inter ſe quotannis, aut ſingulis bienniis, trienniiſve vicini per pleraſque Belgii Fœderati urbes agitare ſolent: quibus miror adeo infeſtos eſſe alicubi Reformatos verbi Divini miniſtros, quum tamen Ultrajecti, ubi ſtrictior hoc tempore diſciplina recepta eſſe videtur, iis ſe non ſubducant ipſa illa Eccleſiæ membra, quibus præciſitas in delitiis eſt. Luxum, ebrietatem, laſciviam, & abuſum Donorum Dei, velut peccata Sodomitica (Ezech. 16. 49.) deteſtamur ex animo, atque, ſi à vicinis in conviviis agitentur, præter diſciplinam Eccleſiaſticam, exiſtimamus accedere debere correctionem Magiſtratus. Sed, talibus ſordibus alia quoque convivia deformantur: quis tamen inde inferat, omnia convivia penitus abroganda eſſe? Abuſus proſcribendus eſt, quo legitimo uſui ſua conſtet ratio. Vicini ab amicis nobis proximi ſunt, atque judicio Salomonis Prov. 27. 10. *Melior eſt vicinus propinquus fratre longinquo.* Ad hoc, ut loquitur Cartvvrichtus, celebris Theologus Anglus, idemque rigidioris diſciplinæ antiſtes ſeverus, in Harmonia Euangelica pag. 35. *Vicinitas fortuita non eſt, ſed Dei providentia, atque adeo inſtituto gubernata: cujus ſingularis inter homines uſus eſt, & eximium ſolatium. Eoque hæc ſocietas & conjunctio ſancte colenda eſt, dandaque opera, ut illis quam proxime benevolentia accedamus, à quibus nos Deus tam prope abeſſe voluit.* At legum omnium divinarum & humanarum hic ſcopus, quem Cartvvrichtus in viciniis notat. Porro vicini ſunt alteri propinqui, atque tum mutuis calamitatibus condolent, Jerem. 48. 17. tum quæ obtigerit felicitas, eandem prono affectu gratulantur, Luc. 15. 9. parati pariter ſibi invicem laborantibus ſuccurrere, Eſd. 1. 6. Quæ benevolentia ut foveri queat, æque requiruntur convivia, atque eadem inter amicos frequentari ſolent, argumento Luc. 14. 12. Dici vero non poteſt, quam multa commoda ex ſtatis hiſce vicinorum conviviis in publicum redundent, ſi ſtatus reip. popularis fuerit: avertuntur diſſidia, atque quæ exortæ ſunt lites, convenientiſſime non minus quam commodiſſime, componuntur.

nuntur. Id exploratum quoque fuit Bodino lib. 3. de Repub. cap. 7. pag. 515. *sic loquenti*: At legum omnium divinarum & humanarum hic ſcopus, hic finis eſt, ut hominum ſocietatem & concordiam inter ipſos, & adverſus Deum pietatem, tueantur: id autem omnium maxime fieri poteſt, ſi una fuerit omnium civium in amicitia, quæ ſine virtutibus eſſe nulla poteſt, conſpirantium fides ac voluntas. Quamobrem Cretenſes (*Ariſt. in Politicis*) olim omnis ætatis, ordinis, ac ſexus, ſimul publicis in locis epulabantur, ut illam quam dixi caritatem, ac mutuam inter ipſos benevolentiam foverent: ſed poſtea ſexus & ætates ſuis quibuſdam ordinibus ad perturbationem civium vitandam, placuit deſcribi. Nec aliam ob cauſam legibus divinis (*Num. 9. Levit. 23.*) convivia ſacra ſtatis temporibus ſumma lętitia coli jubentur, quam ut religione erga Deum, & amicitia inter ſe cives conciliarentur. Quæ convivia principio naſcentis Eccleſiæ Chriſtianæ, quod mutuis amplexibus & oſculis terminarentur, *ἀγάπαι* appellata ſunt. Ac tametſi multa vetuſtate pridem extabuerunt, imago tamen veterum conviviorum ſacris epulis etiamnum adumbratur. At Veneti non ficta, ſed vera convivia, ſępius etiam Helvetii, ordinibus civium & opificum in collegia deſcriptis, ſumma cura proſequuntur: ſi vero lis oborta fuerit in ſodalitio, communi conſenſu dirimitur; ſententia non chartis, ſed tabulis, non atramento, ſed creta deſcripta. *Hactenus Bodinus.* Non diffiteor, occaſione horum conviviorum, quoſdam aliquando nimium quam ſuo indulgere Genio, atque helluando ſe proluere, adeo, ut publicum ſcandalum præbeant. At, facile hęc & ſimilia averruncabuntur, ſi Magiſtratus tum tempus hiſce conviviis definiat, determinetque, tum etiam formulam, in convictu potuque ſevere ſervandam, pręſcribat. Quibus conviviis ſi dein quidam ex Eccleſię paſtoribus interfuerint, ab iis, qui ad Paſtorum ſuorum nutus quoque animadvertere ſolent, ſarta tecta Magiſtratuum edicta (quæ pro dolor! alias, antequam in æs inciſa fuerint, in deſuetudinem abeunt) præſtabuntur. Nec hoc magis probroſum Paſtori cenſeri poteſt, quam cum Samuel aſcenderet Tzuphum, ut intereſſet ſolenni convivio ejus urbis civium, qui & piaculũ duxerunt, cibum antea attingere quam vir Dei eidem benedixiſſet, 1. Sam. 9. 12. 13. Quibus vero placet poſthac contra hæc convivia ſimul & obſtinatum animum, & zelum *πικρὸν καὶ ἄλογον* in ipſo ſuggeſtu publice teſtatum facere, viderint, qua conſcientia hoc faciant, cogitentque, an ſibi magis fas ſit, more convivarum è medio vulgo, intra annum amplius quam

quinquagies,

quinquagies, ad cœnam Saliarem condicere; atque civibus tenuibus, collata ſymbola (exemplo fidelium in primitiva Eccleſia 1. Cor. 11. 21.) ad prandium cænamve modicam per biduum, triduumve, quoque anno, cum vicinis ſuis convenire? Amplius expendant, an quinquagies, ſi non amplius, ſingulis annis foras cænando, vel unam animam Chriſto lucrentur? quum vicinorum convivia (in quibus prçter Reformatos, Pontificii, Anabaptiſtæ, aliique Heterodoxi comparere ſolent) longe ampliſſimam meſſem ſuppeditare conſueverint: atque hanc ob cauſſam, Chriſtus non negaverit quoque Phariſæo, Luc. 11. 37. Quæ diximus de vicinorum conviviis, applicata volumus conviviis, quç tribus, ſeu Mechanicorum collegia, alicubi, ſive ex mulctis, ſive ex ſuis proventibus ſtato tempore agitare ſolent.

V. Ex ordine conſiderandum, quomodo Paſtor, in convivio, cui per conſcientiam intereſſe poteſt, ſeſe gerere debeat. Atque initio in convivio, cui intereſt, non exhibebit ſe nimis moroſum, multo minus inſidiabitur ſingulorum convivarum ori, quo inveniat ſegetem in eos debacchandi, aut pro ſuggeſtu, aut apud plebeculam, ſed cum aliis honeſto gaudio, & quidem in Domino, animum relaxabit. Nam quando Deus, pro ſingulari ſua benignitate, dona ſua tam affatim nobis largitur, ut inde convivium quoque adornare queamus, uſque ad ſingularem lætitiam & exterminationem mçroris, quo ut David pectus ſuum exonerare poſſet, poſt exceſſum filii, convivium ſolito lautius, adhibitis etiam unguentis, ſibi apparari juſſit, 2. Sam. 12. 20. Atque notum eſt illud Salomonis Prov. 31. 6. *Da vinum afflictis.* Imo ipſum Chriſtum, paulo ante mortem, deflexiſſe Bethaniam, atque interfuiſſe opiparæ cænæ, ut ſe *adverſus ingruentem mortis tempeſtatem confirmaret, ſeque conſuetudine eorum, quos maxime charos habebat, recrearet*, obſervatum quoque eſt à Cartwrichto in Harm. Euang. pag. 752. Adeo verum eſt, quod Deus *impleat cibo & delectatione corda noſtra*, Act. 14. 17. Præterea, ut alia omittam, à piis in convivio obſervanda (quæ diſtincte proponit. D. Teelingius in libro Belgico, qui inſcribitur *Nootvvendich Verteoch* lib. 5. cap. 10.) ſpeciatim tria videntur curanda eſſe Paſtori. I. Ut avertat ſua præſentia omnem non minus *ἀταξίαν*, quam *ἀσωτίαν*, libere ſimul arguendo illos, qui hac in parte delinquunt, atque imitando non minus Paſtorum principem Jeſum Chriſtum, Luc. 14. 7. 8. quam admonitioni miſcendo ſeſamum. Deplorandum vero cum maxime, quod quidam, qui pro ſuggeſtu contra conviviorum abuſus ſunt nolæ, in iis ipſis

ipſis tamen *Goi* deprehendantur, ut utar antiquo verbo. II. Quum ipſorum ſit cibo benedicere, eoque ſumpto, Deo gratias agere, utantur tam emphatica formula, quæ afficiat omnes accumbentes, maxime eos, qui ex illis heterodoxi fuerint. Certe, cum Pontificii neſciant rationem Deum vere invocandi, haut ſemel varii ex illis ſingulariter affecti fuerunt, audiendo Reformatos precantes, uſque adeo ut cæperint quoque melius ſentire de illorum religione. III. Occaſione ciborum terrenorum, quos Deus largitur, occaſionem captent differendi de rebus ſpiritualibus, Myſteriisque Theologiæ, ſic tamen, ut ſermones ſuos ſimul ſale & gratia condiant, Col. 4. 6. IV. Chriſtianus, qui per Dei gratiam converſus eſt, omnes occaſiones captare debet, ut convertere eos quoque poſſit, qui alieni adhuc ſunt à regno cælorum, eosque, diaboli laqueis exemptos, Chriſto lucrifacere. Sed, Pontificii in ædibus ſuis ægre audiunt illos, qui ſe à præſumpta religione antiqua laborant avertere. Adeoque obvertunt tergum Paſtoribus, quotieſcunque fere ſolemniter ab iis viſitantur. Qui commodè cum illis, occaſione talium conviviorum, agere poſſunt de illis, quæ ad ſalutem æternam pertinent. Ob quam cauſſam quoque paſtorum princeps, Dominus Jeſus Chriſtus, non detrectavit intereſſe convivio Matthæi publicani, Matth. 9. 10. ſolitus alias quoque cum publicanis & peccatoribus comedere.

Noſter Reyneſſius, ne aut Paſtores ad convivia accedant, aut vicinorum convivia ulla ratione ſtatuantur licita, varias conquiſivit rationes: ſed, quæ omnes pluma leviores ſunt. Expendam tamen illas contra ventum, quo turgent; quod pondus ſufficiens opponi neque poſſit, neque etiam mereatur opponi iis, quæ omni pondere deſtituuntur. Paſtores ut ab omnibus conviviis arceantur, *primo* ſic argutatur pag. 153. *Quia multum temporis, ut plurimum, conviviis datur, & multo plus quam neceſſe eſt cœna*, &c. pag. 154. &, *Redimere nos quidem tempus juſſit Apoſtolus, non ut conviviis, ſed ut pietati & cognitioni adaugendæ detur.* Sed, an non poſſunt quoque convivia arctiori temporis termino circumſcribi? Atque, ſi protrahantur, &, ut veteres loquebantur, tempeſtiva fiant, fas equidem fuerit Dnn. Paſtoribus, ut moneant, diſcedendum eſſe; aut, ſi reliqui convivæ manere præſumpſerint, ipſi ſaltem diſcedendo aliis viam monſtrent. Mirum vero, Reyneſſium, cum ſuis, usque adeo VI.

Digitized by Google

parcum eſſe temporis, (lubens do, nullam parſimoniam eſſe honeſtiorem) quum per totum Belgium conſtet, quantum temporis alias vindicare ſibi conſueverint diſcurſationes pro regno Præciſiſtico. *Secundo* Thales noſter Ciceronianus ita proloquitur: *Rariſſime etiam quid boni iis* (conviviis ſcil.) *creatur, ſæpiſſime quid mali; laſcivus iſte, ebrius ille, impurus alius.* Sed, dato quoque in omnibus conviviis hoc accidere, (quod tamen falſum, D. Reyneſſius, pro nobilitatis avitæ conditione, aliis, quam ſartoriis & ruſticanis, conviviis non videtur interfuiſſe) certe per Dn. Paſtorum præſentiam hoc magnam partem præcaveri poſſet. Si Seneca enim ſæpius hoc inculcare potuerit: *Ita vivas, tanquam ſpectet Epicurus.* Quis non exiſtimet, obtutui piorum Paſtorum plus delatum iri, quam Epicuri, aut alicujus ei ſimilis? Difficultates quas prætexit Noſter, nullæ deprehendentur, modo Paſtor ſtatæ ætati mores compoſitos & infucatos ſociarit. At cum domini Præciſiani ante primam barbam, quam infeliciter ſæpe, circa hæc & ſimilia Cenſuram exercere inſtituerint, exiſtimat Reyneſſius, ſi cornicula Æſopica agnum in ſublime tollere non potuerit, ne quidem Aquilam hoc præſtituram eſſe. *Tertio* dicit, *homines perſuadent ſibi, miniſtros iis aliquid debere, ſi laute eos excipiant, atque ſua peccata clauſis ferme oculis prætereunda eſſe.* Fortè exiſtimarint ſic gentiles Reyneſſii, qui ſi in gratiam Dn. Paſtoris armum ovillum aſſarint, & gallinam occiderint, etiam quod interverſum putari poſſet, reprehendendum non cenſuerint. Non vero idem ſenſus erat Lydiæ, quum Paulum & Timotheum hoſpitio exciperet, Act. 16. nec alia mens quam Lydiæ agnoſcetur omnium, qui verè reſipuerunt. *Quarto* ſic pergit: *Docet & experientia, plurimum minui* παῤῥησίαν *& libertatem Miniſtri magnatum conviviis.* Sed, næ! illi ex ordine Paſtorum miſeri habendi ſunt, qui bolo in os injecto patiuntur ſibi παῤῥησίαν eripi. Paſtor erit prudens conviva, atque inter ipſa hilaria apud Magnates *cibum fallacem* (Prov. 23. 3.) ſuſpectabit. *Quinto* ita inſurgit: *Si huic invitanti te addicas, illi neges, acceptor perſonarum, contemtor aliorum audis; ſi quibuſvis, non tempus modo perdis, ſed & mundo & commeſſatoribus te facile ſimilem ſiſtes.* Eadem ratione inferas, προσωπολήπτην jure haberi poſſe, qui renuit cum omnibus converſari. Si tempus, ſi ratio ferat, Paſtor non ſubducet ſe conviviis hominum piorum, etiamſi minus locupletes fuerint, ſi ad ea vocari contingat.

VII. Pergimus cum Reyneſſio, qui proxime p. 155. vicinorum ſtata convivia invadit, decem adverſus illa argumenta adducendo, ut numero vincere

cere

Digitized by Google

cere poſſit. 1. Sic intonat: *Cujuſvis notæ homines admittuntur; Hæretici, excommunicati, Judæi, profani, &c. de quibus ſcriptum eſt, ne quid edamus cum illis.* Convivia hæc ut admittimus ſolummodo ſub certis conditionibus, (prout ex præcedentibus liquet) ita, ſi tales in iis occurrant, cum quibus Scriptura vetet nos cibum capere, quilibet pius domi ſe potius continebit, quàm ut cum talibus cibum capiat. Velim vero è Scriptura doceri, licitum non eſſe cibum capere, cum omnibus illis, qui audiunt heterodoxi. Cum antea probaverim, Chriſtum interfuiſſe quoq; convivio Phariſæi, contrarium potius intuleris. Quæ Reyneſſius pag. 156. & ſeq. excipit contra Chriſti exemplum, diluta & inepta ſunt. Etiamſi is ſolus poſſet *corda flectere*: exemplum tamen ipſius non deſinit eſſe regula vitæ noſtræ. Poteſt aliquis (quando tempus & ratio permittunt) honeſto intereſſe convivio, & in eo ipſo ex admonitione Chriſti vigilare & ſobrius eſſe. 2. Ita cornicari pergit: *Madida pleraque ſunt hæc convivia, in quibus non niſi bibitur.* Ergo nec à nobis probantur. 3. *Ramis arborum ædes & feneſtræ replentur*, &c. Quis hoc ſimpliciter improbandum eſſe dixerit? Cenſuram vero incurrit, ſi hac ratione convivantes thyrſigeris Bacchi aſſeclis ſe ſimiles reddant. 4. *Sumtus & partem hic etiam illi faciunt, quibus aliàs egere licet.* Sed improbari hoc debet. Opulentiores pauperioribus ſuccurrere deberent, atque imitari (Nehem. 8. 11.) pium Nehemiam. 5. *Plurimi illic flore Liberi patris tantum non merguntur*, &c. Ergo merentur argui, utpote quum ſint *maculæ* in honeſtis conviviis, Jud. verſ. 12. Ebrietati neutiquam patrocinamur. 6. *Clamant, cantant, vociferantur*, &c. Fateor, quod ipſe *clamor* ab Apoſtolo Eph. 4. 31. improbetur: ſed, quis dixerit, perpetuò vicinorum convivia inconditis clamoribus perſonare? Cantus an in conviviis ſimpliciter improbari debeat, non facile dixerim. Graviſſimus Romanorum Cato in Originibus, *morum apud majores hoc exemplar fuiſſe* dicit, ut qui accubarent, ad tibiam canerent majorum laudes atque virtutes, ut legere eſt apud Ciceronem lib. 4. Tuſc. Quæſt. Atque in conviviis quoque ipſum populum Dei conſueviſſe ſe cantu oblectare, quidam non de trivio Theologi colligunt ex Pſ. 137. 3. 4. Certe Syracides eum maximi facit, ſic enim loquitur Eccleſiaſt. cap. 32. 7. 8. *Sigillum carbunculi impoſitum ornamento aureo, eſt concentus muſicorum in vinoſo convivio. Sigillum ſmaragdi in aureo inſtrumento eſt muſicorum melos ad vinum ſuave.* 7. *Neque raro ad rixas & pugnas deſcendunt.* Sed hoc eſt de raro contingentibus, & pertinet ad ἀταξίαν horum convivio-

viviorum, cui per gravis Paſtoris præſentiam obviam iri poſſet. In Curia aliquando quoque ipſi Patres conſcripti pugnos duxerunt; concludas ergo fas non eſſe, ut vir honeſtus eam ingrediatur. 8. *Horrendis juramentis reſonant parietes.* Quando rationes has expendo, aliter in animum inducere non poſſum, quam hominem hunc Ultrajecti educatum fuiſſe aut in platea incendiaria, aut illa, quę nomen habet à claudis; ita neſcit diſtinguere inter convivia honeſtiorum civium, & infimæ plebeculæ. 9. *Ridentur, exſibilantur, monitores & reprehenſores omnes.* Si forte hoc ſemel acciderit juniori Paſtori ex ordine Præciſianorum, intempeſtive legitimum uſum Sanctearum arguenti, exiſtimat noſter homo hoc ſemper eventurum eſſe.

Intererit multum Davuſne loquatur, an herus,
Maturuſve ſenex.

10. Ita argutatur: *Annua ſunt hæ compotationes, cum Deus tamen ſæpe, ab ipſo anni initio, ad cineres & ſaccum vocet.* At jam antea ſtipulati fuimus, opportuno tempore convivia hæc debere inſtitui, ipſumque Magiſtratum, ut arbitraretur, rogavimus. Et hæ quoque ſunt machinę, quibus lepidus Reyneſſius meam ſententiam, de vicinorum conviviis, proterere eſt aggreſſus.

EXERCITATIO XXI.
DE
POCULIS VOTIVIS, VULGO SANTEIS DICTIS.

1. *Occaſio, cur agatur de his poculis, quorum abuſum Author deteſtatur.*
2. *Ritus, propinandi in alicujus ſalutem, antiquus eſt apud multas gentes, ignotus tamen Scripturæ.*
3. *Statu Controverſiæ probe conſtituto, & ſequeſtrato abuſu, per varias rationes, & adducta variorum Authoritate, oſtenditur licitum eſſe in alicujus ſalutem bibere.*
4. *Occurritur D. Voetii argumentis.*
5. *Quam feliciter idem hic argumentetur ab Authoritate.*
6. *Quantum tribui debeat ejuſdem obteſtationi.*
7. *Expenduntur alteræ D. Voetii rationes, occurrentes in Diſputatione de Sortis abuſu.*

I. Quod

Digitized by Google

QUod plurimi ex Paſtoribus, ſuperiori Exercitatione notatis prætexant, propterea ſe per conſcientiam, conviviis intereſſe non poſſe, quod non queant declinare pocula Sanitatis, quæ, utut omnia agant, delibare ſaltem debeant, ſi modo commodi convivę haberi velint: operę pretium fuerit de illis egiſſe. Enimvero, Deus novit, quam infeſtus ſim horum poculorum abuſui atque ebrietati, quæ committitur per illum, & quidem ſub ſpecie amicitiæ & charitatis, contra legem non minus juſtitię, quam dictamen ipſius naturæ, cujus, pro dolor! prę multis hominibus obſervantiores ſunt mutę pecudes, quas ne verberibus quidem adigere poſſis, ut plus ſive edant, ſive bibant, quam naturę modulus exigit. Quod & ipſi viri Principes, iique Germani, quibus unquam modo ratio conſtitit, cenſuerunt. Lubet adoptare verba celebris Theologi, nempe Rev. D. Joannis Crocii, *ſic loquentis in Comm. ad cap. 2. Tit.* Apud nos ordine obambulant in conviviis pocula, quæ ſi non exhaurias ęque ac ceteri, mox audis contemptor humanitatis & amicitię. Si quis horum cenſu comprehendere velit quę fraternitati, quę apud multos ſolo tuiſſandi officio conſtat, deſtinari conſueverunt, non repugno. Sed & hoc poculorum genus à Pauli lege alienum, nullam ætatem, omnium minime ſenilem decet: quippe quod fere ab ebriis tractari ſolet, quemadmodum apud Plautum Pſeudolus ebrius laudat morem manu candida propinandi cantharum dulciferum amicißimam amicitiam. Soteria voco, quę in regis & aliorum ſalutem bibuntur, more à gentilibus Gręcis deſumpto, apud quos, teſte Athenęo lib. 10. in Deorum Regiſque honorem bibitum eſt. Non abs re dixeris, ſic appellari κατ' ἀντίφρασιν. Minime enim ſunt Soteria, cum nec proſint iis quorum ſaluti deſtinantur, & ſæpe obſint bibentibus plurimum: id quod Illuſtrißimus ac Literatißimus, beatißimę memoriæ Princeps, Dominus Mauritius, Haſſiæ Landgravius, Dominus meus Clementißimus, alter ſeculi noſtri Neſtor, in aula Stucgardiana, cum in aliorum ſalutem biberetur, memorabili verſu docebat, *veſtra*, inquiens, valetudo corpora noſtra necat. At poſtridie in itinere de malo aularum more graviter conqueſtus, laboris illius præmium ſequente verſu exponebat: *Qui vult alterius cyathis haurire ſalutem, Tale lucrum referet, perdat ut ipſe ſuam*. Hactenus *Dn. Crocius.* I.

Nn 3 Interea

II. Interea tamen non video, cur ſimpliciter improbari debeat ritus, juxta quem jam olim poculum (ſtipulor cuiq; perpetuo ſartam tectam ſuam libertatem, quam ratione potus circumſcribi neutiquam patior) amicornm memoriæ conſecrari conſuevit. Mos ille antiquus eſt, nec Græcis ignotus, notante Aſionio Pediano ad Verrinam Actionem tertiam, ubi ſequentia offendas: *Eſt autem Græcus mos (ut Græci dicunt) συμπιεῖν κυνθιζομένυς, cum merum cyathis libant, ſalutantes primo Deos, deinde amicos ſuos nominatim: nam toties merum bibunt, quoties & Deos & caros ſuos nominatim vocant.* Idem patet ex Grę̨corum proverbio: τὸ τρίτον σωτῆρι, *Tertium ſervatori*; à more libandi tertii poculi Jovi Servatori, de quo Plato in Charmide, & lib. 3. de L L. Apud Latinos idem receptum fuit. Quomodo legas apud Plautum Stich. 3. 2. verſ. 16. *Propino tibi ſalutem plenis faucibus.* formula extat in eadem Comœdia act. 5. ſc. 4. verſ. 27. de quo ritu conſulendus Lipſius lib. 3. Antiq. Lect. Ad Septentrionem populos, à multis ſeculis hunc ritum quoque obſervaſſe, ab aliis obſervatum eſt. Nec tamen dederim, hujus ſolemnitatis Scripturam meminiſſe. Atque falluntur, qui tale fuiſſe Joſephi poculum arbitrantur, cujus mentio fit, Geneſ. 44. 5. Neque enim in Textu dicitur, quod Joſephus eo ſolitus fuerit libare memoriæ Pharaonis; ſed ipſe Joſephus de eo teſtatur, *quod experimento didicerit per illum ſcyphum, quales eſſent ſui fratres*: quæ ſunt diſſimulantis verba, alios tentandi cauſſa prolata. Nehemiæ quoque poculum, quod Regi Artaxerxi ut pincerna (Nehem. 2. verſ. 1. 3.) porrigere ſolitus erat, ad rem non facit. Neque enim ipſe Nehemias poculum ebibit, ſed duntaxat prægustavit, pro more adhuc hodie in aulis recepto. Speciatim conſtat ex Xenophonte lib. 2. Cyripæd. eos, qui Perſarum Regi à poculis erant, conſueviſſe parum vini ex cyatho in ſiniſtram manum infuſi, præcavendi veneni cauſſa abſorbere.

III. At ut libenter largimur, ritum hunc, quatenus jam olim receptus fuit, in Scriptura neque commemorari, neq; κατὰ τὸ ῥητὸν præcipi; imo execrandum eſſe ſi ſerviat promovendę ebrietati, ut olim apud Grę̨cos, (eorum in bibendo intemperantiam prę cę̨teris antiqui Patres notant) atq; hodie in aulis male compoſitis, & homines hujus ſeculi; ita nulla occurrit ratio cur non liceat, in timore Dei, poculo addere votum, ſive perſonam certam, ſive rem aliquam reſpiciens. Teelingius, loco dicto, fatetur convivia agitanda eſſe, ut Chriſtiana charitas non minus foveatur, quam exuſcitetur; ſed ratione abſentium amicorum ea quoque pro-

promovetur, quando eorum non modo meminimus, quam, ſimul addito voto proſperitatis, alios monemus, eorundum pariter meminiſſe velint. Reyneſſius pag. 162. ſtatum controverſiæ pervertit, quando fingit votum addi, ut poculum evacuetur. Nam ſtipulamur per totum hunc diſcurſum, ut cuiq; ſacta tecta maneat ſua libertas. Addit, *evacuatio mea an ſaluti ſit abſenti?* Erit ſignum ſingularis affectus, qualequoque ſolet eſſe ſalutatio civilis. Quærit amplius, mihi, pag. 163. aſſatum anſerem deſtinando, *Cur cibo votum non additur?* Uno verbo: quia conſuetudine non eſt receptum, cui in talibus adiaphoris alias paret libenter, quiſquis eſt prudens: *Secundo*, ſi licet abſentium amicorum meminiſſe & inquirere in proſperitatem eorundem, Gen. 45. 3. cur non liceat inter bibendum fauſta ac felicia iiſdem, ſimul bona verba dicendo, apprecari? Deo tacite invocato, velit iis proſperam valetudinem, corporiſque non minus quam animę bona clementer largiri: maxime, cum admonitio ſit Apoſtoli, 1. Cor. 10. 31. *Sive editis, ſive bibitis, ſive quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite.* Quam Dei gloriam, ut promovent, quicunque ejuſdem mandata ſervant ita mandatum Dei eſt, ut *iis ipſis benedicamus, qui nos inſectantur*, & conſequenter; multo magis benedicamus illis, qui nobis ſunt amici, cum eodem loco (Rom. 12. 14.) repetatur illud *benedicti.* Cedo vero, quid formulæ, quæ circa hæc pocula vulgo frequententur, aliud ſunt quam formulæ benedictoriæ? Quę oggannit ποδομανής Reyneſſius hominis arguunt ingenium. Jurares eum foricarii filium eſſe, & in latrina educatum: nam modo os impurum, me cacare, modo cacare & mingere jubet in alicujus ſalutem. Summa ſummarum vero hæc eſt, quod *poſſit poculo votum addi, ut ſantea non ſit*, pag. 163. & quod ſit aliud *poculum memoriæ, aliud ſanitatis.* Ergo ſumus pares: & hactenus Chryſippus ille D. Voetius, poſt bonam Prinnium, tantum chartæ conſcribillavit, circa ſimplicem voculam. Ipſe ut invenit vocem Santeę, ſic ipſa nobis eſt ſuum poculum memoriæ, inter quod & poculum Sanitatis non plus intereſt ex noſtro, & omnium piorum ſenſu, quam inter uxorem D. Voetii, & conjugem D. Giſberti, primi Theologiæ Profeſſoris in Academia Ultrajectina. Bibant ebrii ſive Santeas, ſive pocula Sanitatis, ſive pocula memoriæ, ſobrii non obliviſcentur ſuæ libertatis, & qualecunque fuerit poculum, cui addunt votum, volent ut Deus illud ratum habeat. Verba noſtri hominis ut olent amomum latrinale, ita amplius neque valent. *Tertio*, ſi liceat ex idiotiſmo Ebrææ linguę ſive pacem, ſive Deum propitium

tium (hoc eſt omnia proſpera) apprecari laborantibus, Ruth. 2. 4. cur non licebit quoque, pari ratione ſimilia precari bibituris? *Quarto* David, 1. Sam. 25. 6. per ſuos legatos eadem apprecatus eſt Nabali, quem tamen ut virum ſui nominis everſum volebat Deus: cur non in honeſto convivio quoque, ad quod pii convenerunt, Deo *elargiente poculum exuperans*, Pſal. 23. 5. convivæ accumbentes, dum ſibi invicem propinant, ſe invicem pariter εὐφημισμοῖς exuſcitent, proſpere dicendo ſive Patriæ, ſive Magiſtratui, ſive Eccleſiæ, ſive alteri alicui rei, cujus ſecundus expectatur eventus, ſpeciatim ratione Eccleſiæ, ad mutuam cohortationem dicendo ex Pſ. 122. 6. 7. *Expedite pacem Ieruſchalaimorum, dicentes, tranquilli ſint amantes tui: Sit pax in præmunitione tua, tranquillitas in palatio tuo?* Atque, ut hæc convenientiſſime fieri poſſunt, imo fiunt quotidie à graviſſimis & optimis viris, iiſq; Reformatis, ſic, ut & ſobrietati, & juſtitiæ in bibendo (quatenus unicuique integrum eſt, tantum bibere, quantum naturæ ſuæ ratio exigit) litetur; ita patet, eos ex Theologis omnino fruſtra eſſe, qui contendunt, ut poſtea videbimus, *Santeas Reformatas* (utor virorum celeberrimorum voce) non poſſe inveniri niſi in Utopia. Ipſe D. Crocius ſub hac limitatione favere videtur hiſce poculis, quando loco dicto ita loquitur: *Mos forte per ſe non omnino damnandus, ſi cuique pro viribus & appetitu ordinato, aut quantum ad honeſtam hilaritatem ſufficit, bibere concedatur; at cum ebrietas intenditur, aut ultra vires, aut etiam ad immodicos hauſtus urgentur hoſpites, pugnat manifeſto cum Pauli lege.* Quam expreſſe vero patrocinatur Nicolaus Hemmingius in libello à noſtris quoque æſtimato, qui inſcribitur Paſtor Euangelicus, quem, in gratiam ſtudioſorum Theologię, aliquando meditati ſunt hic Groningę pręlo ſubjicere Theologi celeberrimi, *D. Henricus Alting* & *D. Samuel Mareſius*, Collegæ plurimum honorandi. Verba Hemmingii, loco ſupra citato occurrẽtia, hæc ſunt: *Quid ergo* (inquit) *de philoteſiis, & ſymperiphoris ſentiendum? Philoteſias, quæ ſunt cum in amicitiæ ſignum præbibimus alicui, ac deinde poculum porrigimus, laudo: modo ad exhauriendum nemo cogatur. Neque ſymperiphoras, cum ordine dicitur, canitur, bibitur, in honeſto convivio reprehendendas judico; modo convivæ maneant intra modeſtiæ terminos.* Nec alia mens ſaniorum moralis Philoſophiæ Doctorum. Inſtar omnium ſint duo ſequentes. Prior eſt Reverendus & Cl. Dn. Matthias Paſor, non minus Theologus conſummatiſſimus, quam Philoſophus πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, ſimulque vir optimus, & Collega dilectiſſimus; qui in Diſput. de

Ebrie-

Digitized by Google

Ebrietate, propoſita anno 1653. ſequentia habet: *Etſi omnem amicorum recordationem inter pocula improbare nolimus, deteſtamur tamen κυκλοποσίαν illam, qua in aliorum, inprimis Magnatum, ſanitatem ſinguli ordine ſcyphos majores coronatos evacuare coguntur.*&c. *Rectius longe Angli faciunt, qui, cum in ſanitatem amicorum communium abſentium alteri præbibunt, illi, an quid, & quantum viciſſim bibere velit, liberum relinquunt.* Alter eſt Dn. Senguerdius, Celeberrimus Philoſophus in Gymnaſio Amſtelodamenſium, & quondam Collega in Academiâ Ultrajectinâ, qui in Collegio Ethico Diſp. de Temperantia, Reſpondente filio vigilantiſſimi in Orthodoxa Amſtelodamenſium Eccleſia verbi miniſtri *D. VVittevvrongel*, propoſuit *hanc Theſin, quæ ordine* 18. Ex hac temperamentorum diverſitate facile judicari poteſt, quam iniquum ſit, & à ratione alienum, totum collegium, omnes & ſingulos convivas, cogere ad æquales hauſtus, majores quam multorum natura permittit; quod ſæpe fit prætextu ſanitatis, ſive poculi in ſanitatem hujus vel illius: quo facto, nomine ſanitatem bibentes, revera morbos animi & corporis bibunt. Non quidem in univerſum omnia omnino pocula ſanitatis damno: nam non puto peccare eum, qui in alicujus ſalutem bibit, modo non plus infundat in corpus, quam alias licitum eſt. Sed hoc tantum volo, quod talia frequenter præbeant peccandi occaſionem: temperantis itaque eſſe, in tali caſu ſe prudenter & caute gerere. *Hæc ille.* Teſtimoniis his, bona fide productis, quod opponeret, non invenit Reyneſſius, niſi quod cornicetur perpetuo de voce Santeæ, quaſi ea non poſſit evadere ſuum poculum memoriæ, quæ oppido quam diluta ſint, quivis perſpicit.

At tandem deſpiciamus, quid Celeberrimus D. Voetius *Santeis*, hac ratione limitatis & circumſcriptis opponat? Quum jam anno 1636. per biduum unã eandemq; Diſputationem de Ebrietate proponeret, inſtituit quoq; per modum appendicis quaſi, *de Sanitatibus, ſeu poculis boni ominis* agere, ut tum loquebatur, atq: implicando uſum cum abuſu, utrumq; proſcribit, ſic tamen ut videri poſſet qualicunq; ratione adhuc favere legitimo uſui. Cæterum mentem ſuam ulterius detexit Diſp. 8. de ſelectis quibuſdam Problematibus, propoſita anno 1648. die 2. Decemb. atque Th.40. ſic Rev. D. Mareſium alloquitur: *Sciat me primum aut ſolum non fuiſſe, qui ad occaſiones ebrietatis, nominatim inter Belgas noſtros & Germanos, retinendæ aut promovendæ pocula illa retulerim, & propterea ab iis abſtineri velim. Quamvis enim non videat quis ea in ſe,* IV.

per ſe, intrinſece & formaliter peccata eſſe, negare tamen nequit, quin tutius ab uſu eorum & multo magis à commendatione Chriſtiani, imprimis profeſſione Theologi, abſtineant, &c. *Ideales ejuſmodi Santeæ in Republica Platonica Germanorum & Belgarum quaſi per ſomnium ſubſtituta aut ſubſtituendæ, occaſionem prolapſus in malas ſanteas, ab autoribus illis condemnatas, minime tollunt. &c. De Affectu enim declarare per hauſtus, inſtitutis ac promulgatis conditionibus, obligatorios & per annexam divini nominis invocationem ſubinde magis implicitam, ſubinde magis explicitam, merito diſquiri debet, an non ſit factum odioſum, indecorum, periculoſum, intemperantiæ præludium, aut proclivis occaſio ebrietatis, in Belgarum conviviis honeſtum (uti videtur) retinaculum, & honorarius ingurgitandi prætextus, inſuper irreverentiæ aliquid erga ſanctiſſimum Dei nomen implicans, aut ſaltem ejus ſpeciem, & conſequenter ſcandaloſum. Nos in ſententiam affirmantem inclinare malumus*, &c. Verba hæc viri Reverendi hoc loco integre exhibere volui, ne videar me voluiſſe ei ſimilem reddere, atque affingere conſequentias, quemadmodum ipſe occaſione controverſiæ de Bonis Pſeudo-ſacris plena manu eas mihi admetitur. Bonus noſter ſocius Reyneſſius, qui hic cum ſuo Magiſtro in pice hæret, p. 167. ne manus cogatur veritati porrigere, eo recurrit, ſuum Chryſippum interim oppugnaſſe Santeas, quę limitari non queant. Sed hoc revera eſt λογομαχεῖν, aut potius inepire. Quicquid dicatur, ſcribatur, aut fingatur, ex præcedentibus patet, quod revera vir Rever. exiſtimet, inter præbibendum non licere votum addere, aut meminiſſe alicujus ſalutis. Eoque deſpiciamus, quomodo id probet: cumulat vero more ſolito in utraque Diſputatione rationes & teſtimonia, utraque uſque adeo confundendo, ut vix caput, aut cauda inveniri queat. Laborabo tamen rationes diſtincte eruere, & dein ad Authoritates me convertam. In Diſputatione priori hæc videor notare argumenta, proprie ad rem pertinentia, reliqua enim concernunt pocula adverſantia juſtitiæ, quæ nos pariter cum viro Rev. deteſtamur. I. *Hic bibendi mos uſum liberum creaturarum Dei Chriſtianis adimit, eoſque tyrannica ſervitute premit, contra primitivum Chriſtianiſmum*, &c. Reſp. 1. Sed jam antea præſuppoſuimus, nullius libertati hac in parte ſtruendas eſſe inſidias, ſed cuique permittendum eſſe tantum bibere, quantum naturæ modulus exigat. Sed dicit Reyneſſius, pag. 167. cur non liceat abſtinere? Nec prohibemus, modo non fiat eadem intentione atque ipſum anethum & mentham decimabant Phariſæi. II. Summæ vero incivilitatis eſt, quando Deus in convivio

vivio corda hilaritate replet, nolle poculum honeſtæ memoriæ alicujus rei deſtinatum, vel delibare ſaltem. Ubi Reyneſſius vero probaverit incivilem ruſticitatem, & Phariſaicam culicum cribrationem in Scriptura probari, hæ delibationes ſpeciem mali (hoc contendit pag. 168.) attrahent. III. Ut certum eſt, Joſephum Patriarcham fuiſſe non minus virum Politicum, quam Doctorem tum in Eccleſia, tum inter ipſos Ægyptios: (Pſ. 105. 22.) ita ſignanter de eo annotare placuit Spiritui Sancto, quod cum ex fratribus ſuis cognoviſſet de proſperitate ſui Patris, voluerit eos ſecum *convivari & affatim bibere*, Gen. cap. 43. verſ. 27. 28. juncto verſu, 34. Nec refert, quod amicorum ſuorum forte mentionem non fecerit Joſephus, (ut garrit Reyneſſius) quum ſufficiat eum affatim cum fratribus bibiſſe: quod cum circa noſtras *Santeas* ſeu *Salutis pocula* extreme D. Votius inſectetur, dubito admodum an non permittat circa *ſua pocula memoriæ*. II. *Quia ut plurimum & ex ſua natura occaſio & cauſſa eſt ebrietatis, & abuſus creaturarum Dei. Pari ergo ratione, qua hodierna chorea, comœdia, ſimileſque peccatorum illecebra à Theologis ex methodo explicationis Decalogi ad* VI. VII. VIII. *præceptum explodi ſolent, ritus hic exterminandus eſt*. Reſp. I. Pari ratione omnes vites cum Mahumedanis exſcindas, atque vinum conviviis proſcribas, quod Manichęi jam olim, non ſolum illud, teſte Auguſtino de Hæreſ. cap. 46. vocarint *fel principis tenebrarum*: ſed, quod incommoda illius, ſpeciatim contentiones, loquacitatem, vulnera, & rubentes oculos, velut quotidiana & ordinaria, pathetice exaggeraverit ipſe Θεόπνευστος Salomon Proverb. 23. 29. Abuſuum conveniens abrogatio non poteſt quicquam derogare legitime limitatis uſibus rei adiaphorę. II. Falſum eſt, Theologis, quibus modo mens ſana reliqua fuit, choreas, & comœdias, ſimpliciter damnaſſe. Eos, qui ἀῤῥωστίᾳ διανοίας ſępe deprehenduntur laborare, curare fas non eſt. Reyneſſii ineptæ replicæ, occurrentes pag. 169. de non morando inter ebrioſos, arguunt hominis τὴν μωρίαν. Quęcunque arguit, ad Theſin & rem non faciunt. III. *Quia ſcandaloſus eſt, ſeducens imprudentiores, & triſtitia afficiens non paucos*. Reſp. Concedo, ſcandalum præberi, ſi neglecta juſtitia, omnes cogantur ad æquales hauſtus, uſque dum inebrientur: At ſcandalum duntaxat acceptum notandum eſt circa præſentem noſtrum caſum. Tentet vir Reverendus, an contrarium eruere poſſit è Scriptura; promitto me fore docilem, ſi adferat ſolidas rationes, paucas licet, non vero, more ſolito, inania verba, & ſyrma ſubleſtarum maleque cohærentium cita-

 tionum.

Digitized by Google

tionum. Inſt. *Nunc applica huc analogice illud* 1. Cor. 8. 12. 13. *Reſp.* Verba illius loci ita habent: *Quapropter ſi eſca offendiculo eſt fratri meo, non edam carnes in æternum, ne ſim offendiculo fratri meo.* Reſp. Concedo lubens, quod monet Paulus, ratione rerum Adiaphorarum eſſe faciendum; ſed, ut hoc faciendum eſt, in præjudicium quaſi Chriſtianæ libertatis, & in gratiam fratrum infirmorum, de libertate ſua non probe edoctorum (hos enim ſolos in hyperbolica hac locutione Paulus reſpicit) ita neutiquam infirmis hiſce fratribus accenſuerim D. Voetium, & quotquot cum eo idem ſentiunt: certe videntur quam illuminati eſſe. Plures ex omni hominum ordine exiſtimant licere poculo Salutis in honeſto conſortio ſatisfacere, atque offenduntur graviſſime, quod quidam ex DD. Præciſiſtis, hic velint ſingulares eſſe, quum tamen conſtet aliquot ex iis, ſi non ad hydropem uſque, ferme quotidie, fortiori potu ſe ingurgitent, in ſummis tamen delitiis habere ſumariam *illam Infernalem*. Cedo vero, quinam hic mereantur haberi infirmi fratres, Dnn. Præciſiſtę, ſive D. Voetius cum ſuis cæcis admiratoribus, an vero tot ſinceri, devoti, integerrimique Chriſti Profeſſores qui contrarium facere ſoliti ſunt? Dnn. vero Præciſiſtis ea ſolum inculco, quæ habet D. Calvinus ad dictum Pauli locum: *Vtinam*, inquit, *hoc bene perpenderent, qui omnia ſic referunt in ſuum commodum, ut ne pilum quidem cedere de ſuo jure* (an non hoc fiat ab illis, ad quos mea directa oratio, tu ô Lector, judica?) *fratrum cauſſa ſuſtineant: nec quid Paulus doceat ſolum attenderent, ſed quid exemplo ſuo præſcribat.* Simul moneo eoſdem, attendant ad illa, quæ Belgæ Interpretes habeant ad præſentem Pauli locum. Ego quidem videor ſequentia inveniſſe: *Ende ſtelt hier den Apoſtel eenen ghemenen regel, waer nae de conſcientie aller ghelovigen moet ghereguleert worden, ten aenſien vande middelmatige dingen, ende vande ſvvacke, maer niet ten aenſien vande balſterrige ende moetvvillige.* Si adverſarii per hunc locum triumphare velint, oſtendant, ſe, cum ſint ſingulares Doctores, ſecundum obfirmatę ſuperbiæ ſpiritum, agnoſcendos nihilominus eſſe pro infirmis in fide fratribus. Ad hæc quum reſpondere non poſſet, cum ſuo Doctore noſter Reyneſſius, pag. 169. 170. 171. excurrit in locum communem de Scandalo: quid vero de illo ſit exiſtimandum, patet ex peculiari noſtra de eo exercitatione, ubi D. Voetii nugatorias Diſtinctiones plene diſcuſſimus. III. *Quia nomina eorum profanantur, in quorum ſalutem bibitur.* Reſp. Concederem, ſi, ad ebrietatem

tem uſque, pocula hæc bibenda forent in memoriam abſentium, atque pro iis, quaſi ebrioſitati deditis, hac ratione honorandis, inſaniendum eſſet. Sed jam antea præſuppoſuimus, nullius libertati hic eſſe inſidiandum aut præjudicandum. Atque, ut affectum noſtrum probamus, vergentem in honorem abſentium, quando de proſperitate eorundem ſciſcitamur; ita manifeſtamus, quanti eoſdem faciamus, ſi inter pocula Chriſtianæ lætitiæ, cum voto proſperitatis, eorundem memoriam recolimus. Noſter homo, cum nihil inveniret, quod cum ratione opponeret, fingit ſe ignorare, ad cæremonias civilitatis pertinere ut bibatur in alicujus memoriam, atque profuſis multis otioſis verbis, vult pag. 172. ut ſibi hoc probem è Scriptura; quod faciam, ubi mihi probaverit ex eadem, ad teſtandam civilitatem, pro aliquo licere aperire caput. Hæc & ſimilia, in ſe indifferentia, æſtimari debent pro more cujuſque gentis. Secus ſi cenſeant moroſi aut Phariſaici Demeæ, per me quidem, quod ſapere nolint, ſuo ſenſu fruantur, dum deſierint inter homines morari. IV. *Quia nimis ambiguos & vulgares reddit ſerios, & religioſos illos geſtus: Et nugacem, vilemque notat devotionem ac præciſitatem eorum, qui cum ſanitati libenter aſſurgant, genuflectant, caput nudent, vix in publicis exercitiis pietatis tale quid præſtarent.* Reſp. Ut diſtingui ſolet inter ordinationem civilem atque religioſam, ita pariter differunt geſtus utrique proprii. Morum civilitas in honeſto convivio neutiquam improbanda, nec culpandi, qui eidem ſtudent. Si qui circa pocula ſalutis in ſe non illicita, inſaniant, atque religioſius magiſque devotis geſtibus eos honorent, quorum memoriæ conſecrata ſunt, quam Deum ipſum venerari conſueverint, eos pro jejunis Dei cultoribus habemus, nec ea, quæ merito ſunt improbanda, pertinentque ad abuſum, patrocinio, ſed cenſura digna eſſe cenſemus. Nec tamen propterea triumphus paratus D. Voetio, ut ſomniat Reyneſſius pag. 173. quaſi ego invitus compellar concedere, quod ipſe urget. Neque enim putem, ad Santearum eſſentiam ſpectare (ſicut ipſe vult) ut tales geſtus adhibeantur, quos ego ad abuſus refero. V. In diſputatione Problematica, videor ſequens quoque argumentum notare, propoſitum hiſce verbis Authoris: *Theologi in particularibus ſecundum factorum circumſtantias determinationibus, nonnunquam ſequuntur quod magis probabile & magis tutum*, &c. *Imo etiam ad abundantem cautelam ab iis abſtineri ſuadent, quæ alioquin in ſe & per ſe licita ſunt, nec ipſi diffiteri poſſunt. Sic exempli gratiâ,*

antiqui Chriſtiani, eorumque Doctores abſtinebant ab appellatione templi (de quo in diſp. de Templis,) ab arte ſtatuaria communiter abhorrebant, & prima Synodi Belgica aboleri volebant conciones veſpertinas & funebres. Reſp. I. Egregium Caſuiſtam, qui conſcientiis laqueos injicit per decreta quorundam Theologorum Utopicorum, quos neque nominare potuit, neque auſus fuit. II. Cedo illos Theologos, qui ſimpliciter ſuaſerint, *ad abundantem quaſi cautelam, abſtinendum eſſe rebus in ſe & per ſe licitis.* Si qui hoc ſuaſerint & docuerint, adverſati fuerunt Paulo, cujus locum 1. Cor. 8. modo examinatum forte tales *D. Voetii* patroni pro ſe adducere poſſent. Non niſi in caſu ſcandali, atque ut infirmiorem fratrem lucrifacere poſſet, in perpetuum carnium eſum per propoſitionem hypotheticam, quæ nihil in eſſe ponit, ejurare voluit Gentium Apoſtolus. III. Exhiberi velim illos ex antiquis Eccleſiæ Doctoribus, qui tradiderint, antiquos Chriſtianos, voce templi abſtinuiſſe: nec unum qui hoc doceat, citatum invenio à viro Rever. in duabus de templis Diſputationibus, quæ mihi ad manum ſunt. Atque, ſi Chriſtiani primitivæ Eccleſiæ ipſa voce *templi* abſtinendum eſſe ſtatuerint, næ ipſe *D. Voetius* Diſp. altera *de Templis* Th. 8. inſigniter illis adverſatur, quando ita loquitur: *An à Sanctis templa ſint denominanda?* Reſpon. *In prima Impoſitione Neg. quomodo determinant noſtri de nominibus perſonatum. Ubi uſu illa nomina obtinuerint, agendum ut mutentur per eos qui debent & poſſunt* : &c. *Si non eſt in poteſtate Eccleſiæ & Magiſtratus, aut uſus & conſuetudinis tyrannis vicerit,* &c. *noſtri, ut intelligantur, utentur appellationibus uſu receptis exemplo ſanctorum, qui à nominibus idola referentibus eo in caſu non abſtinuerunt.* IV. Concedo lubens, ſtatuariam & pictoriam artem Chriſtianos primævos non exercuiſſe, ne in Idolis adornandis operam ſuam Gentilibus locare adigerentur. At, unde vir Rever. probabit, ab ipſa arte, quæ donum Dei eſt, pariter abhorruiſſe Chriſtianos in primitiva Eccleſia? V. Fateor, per conſtitutiones Synodales proſcriptas eſſe toto ferme Belgio Reformato (unam forte nobis vicinam Drentiam ſi excipias) conciones funebres: at, haut fore piaculum, eaſdem reſtituere, prout adhuc receptæ ſunt in Eccleſiis Palatinis, multorum, eorumque haut obſcurorum in Eccleſiis Belgicis Theologorum judicium eſt. VI. Non diffiteor pariter, in primis Belgii Synodis, videri conciones veſpertinas minus probatas fuiſſe: at, eas ab aliqua Synodo, ſaltem pro certo aliquo tempore, improbatas fuiſſe, plane nego. Synodus Medioburgenſis Anni 1581. art. 47. ita duntaxat ſancivit: *De Kercken*

Kercken in devvelcken 't ghebruyck der Avont-Ghebeden is, ſullen deſelve moghen houden, maer daerſe noch niet inghestelt ſijn, ſalmenſe niet in laten, ten vvare in tijden van ghemeynen noot: doch daermenſe begeert vvech te nemen, ſal 't ſelve niet ſonder oordeel des Claßis, mitſgaders der Overheyt de Gereformeerde Religie toegedaen ſijnde, geſchieden. VII. Si quis hęc contenderit cum iis, quæ dicta ſunt à tam Celebri Theologo, quomodo ſe continere poterit, quin ſalva ipſius Reverentia, cum Flacco exclamet: *Manifeſta Phrenitis.* Quum Theologi Belgæ, congregati in Synodo Medioburgenſi, adiaphorum voluerint eſſe uſum concionum veſpertinarum, nec alicui Eccleſię decretorium in modum quicquam præcipere, concludo ſecundum *D. Voetium*, argumentando à pari, adiaphorum pariter cenſendum eſſe uſum poculorum ſalutis, nec contra eorum uſum publice ſcribendum, aut diſputandum fuiſſe. VI. Ex eadem Diſp. *D. Voetii* eruo hoc argumentum: *Nondum video, quomodo patroni chorearum, comœdiarum, loteriarum, alearum, omniumque ſortium ludicrarum, ſimiliter ridere non poßint Theologos noſtros.* Paulo ante vero dixerat: *Exceptiones, quæ contra adferri ſolent, aut poſſunt, diluere ſtuduimus in Diſp. de Sortiis &c. abuſibus.* Reſp. I. *Clamet Melicerta periiſſe Frontem de rebus!* quod vir Rev. auſit provocare ad ſuam Diſputationem de Sortibus, quam jam anno 1638. adeo nervoſe, & ſolide (ſtricte licet) excepit vir longe doctiſſimus, idemque Theologus non minus judicioſiſſimus, quam plurimis ſcriptis, cedro digniſſimis, tam de Eccleſia, quam Philologia Græca & Hebræa meritiſſimus, *D. Thomas Gatakerus*, Theologus Londinenſis, ut ab eo tempore ne hiſcere quidem ſuſtinuerit Theologus Ultrajectinus: cumque *Gatakero* velut larvam objeciſſet *D. Balmfordum*, cui tamen jam tum reſponſum fuerat à *Gatakero*, hic pag. 46. *hunc in modum reſpondit*: Quod ſi D. Voetio animus fuerit, vel *D. Balmfordi* ὑπερασπιστὴν agere, vel; ſi illo fælicius rem geſturum ſeſe confidit, vires proprias poterit experiri, in *Gatakeri* Tractatu illo oppugnando; quod haud difficile fuerit homini, qui tam numeroſum agmen antiquitatis totius, Pontificum, Principum, Theologorum, Politicorum in aciem producere, horumque omnium armis inſtructus, ad pugnam procedere potuerit: intelliget forſan, quod infelix olim Rex ille, nondum omnium dierum Soles occidiſſe, nec tanto ſtrepitu fremituque ita nos exanimatos, quin tueri noſtra & velimus, & forſan etiam valeamus. *Huc uſque Gatakerus.* Cur *Gatakero* huic à tot annis Rev. *D. Voetius* non reſponderit, aliam cauſſam comminiſci non poſ-

Digitized by Google

ſum, quam quod vir aſtutus diſſimulare hæc omnia voluerit, ne imitando adverſarium longe doctiorem & in ſcribendo accuratiorem, cui ſe parem fore deſperabat, exiſtimationem omnem decoqueret, eidemque adverſario ſuo occaſionem commodam præberet, malam fidem, à ſe in citandis authoribus commiſſam, ulterius detegendi. Certe, filius viri Rev. ille *Nobiliſſimus & Ampliſſimus Paulus Voet*, qui tum temporis in Anglia vivebat, addita manus ſuæ inſcriptione, dictum libellum per literas mihi dono miſit, amplius obteſtando per literas, ſuccurrere velim ſuo parenti, non minus quam τῷ πάνυ *D. Ameſio*, antiquo meo præceptori, quem Doctiſſimus *D. Gatakerus*, una fidelia duos parietes dealbans, pariter tetigerat. Hæc complectebatur prima Editio Exercitationum Sacrarum. Poſtea recuſus eſt *Gatakeri* libellus, alias inventu rarior, atque noſter homo anno 1660. ei reſpondere vice Voetii ſuſtinuit; ſed uſque adeo miſere, ut miſereat me non tam D. Voetii, quam D. Ameſii, quod talem Hyperaſpiſten nacti fuerint: ut deinceps patebit. II. De Comœdiis poſteà ex profeſſo agam, atque de Choreis proxima Exercitatione infra. Hic duntaxat noto, *D. Voetium* more ſolito fumos vendere, quando perſuaſum cupit, omnino abſtinendum eſſe luſu aleæ, & conſeqnenter quoque *uſu poculorum ſalutis*. Rigidus ille diſciplinæ vindex, magnumque columen Eccleſiarum Gallicarum τρὶς μέγιςος D. Calvinus, hac in parte, ratione luſus aleæ longe moderatior, quando Epiſt. 374. *ita loquitur*: Aleæ enim & quas chartas vocant, ut ad ſuperſtitiones non pertinuerint, ſed aliorum vitiorum fuerint inſtrumenra, multum quoque damni & malorum paſſim intulerunt. Ac, quod ad iſtiuſmodi luſus attinet, *non ita prorſus à nobis damnarentur, ſi in eorum uſu, quod licet, locum haberet*. Sed ubinam extat illa ſobrietas? Primum, non eſt aliud uſpiam, quod ita homines quaſi viſco impediat, adeo ut totos eorum ſenſus occupet, non ſecus ac faſcino correptos. Sed, quemadmodum qui illis aſſueverunt, non ita poſſunt valedicere; ita etiam qui pedem aliquantum retulerit, illa omnia faſtidiet. Porro, qui ſeſe ita iis rebus dedunt, atque ita inſanire pergunt, incidunt in multas moleſtias. Notum eſt, vix unquam luſus effluere ſine blaſphemiis, fraudibus, atque excandeſcentia. Quot etiam familiæ inde acciſæ? Nemo enim tenet modum, quin ſe exhauriat, aut ſenſim ipſe conſumat. Maxime ubi de lucrando agitur, fieri vix poteſt, quin Deus ipſe lædatur aliquo modo. Quare magnopere expedit ab illis eſſe alienos, quantum fieri poteſt. Optimum

Digitized by Google

mum vero abſtinere prorſus. *Huc uſque eo loco Calvinus* : quem locum & integrum volui aſſcribere, ne me parem exhiberem Rev. *D. Voetio.* Fateor lubens D. Calvinum cenſere optimum eſſe, in totum abſtinere luſu aleę, quod deſperaret luſum, quem *prorſus* non poterat *damnare*, ad leges honeſtatis atque juſtitiæ poſſe redigi. At, quum hic ipſe Epiſt. 361. ad Vatellum anno 1562. hunc in modum ſcripſerit: *Quod ad luſus ſpectat, cupio moderationem tenere. Primum ne quaſtus inde fiat, vel lucrandi illecebra ſtultos homines implicet. Ad hæc ne modum excedant, vel ſumptu, vel aſsiduitate. Leges ergo ferendæ eſſent, &c. quæ vitia, quantum fieri poſſet, coërcerent. Ne lucrũ quis reportet: ne quod in convivium deſtinatur, gravet luſores. Ne ſæpius id fiat, & quæ prudẽter legiſlatores cavenda proſpicient.* Hę ipſę cautiones, ad modũ legum, utut antea deſperantẽ quaſi, hunc ipſum *D. Calvinum* audiverimus, cum circa luſum aleę & chartarum, prorſus non damnabilem ſecundum *Calvinum*, locum habere poſſint, conſequẽs eſt, utrumq; quoque, velut juſtitiæ ac honeſtati conſentaneum, admittendum eſſe, ſi ad ejuſmodi modo leges exactus fuerit. Atque, ne quis luſui aleę, & chartarum, aliquid horrendi magis ſubeſſe opinetur, componimus cum utroque luſum Schaccorum, multis Theologis Reformatis familiarẽ, atque, poſt Hieronymum Vidam Cremonenſem Epiſcopũ, non tralatitio Commentario celebratum à Lamberto Danæo, quondam Theologiæ, Profeſſore in Academia Lugduno-Batava, (de me licet per conſcientiam teſtari queam, quod non minus ab illo ipſo, quam omni luſuum genere à prima uſque ætate abhorream) ſimulque ſociamus præcedentibus verba Eximii *D. Gatakeri*, in eodem Tract. pag. 36. ſic loquentis: *In Scaccorum, quem appellant ludo, quod multum temporis teratur, quod vexari & intemperiis agitari ludentium animi ſoleant, ubi fruſtrari conſilia ſua animadverterint, ab ipſa ludi natura ex parte provenit. Quem tamen ludum eo nomine tanquam illicitum prorſus, à quoquam unquam damnatum mihi eſt hactenus inauditum.* Sed de his infra copioſus fuerit agendum in Diſſertatione peculiari de uſu Aleæ.

Poſtea, ab authoritate humana argumentari more ſuo Rev. *D. Voetius* V. incipit, quam argumentorum claſſem licet tuto præterire queamus, utpote curandam nullatenus à Theologo, lubet tamen hoc tempore eandẽ luſtrare. Quod priuſquam ago, iterũ digitũ intendo in *Gatakerum* dicto Tractatu pag. 53. *hunc in modum loquentem*: Cæterum malæ Fidei Theſium harũ autor non uno nomine iſtic manifeſtius tenetur. I. Quod Cypriani, ſcriptoris, ſiquis alius, graviſſimi pariter ac elegantiſſimi

Pp nomi-

nomine, morionis ineptiſſimi fabellas futiliſſimas, nęnias putidiſſimas, barbare conſcriptas obtrudit. Vide Tract. de Sort. cap. 8. §. 10. pag. 254. 255. II. Quod Auguſtinum & Chryſoſtomum laudat tanquam cauſę ſuę patrocinantes, apud quos locis citatis de Ludis hiſce, ne verbulum quidem reperitur. Auguſtinus Epiſt. 119. cap. 10. cujus verba & in Canonem tranſlata habentur apud Gratianum cauſ. 26. quę de eis tantum loquitur, *qui de paginis Euangelicis* (num chartæ & alea ſunt paginę Euangelicæ?) *ſortes* (conſultorias ſcil. uti mox explicat) *legunt*. *Chryſoſtomus in Matth. orat.* 6. (quod & jam olim monuimus in *Tract. de Sort. cap.* 8. §. 11. *pag.* 260.) Ludum & riſum à Diabolo datum contendit & in ludos Theatrales ſubinde invehitur. *Hac iterum ille.* Ut vero D. *Gatakerus* candide ſcapham ſcapham vocando, ratione citationum, non dubitavit D. *Voetii* malam fidem publice notare, quod intereſſet de ea publice conſtare; ita neque nobis vitio verti poterit, ſi oſtenderimus *Voetium*, tantum natu eſſe *Voetium*, atque integro decennio poſt, nondum mutatum eſſe. Initium facio à Teelingio, in quo D. *Voetium*, ſi quem alium oporteret eſſe verſatiſſimum. At vocet licet eum *ſummum inter Belgas Practicum*, ac digitum intendat in illius librum, qui inſcribitur *Neceſſaria Demonſtratio*: nunquam tamen D. *Voetius* evicerit, *Santeas*, quatenus à nobis limitatæ ſunt, ibidem traduci. Earum verbo, non meminit lib. 5. cap. 9. inter peccata VII. Pręcep. & quanquam lib. 5. cap. 6. ubi agit de convivio Chriſtiano, eas taxat, non tamen definit: imo pag. 238. ἀϑρήματι Satanæ aliter non deprehendit, quam quatenus uſurpantur ab iis, qui intendunt ſuos convivas inebriare, atque hac in parte nullam rationem habent juſtitiæ. Accedo ad Ameſium, qui lib. 3. cap. 16. parum quoque favet viro Reverendo, Th. ult. hæc duntaxat habet: *Abſtinendum igitur* &c. *ab illis ritibus quibus ſolet ebrietas artificioſe promoveri. Cujus generis ſunt adjurationes aliorum, per nomina magna, vel chara, ad pocula evacuanda: circummiſſio poculorum, ut ab omnibus & ſingulis pariter exhauriantur*: &c. quę omnia & nos libentiſſime concedimus. Adducitur dein Taffinus, ſed minus quoque auſpicato: nam quamvis lib. 2. de Emend. Vitæ cap. 36. art. 2. perſtringat *calices ſine pedamentis*, & id genus pocula ludicra; alia ratione hoc tamen non facit, quam quatenus ſerviunt promovendæ ebrietati, atque, per ejuſmodi Bacchica inſtrumenta, non urgente quoque ſiti, accumbentes bibere coguntur. Falſum vero, quod addit D. *Voetius*, argui pariter ab hoc *morem prabibendi ac pocula tradendi apud Belgas receptum*

Digitized by Google

tum: quaſi vero vir egregius uſque adeo inſanierit, ut exiſtimarit non licere convivis in moderata cœna ſibi invicē propinare. Quum D. Voetii fidem, circa citationes horum Authorum, in integrum reſtituere non poſſet noſter Reyneſlius, pag. 176. contentus fuit ſcribere: *Quos ego ut multis vindicem neceſſe non eſt.* Atque ut aliquid tamen videatur dicere, poſt profuſa plurima verba, probare laborat hoſce Authores, ſpeciatim Teelingium & Taffinum, eodem modo conſideraſſe ac definiviſſe Santeas, prout illas definivit D. Voetius: ſed ut ne hoc quidem liquido ex iis ipſis probat; ita ſi probaret quoque, nobis nequicquam poſſet officere, quum nihil ad rem faciat. Succedit Boltonus in lib. qui inſcribitur *Noachi ambulatio cum Deo*, qui in Belgicum idioma tranſlatus, excuſus eſt Ultrajecti, ſimulque compoſitus ad modulum Theologorum, qui glorientur, quod Præciſiſtæ habeantur. Pagina ſiquidem 599. cum in margine Author annotaſſet locum Epheſ. 5. 15. ex textu Originali, qui habet ἀκριβῶς περιπατεῖτε, Editor reddidit, *vvandelt preeyſelijck*: quum tamen Belgæ Interpretes habeant, *vvandeldt voorſichtighlijck*; eaque Interpretatio ſerio à nobis vindicetur in Tract. *de vera Præciſitate*. Porro hic Boltonus à pag. 242. ſerio & pathetice quidem ebrietatem arguit, variiſque citatis Authoribus à *D. Voetio* quoq; annotatis, invehitur in illos qui contra juſtitię legem pocula Salutis propinant (vide pag. 251.) non tamen ex profeſſo & diſerte arguit innoxiam formulam, de qua nobis quæſtio. Licet nolim inficias ire, eum prę aliis hic videri rigidiorem eſſe. Provocat quidem poſt Boltonum *D. Voetius* ad authoritatem *Ambroſii*, quando dicta Diſp. 8. ſic loquitur: *Accedente ad cumulum autoritate Ambroſii de Elia & Iejunio cap.* 17. ſed uterque culpandus, ſi Ambroſium ita interpretetur, quaſi aliter poculis his infeſtus fuerit, quam ut frequentantur ab ebrioſis. In Tract. jam dicto, Ambroſius totus eſt in delineanda ebrietatis turpitudine, capitiſque 13. hæc eſt Inſcriptio: *De conviviis præliatorum & fortiſſimorum adoleſcentum, & de potu ad æquales calices.* Poſtea cap. 16. indicante lemmate, agitur *de magna ebrietatis deteſtatione.* Ac dein cap. 17. *De obteſtationibus & ſacramentis potantium.* In ipſo vero textu hęc occurrunt: *Quid autem obteſtationes potantium loquar? Quid memorem ſacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro ſalute Imperatoris & qui non biberit, ſit reus in devotione. Videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ejus ſalute non biberit. O piæ devotionis obſequium. Bibamus pro ſalute exercituum, pro comitum virtute, pro filiorum ſanitate. Et hæc vota ad Deum pervenire judicant,*

cant, ſicut illi, qui calices ad ſepulchra martyrum deferunt, atque illic in veſperam bibunt, & aliter ſe exaudiri poſſe non credunt. O ſtultitiam hominum, qui ebrietatem ſacrificium putant, qui æſtimant illos ebrietate placari, qui jejunio paſſiones ſuſtinere didicerunt. Quis non videt, ab Ambroſio ſolummodo damnari illas delibationes votivas, quæ ab ebrioſis ad alios inebriandos frequentari ſolent? Ex more ſeculi Ambroſiani, quemadmodum alibi in alio Tractatu prolixe docebimus, celebrabantur epulę, quæ erant legata illorum qui in fide mortui erant, quibus intereſſe probro Chriſtianis non erat, ſi modo temperantiæ limites non tranſilirent. Atque, ut merito notabantur, qui in feralibus illis conviviis ſeſe inebriabant; ita Ambroſius, loco modo citato vult innuere eos ſolummodo cenſuram mereri, qui poculis votivis ad inſanam ebrietatem uſque indulſerint. Poſt Ambroſium Duumviri hi, Boltonus ſcilicet & *D. Voetius*, ſollicitant quoque Hieronymum; verum pari fide ſucceſſuque, atque antea Ambroſium allegarunt. Ille quidem adducit locum ex Commentario Hieronymi in cap. 1. Epiſt. Pauli ad Titum, cæterum mutilum. Integer locus ita habet: *Longum eſt ire per ſingula, & inſanias, quas ebrietas ſuggerit, explicare. Videas alios pocula in tela vertentes, ſcyphum in faciem jacere conviva: alios ſciſſis veſtibus in vulnera aliena prorue-re, alios clamare, alios dormitare. qui plus biberit, fortior computatur. accuſationis occaſio eſt, adjuratum per regem frequentius non bibiſſe.* Sed, an idem eſt, poculum conſecrare alicujus memorię, atque *accumbentes convivas adjurare per regem, ut frequentius bibant?* Hoc nos cum Hieronymo non modo improbamus, verum etiam execramur. *D. Voetius* in jam dicta Diſp. VIII. digitum intendit in Comm. Hieronymi ad cap. 7. Ozeæ. Verum cur ipſa verba non adduxit? Ipſe Argus ibid. ſequentia ſolummodo invenerit: *Non ebriantur vino, ne leve putetur eſſe peccatum: ſed inſaniunt ex vino, de quo Moyſes ſcripſit in cantico Deuteronomii: Furor draconum vinum eorum, & furor aſpidum inſanabilis: hi enim comedunt cibos pietatis, & vino iniquitatis inebriantur. Dicit & Apoſtolus: Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Et in Proverbiis legimus: Principes vinum non bibant, ne obliviſcantur ſapientiæ, & recta judicare non poſſint.* Quid hęc & ſimilia vero ad rem faciunt? Porro *D. Voetius* Boltonum propitium ſibi per omnia eſſe, forte clamabit, quod apud eum pag. 345. Vir quidã ſpectabilis dixerit, quum ſibi propinaretur in ſalutem regis: *Bibam ego in ſalutẽ meam, atque pro Rege & imperatoribus precabor.* Quaſi vero curari debeat à Chriſtiano Deũ reverente, quid ὁ Δεῖνα dixerit, aut fecerit,

atque

atque forte hic in Utopia cenſor (cujus nomen Boltonus prodere non ſuſtinuit) vocem, quæ Boltono cedro digna viſa fuit, demum ediderit, quum urgeretur ad evacuandos coronatos grandioreſque calices: quod inde & colligi poſſe videtur, quia metuit ſuę valetudini. Interea tamen Boltonus (cujus fidẽ obiter hactenus cũ *D. Voetii* fide, probata multoties, ad examen vocavimus) aperte auſus non fuit illud dicere, quod in propatulo ſuos diſcipulos *D. Voetius* docere ſuſtinet. Deveni ad Canoneriũ qui, lib. 3. de Admir. vini virtut. cap. 7. art. 44. & ſeq. pag. 532. ad ſuffragium vocando Matheneſium (quem & *D. Voetius* fingit ſibi eſſe ὁμοψηφὸν) duntaxat inſectatur *abuſus bibendi ſuper ſanitate Principum*, atque dum vel *potando in mutuas ſanitates ſævitur, vel tranſitur in ſocietatem peccati; per immoderatum uſum.* Sed, hæc ad rem non faciunt, nec ſerviunt pręſenti inſtituto. Succedunt ex Jeſuitis Johannes David, Antonius Balingen, & Chavaſſius: ſed, cum dicti Authores ad manum non ſint, nec mihi proletario, qui modico tantũ ſtipendio gaudeo, & ęruſcare neſcio, integrum ſit, exemplo D. Voetii, omnigenas libellorum quiſquilias coëmere, dicere non poſſum, an in iis citandis D. Poſidonius bonam fidem probaverit. Quamvis ex parte credam, D. Voetio ſimilibusque Præciſiſtis hic aſtipulari Lojolæ ſocios, quo utrique probent, ſe imitari Patriarchas ſuos Phariſæos, qui, docente Chriſto Matth. 23. *purgabant exteriorem poculi patinaque partem, intus vero pleni erant rapina & intemperantia.* Mirum vero, crudum hunc librorum helluonem, ſuſtinuiſſe pro ſeſe adducere ex Ethicis Wendelinum & Liebenthael, quum à veritate expugnatus, fateri cogatur, utrumque admittere *Santeas* ex modulo noſtro *Reformatas.* Ridiculum vero, quod loco jam dicto ſcribat: *Notavi in ſcedula locum Muſculi in Matth.* 4. *fol.* 45. *Sed nunc liber ad manum non eſt, ut denuo conferre poßim.* Quaſi ſcil. religioſus hic Scriptor, qui authores ab aliis ante ſe citatos ſolitus eſt ſolummodo indicare, non conſueverit alicujus teſtimonium ſollicitare, niſi inſpecto antea Codice, in quo hoc invenitur. Atque, ſi verum ſit, quod de ſemet, gloriando etiam videtur innuere, næ falſariorum impudentiſſimus haberi debet; ut, vel hac ſectione, me, poſt τὸν πάνυ *D. Gatakerum*, abunde oſtendiſſe confido. Non vero neceſſum erat, hanc ſcedulam à D. Voetio tam religioſe cuſtodiri, ſiquidem, apud Muſculum, toto illo capite, nequidem verbum occurrit ad *Santeas* pertinens. Muſculum vero ad manum non fuiſſe D. Voetio, illi portentoſæ, non minus, quam locupletiſſimæ Bibliothecæ poſſeſſori, haud equidem

Digitized by Google

mirum mihi accidit: bono viro, ſecundum admirabile ſuum judicium Criticum, jam diu ſorduerunt primorum Reformatorum ſcripta, præ libris Jeſuitarum, eorumque authorum, qui, vice rationum, integras paginas citationibus authorum replent, quod hi apud improvidos adoleſcentes tutari queant titulum *belluonis librorum*, pro quo Celeberrimus D. Theologus paratus eſſet vadimonium deſerere. Unus, ac forte Achilles, ex his teſtibus ſupereſt, qui pro *D. Voetio* totum negotium confecerit. Is eſt, qui auguſto elogio ab eodem condecoratur in Diſp. *de Ebrietate*, & quidem ſecundum hanc formulam: *Diffuſæ eruditionis Juriſconſultus Gul. Prynne, cum generis nobilitate tum rara pietate conſpicuus, in Tract. Anglico, adverſus* Salutes *conſcripto*. Liber hic Prynnii (de quo viro ante aliquot annos tam amplus rumor per Britanniam & Belgium fuit) ſi reſpondeat ejusdem Tractatui de Spectaculis, (nam hunc ſolum vidi) dixerim, diffuſam eruditionem Authoris (licet hic ipſe à D. Voetio oſtentetur ut *nobilis*) reſpondere ſcopis diſſolutis, atque ſervire confirmando dicto vulgato, quod eam ſolam vim fortem eſſe agnoſcit, quæ fuerit *unita*. Fueritne vero Prynnius pius, ſolus Deus novit, quum *D. Voetius* quando favet, nimis quam liberalis ſit in titulo illo concedendo. Certe, hoc non poſſum cognoſcere ex ejusdem libro de Spectaculis, niſi pariter Phariſęi pii fuerint agnoſcendi, eo, quod *cuminum & anethum decimarent*. Atque hactenus, occaſione Sanctarum, locum Teſtimoniorum excuſſimus, quem tuto alias negligere potuiſſemus, (ob rationes in Præfatione prioris Editionis allatas) niſi ipſe *D. Voetius* more ſolito ſe recepiſſet ad ſacram anchoram, atque deſtitutus ſolidis rationibus, eos in partes ſuas ſollicitaſſet, quos parum eidem profuiſſe modo patuit.

VI. Unum adhuc ſupereſt, ſeria ſcil. *D. Voetii* in hac cauſſa obteſtatio, in Diſput. Octava, ſępius jam citata, quę directa ad Rev. D. Mareſium, ita habet: *Ego interim fruar ſenſu meo, abſque ipſius ſententia inſectatione, & tantiſper à conditionatis, votivis, & ad hauſtus ſive majores ſive minores, toties obligatoriis Belgarum poculis pro libertate Chriſtiana & Belgica abſtinebo per Dei gratiam, donec ille ſcrupulum omnem conſcientiæ meæ ſolida ac pia inſtructione exemerit.* An non diſſentientes in hac ipſa cauſſa D. Voetius inſectetur, arbitretur ipſe Lector, conſiderando ejusdem verba, fide optima ſupra adducta. Teneram vero ejus conſcientiam, more conſueto erudiri neſciam, ſollicitare in re tantilla nolo. Concedo illi lubentiſſime, ut vivat (Scriptura ipſa non diſſentiente) ſecundum

vulgarem

vulgarem Thalmudiſtarum formulam,qui in Pirke Aboth hoc dictum, velut Gamalielis, jactare ſolent: *Abſtineas à re dubia.* Quum & ipſe Plinius Junior, Scriptor longe elegantiſſimus, lib. 1. ep. 18. hoc præceptum dederit: *Quod dubites, ne feceris.* Interim tamen non video, quomodo hic culice levior cenſeri debeat camelus. Vir Rev. per conſcientiam non audet leviſſime quoque delibare poculum votivum: & tamen religio illi non eſt, falſis teſtimoniis patrocinari cauſſæ ſuæ. Hac in parte ſcandalum mihi datum eſſe, profiteor: atque à falſo teſtimonio allegando per Dei gratiam ſcrupuloſius mihi cavebo, quam ut Phariſęos imiter, atque in honeſto convivarum conſortio, poculum ob votum, duntaxat relationis notionalis rationem habens, admittere renuam.

Hiſce priori Editione jam abſolutis, atque ad Typographum delatis, incido in D. Voetii Diſputationem de Sortis abuſibus, Ultrajecti propoſitam die 24. Decemb. anno 1636. quam dum luſtro, offendo appendicem, cui præfixa eſt hęc inſcriptio: *De verbis & factis otioſis.* Simulque diſco, Theſi tertia Theologorum ſcilicet ἀκρίβιστον, diſputare adverſus pocula votiva caſtigata, atque ita alloqui illos, qui emendationi in hac re adiaphora aliquid tribuunt: *Interim ipſi ſtrenue prævaricantur cum terminos mutant, & pro* ſalutibus *hodiernis (quæ oppugnantur) alias quaſdam edolatas aut dedolatas ſubſtituunt, quæ non magis ſunt in uſu aut in rerum natura, quam idea Platonica. Si quis modo dubitet, certe à facto aut ſaltem à ſeria rei tam otioſæ tamque inutilis, imo & pleriſque tam periculoſa apologia ſuperſedere cogitur.* Ex quibus verbis, quum vel cæco appareat, Celeberrimum D. Voetium, etiam tum, innoxiæ formulæ, pro teneritudine ſingulari ſuę conſcientiæ infeſtum fuiſſe, pariter colligi poteſt, eundem omnibus modis ab eo tempore ſcrupulos inſtituiſſe movere viris optimis, quo ſe ſimilem exhiberet illis, quos duntaxat poſſe ταράσσειν, in ſimili ferme cauſſa Apoſtolus dicit, Gal. 5. 10. Sed cum poſtea ex Reyneſſio noſtro didicerim, ipſum D. Voetium non abhorrere à poculis *memoriæ* ebibendis, rogo nos liquido doceat quantum inter illa intercedat, atque *Santeas*, ex noſtro ſenſu reformatas. Interim videamus, quas rationes D. Voetius adferat in Diſputationis dictę Appendice. *Primo,* (inquit) *quia implicant abuſum nominis divini, non minus quam ludus ſortium in genere. Probatur, tum quia indecore & præpoſtere videntur ſubſtitui precibus pro ſalute principum, &c. tum quia invocatio Dei, aut apertis verbis, aut ſaltem implicite poculo illi præmittitur ac ſubſter-*

VII.

ſubſternitur. Reſp. I. Argumentum à pari ſolide diluit D. Gatakerus, ſuam de Sortibus ſententiam vindicando à cavillationibus *D. Voetii*, cui ipſe debuiſſet reſpondere. II. Bonum factum, quod uſus ſit verbo *τὸ videri*, quod familiare eſſe ſolet Pyrrhonis familię. III. Quis dixerit per votiva hęc pocula, ex minima quoque parte aboleri ſolennes preces pro Magiſtratibus, iisque qui nobis proximi ſunt? IV. Quis ſtatuerit quoque, nefas eſſe, poculo, in honeſto convivio alteri propinato, per modum conſecrationis, adjicere precationem, in qua ſpeciatim mentio fiat certæ perſonæ? Monitum eſt Apoſtoli 1. Cor. 10. 13. *Sive editis, ſive bibitis, ſive quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite.* V. Notus & textus Pſ. 116. 13. *Calicem ſalutum accipiam, & nomen Iehova invocabo.* Quo loco ne D. Voetius dicat (hæc enim benedicendi formula ei familiaris eſſe ſolet) me blaſpheme abuti, aſſcribam illa, quæ in Notis habet Bartholomæus Coppenius, quondam Theologus Celeberrimus in Academia Heidelbergenſi: *Rabbi David ait, meliorem eſſe interpretationem literalem, quam ſic refert. Cum rebus lætioribus inſtituam convivium, ſumam poculum in conſpectu multorum & commemorabo ſalutem, quam Deus mihi præſtitit. Et hoc poculum vocari ſalutem, quia rebus ſalvis ſit ſumptum & uſurpatum in Dei honorem & præteritæ liberationis recordationem; quia illo elevato & veluti libamine facto, commemorantur ſalutis Dei. Ab hac non abludit Calvinus, cum ſcribit Davidem alluſiſſe ad morem uſitatum ſub lege; Nam cum ſolemnes agerent Deo gratias, adhibebatur etiam epulum, ubi fiebat, in ſignum lætitiæ, ſacra libatio.* Applicentur hęc iis, quæ *D. Voetius* habet, imo ipſis quoque *Santeis*. Pergit Vir Rever. ita deinceps diſputans: *Secundo, quidquid limitent* ſalutes, *manet tamen otioſa & inutilis obſervatio, quæ tot myriadas animarum perdidit: manent Bacchi excelſa, quæ non reformanda ſed tollenda, ne ulli in poſterum ad ebrietatem iis abutantur.* Reſp. Pari ratione inferre poſſet, non eſſe alicui propinandum, nec invitandum quenquam humaniter ad bibendum; quod tamen ratione lugentium propinando illis poculum conſolationis, per conſcientiam Chriſtianus facere debet. Vere & appoſite Cartvvrichtus ad cap. 31. Proverb. verſ. 6. *Conſuetudo fuit laudabilis in Dei populo, ut defunctorum amici ab aliis invitarentur ad ſympoſium, ut calix conſolationis illis præberetur* Jerem. 16. verſ. 7. *longe ſecus quam apud nos in uſu eſt, ubi vidua morte conjugum graviter afflictæ menſam vicinis & cognatis inſtruunt.* Certe dum propinatur, & dum poculum conſolationis mœrentibus offertur, hi ſæpe non modo vino incaluerunt, ſed inebriati quoque fuerunt.

Digitized by Google

fuerunt. Ergo, cum viro Rev. concludas, contra ipſius Dei judicium, poculum conſolationis pertinere ad Bacchi Excelſa. Non diffiteor, Calvinum ad dictum Jeremiæ locum ſic commentari: *Propheta hic non diſſerit, quid rectum ſit, ſed mutuatur ex communi loquendi uſu has formulas.* Sed, quæ ratio ut ex cæſura cutis & calvitio, quorum Propheta meminit verſ. 6. præcedenti, à Deo expreſſe prohibitis Levit. 21. 5. æſtimetur *poculum conſolationis*? quum Prov. 31. 6. hoc expreſſum mandatum occurrat: *Date potum inebriantem perituro, & vinum amaris animo.* Ut fucum faciat ſuo Lectori Reyneſſius, pag. 181, credulo Lectori perſuaſum vellet, me loco Jeremiæ, quem commodè me expoſuiſſe confido, *parum fidere.* Simul locum Salomonis Proverb. 31. verſ. 6. nova ratione explicare inſtituit, & dicit: *Quanquam, verum fatear, male ironicam conceſſionem pro mandato recipias. Quod enim mandatum non ſit, ex hoc uno perſpicitur: Regi vetat, id quod miſero concedit* verſ. 4. 6. *At modicum vini uſum ſi intelligas, is Regi non denegandus eſt: Immodicus, ſi eum innui putes, ne miſeris quidem concedendus.* At, mi homuncio, quando aliquid è tuo ſincipite proferre videris, miſericordia dignus es. Quid opus hic ironiam fingere? Afflicto potus inebrians ad exhilarationem, neutiquam autem ad ebrietatem dandus; quum Regi fas non ſit eo abuti ad ebrietatem: hoc enim vult locutio, quæ verſ. 4. occurrit. Bibere vinum enim, ſecundum ſtylum Scripturæ, idem eſt atque avide & præter menſuram bibere, Luc. 7. 34. quo ſenſu *bibentes ſechár*, notantur Pſal. 69. 13. Atque viciſſim Matth. 11. 19. *non manducare & bibere*, eſt non communi more modoque victitare. Quod ſi cogitaſſet noſter homo, non ſomniaſſet de Ironia. Ibidem, ſubſequens quoque argumentum occurrit, hiſce verbis conceptum: *Tertio limitationes illa ſpeciem mali non tollunt, & ſymbolizationem ſeu colluſionem ab ebrioſorum devotione in hauriendis ſalutibus, aut cum Gentilium & Barbarorum moribus.* Reſp. Ad locum Apoſtoli, quo jubemur ab omni ſpecie mali abſtinere, in Tract. de Præciſit. prolixe reſpondi: non debuiſſet vero vir Reverend. digitum in hunc ipſum locum intendere, quin ſimul illam ſpeciem malam, ſive illud, quod ut malum hic occurrit, indicaret. Quod hactenus ab eo non fit. 2. Pari ratione iterum poſſis urgere, fas non eſſe, alicui poculum propinare, quod hac ratione colludatur cum ebrioſis. 3. Non omnia, quæ à Gentibus fuerunt facta, pariter cenſuram merentur: quum conſtet, ab iis multa facta fuiſſe, ſecundum lumen naturæ, materialiter

Qq hactenus

hactenus bona, nec Dei legi hac ratione adverſantia. Quod extendi tamen haut velim ad cultum religioſum gentilium, quum illa quoque, quæ adiaphora videri poſſent, cum implicita ſuperſtitione minimum conjuncta ſint. Quæ ſi ex mente mea, ſincere expendiſſet Reyneſſius, pag. 182. ſycophantice mihi non affinxiſſet contradictiones. 4. Ipſos quoque Apoſtolos ſeſe in multis compoſuiſſe ad ritus Gentilium, quo plures ex illis lucrarentur, ſupra ex Incomparabili Caſaubono me docuiſſe memini. 5. Vir Rev. ſtatum quæſtionis pervertit, quando *hauriendarum ſalutum* meminit: neque enim hoc eſt κρινόμενον, an ſalutes immoderate ſint hauriendę; ſed, an poculo votum ſalutis licite addatur? Alias, nequis calumnietur, lubentiſſime adopto verba D. Riveti, ita ad cap. 7. Oz. loquentis: *Vtinam apud Euangelicos, nihil tum inordinate ageretur, apud quos pocula ſanitatis, ut vocant, ingentia exhauriuntur, quæ potatorum ſanitatem imminuunt, aliorum non augent.* Quum ſolenne ſit Rev. D. Voetio, exemplo Menonis Platonici, lectori ſuo plures etiam rationes obtrudere, quam initio pollicitus fuerit; poſtquam hæc tria argumenta propoſuiſſet, amplius fingit ſibi quaſdam Chimæras, ſeu adverſarias rationes, quibus ita reſpondet, ut pariter ſecundum ſolitam ſuam in Diſputando ἀκρίβειαν, novum argumentum diſcipulis ſuis ſuggerat, ita loquendo: *Illi geſtus communi hominum uſu & inſtituto civiliter ſignant amicitiam, aut etiam fidem ac ratihabitionem in contractibus. Sed edere & bibere ſunt actiones non humanæ qua hominis, ſed animales directe tendentes ad nutritionem, obnoxiæ imprimis* ὁπερασίτοις *peccatis; qua nullo jure Gentium, nulla morum civilitate, promiſcue à nobis adhiberi poſſunt, ſaltem non in ordine ad exercitia pietatis, niſi in ſolo uſu cœna Dominica. Itaque vile & indecorum nimis, communibus illis actionibus animalibus declarare devotionem ſuam erga Deum & coram Deo, erga proximum & coram eo. Repugnat enim tum rei natura & Dei inſtituto, tum civilitati morum: quis enim ferat ſe adjurari & conſtringi per nomen Regum, Principum, Eccleſia, patriæ, &c. ad comeſtionem libræ carnis, aut caſei, aut panis?* Reſp. I. Λόγοι, ſi æquivalerent argumentis, viro Rev. paratus foret triumphus. II. Αὐτὸς ἔφα Pythagoricum, primaria argumentorum claſſis ſuæ Rev. cui foret difficile diſtincte probare illa, quæ hic ſuis Auditoribus propinavit. III. Dato, edere & bibere eſſe actiones animales, nihilominus extra uſum ipſius quoque cœnæ Dominicæ, à nobis & dirigi poſſunt, imo debent ad exercitia pietatis: quid enim aliud eſt Apoſtolo 1. Cor. 10. *edere & bibere ad gloriam Dei?* Quod tum demum ab aliquo fit, *ſi*

cum

cum gratiarum actione, ſi temperanter, ſi ad ædificationem una comedentium, adhibitis ſermonibus pietatis edat & bibat, & membra Chriſti egena & eſurientia menſæ ſuæ adhibeat, ut Muſculus ad dictum locum loquitur. Sed, quis dixerit, Deo gratias implicite non agi, aut eum ſuper ſalute proximi invocari, quando poculo votum additur; nec tamen cuiquam præſcribitur, quantum bibere debeat? IV. Velim vir Rev. mecum ex Pſ. 116. conſideret *calicem ſalvationum*, & clare ediſſerat, an non idem hodie extra uſum cœnæ Dominicæ frequentari poſſit? *Hunc autem bibebant è tribulationibus liberati, cum vota ſua Domino redderent, & ſacrificium laudis offerrent*, ut dicit Muſculus ad eum Pſalmi locum. V. *D. Voetius* more ſolito iterum à lineis aberrat, nec illud agit, quod agere deberet: *quum libra carnis, caſei, aut panis*, nihil omnino commune habeat cum noſtris poculis, quæ neque libertati ullius, neque juſtitię ulla ratione præjudicioſa eſſe volumus.

EXERCITATIO XXII.

Quomodo verè fidelis circa licita, quibus aliquod peccatum ſæpe adjungi ſolet, ſe gerere debeat?

1. *Licita ſæpe in illicita convertimus, eoque hic opus eſt ſingulari prudentia.*
2. *Duobus modis res licitæ, illicitæ fiunt, aut ratione perſonarum, aut conſuetudinis.*
3. *A quibus actionibus, alias licitis, ſit abſtinendum?*
4. *Secundum præcedentia examinatur votum, poculo ſuperaddi ſolitum.*
5. *Indicio facto Rev. D. Gatakeri, expenditur lex convivii Abaſſueri.*
6. *Cum quibus perſonis liceat converſari, & qualium converſatione ſit abſtinendum?*

Quicunque nihil rectum eſſe putant, niſi quod ipſi aut fe- I.
cerint, aut faciendum eſſe monuerint, quid non crepant de prudentia Chriſtianorum, circa ea, quæ licita quoque ſunt, ſe mulctante potius eorum uſu, quàm ut diabolo, prono peccandi occaſionem offerre, quicquam largiatur? Reyneſſius Noſter, ut per vim tutari queat ſui Voetii ſententiam de

Santeis, pag. 174. ita proloquitur: *Neque alia mens Celeberrimi D. Voetii, quam ſuadere nonnunquam Practicos, ut etiam rebus per ſe licitis abſtineamus, cum aut vulgus iis abuti ſolet, aut nonnunquam periculum inde oritur.* At voluiſſem, homo meus digitum intendiſſet in illos Practicos Doctores, qui Voetio illi librorum helluoni hic præierint? neque enim quenquam ſani ſincipitis putem indicari poſſe, qui talia docuerit, qualia hic noſter homo exhibet. Fateor lubens, verbum eſſe ipſius Apoſtoli Pauli 1. Corinth. 6. verſ. 12. *Omnia mihi licent, at non omnia conducunt.* & iterum 1. Corinth. 10. verſ. 23. *Omnia mihi licent, at non omnia ædificant.* Nec pręter rationem dixiſſe Bernardum epiſt. 4. 25. *Sicut non omne quod libet, licet: ſic non omne quod licet, ſtatim etiam expedit.* Cumque jubeamur per anguſtam viam & portam incedere, atque ſic eniti ad regnum cœlorum, quoque momento expoſiti ſumus præcipitio; &, dum circa ea quæ licita quoque ſunt, occupamur, niſi Deus ſingulariter per ſuam gratiam nos ſuſtentet, per imprudentiam ea in illicita convertimus. Unde non inconvenienter Auguſtinus de verb. Apoſtol. ſerm. 28. *Fac te ambulare*, (inquit) *ubi à dextra ſpatioſa eſt terra, nec anguſtias pateris: à læva locus eſt præceps: ubi eligas incedere? ſuper finem terræ in præcipitii labro, an longe inde? Puto, quia longe inde.* Concedo quoque, ipſos dilectos Dei filios, uſu ſæpe deprehendere, quod res licitæ ſibi *cedant titubationi & offenſioni animi*, ut in alio ſenſu dicebat Abigaël ad Davidem 1. Samuel. 25. verſ. 31. Ac proinde oculos ipſos, (qui ſunt feneſtrę animi) claudendos ſæpe, ſi non obſerandos eſſe, ne videant ea, quæ ſi curioſius animadvertantur, deſideria prava excitare ſolent. Si enim hoc accidit, ut ex Hiſtoria triſtiſſimi lapſus conſtat, ipſi Evæ, communi omnium noſtrum matri; quid nobis, quamdiu in hoc mundi exilio degimus, non metuamus? Unde occurrit hęc deſcriptio genuini civis cœleſtis Hieroſolymæ, Jeſ. 33. verſ. 15. *Qui ambulat juſtiſſime, & qui loquitur rectiſſime: qui ſpernit lucrum ex fraudibus, qui excutit manus ſuas ne teneat munus, qui occludit aurem ſuam ne audiat cædes, & obſtipat oculos ſuos, ne videant malum.* Quomodo & Jobus de ſe teſtatur, cap. 31. 1. quod *pepigerit fœdus cum oculis ſuis.* Nam, ut dicit Hieronymus lib. 2. adv. Jovian. *Inutile eſt, crebro videre, per quæ aliquando captus ſis.* Interim hic diſtinguendum eſt. Præſumat enim aliquis abſtinere omnibus illis, quæ peccandi occaſionem aliquando exhibuerint, & non converſari cum impiis & infidelibus, *debebit mundo exire*, ut Paulus dicit

Digitized by Google

cit 1. Cor. 5. 10. atque, ut pulchrè loquitur Chryſoſtomus ad hunc locum, ***novum mundum quærere.*** Ut vero liquido ſententiam meam exponere poſſim, diſtinctè prius agam de rebus, poſtea de actionibus, & denique de perſonis.

II. Quod ad res, illæ licet agnoſci debeant *κτίσμα Θεοῦ καλὸν*, 1. Tim. 4. & in ſe qua tales adiaphoræ, ſimul ratione noſtri evadere bonæ poſſint; ſæpe tamen ex accidenti redduntur illicitæ. Quod iterum contingit aut ratione perſonarum utentium, aut ratione conſuetudinis, cui vix Hercules aliquis Euangelicus obnitatur. Ut prius membrum priori loco conſiderem, ſolummodo ***vinum*** ad modum exempli attendatur. Illud donum Dei eſt, ***ab eo datum, ut lætificet cor hominis***, Pſal. 104. 15. Illius uſus ad modum medicamenti aliquando neceſſarius eſt, Paulo ipſo dicente ad diſcipulorum dilectiſſimum Timotheum, ***Ne amplius eſto abſtemius: ſed vino pauculo utere, propter ſtomachum tuum, & crebras tuas infirmitates***, 1. Tim. 5. 23. Et tamen hoc Dei donum, omnibus promiſcue, extra uſum medicamenti, non eſt vel concedendum, vel etiam offerendum. Sed, an proinde vinum potus diaboli cenſeri debet? Quid Encratitæ ſtatuerint, quorum ſectatores Mahumedani ſunt, haud mihi ignotum eſt. Legi quoque, quod Nazianzenus Orat. 20. teſtetur ſe & Baſilium Magnum contraxiſſe morbos plurimos ex abſtinentia nimia, cum ad panem & ſalem nihil ferme adderent, pręter fontis aquam; ipſumque Baſilium continuo hepatis morbo laboraſſe. At, ut horum præfracta abſtinentia probari neutiquam poteſt; ita in exhibendo vino ratio haberi debet & perſonarum, & modi. Quod ad perſonas, quædam *primò* à vino arceri debent ratione temperamenti. Ut, ſecundum Platonem lib. 2. de Legibus, pueri. Applaudit ei Clemens Alexandrinus lib. 2. Pędagog. cap. 2. ubi hoc lego: *φυσικὸν καὶ νηφάλεον ποτὸν, ἀναγκαῖον διψῶσιν ἐστὶν ὕδωρ.* Cum pueris componi merentur quidam quoque viri, quibus modicus vini hauſtus non tam veſaniam quam furorem procurat. Qui ſe ipſos non modo noſſe deberent, ſeſe in perpetuum uſu vini mulctando; ſed quibus alii quoque ex propinquis & familiaribus parcere deberent. Certe non putarim, iis vel propinandum eſſe vinum. Quæ vini, eadem ratio eſt fortioris cerviſię, ſpiritus vini, ac ſimilis potus inebriantis. Sed quid de fœminis ſtatuendum eſt? Maſſilienſium & Romanorum Lex nota eſt ex Æliano lib. 2. cap 38. Athenæo lib. 10. cap. 11. & Plutarcho in Quæſt. Roman. qu. 57. At, ſevera hęc nimis videtur. Medicinę non modo ad inſtar vinũ

ſequiori ſexui eſſe patior, verum putem honeſtæ quoqûe ejuſdem recreationi ſervire poſſe. Chriſtus in nuptiis Canançis ex aqua generoſiſſimum vinum fecit, ad quod bibendum, dubio procul, illius quoque Mater (quæ ibi præſens erat) admiſſa fuit. Sed fœmina, in hac loto deguſtanda, circumſpectior eſſe debet, quam mas. Neque enim fruſtra dictum eſt à Valerio Maximo lib. 6. cap. 3. *Quæcunque fœmina vini uſum immoderate appetit, omnibus & virtutibus januam claudit, & delictis aperit.* *Secundò*, ex voto olim vino abſtinere debebant Naziræi, & quidem juxta Dei præceptum, Num. 6. 3. Ex mandato Jonadabi, (qui videtur Spiritu Prophetico præditus fuiſſe) Rechabitæ, Jerem. 35. cum quibus fruſtra Monachi (qui ad vomitum uſque mero ſeſe ingurgitare ſolent) ſe componere laborant. *Tertiò*, Levitæ, ingreſſuri tabernaculum conventus, vino quoque abſtinere debebant, Levit. 10. 9. quod interdictum tamen non fuit perpetuum. Convenienter Theodoretus in Reſp. ad quæſt. 10. *οὐ παντάπασιν ἀπηγόρευε τοῦτο, ἀλλὰ κατὰ τῆς λειτουργείας καιρόν.* *Quartò*, Daniel cum ſociis ſuis renuit bibere vinum in aula Regis Nebucadnezaris, Dan. 1, 8. non, quod decreviſſet abſtemius eſſe, ſed ne forte biberet vinum, quod Rex idololatra ſuis Diis libaſſet: hoc enim Iſraëlitis vetitum erat, Deut. 32. 8. Atque, ne ejuſmodi vinum à gentibus propinaretur, Doctores in univerſum interdixerunt, ne biberent vinum gentium, ſive quod gentes attigiſſent. Sed, cum cultus Leviticus per Chriſti adventum ſit abrogatus, atque vota Chriſtianorum ſint libera à ſpecialibus præceptis; permiſſus quoque ſit uſus Idolothytorum, hęc Chriſtianos amplius non ſpectare in confeſſo eſt. Sed, quæret quis, an non ergo aliquis Biberius in perpetuum uſum vini ſibi interdicere poſſit? Salvo meliori judicio, non putarim tale votum eſſe probandum: nam præterquam quod temere ſolet nuncupari; (poſtquam pręceſſit grandius peccatum, fere vini faſtidium oboriri ſolet) fas non eſt, abjurare uſum alicujus creaturæ, quam Deus nobis ſumere concedit cum gratiarum actione. De Regibus & Magiſtratibus (quaſi iis interdictum eſſet vinum bibere) hic nihil monemus: ſupra, diſputando cum Reyneſſio, expendimus, quomodo Salomonis locus explicari debeat. Proxime nos convertimus ad modum, quo vinum bibere conveniat. Hic vero meditari convenit illud Hippocratis, *μέτρα πάντα*. Naturæ eſt inimicum, quicquid eſt nimium. Nec tamen certa menſura præſcribi poteſt, juxta quam omnes qui vinum bibunt, hauſtus ſuos exigant. Quiſque ſeipſum conſulat, ne

pec-

Digitized by Google

peccet, & à munere, atque ordinariis vocationis ſuæ officiis avocetur. Ipſius aquæ poteſt eſſe abuſus: ut, V. C. in aqua Choaſpia videre eſt apud Clementem loco dicto, & Herodotum. Illa ex India in Perſidem uſque deportari ſolet, in uſum regum & ſatraparum; quod Choaſpis flavii Indici aqua omnium optima cenſeretur. Atqui aqua illa divites in delitiis ſuis miſeros reddebat, ut loquitur idem Clemens. At, hic dubium emergit, utrum gravius peccent illi, qui potentes ſunt ad bibendum, & grandiores calices evacuare poſſunt citra ebrietatis incommodum, an illi quibus modici quoque hauſtus obſunt? Scripturam ſi conſulamus, ea omnem in univerſum ebrietatem, quocunque loco, quocunque tempore accerſitam deteſtatur. Verbum Chriſti eſt, exceptionem nullam admittens Luc. 21. 34. *Cavete vobis, ne quando graventur corda veſtra crapula & ebrietate.* Scriptura hæc ipſa, Noachi quoque ebrietatem, ut turpem & probroſam notat, Gen. 9. Quanquam non inconveniens mihi videtur eſſe obſervatio Theodoreti, Quæſt. 65. in Geneſ. ita loquentis: *Ab inexperientia* (inquit) *profecta eſt ebrietas Noë; non ab intemperantia. Nam ille primus hominum, compreſſis uvis, ignorans non ſolum quantum eſſet bibendum, ſed etiam quomodo, nempè aquâ temperatum, incidit in ebrietatem.* Eadem non parcit quoque illis, qui ad bibendum ſunt potentes. Notum illud Jeſaiæ cap. 5. 22. *Væ valentibus potare vinum, & ſtrenuis ad miſcendum potum inebriantem.* Interim tamen gravius peccant, qui conſcii ſuæ infirmitatis, omnibus modis non laborant præcavere, ne modicis quoque hauſtibus obruantur. Ebrietas, quam ſibi accerſunt, nullo modo excuſari poteſt; atque ipſi, ideo gravius argui merentur, quod quaſi ſancto timore perculſi, excubias non agant contra tam abominandum peccatum, à quo, attendendo ſuum temperamentum, ſibi cavere deberent tanquam ſerpente nocentiſſimo. Nam, ut juxta Paterc. lib. 2. *Nemo celerius opprimitur, quàm qui nihil timet*: ita, Salomone teſte Prov. 14. 16. *ſapiens timet, atque recedit à malo*: quum, ſecundum eundem Prov. 16. 6. *Reverentiâ Iehovæ recedatur à malo.* Res hactenus conſideravimus ſecundum perſonas quę iis utuntur: porro ratione conſuetudinis attendi quoque poſſunt. Ea vel eſt paucorum, eorumque peiorum, vel publica. Conſuetudo circa rei alicujus uſum publica, ſi mala ſit, à Magiſtratu ſeveris legibus caſtigari deberet, ut V. C. luxus & petulantia circa veſtitum: atque, ſi magiſtratus hic officium ſuum non faciat, pius quivis ingemiſcere debet, atque Deum rogare, ſe contra torrentem hunc munire

velit,

Digitized by Google

velit, ne eo abripiatur. Sed publica ut plurimum cenſetur conſuetudo, quæ eſt paucorum, eorumque corruptorum: qui quamvis meliores quoque ſæpe corrumpant ſuo exemplo, nulla eſt ratio tamen cur talis res cenſeatur illicita in ſe eſſe, eo quod pauci ea abutendo, illicitam ſibi reddant: modo re illa non utantur ſecundum conſuetudinem ſeculi ut corrupti. V. C. Gentibus quibusdam conſuetum eſt cæſariem promittere; quam ſi Juvenes laſcive quoque & in gradus fractam alant, vir pius neutiquam hos quidem ſectabitur: comam tamen more ſeculi promittet, ne videatur ſolus vir eſſe ex annalium memoria. Sed, ut Chriſtiani eſt attendere, *an quid ſit boni nominis*, Phil. 4. 8. ſæpe refragabitur conſuetudini, quod, licet in ſe non complectatur ſingularem turpitudinem, apud pios tamen male audire conſueverit. V. C. quanquam quædam cauponæ improbari non poſſint, & eæ promiſcuè ab ipſis Magiſtratibus citra cenſuram frequententur: genuinus tamen Chriſtianus operam dabit, ut in iis, aut nunquam aut quam rarenter conſpiciatur. Rationes ſupra in Diatriba de Cauponis diximus.

III. Ex ordine jam antea definito, converto me ad actiones, à quibus ut licitis quoque abſtinendum eſt, ſi ob ſeculum corruptum, & illos, cum quibus iis vacamus, exerceri non poſſint abſque peccato. Ridere licet, licet pariter ſe oblectare honeſto luſu. Unde Dei populo ad modum benedictionis promittitur, quod *plateæ ipſius replendæ ſint pueris in eis ludentibus*, Zach. 8. 5. quodque, *quiſque amicum ſuum vocaturus ſit ſub ficum & vitem*, Zach. 3. 10. Et tamen pro dolor! ſuo ævo jam dixit Salvianus lib. 6. de Provid. *Nobis ridere* (inquit) *& gaudere non ſufficit, niſi cum peccato atque inſania gaudeamus; niſi riſus noſter impuritatibus, niſi flagitiis miſceatur. nunquid lætari & ridere non poſſumus, niſi riſum noſtrum, atque lætitiam ſcelus faciamus?* Sed, quis hinc inferat, nunquam his & ſimilibus actionibus vacandum eſſe? Quod Apoſtolus dicit occaſione iræ, quo affectu alter vehementior non datur, Eph. 4. 26. *Iraſcimini, & ne peccate*, hic attendi debet. Atque, ut iræ frænum eſt injiciendum ne inordinate ferat ur; ſic etiam riſui, & oblectationi: quæ probe ordinata futura ſunt, ſi obſerventur regulę, àb ipſo Apoſtolo Paulo præſcriptæ Eph. 5. 3. 4. *Ne nominetur quidem inter vos obſcœnitas, & ſtultiloquium, & ſcurrilitas.* Coloſſ. 4. 6. *Sermo veſter ſemper cum gratia ſit ſale conditus, ut ſciatis quomodo oporteat unicuique reſpondere.* 1. Cor. 10. 31. 32. *Sive editis, ſive bibitis, ſive quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite. Eſtote ſine offendiculo & Iudæis, & Græcis, & Eccleſia Dei.* Salvianus l. d.

Digitized by Google

l. d. *Rideamus, lætemur, quantum libet jugiter, dummodo innocenter.* De ſcandalo nihil hic iterum moneo, quod omnia quam ſufficienter jam antea excuſſa fuerint.

Si cui placuerit ea, quæ proxime ſunt dicta, ad votum, quod poculo IV. accedit, applicare, quam ineptum ſe dederit Reyneſſius, patebit. Votum ut nihil continet, quod reprehendi mereatur; ita quæſtio eſt, an ſemper provocet & promoveat ebrietatem? Vellent quidem noſtri homines, verum ratio eos deſtituit. De gaudio in communi, Salvianus quidem loco aliquoties adducto dicit: *Quæ vecordia eſt & amentia, ut non putemus riſum & gaudium tanti eſſe, niſi Dei in ſe habeat injuriam?* & paulo poſt: *An forte infructuoſum putamus gaudium ſimplex, nec delectat ridere ſine crimine?* Quis ſanus tamen hinc inſtituerit colligere, neminem gaudio indulgere poſſe, niſi pariter conſcientiam ſuam gravet? Fateor quidem, nos nimis circumſpectos hic non poſſe eſſe, cum verum ſit illud Senecæ epiſt. 7. *Per voluptatem facilius vitia ſurrepunt.* Atque Hiobum non ſine ratione Deo holocauſta obtuliſſe, cum filii ejus convivium feciſſent, Hiob. 1. 5. metuebat ſiquidem, ne fortaſſe peccaſſent, & apud animum ſuum Deo maledixiſſent. At, ſi illi qui poculo votum addunt, in anteceſſum caverint, ne quis ad bibendum conſtringatur; imo ebrietatem, præter animi quoque ſententiam alicui minus provido obrepentem, extreme deteſtentur: ſane non video, cur aliquis hic velit eſſe eximius, atque, ad teſtandam plusquam præciſiſticam ſingularitatem, Chriſtianum & ſobrium convivium intempeſtivis controverſiis turbare. Fateor, de cibo & potu delicatiori, ut plurimum uſurpari poſſe illud Senecæ Epiſt. 8. *Viſcata ſunt hæc, inſidiæ ſunt.* Verum, ſi convenerit inter accumbentes, ut adverſus hunc inſidioſum cibum & potum excubias agant, atque potui addita votiva formula quemque ſuę libertatis commonefacere inſtituerint; non eſt putandum, tantum periculi ſubeſſe ex Dei gratia, quantum homines noſtri proclamant, qui ſoliti ſunt ſub quolibet lapide ſcorpium invenire. Ipſi vero viderint, ne, dum aliorum libertati inſidiantur, ad profunda hypocriſios non tam ferantur, quam ruant. Vere dictum eſt ab Hieronymo, Epiſtol. ad Heliodor. *Tunc maxime oppugnaris, ſi oppugnari te neſcis.* Addere licet, eos inſidioſè à Sathana oppugnari, qui præfractè libertatem aliorum oppugnant. Et, ut per ſciſſile Diogenis palliaſtrum ipſius faſtus, & animus, nimis quam elatus, patebant; ita per fucatam hominum

horum ſanctimoniam, acerba pervicacia, & inanis contentionis ſtudium, pateſcunt.

Quod multi viri boni, ebrietati quam infeſti, votivorum poculorum uſum ſe concedere dicant, ſi modo obſervetur lex, quæ præſcripta erat ab Aſſuero convivantibus, Eſth. 1. 8. operæ pretium fuerit in legem illam paucis inquirere: ſingularem enim jam diu opinionem fovi à vulgo interpretum & homiliſtarum, legem illam aliàs urgere ſolitorum, admodum diverſam. Quam ut à multis annis pro re nata variis ex amicis probavi; ita haut neceſſum eſt, eam multis aſtruere: quum, quod diu ante in mentem mihi venerat, pleniſſime aſtruxerit vir longe doctiſſimus Thomas Gatakerus Cinni Sacri lib. 2. cap. 5. ubi ſolidiſſime probat in hoc convivio, inſtructo ad oſtentandam Perſici regni potentiam, *ex Regis mandato nullam fuiſſe cujuſquam reſtrictionem, cohibitionem, aut coërcitionem; quum Rex miniſtris omnino præcepiſſet, ut quodcunque peterent, quotieſcunque aut quantumcunque poſcerent, convivarum cuique liberrime ſimul ac liberaliſſime concederetur.* Falluntur enim, quicunque exiſtimant Perſas (qui etiamnum hodie in omnem *ἀσωτίαν* & omnis generis voluptates projecti ſunt) olim præ aliis gentibus continentiæ & ſobrietati litaſſe. Quemadmodum multis oſtendi poſſet, niſi *ὁ πάνυ* Gatakerus (in quem modo digitum intendi) prœoccupaſſet. Antequam vero eruditiſſimas ipſius chartas, omnigena eruditione refertas, excuſſiſſem; idem ipſum in mentem venerat, quod tanto (dum viveret) Theologo placuiſſe quoque, ex animo mihi gratulor.

VI. Sed ad lineas redeundum eſt, à quibus fere receſſiſſem. Et proxime quidem deſpiciendum, quatenus abſtinendum ſit converſatione cum certis perſonis, aliàs licita. Quivis videt, hic nos prœſupponere, converſationem cum hominibus eſſe licitam. Nec putem, Dominos noſtros, qui alias Monachis & Anachoretis quam infeſti ſunt, ſuadere ſolitudinem, velut convenientem prœ cæteris exercitio Præciſitatis. Et ſi ſuaderent quoque, audiri tamen magis deberet Salomo, cujus hoc verbum eſt, Eccl. 4. 5. 6. *Meliores ſunt duo, quam unus: quia eſt ipſis præmium bonum ex labore ſuo. Nam ſi cadant, eorum unus erigit ſocium ſuum; væ autem illi, unico illi qui ceciderit, quum non adſit ſecundus ad erigendum illum.* Ipſa ſolitudo, quæ promittere videtur, neque præſtat neque prœſtare poteſt: prout experti ſunt illi ipſi, qui acti zelo, ſed non ſecundum ſcientiam, eandem pro exercenda pietate delegerunt, atque ſectati quam diligenter fuerunt. Unum Bernardum adduxiſſe ſuffecerit.

rit. Qui cum epiſt. 115. hanc queſtionem moviſſet : *Nonne eſt ſapere, ut opulentiam, ita orbis frequentiam fugere? an non mea mihi pudicitia in eremo tutior erit, ubi in pace cum paucis, aut ſola converſans, ſoli placeam, cui me probavi?* Ita reſpondet: *Nequaquam: nam volenti perperam agere, & deſertum abundantiam habet, & nemus umbram, & ſilentium ſolitudo. Malum quippe, quod nemo videt, nemo arguit. Ubi autem non timetur reprehenſor, ſecurius accedit tentator, licentius perpetratur iniquitas. In conventu vero malum ſi facere vis, non licet. Mox enim à pluribus comperitur, arguitur, emendatur.* & paulo poſt: *Denique, aut de fatuis virginibus una es, aut de prudentibus: ſi de fatuis, congregatio tibi neceſſaria eſt; ſi de prudentibus, tu congregationi.* Ipſa converſatio cum piis, promovendis non modo pietatis exercitiis conducit, verum etiam avertendis illis, quæ illam impedire ſolent. Unde non dubitat idem Bernardus ſic loqui lib. 4. de Conſider. ad Eugenium: *Quid beatius*, (inquit) *quid ſecurius, quàm ejuſmodi cuſtodes ſimul & vita teſtes habere? quibus me totum refundam quaſi alteri mibi: qui deviare non ſinant, frænent præcipitem, dormitantem excitent.* Atque & inde vult Apoſtolus Hebr. 10. 24. *Ut obſervemus alii alios, & ſic nos acuamus ad charitatem & bona opera.* Et Philipp. 2. 4. non tantum jubet, ut quisque *quæ ſua ſunt ſpectet, ſed etiam quæ aliorum*. Rationem reddit Salomon Proverb. 27. verſ. 17. *Ut ferrum ferro acuit vir, ita virum acuit facies amici ſui.* Quod vero hic maxime controvertitur, eſt illud: An vere fidelis abſtinere per omnia debeat converſatione cum infidelibus, & irregenitis? Etiam hodie inveniuntur, qui ſimiles ſunt illis hypocritis, qui apud Jeſaiam cap. 65. verſ. 5. dicebant: *Ne attingite nos, quia ſanctiores ſumus vobis*; quique grandi piaculo ſe inquinatos eſſe exiſtimant, ſi forte fuerint in conſortio infidelium: quum tamen ipſe Chriſtus, familiariter cum ipſis Phariſæis, graphicis illis hypocritis, converſatus fuerit. Tales homines mundo exire deberent, atque extremè immiſericordes habendi, quod non meminerint ſe *tales quondam* quoque *fuiſſe*, Tit. 3. 3. Licet cum infidelibus, & irregenitis, quibuscum membra ejusdem reip. & civitatis cenſemur, civilem amicitiam colere; imo charitatis quoque officia (ut aliàs docuimus) iis impartiri debemus. Atque, ſi ſpes ſit eos eximi poſſe laqueis diaboli, familiariter non modo cum iis converſari licet: verum etiam officium noſtrum eſt *infirmitates imbecilliorum portare*, Rom. 15. 1. atque *infirmum in fide aſſumere*, Rom. 14. 1. & quantum in nobis, *operam dare ut ſanetur*, Hebr. 12. 13. Si qui ve-

ro occurrant, quibus character Eſavi inuri mereatur, quem Spiritus Sanctus Hebr. 12. verſ. 16. βέβηλον, ceu *profanum* vocat; aut, qui ſe ſimiles reddant Iſmaëli, qui in Scriptura, ut *irriſor* notatur, Geneſ. 21. verſ. 9. atque hoc publice conſtet, attendi debet Apoſtoli admonitio 2. Timoth. 3. verſ. 5. *iſtos averſare.* & talibus cum Davide Pſal. 119. verſ. 115. dicendum eſt: *Recedite à me malefici, ut cuſtodiam præcepta Dei mei.* Obſunt ſiquidem piis, quo minus ſacris exercitiis vacare queant. Imo corrumpendis iisdem ex parte ſufficiunt. Neque enim fruſtra dictum eſt à Salomone Proverb. 22. verſ. 24. 25. *Ne colas amicitiam cum iracundo, & cum furibundo ne congrediaris: ut non diſcas itinera ejus, & aſſumas tendiculam tibi ipſi.* Unde in deſcriptione viri ſincerè pii ſic placuit Spiritui Sancto per Davidem loqui, Pſal. 1. *Qui non ambulat in conſilio improborum, & via peccatorum non inſiſtit, ac in conſeſſu deriſorum non deſidet.* Sed hic iterum cautela opus eſt, nec genuinus Chriſtianus æquo præcipitantior eſſe debet in condemnando ſuo proximo, ut mos eſt hypocritis, atque utinam non iis quoque, qui à ſingularitate, aut (ut ipſi loqui amant) Præciſitate commendari volunt! Vere dictum eſt à Calvino ad dictum Eſaiæ locum: *Nunquam hypocriſis moroſo faſtidio & ſuperbia vacat. Ne miremur ergo eos, qui hoc vitio laborant, inſolenter ſeſe efferre, ac jactare virtutem & ſanctitatem ſuam, aliiſque omnibus ſeſe præferre.* Qui à regno cœlorum quam remoti videntur, ſæpe ſunt proximi. Æquitatem & manſuetudinem erga proximum exercere debemus, nec eum condemnare, quem Deus non condemnat. Admonitio eſt Apoſtoli 1. Cor. 4. verſ. 5. *Ne judicate ante præſtitutum tempus.* Sub ipſam mortis horam Deus quem convertere poteſt: & quis novit, quam tenui filo peccatorem æterno exitio extrahere poſſit?

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO XXIII.

DE

CHOREIS & TRIPUDIIS.

1. *Occaſio, quare hic agatur de choreis. Adducitur teſtimonium ſummi non minus in Rep. viri, quam Theologi accuratiſſimi, D. Marnixii de iiſdem.*
2. *Simpliciter improbari choreæ non poſſunt, quanquam Magiſtratus illis aliquando recte interdicat.*
3. *Quid ſignificet vox* κώμȣ & ἀσελγείας. *Explicatur Concilium Laodicenum.*
4. *Choreæ pro ratione loci poſſunt eſſe licitæ, ipſis Chriſtianis quoque.*
5. *Prohibentur duntaxat molles choreæ, in quibus multum artis. Cum choreis comparantur promiſcua oſcula.*

QUod Rev. D. Voetius chorearum fecerit mentionem, atque pertenderit Santeis abſtinendum eſſe, eo quod abſtineri debeat choreis, non poſſumus non hanc Exercitationem conſecrare Chorearum conſiderationi. Scio vero hic aures arrecturos haut paucos ex iis, qui ſoli Theologi haberi volunt, atque inclementiſſime mihi dicturos eſſe, quod videar pro choreis quid dicere velle. Quo vero cum pace horum virorum, quorum iniquiores cenſuras antehac expertus fui, veritati tutius patrocinari, atque quod res eſt, explicare queam, præmittam armigerum, eundemque virum incomparabilem, qui non minus præclare de libertate patriæ noſtræ, quam Eccleſia meritus eſt, ſcil. prænobilem virum Philippum Marnixium Aldegondiæ Dominum, qui anno 1577. (hæc Epiſtola numero LI. legitur ſecundo tomo Epiſt. Illuſtr. Belgarum) *hunc in modum ſcribebat Caſparo Verheiden, celebri inter Belgas miniſtro verbi Dei.* Apud noſtros hic nobis creber fuit de ſaltationibus & choreis ſermo: objiciētibus iis quos ad cœtus noſtros invitabamus, haud ſe poſſe ferre importunitatem eorũ, qui quod Dominus non vetarit, pro ſua auctoritate interdicant. Et cum reſponderemus, longe illos falli, qui exiſtimarent à noſtris quicquã haberi nefas, quod lege Dei minime eſſet vetitũ, ſaltationes & choreas pro teſte producebant. In quo ſemper & verbo I.

 affir-

affirmavi, & exemplo teſtatus ſum, haud me poſſe choreas ac ludos modeſtos averſari, damnareve: neque propterea ullam mihi infamiæ eſſe notam apud noſtros ſubeundam. Idem olim in celebri corona in conſobrini mei Caſtrii nuptiis in Hollandia, & ſermone & exemplo, confirmavi ante decennium, & exinde tam in Germania quam hiſce locis, quoties ſe obtulit occaſio, neque cujuſquam propterea ſubii reprehenſionem. Et ſane non poſſum videre, quid in illis choreis, quibus, ſincerus animi exhilarati candor, & quædam hymenæorum congratulatio declaratur, inſit mali, ſi cum honeſtis matronis ac virginibus ad cithatæ modulos vel ambulatur, vel in gyrum curritur, ſaltaturve. Scio quid adferant Rhetores in ſcholis: Neminem ſaltare niſi vel ebrium vel inſanum: & intempeſtivi convivii ac multarum deliciarum comitem eſſe extremam ſaltationem. Sed ego rationum momenta, non inanium verborum calamiſtratos cincinnos intueor; & omnino contra cenſeo, neque inſanum quenquam, neque ebrium rite poſſe ſaltare; & non modo intempeſtivi convivii (quod hiſce certe regionibus non ſaltatione, ſed poculis potius geritur) ſed etiam tempeſtivi ac ſancti, imo vero ſtudiorum atque inſtitutorum optimorum comitem eſſe poſſe ſaltationem. Equidem & Davidem video religionis ſacra myſteria teſtato choreis gaudio celebraſſe. Quod nemo mihi perſuaſerit illi populo fuiſſe inſolens, apud quem Scriptura univerſa teſtatur, nullum fuiſſe lætitiæ vel publicæ vel domeſticæ inſigne, quod non ſaltatione ac choreis, quaſi quodam ſuo ornatu, honeſtaretur: ita ut calamitatem publicam vaticinantes Prophetæ, chorearum abſtinentiam perſæpe ponant ob oculos. Imo vero his locis ſanctas duxerim choreas, quæ poſt epulas ad ſiſtenda ebrioſorum pocula, inhibendoſve aleatorum ludos, agitantur cum fructu. Ipſe tu fateris propemodum, (nec enim, ſi quod res eſt dicere voles, diffiteri plane poteris) rem eſſe mediam. Cur igitur legis novæ compedes injiciuntur in eo, quod medium eſt ac licitum? Nam quod tu ais, non omnia quę liceant continuo ædificare, equidem libenter fateor. Sed è diverſo ſtatuo, hanc libertatem, ſine ſcelere & flagitio, ad eorum mores, qui cum non ſint impii, ejuſmodi tamen remora deſtinentur, accommodatam potius eſſe ædificationi. Et poſſum revera id teſtari, & hoc tempore meæ ſaltationis, & ſuperiori temporis anteacti exemplo, multos hac occaſione aurem præbuiſſe, qui nos alioqui penitus averſarentur. Imo vero plane cenſeo, non modo nullam eſſe in hac importuna moroſitate, & revocata

Digitized by Google

cata ad humanæ opinionis placitum cenſura, ædificationem, ſed incredibile etiam ſcandalum. Ut enim omittam reliqua, vix dici poteſt, quantopere ipſe Princeps offenſus fuerit, ubi audivit, non potuiſſe honeſtis choreis nuptias ſine reprehenſione & virgula cenſoria decorari: cum conſtet, & Lutherum, & Melanthonem, & infinitos alios viros pios ac bonos haud refugiſſe ſaltationem. Frater certe meus Tholoſius compluries me caſtigavit, quod eſſem hac in parte, non aliis (neminem enim hoc nomine potui vel damnare vel reprehendere) ſed mihi ipſi difficilior; quum tamen ſciret me peculiari quadam cauſa id potius facere. Ais tamen, haud probari poſſe ſaltationes hujus regionis, ab exemplo veterum prorſus diſſimiles. Ego vero contra cenſeo, noſtras ſaltationes, veterum ſaltationibus longe moderatiores gravioresque, propter formam & finem piè ac licitè uſurpari. Quantum enim ex hiſtoriarum monumentis, vel ex ſcripturarum teſtimoniis poſſum elicere, video longe magis illos ad hiſtrionicam, quam nos acceſſiſſe. Et cur David ab uxore Michal carptus fuerit haud eſt obſcurum. Et conſtat, Romanis nonnullo tempore infames habitas fuiſſe ſaltationes, propterea quod infames eſſent mimi & hiſtriones, quorum opera & ſtudio agebantur. Alioqui video omnibus ætatibus, atque omnibus prope nationibus, honeſtos virorum ac matronarum virginumque choros fuiſſe celebratos: & ſicubi viri ſaltarent ſoli, quod certe ſolenne haud fuiſſe mihi perſuadeo, id gentis Zelotypiæ potius tribuendum duxerim. Et cujusque nationis morem, modo abſit turpitudo ac flagitium, in rebus adiaphoris, ſine crimine uſurpari poſſe arbitror. Sed ais meæ gravitati ſaltationes haud convenire. Sane gravitati officit honeſta ſaltatio: levius feram levitatis mihi nomen objici, ut qui à ſaltatione nunquam abhorruerim, neque prorſus unquam abſtinuerim; imo ſæpe in coronæ aſtantis gratiam, & certe ut maxime valetudinis recreandæ, reficiendique animi cauſa, ea fuerim uſus. Exiſtimationis certe (quam tu mihi apud pios omnes amiſſam hoc facto eſſe autumas) rationem, ego nunquam in rerum externarum umbris, ſed in ipſis rebus poſitam eſſe ſtatui. Vera enim pietas, fides, probitas, & candor animi, dignitatem exiſtimationi creant, non averſatio chorearum, aut ludicrarum exercitationum, ſi minus ſint intempeſtivæ. Et ſane, teſtatio hilaritatis, etſi fortaſſe immodica, tempore quidem nuptiarum, (modo abſit, ut ante dixi, ſcelus omne atque flagitium) vix poteſt, meo judicio, intempeſtiva cenſeri. Niſi forte mihi, vel natura

ad riſum

Digitized by Google

ad riſum atque hilaritatem ficto, vel natione ad jocos ac feſtivitatem Brabantinam nato, aliena atque inſolens, aut indecora poteſt exiſtimari in amicorum hymenæis ludicris, & vero, etiam ſi voles, ridicula ſaltatio, quum videam regem Alphonſum, qui unus vel omnium maxime choreas exhorruit, tamen hoc ſe à calumnia poſt ſaltationem coram Imperatore actam, tutatum eſſe elogio, quod ſtultitiam ſimulare in loco ſit ſumma prudentia. Ego certe in omni vita rationes meas ita compoſui, ut cum daretur vel à ſtudiis, vel à labore otium, nunquam ſim veritus, vel ſaltu, vel curſu, vel ludicris ac ridiculis geſticulationibus, vel ſi adeſſent cytharę, etiam ſaltationibus, corporis vires exercere, & animum fatigatum exhilarare: in eo ſi peccatum eſt, dabo operam, quoad fieri poterit, ut corrigatur, etſi difficile ſit, aliam inducere perſonam ab ea, quam ad hanc usque ætatem ſuſtinuerim, præſertim nondum convicto ullius in eo criminis. Sed tamen dabo operam quoad potero. Tu, quæſo, meam libertatem boni conſulas, inprimis præcipites iſtos cenſores, (qui feſtuca in fratris oculo ſibi objecta ſuam non cernunt trabem,) pro merito coarguas, & mihi credas, ſi qua fide dignum unquam judicaſti, multo gravius & majus ſcandalum illorum prępoſteram gravitatem ſanctitatemque, non longe à Phariſaicis moribus diſſidentem, adferre, quam omnes omnino, quæ agitentur, choreas ſaltationesve. Etſi fateor politicis legibus laudate poſſe interdici ſaltationum omni genere, præſertim in iis provinciis, quibus multorum flagitiorum anſam præbeant: inter quas certe Burgundia, ſi quæ alia, merito cenſeri debet. Ut ego Genevates merito laudandos cenſeam, qui turpiſſima dedecora, quę quotidie ſine fronte committebantur, hoc uno interdicto, quaſi Tenedia bipenni, reſecuerint. Sed illis erat uſitatiſſimum, quod & hodie eſt multo frequentiſſimum, apud Burgundos, Sabaudos, atque omnes Allobroges, & multos etiam Gallos, puellas virgines intempeſtiva nocte, ſine ullo cuſtode, ad choreas, quocunque vellent abducere, & quamdiu vellent in fœdiſſimis atque obſcœniſſimis geſticulationibus, quovis anni tempore, ſine ulla prope intermiſſione, prętextu chorearum, usque ad nauſeam fatigare. Quos ego mores vel inſpectare, nedum exemplo comprobare, nefas eſſe duxerim. Sed longe profecto ab illa hæc noſtra abeſt ſaltandi ratio, quæ tamen & ipſa, ſi vetetur, non reprehendam. Sed religionis prætextu reprehendi ac traduci eos qui eo, quod liberum atque adiaphorum eſt, non niſi ad honeſtam animi

animi relaxationem utantur, neſcio an ſit Chtiſtianæ charitati conſentaneum. *Hactenus eo loco Marnixius.*

Quum nihil dicturi deinceps ſimus, quod non pariter à Marnixio II.
viro ſummo, atque interiori amico τοῦ μεγίσου D. Bezæ, dictum ſit, veniam circa choreas nobis conceſſum iri exiſtimo: quam omnino præfari debeo, veritus δελμαίαν χολὰν, quæ κάθηται ἐν ῥινὶ τίνων τῶν Θεολόγων. Qui, ſi æque fervide à pluribus jam annis detonuiſſent in adulterium, (quod, pro dolor! per totum Belgium pecuniaria duntaxat mulcta expiatur) ex Dei benedictione, dubio procul, jam diu à ſuis Superioribus conſecuti fuiſſent, quod ex voto obtigit, ante annos ferme triginta, Theologis Auguſtanæ Confeſſionis, Argentinę Euangelicam doctrinam annunciantibus: qui, licet non ſubduxerunt Auditoribus ſuis temperatas in nuptijs choreas, à Magiſtratu tamen impetrarunt gladium adulterii vindicem. Sed, ad rem: neque enim tutum mihi, qui ſum homo obſcurus & neglectus apud eos, (quibus contigit in hoc ſeculo beatis eſſe,) ulterius in hoc prologo pergere. Proteſtationi hoc unum amplius adjicio, mihi, circa choreas, nequicquam ſive feri ſive meti; quum de earum exercitio ne per ſomnium quidem cogitaverim tota vita, quam exemplo *agni* illius *curionis* apud Plautum, ex Dei mei voluntate, in qua libenter acquieſco, tranſigo inter catenatas moleſtias & curas: unde & ferre poſſum Magiſtratuum Edicta, chorearum abolitionem perpetuam urgentia. Interim non video, quare illa, quæ ob politicas rationes abrogata ſunt, ſimul cenſeri debeant per Scripturam abrogata eſſe. Per leges militares capitale eſt, ordinem deſeruiſſe, dum meat exercitus: nec mitior pœna illis irrogari ſolet, qui muros civitatis nocturno maxime tempore tranſilierint. Quam ſeveritatem licet efflagitet ratio boni publici, non tamen Theologus pariter eandem è Scriptura aliter probaverit, quam quatenus hæc docet, Magiſtratibus tantiſper eſſe obſequium præſtandum, quam mandata eorundem non confligunt cum legibus Dei. Do lubens, aliis Magiſtratibus incubuiſſe eandem neceſſitatem, quam in Genevatibus modo Marnixius notavit, adeo ut debuerint edicto perpetuo, omnes choreas abrogare: at, quis inde colligat, ubique locorum, & quidem ex judicio ipſius Spiritus Sancti, eas pariter proſcribendas eſſe? Verba ſunt τοῦ ἐν ἁγίοις D. Riveti in Comment. ad Pſal. 68. pag. 547. Edit. in Quarto: *Aliis temporibus, & locis, alii mores, & ritus, conveniunt. Olim tympana pulſare moris*

fuit mulieribus, quod hodie abſurdum apud nos foret. Applicentur hæc choreis. Olim viri & fœminæ Principes, ut patet in Miriam & Davide, Exod. 15. & 2. Sam. 6. non dubitarunt ad Dei gloriam, in propatulo quoque, tota multitudine inſpectante, choreas non modo ducere, ſed pro choragis quoque ſe gerere. Quod ſi quis hodie in hoc noſtro Belgio faceret, cenſeretur κορυβαντιᾶν, atque haberetur ſive Phreneticus, ſive æger ex morbo, quem vulgo à S. Vito denominant. Eoque, circa τὰ ἀδιάφορα (ad hæc pertinent ſaltationes in ſe conſideratæ) quæ Scriptura ipſa pro ratione loci & temporis diverſimode ſe habere docet, non poteſt ferri certa lex, quæ laqueum conſcientiis injiciat. Audio quidem dici, interim hodiernas ſaltationes nullatenus eodem loco habendas eſſe cum veterum choris, quod apud nos viri fœminis immixti tripudiare conſueverint. Fateor hoc vulgo credi, quod Scriptura nullibi videatur meminiſſe mixtarum chorearum. At, interim miror, hactenus neminem aliquanto diligentius attendiſſe ad illa, quæ Pſalmo LXVIII. occurrunt. In quo Pſalmo Euchariſtico ut Regius Propheta David, non minus Prophetice myſteria N. T. quam hiſtorice admiranda V. T. decantat; ita ſpeciatim magnam illam liberationem, quæ quondam Dei populo ad mare rubrum contigit, celebrat verſ. 23. & 24. ſimulque verſ. 25. & 26. deſcribit pompam triumphalem, quæ ductrice Miriam ad Dei gloriam (Exod. 15. 20.) ſpecioſe inſtituta fuit. Verſu autem XXVI. ſic legitur juxta verſionem Junii: *Præcedebant cantores, poſt tibicines; inter puellas tympana pulſantes.* In Ebræo occurrit vox *alamot*, quæ, ut alibi infra notabitur, accipi ſolet de virginibus ſolitis domi abſcondi, quales οἰκοκατάκλειστοι Græcis ſunt: nullum vero dubium eſt, reſpici chorum, quem duxiſſe dicitur Miriam. Sed, ſi puellę tripudiantes mediæ fuerunt inter cantores & tibicines, pertinentes ad eundem chorum, qui & triumphalis pompa fuit, næ certum eſt, chorum hunc mixtum fuiſſe ex viris & fœminis. Quæ fœminæ, imo puellæ teneræ, ſi conſiderentur, ut tympana pulſarunt, ſimulque componantur hęc omnia ad modernos patrię noſtræ mores, næ, in actu hoc, ſacro licet, videri poſſent fœminæ (concitatę per Miriam, quæ ſoror fuit Moſis & Propheti ſſa) ſe immodeſtiſſime atque contra omnem ſexus ſui verecundiam geſſiſſe. Unde, ad verſum jam dictum ſic commentatur *Coppenius Theologus* ὀρθοδοξώτατος: Bene, *inquit*, Calvinus monet, quod tunc fuit laudi, nunc eſſe fraudi: abſurdum eſſet, ſi hodię mulieres tympana pulſarent, *putarentur eſſe corybantes vel Gurette de qui-*

bus

bus Horatius: Non acuta ſic geminant Corybantes æra,triſtes ut iræ. Haberentur turba furioſa, ebrioſa, quaſi debaccharentur. Sic aliis temporibus & locis, alii mores & ritus conveniunt. *Hactenus Coppenius.* Quæ, ſi quis diligentius attendere voluerit, videbit, quam fruſtra eſſe viros, licet egregios, quando contendunt,chorum,cujus ductrix fuit Miriam, compoſitum magis fuiſſe ad gravitatis & modeſtię leges. Vel tympana hoc evincere poſſent, de quibus ita Juſtinus lib. 30. cap. 1. *Adduntur,* inquit, *inſtrumenta luxuriæ, tympana & tripudia.* Quæ, ut à Juſtino ratione certarum circumſtantiarum dicuntur; ita non pertenderim, culpandas fuiſſe Iſraëlitidas tympana pulſantes, cum alias gentes alii mores deceant: ſed potius intulerim, conſiderandum ſemper eſſe, quid gentis, loci, & temporis ratio exigat. Arrodere hæc ſuſtinet Reyneſſius pag. 192. & ſeqq. poſtquam multum chartę conſcribillaſſet, & nihil aliud probaſſet, (quod nos per omnia probamus) quam ſaltationes, quas conſtat molles & laſcivas eſſe, proſcribi debere. At quid tandem excipit ad locum adductum è Pſalmo 68? 1. dicit: *Mulieres ſolæ fecerunt medium agmen,* &c. *mixti ergo inter puellas non curſitarunt viri.* At quid tum? Viri, ut clare in Textu innuitur, pertinuerunt ad eundem chorum, qui proinde convenienter dici poteſt mixtus fuiſſe ex viris & mulieribus. 2. *Mulieres non leguntur ſaltaſſe, ſed cum tympanis & fiſtulis poſt Mirriam egreſſæ,* &c. Sed, ut hoc ſimpliciter ſic refertur à Moſe Exod. 15. 20. ita explicari debet ex hoc Pſalmo 68. ubi dicuntur *puellæ tympana pulſaſſe.* Quod utique fieri non ſolet, niſi & ipſæ pariter pedes tripudiando agitarent: tympana ſiquidem ſociabantur Choreis, prout manifeſtum eſt ex 1. Sam. 18. verſ. 7. item Hiob. 21. verſ. 11. 12. Addit Reyneſſius (3.) *hoc factum fuiſſe ſpectante Moſe.* Verum ideo magis fuerit probandum, quod ipſe Choros hos promiſcuos non improbarit. 4. Additur, *hæc facta eſſe extra ordinem.* Quod ſi etiam concedatur, triumphabimus quoque, quod Deus, ne quidem extra ordinem, malum culpæ, ut licitum, probare conſueverit. Expende hæc Lector. Nam chori mixti è viris & fœminis, ſolide probantur ex Pſal. 68.

Quo choreas penitus è Dei populo (ut dicunt) exterminent, quidam urgere ſolent vocem τὸν κῶμον, qua Spiritus Sanctus ter utitur in N.T. nempe Rom. 12. 13. Gal. 5. 21. & 1. Petr. 4. 3. Sed, ad vim & ſignificationem illius vocis aliquanto diſtinctius attendere debuiſſent. Significat autem multa. Suidas: κῶμος, ἡ μέθη, ἢ ὁ ὀρχηϛμός. Quando III.

Sſ 2 autem

autem ad Orcheſtram refertur, tum ſaltationem, tum cantum ad illam inſtitui ſolitam notat, ut viri docti ex Athenæo lib. 14. & Euſtath. ad Iliad. φ. jam diu obſervarunt: nec quamcunque ſaltationem, ſed quæ eſt ἁβρὰ ὄρχησις καὶ τὸ σῶμα ἐξυγραίνουσα, ut deſcribitur à Julio Polluce lib. 4. Onomaſt. cap. 14. atque, ſi credimus Heſychio in Lex. ſpeciatim fuerit εἶδος ὀρχήσεως ποιμένος τινός; ſecundum quem quoque κωμάζειν, idem fuerit, quod ὀρχεῖσθαι. Quæ ſi obſerventur, patebit dictis Scripturæ locis, aliter non improbari choreas, quam quatenus ſerviunt animo & corpori effæminando. Nec aliud quoque collegeris ex voce ἀσελγείας, à qua nonnulli quoque ad evertendas choreas argumentari ſolent. Recte enim obſervatum eſt à Grotio ad cap. 7. Marci, vocem hanc ut plurimum conjungi τῇ ἀκαθαρσίᾳ, ſpeciatim in Nov. Teſt. 2. Corinth. 12. verſ. 21. Galat. 5. verſ. 19. Eph. 4. verſ. 19. atque notare obſcœnitatem in dictis factiſque. Si vero Suidæ credimus, ἡ ἀσέλγεια deſcenderit à Selge Piſidiæ oppido, condito ſecundum Strab. lib. 12. à Lacedæmoniis, cujus incolæ cum forent temperantes atque frugales, ἡ ἀσέλγεια cœpit opponi τῇ σωφροσύνῃ καὶ εὐτελείᾳ. Aliam Etymologiam adfert Baſil. in Aſcetic. quæſt. 67. vult enim dici ἀσελγῆ, quaſi ἀσαλγῆ, eum, qui præ luxu & mollitie ferre nequeat ἄλγος ἀσκητικὸν, id eſt, labores vitæ aſceticæ. Scripturæ ſociari ſolet canon 13. Concil. Laodiceni, tanquam proximus authoritate à Teſtimonio Scripturæ. At, ne jam dicam, ab illo Concilio varia eſſe decreta, quæ nemo dixerit à Chriſtiano ſimpliciter, & per omnia, obſervanda eſſe; amplius Canon hic talibus verbis eſt conceptus: ὅτι οὐ δεῖ χριστιανοὺς εἰς γάμους ἀπερχομένους, βαλλίζειν ἢ ὀρχεῖσθαι, ἀλλὰ σεμνῶς, ἢ ἀριστᾶν, ὡς πρέπει χριστιανοῖς. Quæ ut intelligantur, convenit diſtinctius conſiderare vim verbi βαλλίζειν & ὀρχεῖσθαι. Notat vero βαλλίζειν, (Barth. lib. 1. Adv. cap. 8. perperam reſtituit βαπλαρίζειν) non ſimpliciter ſaltare: ſed, ut à Suida obſervatum fuit, τὰ κύμβαλα κλυπεῖν, καὶ κατὰ τὸν ἐκείνων ἦχον ὀρχεῖσθαι. Nec abhorret Athenæus lib. 8. Conſultum quoque fuerit, pro ulteriori Explicatione, conſulere Caſaubonum in Lectionibus Atheneį, ubi explicat quid ſit βαλλισμός. Nec alia notatio τοῦ ὀρχεῖσθαι. Heſych. Ὀρχεῖται, διασείεται, βακχεύει. Idem: βακχεύει, μαίνεται, τραγωδεῖ. Item, βακχεύοντες, μαινόμενοι, σειόμενοι. Unde neque falluntur Grammatici, quando ὄρχησιν accerſunt ἀπὸ τῶν ὄρχων ſive à Bacchi Orgiis, hoc eſt, vindemiorum ordinibus, in quibus vinde-

Digitized by Google

vindemiantes ſaltando Baccho primitias offerre ſolent. De quibus, ut & omnigeno eorundem apparatu, execrando ſane, conſulendi ex Patribus Clem. Alexandr. in Protrept. Arnob. lib. 5. adverſ. Gent. Tertullian. de Spectac. Euſeb. lib. 2, de Præp. Euangel. cap. 5. & Auguſtin. lib. 6. de Civit. Dei cap. 9. Atque ad Bacchantes pertinebant illæ mulierculæ, quarum inverecundas ſaltationes his verbis Ambroſ. lib. de Elia & Jejuniis cap. 8. inſectatur: *Illa*, inquit, *in plateis inverecundos viris, ſub conſpectu adoleſcentulorum intemperantium, choros ducunt, jactantes comam, trahentes tunicas, ſciſſa amictus, nuda lacertos, plaudentes manibus, ſaltantes pedibus, perſonantes vocibus, invitantes in ſe juvenum libidines, motu biſtrionico, petulanti oculo, dedecoroſo ludibrio.* Hi enim geſtus Bacchantibus familiares erant. Apul. Mileſ. 8. de ſimili fœmina: *Amens & vecordia percita, curſuque bacchata furibundo, per plateas populoſas &c. fertur.* Eoque, è Scriptura & Laodiceno Concilio aliud non erueris, quam abſtinendum eſſe ſaltationibus mollibus, laſcivis, atque furioſis, quæ proprie vocantur ὀρχήσεις. Cujus rei exemplum quoque occurrit in tripudio Herodiadis Matth. 14. verſ. 6. ubi uſurpatur verbum ὠρχήσατο. Non inconvenienter Cartvvrichtus in Harmon. ad eum locum, *ſaltatio*, inquit, *fuit immodeſta, ut vox ipſa declarat, tripudiis & geſticulationibus plena.* Licet interim non ſit negandum nomen ὀρχήσεως latius quoque accipi: quomodo LXX. Interpretes Eccleſ. 3. verſ. 4. (ubi Salomon refert, quid in hac vita fieri ſolet) ſic tranſtulerunt: καὶ καιρὸς τοῦ ὀρχήσασθαι.

IV. Ab his vero ſaltationibus plurimum diſtant χοροὶ, ſive *chori*. Servius ad lib. 1. Georg. *Chorus proprie eſt coævorum cantus atque ſaltatio.* Iſidoro vero lib. 1. de Divin. Offic. cap. 3. Chorus eſt concinentium hominum, & in coronam orbemve lętitia exultantium agmen. Quomodo & Ammonio, χορὸς eſt σύστημα παίδων ᾀδόντων: quod ita intelligendum, ut pariter ad tripudia, modulis cantus accommodari ſolita, applicetur. Alias ſecundum Euſthat. ad Homer. Odyſſ. θ. χορὸς notat, τόπον τῆς χορείας καὶ ὀρχήσεως. LXX. Interpretes, Ebræorum *Mahol* ſæpiſſime quoque reddiderunt χορὸν: exempla occurrunt Exod. 15. verſ. 20. Jud. 11. verſ. 34. 1. Reg. 29. 5. Pſal. 19. verſ. 3. Cant. 7. 1. Thren. 5. verſ. 15. Atque hinc Spiritui Sancto, in parabola, exhibente gaudium, quod Angelis oboritur ſuper feria

 reſi-

reſipiſcentia unius quoque peccatoris, placuit mentionem facere τῆς συμφωνίας καὶ χορῶν, Luc. 15. 25. Alias, in Dei populo receptum fuit, ut victoribus appropinquantibus, amici gratulabundi, cum choris cantantium tripudiantiumque occurrerent: prout videre eſt non modo Jud. 11. 34. verum etiam colligi poteſt ex locutione, qua placuit uti Spiritui Sancto Jerem. 31. 4. Quomodo etiam edicit Admetus Rex apud Euripid. in Alceſt. Ἀστοῖς δὲ πᾶσι τ' ἐννέπω τετραρχίαις, χορὸς ἐπ' ἐσθλαῖς συμφοραῖσιν ἱστάναι. Huc etiam pertinet illud, quod legitur in libro Apocrypho Judit. cap. 15. verſ. 14. & ſeq. *Tum concurrens unaquaque mulier Iſraëlitis ad videndum eam, benedixerunt ei; & exhibuerunt ei choream è numero ſuo.* (in Græco legitur: καὶ ἐποίησαν αὐτῇ χορόν) *Quumque illa accipiens thyrſos in manus ſuas dediſſet quoque mulieribus, quæ comitabantur ipſam, viciſſim coronam oleæ impoſuerunt ipſi, & ipſius comiti. Ita proceſſit coram toto populo in chorea dux omnium mulierum, & ſequuti ſunt omnes Iſraëlitæ armati cum coronis, & hymnis ore ipſorum decantatis.* Quę omnia cum æſtimari debeant ſecundum ritus in unaquaque gente receptos, mirari ſæpe ſubiit, quam ob cauſſam graves & judicioſi quoque Theologi, ad hęc non attenderint, indiſcriminatim, ratione omnium populorum notando ſaltationes, quæ modo ἀκαθαρσίαν aliquam arguere videantur. Certe, moderni Judæi, qui quam ſtricte ſe laborant componere ad legis literam, non abhorrent à tripudiis, atque dum nuptias agitant, motus Jonicos viri fœminis mixti exhibent, ſaltem tales, qui nequicquam cedunt iis, quos nos, velut extremam mollitiem redolentes, proſcripturi eſſemus. Occurrit hac occaſione, quod Cornelius Nepos, Scriptor elegantiſſimus, habet in Præfat. *Non dubito fore,* (inquit) *pleroſque, Attice, qui hoc genus ſcripturæ, leve, & non ſatis dignum ſummorum virorum perſonis judicent, cum relatum legent, quis Muſicam docuerit Epaminondam, aut in ejus virtutibus commemorari, ſaltaſſe eum commode, ſcienterque tibiis cantaſſe. Sed hi erunt fere, qui expertes litterarum Græcarum, nihil rectum, niſi quod moribus conveniat, putabunt. Hi ſi didicerint non eadem omnibus eſſe honeſta atque turpia, ſed omnia majorum inſtitutis judicari, non admirabuntur nos in Græcorum virtutibus exponendis mores eorum ſecutos.* Atque, hanc ob cauſſam, in publicis ſolemnitatibus, antiqui quoque Patres permiſerunt Chriſtianis ſaltationes moderatas & graves. Greg. Nazianz. Orat. 4. *Quod ſi etiam te, ut lætæ celebritatis & feſtorum amantem ſaltare oportet, ſaltato quidem, ſed non inhoneſtæ illius Herodiadis ſaltationem, quæ Baptiſtæ necem attulit: verum Davidis, ob arcæ requiem,*

Digitized by Google

requiem, qua quidem Deo gratam inceſsionem, agilitate præditam & verſatilem myſtice deſignari exiſtimo. Conſentit ex Orthodoxis Theologis Danæus lib. 2. Eth. Chriſt. cap. 14. pag. 222. *Non omnis quidem ſaltatio damnata eſt, ut docet diſputatque copioſe P. Martyr. in lib. Ioſua: ſed ſaltatio ea, qua eſt chorea, & qua fit libidinis augendæ, proritandaque gratia.* Non diſtinguit inter ſaltationes homogeneas & heterogeneas, ſimplices & mixtas, ſocias & ſolitarias: adeo ut ad tędium in diſtinguendo prolixus Reyneſſius, nequicquam nobis officere poſſit. Nec juvat eum decretum Synodi Dordracenæ Anno 1578. cum Choreas, quas taxat, præſupponat eſſe *leves*, & *incentiva ad libidinem*. Nolo porro (quod neceſſum non ſit) pro me ſollicitare Auguſtanæ Confeſſionis Theologos, ex quibus plures ὁμόψηφοι poſſent vocari ad ſuffragium.

Nulla ratione tamen patrocinari volo tripudiis modernis, à Bathylli V. modis non abhorrentibus, atque convenientibus magis Pathico, ſive cinędo, quam homini Chriſtiano. Eoque probo illa Riveti in explicat. Decalogi pag. 337. *Conſtat certe*, inquit, *hoc tempore omnes fere Græcorum turpes, obſcænas, laſcivas, atque petulantes ſaltationes, velut poſtliminio, in orbem Chriſtianum etiam inter eos, qui Reformationem profitentur, introductas eſſe.* Imo contendo, tales choreas neutiquam frequentandas. Abſit tamen, ut hujus ordinis eſſe ſtatuam omnes illas, quæ in nuptiis à Germanis, fidei ejusdem nobiſcum conſortibus, frequentantur. Etenim vernacula genti gravitas, ut ita judicare debeam, ſuadet, ſimulque Chriſtiana charitas jubet, oculos ad accipiendum ſcandalum proclives compeſcere. Nec mixti, è viris & fœminis chori, ſententiam mutare cogunt: eos in ipſo Iſraëlitico populo, cui Deus concedere ſolet, ut modo notatum ex Eccleſ. 3. καιρὸν τοῦ ὀρχήσασθαι, obſervatos fuiſſe, ſolidè ſupra probaſſe videor ex Pſal. 68. Atque ſi mixti ſaltantium chori, nos ratione Germanorum offendant, næ eos multo magis offenderint promiſcui juvenum & virginum accubitus in nuptiis, maxime oſcula ex more gentis Belgicę, prę cęteris Hollandicę, frequentari ſolita. Obteſtor eos, quorum zelus contra choreas forte improbari non poſſet, ſi à ſcientia convenienter dirigeretur, an non multo majus ſcandalum promiſcua & *quotidiana* hæc *oſcula* (ita loquitur Sueton. lib. 3. cap. 34.) præbeant Sarmatis, Cimbris, & Germanis, quam nobis (ſi gentilitios mores diſtinguere noluerimus) præberi poſſint à nuptialibus eorundem tripudiis? Sane, ſi à Scriptura incipiamus, à Salomone Proverb. 7. verſ. 13. deſcribitur mulier, quæ adole-

adoleſcentem *apprehendens*, *cum oſculata fuerit*. Unde ex Chriſtianis Doctoribus Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædag. conſilium dat maritis, ut ne quidem oſculentur uxores, coram familia, duabus de cauſſis: primo quod id alienum ſit ab honeſtate matrimonii; & deinde quod ſit vitanda nimia familiaritas cum famulis, ne eadem abutantur. Quomodo & ab Apoſtolicis viris ſtatutum eſſe creditur, (videatur Clemens Romanus lib. 2. Conſtit. Apoſtolic. cap. 11.) ne ita indiſtincte viri fœminas & fœminæ viros, ſeſe mutuo impartito oſculo ſalutarent; ſed viri ſeorſim à mulieribus, & mulieres ſeorſim à viris hoc agerent. Alias, ſecundum Senecam lib. 1. Contr. 2. *ſacerdotium petentis virginis*, *impudicitia exinde, quod alicujus oſculo & amplexu contrectata fuerit, arguitur.* Et ſi credimus Auguſtino lib. 21. de Civ. Dei cap. 11. olim *aliena fœmina oſculum figere, verbere dignum habitum eſt*. Sic & Cardinalis *Dominicus Tuſchus tom. 5. Pract. Concluſ. Iuris, concl.* 207. refert, pœnam deoſculantis virginem ætate maturam cum amplexu, contra ejus voluntatem in ſtrata publica, juxta Concilium Regium Neapolitanum eſſe relegationem, à loco delicti, per triginta milliaria, & pœnam pecuniariam arbitrariam. Et Boſſus *in praxi tit. de Extraord. Crim. num.* 3. teſtatur, quendam in Gallia ſecuri fuiſſe percuſſum, quod nuptam mulierem per vim fuiſſet oſculatus. Quis enim non novit vulgatum illum verſiculum? citatum ab ipſo Accurſio *in leg. quod ait.* 23. *ff. ad Legem Iul. de adulter.*

Viſus, & alloquium, tactus, poſt oſcula factum.

Cui & conſonat magnus ille artis amatoriæ Doctor, Ovidius lib. 3. de arte amandi verſ. 671.

Oſcula qui ſumpſit, ſi non & cætera ſumpſit,
Hæc quoque, quæ data ſunt, perdere dignus erat.

Quam παρ͂́φρασιν pro ſuis Batavis excogitaverit hic rigidus Theologus, idemque juratus adverſarius non minus omnigenarum chorearum, quam votorum innoxiorum propinato poculo additorum? Maxime, ſi Cimber, aut Sarmata viderit uxorem illius, convivas ſuos ad oſtium oſculo excipientem & dimittentem. Næ, peregrinus hic conviva, cum Clemente Alexand. lib. 3. Pædag. ejuſmodi oſculum, à graviſſimi licet Paſtoris uxore ex uſu gentis frequentatum, vocaverit *oſculum inceſtum, veneno plenum, ſanctitatem ſimulans, & oſculum impudicitiæ*: ex Ambroſio vero in cap. ult. 2. ad Corinth. *affectus libidinoſi indicium*. Nec eſt, quod adverſarius dicat hoc judicium, ſeu Cimbri, ſeu Sarmatæ, charitatis

tatis expers eſſe, quum ipſe longe inclementius judicet de ſaltationibus, quas proclamat eſſe proxima incentiva libidinis, interim non cogitando, per oſcula multo expeditius ingredi libidinem; atque Cimbro, ſeu Sarmatæ, videri proſtitutæ famæ, & pudicitiæ, fœminas eſſe, quæ præſumpſerint hoſpites oſculo excipere. Si quis mihi non credat, audiat Cartvvrichtum, rigidioris alias diſciplinę Theologum, qui ſic commentatur ad cap. 7. Proverb. verſ. 12. *Mulieris verecundia poſtulat, ut vel uxor à viro oſculum præſtoletur potius, quam ut accipiat. Porrigere igitur oſculum juveni inſignis impudentiæ eſt. Quod ſi periculum ſit in manuum contactu, nedum in oſculo, cum virum labiis, tanquam plagis, in foveam trahat.* Noſter homo, ſcil. ille Reyneſſius, toties ad partes vocatus, hæc oſcula vellet componi, cum oſculis ſanctis, eoque pag. 193. in margine tot citationes accumulat: at, quis, qui modo micam ſapientię habet, exiſtimarit, oſculum in ipſo conventu ſacro commutatum reverenter & publice, (ſic omnino exiſtimandum pro more gentis, de hoc oſculo ſacro) eodem loco habendum eſſe cum noſtris promiſcuis oſculis? Interim, quæ ratione oſculi dicta ſunt, applicari poſſunt deambulationibus, quas uxores Anglorum, cum alienis viris inſtituere ſolent, quæ & inter primariæ dignitatis Belgas hoc tempore frequentari incipiunt. Certe offenderint hæ matronas Chriſtianas ad Septentrionem degentes; quæ mirabuntur admodum, hæc & ſimilia citra cenſuram tolerari poſſe ab illis Theologis, quorum zelus quotidie occupari ſolet circa ſaltationes & pocula votiva. Nos vero, citra pulveris jactum, ex omnibus hiſce difficultatibus expedire conſtanter poſſumus, quando docemus, in talibus gentium mores & conſuetudines ante omnia inſpici debere quorum ratione, ut rigidiores quoque Præciſiſtæ Hollando ſua: concedunt ſuavia, Anglicanis matronis prodeambulationes cum maritis non ſuis; ita aliis gentibus mox invidere non deberent ſuas ſaltationes, modo ab iis abſit mollities, & illud τεχνικὸν, ad accendendam libidinem ab otioſis nepotibus excogitatum. Romani, qui præ omnibus aliis gentibus voluerunt videri gravitatis ſtudioſi, atque alieni ab iis, quæ animi levitatem arguebant, etiam tum, cum verba eorum adhuc allium olerent, ſaltationibus dediti fuerunt: nec, aut Cicero, aut Salluſtius, arguit unquam aliquem ut ſaltantem, ſed ut tripudiantem ex legibus artis, cum temporis diſpendio nimis ſcrupuloſe excultæ; prout luculenter docet Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 14. ubi pro explicatione Salluſtii hęc offendo:

Tt *Taceo*

Digitized by Google

Taceo quod matronæ etiam ſaltationem non inhoneſtam putabant, ſed inter probas quoque earum erat ſaltandi cura, dummodo non curioſa uſque ad artis perfectionem. Quid enim, *ait Salluſtius,* Pſallere, ſaltare elegantius quam neceſſe eſt probæ? *Adeo & ipſe Semproniam reprehendit, non quod ſaltare, ſed optime ſcierit.* Ars enim tripudiatoria animum totum in ſe convertere ſolet, multumque curæ & moleſtiæ efflagitabat. Teſtis eſt Nazianzenus, quando ita loquitur Orat. 1. per Interpretem: *Saltationis, & cantus tibiarum, doctrina quadam eſt & diſciplina, ad idque & diuturno tempore, & plurimis laboribus ac ſudoribus, opus eſt.* Hęc ſi obſervaſſet Stuckius, vir alias diligens, lib. 3. Antiq. Conviv. cap. 23. ubi prolixe contra ſaltationes diſputat, non laboraſſet credulo lectori perſuadere, in partes quoque ſuas obtorto collo pertracto Marquardo Frehero IC. ſummo lib. 3. de Infam. ſaltatores apud Romanos fuiſſe infames: cum inter eos qui ſecuri artis tripudiatoriæ ad indicandum gaudium ſimplici animo ſaltant, & molles pantomimos chironomosque latiſſima differentia intercedat. Ut concludam, ita gentilitiorum morum (dicerem, forte Latine magis, gentilium, niſi hęc vox foret ex parte ambigua) contendo rationem eſſe habendam, ut ſępe quoque attendatur ipſius perſonę conditio. Unde, non exiſtimarim, convenienter poſſe Paſtorem Eccleſię, aut anteceſſorem in Rep. eumque ſenem, ubi etiam ex more gentis ſaltationes ſunt receptę, choro juvenum ſe immiſcere. His enim applicari debet admonitio Apoſtoli ad ſenes directa Tit. 2. 2. operamque dare debent ut ſint σεμνοὶ καὶ σώφρονες: quę σεμνότης ſpeciali ratione à verbi Divini miniſtro exigitur ib. verſ. 7. Hanc cum affectaret, Philoſophico ſupercilio elatus, Julianus ὁ παραβάτης, infeſtiſſimum ſe ſaltationibus prębuit, ut patet ex illius Miſopogone. Et hæc quidem hactenus: quæ ſi forte non placeant alicui, qui recens fuerit aut à Stuckio, aut Aretio, aut viro Nobili Joanne Munſtero à Vortlage, (qui omnes ſaltationes cupiunt exploſas) eum rogo, tam diu judicium ſuum ſuſpendat, quam argumentorum momenta citra pręjudicium examinaverit. Noſtri Reyneſſii longe ſum ſecurior, ęque ac ſui Voetii, hominum ſcil. Phariſaicè ineptientium. Quicunque modo Latine ſciunt, videre poſſunt, me ſic tripudiis, ut adiaphoris in ſe, patrocinatum fuiſſe; ut carni tamen nequaquam fibulam laxem. Non præciſe reſpexi, aut etiam reſpicere debui choreas, quæ inter nos receptæ hoc tempore, ſed in communi: atque ut ipſe Reyneſſius non ſuſtinet condemnare omnes illas, quæ inter Germanos, jam olim

Digitized by Google

olim à gravitate morum commendari ſolitos, frequentantur; ita, quis dubitet, quin Belgæ noſtri præſumere poſſent, ſe, quod ad tripudia, componere ad gravitatem Germanorum. Sed an æque tum forent arguendi? Non putatur.

EXERCITATIO XXIV.

DE

Modo alendi comam, & Barbam:

ſimul de fucis.

1. *Status converſiæ, circa comam virilem definitur.*
2. *Eam plurimas gentes promiſiſſe oſtenditur.*
3. *Idem oſtenditur de ipſo Dei populo, ſeu, populo Iſraëlitico.*
4. *Inter Gentiles ſapientiſſimi, idem factitabant, forte exemplo Naziræorũ.*
5. *Syllogiſmo, cujus Major probatur, quod hactenus deductum fuit, includitur.*
6. *Reſpondetur ad locum* 1. *Cor.* 11.
7. *Speciatim ad verſum ejuſdem capitis decimum quartum.*
8. *Quis cenſeri debeat immoderatus capillorum uſus?*
9. *An viri capillos pro velamento acceperint?*
10. *Fas non eſt ex alienis capillis tutulum conficere, aut viris, aut fœminis.*
11. *Quid* φύσις *&* ἀτιμία *ſignificent in Pauli loco.*
12. *Chriſto vulgò, ut Naziræo, promiſſa cæſareis tribuitur.*
13. *Quid juxta Apoſtolum ſit ſtatuendum de viris, velato capite precantibus?*
14. *De coma Abſolomi.*
15. *Reſpondetur ad locum Pſ.* 68. 22.
16. *An procedat argumentum à prolixioribus unguibus, ad prolixiores capillos?*
17. *Qualiter Chriſtiani barbam alere debeant, quam promittendam eſſe, & immunem à novacula eſſe debere, fruſtra quidam contendunt.*
18. *Fuci, corpori ornando deſtinati, quam ſint probroſi Chriſti Profeſſori?*
19. *Acceditur ad fucos capillares, & primo conſiderantur crines colorati.*
20. *Expenduntur capilli alieni.*
21. *Quam graviter in utroſq; capillos antiqui Patres detonuerint, oſtenditur.*

Digitized by Google

I. Quanquam contra τριχομάχυς cauſſam Comatorum ſtrenue egit ὁ πάνυ Dn. Salmaſius, & feliciter cum Dn. Udemanno, & Dn. Dematio, Doctiſſimus Dn. Revius congreſſus eſt; haut quaquam tamen vitio nobis datum iri ſperamus, ſi ea, quæ aliàs Epiſtola (impreſſa eſt cum Tract. de Bonis vulgo Eccleſiaſticis dictis, & Præfationi inſerta) complexi ſumus, ad modum Exercitationis hic exhibuerimus. Atque ut pleraque, quæ Theologice circa capillos, & barbam, ſunt controverſa, hac Exercitatione cum Deo excuſſuri ſumus: Ita incipimus à menſura Capillorum virilium, quos, cum quidam quam curtos & ad pectinem detonſos eſſe velint; non convenit tamen inter viros egregios, quinam virorum capilli cenſoriam notam incurrere debeant. Quidam reſtringunt controverſiam ad *vvilde hayren*: ſed hi mentem ſuam diſtinctius explicare deberent. Certe apud Belgas vibriſſæ, ſeu crines, qui in naribus notantur, nomen ferunt *van vvilt hayr*. Unde Joannes Sartorius Belgici Idiomatis peritiſſimus, in Explicatione Adagiorum Eraſmi Chil. prima Cent. 2. Adag. 23. Horatianum illud explicans, *fœnum habet in cornu*, Belgice ſic interpretatur: *Hy heeft een vvilt hayr in zijn naes*; additque hanc interpretationem: *Bubus enim cornupetis olim fœnum in cornibus alligari ſolet, quo ſibi caverent, qui forte occurriſſent. Nos neſcio quomodo ad vibriſſas, hoc eſt, narium pilos id referimus: fortaſſis quod hiſpida membra, ut Satyricus ait, & duræ per brachia ſetæ, promittunt ferocem animum.* Etenim, ſi hæc crinium verius imitamenta, quam crines præſcindere oporteat, ex re forte foret, initium facere à quibuſdam viris Reverendis; neque enim omnium nares ferociam ſpirant. Alii ſubjectum quæſtionis commodius ſe definire exiſtimant, ſi capillos aut effuſos, aut ſparſos, vocent, ſive, ut Belgice loqui amant, *vliegende hayr, troſſen, of afhangende hayr-locken.* At unde colligent omnes effuſos capillos, cenſuram mereri? Parthi perpetuo, & quidem more patrio, eum effundere ſolent. Seneca ep. 124. *Quid capillum ingenti diligentia comis? cum vel effuderis modo Parthorum, vel Germanorum modo vinxeris, vel ut Scytha ſolent, ſparſeris*, &c. Recte vero Romanus Philoſophus effuſos capillos à ſparſis diſtinguit. Neque enim omnes capilli, qui effuſi, pariter etiam ſparſi. Spargebantur enim cum cura aliqua accederet. Seneca cothurnatus, in Hercule Furente v. 471.

Digitized by Google

Non erubeſcit Bacchus effuſos tener
Sparſiſſe crines.

atque iterum in Oedipo v. 416.

Spargere effuſos ſine lege crines,
Rurſus adducto revocare nodo.

Inde Parthos effudiſſe tantummodo capillos, cum ratione notat Philoſophus modo citatus. Quod de Liguribus teſtatur quoque Lucanus lib. 1. Pharſ. his verſibus:

Et nunc tonſe Ligur, quondam per colla decora
Crinibus effuſis toti prælate Comatæ.

Tribus vero modis, crinis ſparſus eſſe cenſebatur. Ex quibus duos ſolummodo hic notabo: quod tertius faciat ad declarationem loci Apoſtoli, quem quidam, Græcæ linguæ minus gnari, adeo torquere inſtituerunt. *Primo*, ſparſi capilli ſunt illi, qui ad tellurem uſque dimittuntur, quod fieri aſſuevit à ſupplicibus Lucanus lib. 7.

Credite grandævum vetitumque ætate Senatum
Arma ſequi, ſacros pedibus diſpargere canos.

Sic enim legit antiquus meus Codex, & invenit in MS. Hortenſius. Statius lib. 6. Theb. pro eodem ſternere dixit:

Sternit crineis, iteratque precando.

Huc traxerim illud ejuſdem Poëtæ lib. 3. Theb.

Caniciem impexam dira tellure volutans.

Secundo, lugentes, (ut alibi diſtinctius notamus) cum dimitterent capillos, eoſdem ſpargere dicebantur. Claud. de IV. Conſ. Honorii:

Flavam ſparſere Sigambri
Cæſariem.

At redeundo ad lineas, quidam declaraturi ſubjectum queſtionis, quam περίεργοι adeo intricatam reddiderunt, ſubſtituerunt capillos latronum, ſive *moordenaers locken*. Fateor equidem, latronibus intonſam & aſperam comam tribui: inde enim Heliodorus, lib. 2. Æthiop. ὡς ἡ ἡμέραν ἀσμένος οἶδε, πρῶτα μὲν ἐκτέμνει τῆς κόμης τὸ περιττότερον, ὃ ἔσων αὐτῆς εἰς τὸ λῃστρικώτερον εἶδος παρὰ τοῖς βουκόλοις ἤσκητο, τοῦ μὴ ἀποτρόπαιος εἶναι τοῖς ἐντυγχά-

τυγχάνουσι. βουκόλοι γὰρ ἄλλα τι πρὸς τὸ φοβερώτερον φαίνεσθαι, καὶ δὴ καὶ τὴν κόμην εἰς ὀφρὺν ἕλκουσι, καὶ σοβοῦσι τῶν ὤμων ἐπιβαίνουσαν, ἐν τοῦτο εἰδότες, ὡς κόμη τοὺς μὲν ἐρωτικοὺς ἱλαρωτέρους, τοὺς δὲ ληστρικοὺς φοβερωτέρους ἀποδείκνυσι. Alluſiſſe vero politiſſimum Scriptorem exiſtimo ad locũ Plutarchi, qui in vitis Parallelis ita de Lycurgo: εἴθισε τοὺς πολίτας κομᾶν, λέγων ὅτι τοὺς μὲν καλοὺς ἡ κόμη εὐπρεπεστέρους ποιεῖ, τοὺς δ' αἰσχροὺς φοβερωτέρους. Interim neque omnes latrones capillos promittere ſolent, neque omnes illi latrones ſunt habendi, qui promiſſum gerunt capillitium. Arabes non olim tantum, ſed & hodie latrociniis celebres ſunt, & tamen tondentur: ſic enim de iis Herodotus lib. 3. κείρονται ὑποτρόχαλα, περιξυροῦντες τοὺς κροτάφους. Cujus rei rationem prolixius proponis Plutarchus in Theſeo. Si ego ſtatum quæſtionis determinare debuerim: ut controverſia maxime exorta eſt occaſione loci Apoſtoli Pauli 1. Cor. 11. ita exiſtimarim, ſtatum controverſiæ definiendum eſſe ratione virorum de iis capillis, qui videntur ut otioſa quædam ſaburra, aut per humeros diffuſi eſſe, aut frontem pariter obnubilare.

II. Ut vero qualemcunque ſymbolam poſt viros, quos initio nominavi, ad quæſtionis hujus explicationem conferam, non video quomodo ſimpliciter, cæſaries, ſeu comæ virilis, ex more gentis aliquanto prolixius præter neceſſitatem valetudinis ali ſolitæ, naturæ adverſaria dici queat. Ut inde enim incipiam Heroës Homerici à poëtarum antiquiſſimo, paſſim à cæſarie promiſſa, illiusque gratia commendantur. Quemadmodum diſtinctè à Syneſio Orat. de Calvitio obſervatur circa Achillem, Hectorem, Euphorbum, & Ulyſſem, imo Jovem quoque ipſum. Atque Græci in communi conſiderati, paſſim vocantur καρηκομόωντες. Speciatim vero Ἀχαιοί. Rationem reddit Euſtath. ad lib. 2. Iliad. ἔθος ἦν αὐτοῖς κόμην τρέφειν οὐ μόνον εἰς κάλλος, ἀλλὰ διὰ φοβερόν. Studium hoc fuit maxime hominum liberorum, nam ſervis coma interdicta. Unde Ariſt. in Avib.

ἔπειτα δῆτα δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις;

Rationem ſi quis quærat, cognoſcere poterit ex Nicandro, qui apud Plutarchum in Apophtheg. Lacon. interrogatus, cur Spartani comam ferrent, reſpondit: ὅτι πάντων κάλλιστος, καὶ ἀδαπανώτατος ἀνδρὶ ὁ ἴδιος κόσμος. Quomodo & Lycurgum ad eandem quęſtionem apud Plutarch. in Lycurgo, eodem ferme modo reſpondiſſe, jam notavimus. Quod Domitianus pariter hoc ipſum agnoſceret, in libello ſuo de cura capillorum apud Suetonium hunc in modum loquitur de coma ſua.

οὐχ

οὐχ' ὁρᾷς οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε; *Non vides qualis ego ſim pulcher, & magnus? eadem tamen ne manent capillorum fata, & forti animo fero comam in adoleſcentia ſeneſcentem. Scias nec gratius quidquam decore, nec brevius.* Speciatim Lacedęmonii, quos ad omnem honeſtatem rigidus ille Legiſlator Lycurgus compoſuit, ex illius ipſius inſtituto cæſariem alebant. Hoc ipſum ſuo ſuffragio probat Xenophon lib. de Repub. Lacedæm. atque præ aliis diſtinctè Philoſtr. lib. 8. de vita Apollon. Tyan. cap. 3. authorem Græcum quod in Bibliotheca non habeam, eum per interpretem exhibeo ſic loquentem: *Comatum nutritio à Lacedæmoniis eo tempore orta eſt, quando habiti ſunt bellicoſiſſimi. Spartanorum Rex Leonidas fortitudinis cauſſa comam geſtabat, quod amicis venerabilem, hoſtibus vero terribiliorem, propter ipſum comam, ſe videri arbitrabatur. Hinc & Spartani omnes nutrire comam cœpere, quod non minus hunc Regem, quam Lycurgum, aut Iphitum venerarentur. Idcirco à ſapientis viri coma procul aberit ferrum.* Amplius comę curam maximam geſſerunt Mauri, ſive Mauruſii. De quibus ſic Strabo lib. 17. Geogr. *Hi comas cincinnis* (ἐμπλοκῇ) *exornant, & barbam comunt, aurumque geſtant, dentes tergent, unguium incrementa reſecant, ac raro videas inter ſe contingentes, quin capillorum ornatum tangant.* Indi capillum potiſſimum promittere ſolent: ſic enim de iis Solinus cap. 65. *Indis omnibus promiſſa cæſaries, non ſine fuco cærulei aut crocei coloris.* Quæ & calculo ſuo probat Curt. lib. 8. cap. 9. & Diod. Siculus lib. 4. Unde Ovid. lib. 3. Faſt. v. 465.

Interea Liber depexis crinibus Indos
Vincit.

Sic & Strabo lib. 3. ſcribit: *Luſitanos, qui in montibus horridam & incultam vitam, humi ferarum ritu ſtrati degebant, longas inſtar fœminarum inferius comas diffundere ſolitos eſſe.* Perſę quoque comam non tondebant, ut colligere eſt ex Herod. lib. 6. Unde & ſpeciatim Amm. Marcellinus lib. 23. tradidit, eos longis capillis hirſutos fuiſſe. Ipſorum vero Reges capillatos fuiſſe, indicio eſt Veſpaſiani dicterium, quo Cometam, qui ſuis temporibus apparuit, eluſit dicens ad Perſarum Regem pertinere, cui *capillus effuſior:* quod Sueton. in Veſpaſ. cap. 23. & Sex. Aur. Victor commemorant. Nec minus comati fuerunt Britanni antiqui, de qnibus ita Cęſar lib. 5. de B. Gal. cap. 14. *Capillo ſunt promiſſo, atque omni parte corporis raſa, præter caput, & labrum ſuperius.* Germanis quoque gentile fuit comam alere, comamque non niſi probata virtute deponere. De Cattis ſpeciatim teſtatur Tacitus libello de Morib. Germ.

Germ. cap. 39. *Cattos*, inquit, *in conſenſum vertit, ut primum adoleſcentes adoleverint, crinem barbamque ſubmittere, nec niſi hoſte caſo, exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum.* Et de Sigambris Martialis in Amphith. Cæſareo ep. 3.

Crinibus in nodum tortis venere Sigambri,
Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.

De univerſis Germanis Juvenalis Sat. 13.

Carula quis ſtupuit Gemani lumina, flavam
Caſariem, & madido torquentem cornua cirro?

Inde Germanorũ reges reſpiciens Claud. de laud. Stil. eos vocat *Crinigero flaventes vertice reges.* De Gallis fidẽ facere poteſt vel ſola Comata Gallia. Jam antea adduxi Lucanum, cui jungi poſſunt Plin. lib. 4. Nat. hiſt. cap. 17. & Cic. Phil. 8. Atque inde Claud. lib. 2. in Ruffin.

Inde truces flavo comitantur vertice Galli,
Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit.

Nec aliud obſervatum à Francis, qui Gallorum fines invaſerunt, qui pariter capillitium ad frontem deducere ſolent. Teſtis Sidonius Apollinaris Carm. 7. ubi ita de illis:

Hic quoque monſtra domat, rutili quibus arte cerebri
Ad frontem coma tracta jacet, nudataque cervix
Setarum per damna nitet.

Ne plura adferam, pertinet huc jus capillitii regii, de quo late Hottom. cap. 9. Francog. Utque omnis orbis ad regis exemplum ſe componere geſtit, ſi monachos & ſacerdotes excipias, tota Gallia comam promiſſam aluit, uſque ad Franciſcum I. qui accepto in capite vulnere medicis ſuadentibus comam depoſuit. Tantum vero ibi delatum comę, ut ea ſontes mulctari ſoleant. Ne plura quæ ad manum ſunt exhibeam, liquet ex capitulis Caroli Magni, in quibus lib. 3. art. 9. de Conſpiratoribus ſic legitur: *Quicunque facere praſumpſerunt, & ſacramento quamcunque conſpirationem firmaverunt, triplici ratione judicentur. Primo, ubicunque aliquod malum per hoc perpetratum fuit, auctores facti interficiantur: Adjutores vero eorum ſinguli alter ab altero flagellentur, & nares ſibi invicem procidant; ubi vero nihil mali perpetratum, ſimiliter quidem inter ſe flagellentur, & capillos ſibi invicem tondeant.* Multi interpretantur de detruſione in monaſterium: at per errorem ſummum; ut ipſæ enim Francorum leges ſervos monachatu arcent, ita tonſura hęc circa ſervos pariter exercita. Quomodo legas lib. 4. cap. Carol. art. 17. *Si ſervus fuerit, nudus*

Digitized by Google

nudus ad palum vapulet, & caput ei tondeatur. Quod ad Romanos, politiſſimos præ aliis populis, ſummaque morum elegantia præditos, illi ad CCCCLIIII. annos, uſquedum Publius Ticurius tonſores è Sicilia adduceret, intonſi fuerunt; ut diſcere eſt ex Plin. lib. 7. Nat. Hiſt. cap. 59. A. Gellio lib. 3. Noct. Att. cap. 4. necnon togatorum doctiſſimo M Varrone lib. 2. de Re ruſtica cap. ult. Inde Ovidius lib. 2. Faſt.

Denique quodcunque eſt, quo corpora noſtra piantur,
Hoc apud intonſos nomen habebat avos.

& Horat. lib. 2. od. 15. de Catone, rigido illo honeſti cenſore:

Non ita Romuli
Præſcriptum, intonſi Catonis
Auſpiciis, veterumque norma.

De eodem Lucanus lib. 2.

Ille nec horrificam ſancto dimovit ab ore
Cæſariem, duroque admiſit gaudia vultu.
Ut primum tolli feralia viderat arma,
Intonſos rigidam in frontem deſcendere canos
Paſſus erat, mœſtamque genis increſcere barbam.

Atque inde apud eoſdem, recepta jam tonſura, in pœnam ſceleratis adhibita fuit abraſio. Unde Cicero Orat. pro Roſc. Comœdo petens hominem aliquem levem, qui ſibi caput raſerat, ſic linguæ ſuæ telum vibrat: *Nonne ipſum caput, & cilia illa penitus abraſa,* (notent quidam πλεμότριχες) *olere malitiam, clamare calliditatem videntur?* paulo poſt: *Qui idcirco capite & ſuperciliis ſemper eſt raſus, ne unum pilum boni viri habere dicatur.* Ideo ſannionum princeps Lucianus, in ſuo convivio, delineans hominem nequam & deformem, fingit *eum fuiſſe deraſo capite, & pauculos capillos in vertice criſta in morem erectos geſtaſſe.* Eandem ob cauſſam Apollonium Tyanæum (ut ex Philoſtrato lib. 8. conſtat) radi, atque inter ſceleratos vinciri, curavit Domitianus. Gentibus, quas jam commemoravi, plurimas alias adjicere liceret, univerſuſque Oriens, imo tota ora Africana, nec non novus orbis, ab Americo Veſputio nomen habens, per ſingulas provincias conſiderandus eſſet, ſi omnes illæ nationes, quibus adhuc hodie gentile eſt comam alere, diſtinctæ conſiderandæ eſſent.

Sed cur circa gentes, quę à Dei fœdere alienę videri poſſent, hęremus, III.
cum ipſe Dei populus (Iſraëlitas innuo) ordinario comam alere conſueverit, eamque non niſi luctus tempore ponere? Colligere licet Eſ. 15.

verſ. 2. & 22. verſ. 12. Jerem. 7. verſ. 19. & 16. verſ. 6. Ezech. 24. verſ. 17. & verſ. 23. Mich. 1. verſ. 16. Cumque Legiſlator ſapientiſſimus minutiſſima quæque circa populi ſui veſtes quoque ordinaverit, non injunxit ei, ut aut capillos deponeret, aut etiam aleret; quod cuique integra debeat eſſe ſua libertas: ſed ſi tonderentur, præcepit ſolummodo, ne ad angulos detonſum verticem componerent, ut videre eſt Levit. 19. verſ. 27. Qualis tondendi forma ideo interdicta videtur Judæis, quod ea recepta eſſet apud Ægyptios aliasque gentes, quæ Jehovæ abominationi erant, ut cognoſcere eſt, Jer. 9. verſ. 26. & 25. verſ. 23. & 49. verſ. 32. Alii aliter loca hæc accipiunt: cæterum conveniens admodum videtur eſſe Hieronymi ſententia, qui reſpici exiſtimat legẽ Dei. Quamvis interim difficile ſit definire proprium tonſuræ modum, à Deo prohibirum. Speciatim quidem aliquid de Sacerdotum tonſura, capilliſque prolixioribus definitur apud Ezechielem cap. 44. verſ. 20. Quem locum incomparabilis Salmaſius (ut laborat omnia ex ſuis penetralibus ſingulari mentis acumine eruere) diligentiſſime excuſſit. Interim prȩceptum Leviticis ſacerdotibus ſub lege cæremoniali datum, nequicquam ſub temporibus N. T. derogat libertati eorum, quos Chriſtus ſuo ſanguine redemit: nec admittenda ſequela à prȩcepto Cæremoniali, pro certa temporis circumſtantia in certum tempus valituro, ad illud quod perpetui juris eſt. Ut enim apud Prophetam eodem capite verſ. 17. Sacerdotibus, ſpeciatim uſu veſtium lanearum interdicitur, quando ſacrarium ingreſſuri ſunt (quibus tamen hodie illi, qui ſacris operantur, legitime utuntur) ita idem exiſtimandum omnino eſt de modo tonſuræ, iiſdem definitæ.

IV. Quo progrediar, præter ipſum Dei populum, cui licitum fuit capillum promittere, (Deo ſcil. hoc non prohibente) & tot alias nationes, quæ adhuc hodie hac in parte ſua libertate utuntur, inter Gentiles illi, qui prȩ omnibus aliis ſapientia, atque per merita quæſita opinione gaudebant, nequicquam ab alenda coma abhorruerunt. Innuo plurimos ex Philoſophis, de quibus ita Seneca ep. 5. *Aſperum, incultum, & intonſum caput, & negligentiorem barbam, indictumque argento odium, & cubile humi poſitum, & quicquid aliud ambitionem perverſa via ſequitur, devita. Satis ipſum nomen Philoſophiæ, etiamſi modeſte tractetur, invidioſum eſt.* Loquitur quidem hoc loco de mangonibus Philoſophiæ Romanus ſapiens: interim eo ipſo, quod imitarentur intonſum Philoſophorum caput, patet quoſdam ex genuinis Philoſophiæ ſectatoribus non

non conſueviſſe aut caput tondere, aut circa tonſuram diligentiam & curam adhibere. Unde Horatius de Damaſippo qui è mercatore Stoicus Philoſophus erat lib. 2. Sat. 3.

—— Dī te, Damaſippe, Deæque
Verum ad conſilium donent tonſore.

De Apollonio Tyanęo jam antea ex Philoſtrato audivimus. Empedocli Agrigentino ſpeciatim Laërtius, nitens authoritate Phavorini, *βαθεῖαν κόμην* tribuit. Et, quod quis miretur, qui in populo Iſraëlitico ab aliis, veluti ſanctimoniæ præ cæteris ſtudioſi, ſeparati erant, & proinde Naziræi dicebantur, capillos alebant, tonſuræque non minus quam raſurę, durante voto ſuo, plane ſecuri erant, incurſuri alias pœnam, ſi alterutrum admiſiſſent, Num. cap. 6. Nolo multa ab aliis obſervata repetere, ſed ſolum propono diſtinctionem Rabbinis notam, in Naziręum ſeculi, & Naziræum dierum; ſimulque Simſonem, de quo tamen diſputatur, ad utram Naziręorum claſſem pertinuerit: quamvis interim certiſſimum ſit, eum, niſi illo tempore quo à Delila dolo circumveniebatur, novaculam non admiſiſſe, Jud. 16.

Ex omnibus, quæ per ſatiram hactenus retuli, ſic argumentor: V.

Quicquid pleriſque non ſolum gentibus, ſed politioribus inter gentes uſitatum fuit, imo quod Dei populo, quo tempore jugum cæremonialis legis ferebat, maxime iis ipſis qui ſanctimonia gratia ab aliis ſe ſeparaverant, ex ſpeciali Dei mandato injunctum fuit; illud non putandum eſt adverſari legi naturæ: Sed ut viri capillos promiſſos, & ultra eum modulum, quem recentiores τριχόμαχοι definire ſolent, alerent, hiſce omnibus permiſſum & mandatum fuit: Ergo.

Ut Philoſophice agam, conſequentiam majoris adeo certam eſſe exiſtimo, ut non putem, recentiores quoſdam ſi excipias, ullum hominem, cui modo ratio conſtiterit, inventum iri, qui poſſit de illius certitudine ambigere. Ipſa vero aſſumptio ex pręcedentibus liquet. Sed, ut progrediar, quis ambiget, comam promiſſiorem ſimpliciter non eſſe vetitam, ſi conſideraverit Chriſtum Jeſum pulcherrimum inter filios hominum, ſuæque Eccleſię ſponſum, in myſtico Salomonis cantico, ubi illius decus atque gratia figuratis locutionibus exhibentur, deſcribi à venuſtate atque ſplendore diffuſæ comę? Ne aut textum originalem, aut obſervationes Rabbinorum ad eum, aut etiam etymologias diſtinctorum vocabulorum ſollicitem, conſiderent modo τριχόμαχοι

ea, quæ habentur in verſione Belgica (ad quā alias non minus quam ad Canones Synodi Dordracenæ provocare ſolent) Cant.cap.5.v.11. ubi ſic legitur: *Sijns hayr-locken ſijn gekrult, ſwart als een rave.* Nemo Belgici idiomatis adeo imperitus, qui neſciat *een locke* dici quaſi *een vlocke*, atq; notare cirrum, elegantiſſime à Cl. Salmaſio deſcriptum. Quis vero exiſtimet Chriſto Jeſu, in cujus ore ne quidem dolus inventus, aliquid attribui, quod adverſetur juri naturæ? Circa vocem Belgicam ſi difficultatem moveant, ac contendant *hayr-locken* differre ab iis cirrhis, quos ipſi vocant *wilde af-hangende en vliegende hayr-locken*, ad ipſum Textum Ebręum eoſdem provocabo, jubeboq; attendere quæ ratio ſit quare cincinni alti vocentur: quod Epitheton conſiderans Rabbi Solomoh, atteſtante Mercero, de ſuſpenſis ſive pendulis capillis interpretatur. Deinde criſpi, denſique capilli, an non ęque otioſi cenſeri debent, ſi attendantur principia eorum, qui à nobis recedunt, atque capilli per humeros ſparſi, aut frontem ex parte velant? Secus ſi exiſtiment Adverſarii, velim ętenim rationem reddant, cur contrarium ſtatuendum eſſe exiſtiment.

VII. Sed dicunt ſe moveri loco Apoſtoli ex Epiſt. priori ad Corinthios capite undecimo. atque hoc illud ipſum eſt. Ut in anteceſſum hoc pręmittam, quis dederit, illo loco Paulum voluiſſe docere omnes capillos prolixiores in vitio non ſolum cenſendos eſſe, ſed & adverſari ipſi naturæ legi? quandoquidem ſic imponeret ipſis Corinthiis jugum intolerabile magis, quam portaverant patres ſub priori fędere; poſſetque iterum Petrus reſurgere, & dicere: *Quid tentatis Deum, ad imponendum jugum cervici diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare voluimus?* Qui enim in lege Cæremoniali, quæ tam diu valuit quam in Eccleſia pædagogicum duravit moderamen, minutiſſima quæque ordinaverat, ordinando quoque locum, ubi corporis excrementa deponerentur, vulgo Judęorum (ſacerdotes enim excipere fas eſt) ſolummodo certo tondendi modo, quod is inter Gentiles receptus eſſet, interdixit, pręcipiendo amplius Naziræis, qui ſpeciali ratione ſibi ſanctificati erant, ne tonderentur. Quid quod ipſe Paulus, qui hoc præceptum, de quo tantopere contenditur, proponit, caput diu intonſum habuit, & conſequenter alere debuit prolixiores capillos. Legitur enim Cenchreis, qui locus Corintho proximus erat teſte Origine, quod votum habuiſſet, una cum Priſcilla & Aquila caput ſuum totondiſſe, Act. 18. v. 18. Ut vero propius accedam ad locum controverſum, quo Apoſtolus tonſuram ordinare videtur, ex antecedentibus conſtat, occa-
ſione

ſione ordinis, quem Apoſtolus inter precandũ Corinthiis prçſcribit, pariter, licet diverſimode, de capillis agere. Ne ea repetam, quæ ὁ πάνυ Salmaſius obſervavit, Apoſtolo propoſitũ eſt (ut recte doctiſſimus Capellus in Spicilegio ſuo mihi obſervaſſe videtur) Corinthiis, in quorũ Ecleſia multa ἄτακτα erant, prçſcribere canonem quem inter precandum obſervare debeant; non quod ille haberi debeat canon univerſalis, ſed quod ſerviat τῇ εὐταξίᾳ Eccleſiç Corinthiacç: quos inter precandũ eum vult ſervare habitum, quo ſolent homines ſuã reverentiam atq; cultum erga eos; qui in honore ſunt, teſtari. Quis vero adeo rerũ imperitus, qui ignoret hoc ipſum σχῆμα pro locorũ & temporum varietate admodũ diverſum eſſe? Valde mihi appoſitus videtur eſſe locus, quẽ idem Capellus ex Maimonide Miſnç tract. 1. l. 2. tract. de Orat. cap. 5. §. 2. ad illuſtrandum Pauli locum adduxit. Qui hunc in modum, ex interpretatione viri Orientalium linguarum peritiſſimi loquitur: *Non orabit cum bulga, neque retecto capite, neq; nudis pedibus.* & paulo poſt; *Niſi forte mos loci illius ſit, ut quis ſtet coram Magnatibus nudis pedibus.* Nam (uti recte tũ ab Illuſtri Salmaſio, tum Rev. D. Capello obſervatum fuit) Apoſtolus nequaquã Corinthiis præſcripſit morem apud Judços receptũ in ſacris, ſed, ſolummodo voluit ut Deũ eo modo inter precandum honorarent, quo viros principes, aliosq; in illuſtri faſtigio conſtitutos honorare ſolent. Nam apud Judæos jã olim receptum fuiſſe, ut in ſacris caput à viris tegeretur, contra vero cum in publicum prodirent, aperiretur, antiquitatum Judaicarum peritiſſimus Druſius lib. 6. Præteritorum ex libro Muſar. notavir, ubi cap. 4. ex ejus interpretatione ſic legitur: *Debet homo tegere caput qua hora precatur propter Deum, ante quem ipſe orat, & ſtat cum tremore ac metu.* &c. iterum cap. 6. *Cur vir quum exit caput apertum habet, & mulier tectum? Qui aliquid fœdum commiſit pudet eum: ideo tegit caput ſuum. Sic mulier quæ prima peccavit, & propter eam peccatũ Adæ, è quo prorſus per univerſum mundum: ideo exit capite tecto.* Conſuetudinem Judçorum, ſacra operto capite facientium, Diisque ſuis ſanctificantiũ, multi ex Gentilibus imitati fuerunt. Unde Servius ad lib. 3. Æneid. *Sane*, ait, *ſciendum eſt, ſacrificantes Diis omnibus, capita velare conſuetos ob hoc, ne ſe inter religionẽ vagis aliquid offerret obtutibus, excepto tantum Saturno.* Multorũ mentionem feci, quia, quãvis Illuſtris Salmaſius ſub iis comprehendere quoque videatur Grçcos, illos tamen aperto capite Diis ſacra feciſſe docet me Macrobius lib. 3. Annal. cap. 6. ſic loquens: *Cornelius Gallus ἐξηγητικῶν libro octavo decimo ait apud aram maximam obſervatum ne lectiſternium fiat. Cuſtoditur in*

tur in eodem loco ut omnes aperto capite ſacra faciant, hoc fit ne quis in Dei habitum ejus imitetur. nam ipſe ibi operto eſt capite. Varro ait Græcum hunc eſſe morem: quia ſive qui ab eo relicti aram maximam ſtatuerunt, Græco ritu ſacrificarunt. Et iterum lib. 1. Saturn. cap. 8. agens de æde Saturni, quem Deum jam antea exceperat Servius, ſic loquitur: *Illic Græco ritu capite aperto* (ſic legunt omnes Codd. MSS.) *res divina fit: quia primo à Pelaſgis, poſt ab Hercule ita eam à principio factitatam putant.* Quum vero hoc in Græcia paſſim obſervaretur, ut in Deorum, qui tamen natura Dii non erant, honorem capita detegerentur, atque Corinthii ne quidem vero Deo eum honorem exhiberent, quem Gentiles, inter quos vivebant, ſuis idolis exhibebant, aliter fieri non potuit, quin averterent eos à profeſſione veritatis, quos Chriſto & veritati lucrifacere debebant: ut non ſine ratione Apoſtolus ad viros dicat verſ. 4. πᾶς ἀνὴρ προσευχόμενος ἢ προφητεύων κατὰ κεφαλῆς ἔχων, καταισχύνει τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ. Obſervari velim, Apoſtolum uti verbo καταισχύνειν, quo iterum utitur hoc eodem capite verſ. 22. καταισχύνετε τοὺς μὴ ἔχοντας. Ut vero hoc poſteriori loco innuit ab opulentioribus è Corinthiis, pudorem incuſſum fuiſſe pauperioribus, qui nihil ad agapas conferre poterant; ſic, ut quaſi infamia laborarent, quando dicit, viros, qui tecto capite precabantur, καταισχύνειν τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, innuit eos proſtituiſſe ſuum caput, quod circa illud ne tantam quidem adhiberent reverentiam, quantam capite, illud detegendo, ipſi Gentiles inter Græcos exhibebant ſuis Diis, ſive idolis. Nam ut Apoſtolus verſ. 22. innuit, ignominiæ quaſi publicæ expoſitos fuiſſe, qui ad agapas ſymbolam adferre non poterant, ita ratione Corinthiorum Gentilium, viri illi caput ſuum publicę quaſi ignominiæ & infamiæ exponebant, qui inter precandum illud non detegebant. Significatio hæc verbi καταισχύνω, ideo hoc loco, velut probabilis admittenda, quod non infrequens ſit, αἰσχύνην pro ignominia accipi. Sic enim Herod. lib. 3. τοῦτο μεγάλην αἰσχύνην φέρει: *Hoc magnam adfert infamiam.* Ut vero viri Corinthii caput ſuum non detegentes, inter precandum, illud quaſi infame reddebant; ita pariter mulieres illud non velando. Nam fœminas Corinthiacas, ante hanc Pauli admonitionem, caput ſuum non velaſſe, teſtis eſt Tertull. libel. de Veland. Virgin. cap. 9. *Hodie*, inquit, *Virgines ſuas Corinthii velant, quid docuerint Apoſtoli, quid didicerint, adprobant.* Illud vero dum agerent, non ſolum Judaicis fœminis ſe diſſimiles exhibebant, de quibus ſic Tertullianus libel. de Corona Milit, cap. 4. *Apud Iudæos,*

Iudæos, ait, *tam ſolemne eſt fœminis eorum velamen capitis, ut inde noſcantur*; verum etiam à conſuetudine plerarumque aliarum gentium recedebant, apud quas receptum erat, ut fœminæ nunquam in publicum niſi velatæ prodirent. Teſtis eſt Plutarchus in Quæſt. Rom. cap. 11. συνηθέστερον δὲ καὶ ταῖς μὲν γυναιξὶν ἐγκεκαλυμμέναις, τοῖς δὲ ἀνδράσιν ἀκαλύπτοις εἰς τὸ δημόσιον προϊέναι. *Uſitatius eſt mulieres tectis, mares nudis capitibus in publicum progredi.* Gui conſuetudini cum non obſequerentur Corinthii, Apoſtolus verſ. 6. dicit æque turpe eſſe mulieri non velari, quam aut tonderi, aut radi. Raſuram vero fœminis adhibitam, infamiæ loco cenſeri ſolere, atque ſummo dedecori verſam fuiſſe, vel ex Apulejo lib. 2. Metamorph. colligi poteſt: *At vero, quod nefas eſt dicere (ne quod ſit ullum hujus rei tam durum exemplum) ſi cujuſlibet eximiaque pulcherrimaque fœminæ caput capillo ſpoliaveris, & faciem nativa ſpecie nudaveris, licet de cœlo ejecta, mari edita, fluctibus educata, licet, inquam, Venus ipſa fuerit, licet omni gratiarum choro ſtipata, & toto cupidinum populo comitata, & balteo ſuo cincta, cinnama fragrans, & balſama rorans, ſi calva proceſſerit, placere non poterit, ne Vulcano quidem ſuo.* Poſtea varias quidem rationes adfert Apoſtolus, ut probet ſuam admonitionem juſtam eſſe, nec tamen cum ratione aliquis inde collegerit, privatam admonitionem reſpicientē Corinthios (qui receſſerunt à communi Græcorum more, atque ut ex antecedentibus liquet ſcandalum præbebant Gentilibus, qui ſigno ſubjectionis communi Deos ſuos venerabantur) debere cenſeri pro univerſali regula. Ut enim antea eſt oſtenſum, apud Judæos ipſos in ſacris erat receptum, ut caput ſuum viri velarent: imo Levitici cap. 16. verſ. 4. Aaroni ſacrarium ingreſſuro injungitur, ut inter cæteras veſtes ſacras cidari linea (capitis velamen fuiſſe liquet ex Exodi cap. 29. verſ. 6.) cingatur: atque idem exiſtimandum eſſe de Aaronis filiis patet ex Exod. 28. verſ. 40. & 42. ubi eadem veſtimentorum genera iiſdem adaptantur, niſi quod pilei eorum (de quibus videndus Kimchius) alia nomina ferant. Nec ſimpliciter improbandum eſſe, ut fœminæ non ſint velatæ, quando exercitiis ſacris vacant, oſtendere videtur exemplum Mariæ, quæ cum ſe dimiſiſſet ad pedes Salvatoris noſtri Chriſti, unxit non ſolum pedes ipſius, ſed etiam eoſdem exterſit capillis ſuis, Joannis 12. verſ. 3. Quod & fecit peccatrix illa apud Lucam cap. 7. verſ. 38. ipſo Chriſto hoc admodum approbante, verſ. 44. Quod conſiderans Hieronymus Epiſt. ad Furiam de Viduitate ſervanda ſic loquitur: *Meretrix illa in Euangelio baptizata lacrymis ſuis,*

&

& crine, quo multos ante deceperat, pedes Domini tergens, ſalvata eſt. Non habuit criſpantes mitras, nec ſtridentes calceolos, nec orbes ſtibio fulginatos. Adeo ut mihi valde arrideat venerabilis D. Bezæ ſententia, qui ad v. 4. ſic ſcribit: *Cæterum hanc Pauli legem ad εὐταξίαν pertinere, ac proinde non ſine diſtinctione locorum & temporum accipiendam, vel ex eo intelligi poteſt, quod hodie contraria prorſus ratione, capite operto in cœtu loqui, ſignum eſt auctoritatis: aperto vero, ſubjectionis teſtimonium.* Corinthios vero à communi Græciæ conſuetudine receſſiſſe, ad quam Apoſtolus eos revocat, nemo mirabitur, ſi cogitaverit mores eorundem corruptiſſimos, de quibus ita Strabo lib. 8. *Fanum Veneris Corinthi ita fuit locuples, ut plures quam mille habuerit ſacrorum famulas meretrices, quas Deæ viri mulieresque dedicarant. Ob hæc igitur & magna hominum multitudo in ea urbe & divitiæ fuerunt: naucleri ſua facile prodigebant. Unde adagio locus: Non eſt Corinthum adire cuivis integrum.* Item Suidas verbo Kotys: *Cotys dæmon apud Corinthios colitur præſes effœminatorum & impudicorum, ſive illi ob turpem quæſtum, ſive ob fœdam libidinem aliave de cauſſa pudicitiam proſtituant, cujuſmodi ſunt Cliſthenes & Timarchi.*

VII. At tempus eſt, me convertam ad comma quartum decimum hujus undecimi Capitis, quod ita habet: ἢ οὐδὲ αὐτὴ ἡ φύσις διδάσκει ὑμᾶς, ὅτι ἀνὴρ ἐὰν κομᾷ ἀτιμία αὐτῷ ἐστι. In quo verſu tria in conſiderationem veniunt: quid nempe primo ſignificet ἡ φύσις, ſecundo quid κομᾶν, & tertio quid ἡ ἀτιμία. Ita ego exiſtimo (de verſu proximo, ubi de mulieribus eſt ſermo, modo videbimus) ante omnia conſiderandam eſſe genuinam ſignificationem verbi κομᾶν, nec non ſcopum Apoſtoli. Jam antea vero dixi, Apoſtolum loqui de Corinthiis, quos ad Achæos referendos eſſe, patet ex Plin. lib. 7. cap. 59. & Chryſ. Præf. in Epiſt. ad Corinth. Quicquid aliis ergo viſum fuerit, contendo τὸ κομᾶν, quod in Paulino loco occurrit, uſurpandum de virili capillo, ornato inſtar capillorum muliebrium, ordinario cultum admittere ſolitorum. Ut ita ſtatuam, præter alia ſuadet ordinaria ſignificatio vocis κομᾶν. Lubens dedero κομᾶν apud Græcos ſcriptores uſitatiſſime ſignificare comatum eſſe; interim hęc ſignificatio, quam contendo recipiendam eſſe, æque uſitata eſt. Suidas varias ſignificationes verbi κομᾶν referens, diſtincte notat, κομᾷ idem eſſe atque τριχῶν ὑπερβολῇ κοσμεῖται. Paulus Feſti abbreviator: *Comptu, Afranius pro ornatu & cultu poſuit. Comptus, id eſt, ornatus à Græco deſcendit, apud quos κομᾶν dicitur comere: quare apud nos comis, & comere dicuntur capilli cum aliqua cura compoſiti.* Vulgo pro κο-

μᾶν

μᾶν in editis exemplaribus legitur ϰοσμᾶν: ſed ϰομᾶν legendum eſſe probat tum ratio derivatorum, quorum Feſtus meminit, tum Codex antiquus MS. quem inſpexiſſe ſe teſtatur Vincentius Richardus in Comm. ad Procli Epiſcopi Antiocheni analecta Orat. xɪx. Addere licet Gloſſarium Stephani, in quo ϰομῶ redditur per verbum *como*: quod potius cenſeri debet tertiæ quam primæ conjugationis, quod hoc ſit rarius, conſueveritque gloſſographus verbis uſitatis uti. Atque ſic jam olim locum hunc Pauli intellexiſſe Hieronymum, clare colligo ex ejuſdem Epiſtola ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis, ubi ſic lego: ***Sed ne tantum videat diſputare de fœminis, viros quoque fuge, quos videris catenatos, quibus feminei contra Apoſtolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi in patientia frigoris pedes. Hæc omnia argumenta ſunt diaboli.*** Femineos crines circa viros ab Apoſtolo reprehēſos dicit Hieronymus: at cum Paulus ſolus ex omnibus Apoſtolis, & quidem hoc loco arguerit capillos viriles, conſequens eſt Hieronymum exiſtimaſſe non aliter eos notari, quam quatenus incipiant feminei eſſe. Tales vero initio cenſeri illi debent, qui nunquam detondentur. Namque τὸ ϰομᾶν, τῷ ϰείρεσθαι ordinario opponitur. Plutarch. in Quæſt. Romanis cap. 12. παρ᾽ ἕλλησιν ὅταν δυςυχία τὶς γένηται, ϰείρονται μὲν αἱ γυναῖϰες, ϰομῶσι δὲ οἱ ἄνδρες ὅτι τοῖς μὲν τὸ ϰείρεσθαι τοῖς δὲ τὸ ϰομᾶν σύνηθές ἐστιν. ***Apud Græcos ſi qua calamitas incidit, tondentur mulieres, viri comam alunt: cum alioquin hi tonderi, illæ crines geſtare ſoleant.*** Quid æq; apposite adduci poſſet? Hinc enim liquet admonitionem Apoſtoli ideo cum ratione ad Corinthios dirigi, quod viderentur, ut in aliis, prę mollitie à communi Gręcorum conſuetudine receſſiſſe, & neglecta tonſura in fęminas transformari. Recteq; Illuſtris D. Salmaſius in Epiſt. pag. 358. ad hoc probandum adducit Epigramma Martialis lib. 10. Epig. 65. de Carmenione Corinthio, de quo ita Poëta:

Tu flexa nitidus coma vagaris:
Hiſpanis ego contumax capillis.

Sed quo aliquis hanc interpretationem, pro qua adduxi Hieronymum ipſum, evertat, præ cæteris ſubſequentem adducet verſum, ubi τὸ ϰομᾶν mulieribus commendatur; cumq; ϰομᾶν ibi videatur ſignificare comam alere, contendet quando de viris ſermo eſt, pariter ϰομᾶν in eadem notatione accipiendū eſſe. At ob quam rationem non licebit, quando de mulieribus ſermo eſt, τὸ ϰομᾶν pariter accipere de coma muliebri cōſtricta, quęq; velaminis rationem habeat, quam modeſte cultam & ornatā eſſe quis negare inſtituat? Maxime quod Apoſtolus ipſe dicat talē Comam

 mulieri

mulieri δόξαν eſſe. Quod ſane ſtatui non poteſt de Coma muliebri, nullo modo ſubſtricta. Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædag. cap. 11. γυναιξὶ δὲ ἀποχρῆ μαλάσσειν τὰς τρίχας, καὶ ἀναιδεῖσθαι τὴν κόμην εὐτελῶς περόνῃ τινὶ λιτῇ, παρὰ τὸν αὐχένα, ἀφελοῖ θεραπείᾳ, συναυξούσαις εἰς κάλλος γνήσιον τὰς σώφρονας κόμας. *Mulieribus crines mollire ſufficit, & tenui aliqua fibula comam alligare frugaliter: ſimplici cultura pudicas comas in veram & germanam pulchritudinem alentibus.* Ut vero hic ornatus gloria mulieribus eſt, ita quemadmodum poſtea liquebit, dedecori viris exiſtit cura moroſior comæ, quocunque modo degenerantis à virili gravitate. Speciatim huc pertinent laxi ſive ſparſi crines, (ut jam antea obiter innui) ſed muliebriter nutriti, de quibus Julius Firmicus de Prof. relig. *Exornant muliebriter nutritos crines, delicatis amicti veſtibus, vix caput laxa cervice ſuſtentant* Cicero in Piſonem: *Erant illi compti capilli & madentes cincinnorum fimbria & fluentes.* Apulejus de ſuo capillitio in priori Apologia: *Capillus ipſe, quem iſti aperto mendacio ad lenocinium decoris promiſſum dixere.* Et Arbiter in carmine ſeculari, ubi vitia ſuæ ætatis notat:

Scorta placent, fractique enervi corpore greſſus,
Et laxi crines, & tot nova nomina veſtis,
Quæque virum quærunt.

Nolo referre omnes modos, quibus viri muliebriter capillos ſuos ornare ſolent, atque poſt maximum Salmaſium rem actam agere: ſufficit annotaſſe, quod cum circa capillos curioſiores conſueverint eſſe delicatuli, illique, quibus elatius erat ſupercilium, factum fuit ut paſſim apud Græcos authores κομᾶν accipiatur ἀντὶ τοῦ σεμνύνεσθαι. Suidas: τὸ γὰρ κομᾶν ἔλεγον ἐπὶ τοῦ τρυφᾶν, καὶ γαυριᾶσθαι, καὶ μέγα φρονεῖν. Et Author Etymol. Magni: κομᾶν σημᾶν σημαίνει ὑπερηφανεύειν. Significatio hæc occurrit apud Ariſtophanem Pluto.

Μέγας δὲ βασιλεὺς οὐχὶ διὰ τοῦτον κομᾷ.

Ad quem verſum ſic Scholiaſtes: τυτέσι, σεμνύνεται τῇ περιουσίᾳ τῆς ἀρχῆς. ἀπὸ τῶν μέγα φρονούντων ἐπὶ τῇ κόμῃ. Alluſit elegantiſſime Chryſoſtomus in Com. in 1. Ep. ad Cor. ὅτι δὲ καὶ ἔργοις ἐκόμαν ἀγαθοῖς. Speciatim obſervatum eſt ab Ariſtophanis Scholiaſte ad Nebulas, equites comam alere. Non omnis vero, ſed immoderatus ſolum capillorum uſus, ſequiori ſexui prohibitus.

VIII. Quiſnam vero immoderatus ſit habendus, operæ pretium fuerit paucis expendere. *Primo* hic ſeſe offert ipſa Scriptura, quæ reprehendit

τὰ

τὰ πλέγματα (1. Tim. 2. v. 9.) ſive ἐμπλοκὰς τριχῶν, (1. Petr. 3. v. 3.) quas ἐμπλοκὰς in Mauruſiis quoque notat Strabo loco jam antea citato. Sic vero indigitantur capilli arte quadam contorti: quibus ſuperbire olim ſolent meretrices. Ita quippe Clemens loco dicto: *αἱ περιπλοκαὶ τῶν τριχῶν αἱ ἑταιρικαί: Meretricii ſunt pilorum plexus.* Cogitare quis poſſet, quod quemadmodum Deus populo ſuo peculiarem tondendi modum prohibuit, quod is à Gentibus uſurparetur; Apoſtoli pariter hoc modo ornandi capillos interdixerint fœminis, quod in ſacris ſuis eundem Gentes frequentarent. Sic enim Heſychius: *ἐμπλοκία, ἑορτὴ παρὰ Ἀθηναίοις, ὡς τὸ σὺν ταῖς θριξὶ πλεκόμενον γυναιξίν.* Huc referri quoque poteſt Dei comminatio Eſ. 3. v. 17. 2. Notantur à Patribus capilli alieni, aptati capiti fœmineo. Pathetice Clemens loco dicto per ſuum interpretem: *Alienorum capillorum appoſitiones ſunt omnino rejiciendæ, & externas comas capiti adhibere eſt maxime impium, quæ mortuis pilis cranium induunt. Cui enim manum imponit presbyter? Cui autem benedicit? Non mulieri quæ eſt ornata, ſed alienis capillis, & per ipſos alii capiti.* 3. Reprehenſi jam olim ſunt pili colorati. Ita Clemens loco eodem: *οὐδὲ βαπτέον τὰς τρίχας, οὐδὲ μὴν τὰς πολιὰς μεταχρωστέον.* Hieronymus Epiſt. ad Lætam: *Nec capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auſpiceris.* Cyprianus lib. de habitu Virginum: *Audaci*, inquit, *conatu & ſacrilego contemptu crines tuos inficis, malo præſagio futurorum capillos jam tibi flammeos auſpicaris.* 4. Cenſuram quoque incurrerunt capilli in frontes dimiſſi. Inde Hieronymus in Epiſtola ad Demetriadem de Servanda Virginitate: *Fuge laſciviam puellarum, quæ ornant capita, crines à fronte demittunt, cutem poliunt, utuntur pigmentis, aſtrictas habent manicas, veſtimenta ſine ruga, ſoccoſque criſpantes: ut ſub nomine virginali, vendibilius pereant.* In his quatuor modis, ut ſe prodere jam olim ſolet laſcivia feminea, ita jure merito, vel ob hoc reprehendi graviſſime debet, quod quæcunque è ſexu muliebri uni quoque ex iis impenſius ſtudent, tot bonas horas circa rem nihili dilapident. Ut non ſine ratione Thomas Morus, quum incidiſſet in nobilem puellam, quæ aliis rebus relictis, cum labore atque dolore crines complicabat, dixerit: *Niſi Deus pro hoc tuo tanto labore tibi infernum reddat, magnam profecto tibi faciet injuriam.* Quemadmodum vero hæc in feminis ſunt maxime deteſtanda, quanto non magis in viris? At quis tamen hinc collegerit caſtum, ſobriumque, capillorum cultum pariter fœminis vitio vertendum?

IX. Sed alii forte progredientur, ac dicent: ſi viris fas eſt capillum ex more gentis moderate promittere, modo ad femineam mollitiem eum non componant, pariter verum erit eos capillum pro velamento accepiſſe, quod tamen negat Apoſtolus, quando ſpeciatim de fæmina dicit: ἡ κόμη ἀντὶ περιβολαίου δέδοται αὐτῇ. Quid περιβόλαιον ſit, cujus meminit Apoſtolus, docet Gloſſarium antiquum Stephani, in quo ita legitur: περιβόλαιον, *Amictorium*, *amictus*, *opertorium*. Capillos capitis ſi quis in ſe, atque ratione finis ſui cenſeat, omnes in univerſum περιβολαίου rationem habent. Nam ut caput, quod Palladis arcem vetuſtas vocare ſolet, immune ab injuriis ſit, naturæ architectus Deus pilis illud cooperuit, cujus tegminis quantus uſus ſit ad arcendas aëris injurias, experiuntur calvi; qui cum iis denudati ſunt, minimas quoque aëris mutationes ſentiunt, varieque ab ipſis afficiuntur; ac propterea hunc naturæ defectum arte ſupplent, galericium ſibi aptantes. Eoque præter naturalem hunc uſum, alium aliquem in capillis conſiderare opus, quo ratione feminæ περιβόλαιον ſit: ſiquidem dici non poteſt hunc uſum notari in illius crinibus quatenus eos à natura accepit. Ut enim recte ὁ πάνυ Salmaſius notavit, effuſi & ſparſi feminę crines, cum dependeant, nequaquam τοῦ περιβολαίου rationem habere poſſunt. Eoque eidem aſſentior, quando exiſtimat, tum demum περιβολαίου uſum exhibere, quando convoluti ſunt. Solent quippe ordinario matronę capitis crines componere, ut velaminis rationem haberent. Tangit Juvenalis ſat. 6.

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput.

& Statius in Violantillæ Epithalamio:

—— Celſa procul aſpice frontis honores,
Suggeſtumque comæ.

Capilli tali modo diſpoſiti vocabantur tutuli, teſte Varrone lib. 6. de L.L. & Sex. Pompejo. Aliquis cogitare poſſet inde deſcendere noſtram Belgicam vocem *Tuten*, quæ circa capillitium fæmineum uſurpari ſolet. De tutulis his loquens Tertullianus lib. de Pallio cap. 4. ſic loquitur: *Tunc certiſſime ſupra omnes exuvias auguſta veſtit, ſuperque omnes apices ac tutulos ſacer ſuggeſtus deducit oculos.* Tutulis ſiquidem in ſacris quoque utebantur Sacerdotes, quod pilei quidam referrent tutulos muliebres.

X. Quamvis autem, ut antea ex Clemente audivimus, mulieribus fas fuerit tenui aliqua faſcia frugaliter comam alligare pro tutulo, non tamen

men pariter iis fas fuit,hunc tutulum ex alienis conficere capillis. Inde Hieronymus Epiſt. ad Demetriadem: *Quando eras in ſeculo, ea quæ erant ſeculi, diligebas, polire faciem purpuriſſo, & ceruſſa ora depingere, ornare crinem & alienis capillis turritum verticem ſtruere.* Idem epiſt. ad Marcellam: *Quæ capillis alienis verticem ſtruunt.* Alias nimius quoque ornatus & varietas tutuli, licet ex propriis capillis confecti, vitio, & quidem merito, vertebatur. Hieronymus ibid. *Tunc crines ancillula diſponebant, & mitellis criſpantibus vertex arctabatur innoxius.* Pathetice Tertullianus libel. de Cultu fæmin. *Affigitis præterea neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum quaſi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in cervicem retro ſuggeſtum. Mirum quod contra Domini præcepta contenditur. Ad menſuram neminem ſibi adjicere pronunciatum eſt. Vos plane adjicitis ad pondus.* Reſpexit huc Prudentius in Pſychomachia, ubi ita:

Turritum tortis caput accumularat crinibus.

Quo loco cum fœminæ laſcivæ atque ſuperbæ turritum caput tribuit, idem vult innuere, quod Syneſius, qui Orat. de Calvitio, agens de ſimili muliere, dicit eam eſſe πυργοφόρον καθάπερ κυβέλην, *turritam ſicuti Cybelen*: cui Virg. Romam aſſimilat lib. 6. Æneid.

——— *Qualis Berecynthia mater*
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes.

Hæc capilli diſpoſitio λαμπάδιον vocatur apud Pollucem lib. 4. Onomaſt. cap. 19. ubi ita: λαμπάδιον ἰδέαν τειχῶν ἔχει πλέγματος, εἰς ὀξὺ ἀπολήγοντος, ἀφ' οὗ καὶ κέκληται. Verum ad lineas.

Quum ergo περιβόλαιον apud Paulum intelligi debeat de fœmineo XI.
capillitio ſubſtricto, atque citra operoſam culturam complicato circa verticem, patet ab eo diſtingui debere καλυπτήριον illud, de quo idem ipſe verſibus præcedentibus locutus erat. Quod cum Illuſtris Salmaſius diſtincte ſatis explicuerit, verbo de eo agere nolo, ſed converto ulterius me ad conſideratione̅ vocis φύσεως. Quæ quamvis varias habeat notationes, exiſtimo tamen, comparato hoc verſu cum præcedenti, convenientiſſime eam accipi de judicio rationis naturalis. Nam ut Apoſtolus proxime præcedenti commate provocando ad ipſos Corinthios dixerat, ἐν ὑμῖν αὐτοῖς κρίνατε &c. ita hoc, quem præ manibus habemus, verſu, ad eos ipſos iterum appellando, dicit ἢ οὐδὲ αὐτὴ ἡ φύσις διδάσκει ὑμᾶς, &c. Utque eos ipſos teſtes non ſolu̅, ſed & judices laudat eorum, quę propoſiturus erat; ita hoc vult dicere, an non ratio, & illius judiciu̅ vos docent

ἀτιμίαν εἶναι ſi vir comam ornatu feminis ordinario inſtruere occipiat? Acceptio hæc vocis *φύσεως* ideo mihi conveniens videtur, tum quod eidem faveat ordinaria notatio hujus vocis, tum etiam uſus Scripturæ. Quod ad ordinariam notationem ea ex Gloſſis Stephani nota, in quibus ita: *φύσις*, ***ſexus, natura, ingenium***; nec inſolens antiquis Scriptoribus. Herodotus lib. 4. *φύσει γεγονότες εὖ ἄνδρες*. ***Viri egregio ingenio prædíti.*** Præ cæteris vero illuſtris eſt textus Jac. 3. v. 7. *πᾶσα γὰρ φύσις θηρίων τε καὶ πετεινῶν, τε καὶ ἐναλίων, δαμάζεται καὶ δεδάμασται τῇ φύσει τῇ ἀνθρωπίνῃ*. Quo loco ut manifeſtum eſt *τὴν φύσιν ἀνθρωπίνην* aliud non poſſe notare quam ingenium humanum, ita convenienter eodem trahitur locus Pauli Rom. 2. v. 14. Cum quo ut recte doctiſſimus Strigelius comparat præſentem hunc locum, ita exiſtimarim (ut jam dixi) Apoſtolum hic provocare ad Corinthiorum ingenium, ſive naturale rationis judicium, quemadmodum jam præcedenti verſu egerat. Quam convenienter vero hoc faciat, liquebit, ſi conſideraverimus vocem *ἀτιμίας*; quæ ut hic præ cæteris moleſtias exhibet, ita pro ejuſdem explicatione initio iterum adduco eaſdem Gloſſas, in quibus ſic legitur: Ἀτιμάζω, ***Contumelior, dehoneſto.*** Ἄτιμος, ***famoſus, ignominioſus, infamis.*** Ἀτιμία, ***Ignominia, infamia, contumelia, famoſitas, ignobilitas, dehoneſtamentum, dehoneſtatio.*** Nolo jam rigoroſe inquirere in vim cujusque vocis Latinæ, per quam Ἀτιμία à Gloſſographo redditur; ſed hoc ſolum dico, mihi convenientiſſimam videri illam notationem, qua pro dehoneſtamento accipitur, ſive pro eo, quod morum gravitati adverſatur. Quamvis vero lubens concedam, non omne quod *ἄτιμον* eſt, mox pariter peccatum implicare; (contrarium quippe liquere videtur ex Matt. 13. v. 57.) interim tamen non putem *ἀτιμίαν* hoc loco extra peccatum habendam: ſiquidem Apoſtolus hic, provocando ad ipſos Corinthios, quærit ex iis ipſis, an non exiſtiment ſe *ἀτιμίαν* incurrere, quando comam inſtar mulierum ornarent? Lubens quidem fateor aliquem incurrere poſſe, ratione hujus ſeculi, infamiam quaſi publicam (quæ ſæpe ex conſuetudine æſtimatur, locus notabilis eſt 1. Cor. 4. v. 10.) citra rationem peccati: interim videre me non fateor, quo modo admiſſis iis, quæ jam dixi, hoc præſenti loco aptari poſſit. Nam ***primo*** in genere ut agamus, quicunque ex virorum ordine ſe ad mollitiem muliebrem componit (quicquid tandem fecerit) ſe dehoneſtat, ſuamque proſtituit gravitatem. Dederim lubens poſſe veſtes, & alia ornamenta communia eſſe ex conſuetudine utrique ſexui: interim

interim quicunque quod fæminis proprium eſt, facit, atque circa corporis cultum obſervat, gravitati virili derogat. Egregie atque plane ex mente noſtra Iſidorus lib. 1. ep. 461. ſcribens Theano, ſic incipit: ἡ φιλοκοσμία, καὶ ἡ τῶν λίθων ἄνθη, καὶ τοῦ χρυσοῦ ἡ πρὸς τούτων ἀνάκρασις, καὶ πλόκαμοι ἑλικτοὶ, καὶ ὀφθαλμῶν ὑπογραφαὶ, καὶ κάλλους σοφισμὸς, καὶ αἱ περὶ ταῦτα κακοτεχνίαι ὧν σε φροντίζειν ἀπαγγέλλουσιν ἅπαντες τὴν μὲν σεμνότητα τῆς χρείας ἐνυβρίζουσι παθῶν δὲ λύτταν σημαίνουσιν. *Ornatus ſtudium, ac lapillorum flores, aurique cum iis connexio, atque intorti crines, & oculorum pigmenta, & pulchritudinis effictio, pravaque circa res hujuſmodi artificia, quæ tibi curæ eſſe omnes referunt, neceſſarii uſus honeſtati & gravitati contumeliam inferunt, vitioſarum autem affectionum rabiem ſignificant.* Ut enim hæc omnia fæminis, iisque errantibus, peccatisque immerſis conveniunt, ita viros ſummopere dedecent. Imo viri ſerii, eos ſui ſexus homines, quos vident talibus vacare, deteſtantur. Notum illud Ovidii:

Sint procul à nobis juvenes, ut fæmina, compti.

Nec præter rationem Arbactus apud Juſtinum lib. 1. cap. 3. *Negat ſe ei parere poſſe, qui ſe fæminam malit eſſe, quam virum.* Quamque tales exoſi ſint, & rideantur ab aliis, quos ſexus ſui cepit oblivio, diſcere eſt ex ſat. 2. Juvenalis, quam legendam eſſe pro hoc quoque loco intelligendo jure ſummo ſæpius monet in ſua Epiſtola ὁ θαυμάσιος Salmaſius. At cum ex eadem ſatira conſtet, quod jam olim quoque viri ad muliebria ſe compoſuerint, patet Apoſtolum jure ſummo diſcretionem apud Corinthios, præ aliis effæminatos, urſiſſe. Addo ſolummodo eximium, & unice huc facientem, Salviani locum lib. 7. de Gubern. Dei, quod ex eo colligi poſſit, quale fuerit ſeculum, quo Epiſtolam ſuam Apoſtolus ſcripſit: *Viri*, inquit, *in ſemetipſis fæminas profitebantur, & hoc ſine pudoris umbraculo, ſine ullo verecundiæ amictu: ac quaſi parum piaculi eſſet, ſi malo illo malorum tantum inquinarent autorem, per publicam ſceleris profeſſionem fiebat etiam ſcelus integræ civitatis: videbat quippe hæc univerſa urbs, & patiebatur: videbant judices, & acquieſcebant: populus videbat & applaudebat: ac ſic diffuſo per totam urbem dedecoris ſceleriſque conſortio, & ſi hoc commune omnibus non faciebant actus, commune omnibus faciebat aſſenſus.* Ut progrediar, *ſecundo* Apoſtolus jure merito dehoneſtamentum eſſe cenſet, ſi quis ex viris inſtar laſcivarum muliercularum comam ſuam exornet, eique ſtudium ſuum impendat. Pathetice Baſilius Magnus Orat. πρὸς νέους: *Comarum autem*

ac veſtium

ac veſtium extra neceſſitatem curam gerere, vel infelicium eſt, ut ait Diogenes, vel injuſtorum: ὥσι καλλωπιστὴν εἶναι καὶ ὀνομάζεσθαι, ὁμοίως αἰσχρὸν ἡγεῖσθαι φημὶ δεῖν τοὺς τοιούτους, ὡς τὸ ἑταιρεῖν ἢ ἀλλοτρίοις γάμοις ἐπιβουλεύειν, *nam cincinnatum & comptum eſſe atque appellari, aque turpe cenſendum aſſero, atque impudicum eſſe, aut alienis nuptiis inſidiari.* Atque inde multi ex ipſis Gentilibus, eos, qui hac in parte ſui obliviſcebantur, graviter notare inſtituerunt. Cicero in Piſonem dum fertur, hoc inter alia eidem objicit: *Erant illi compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ.* Atque de eodem in Oratione habita poſt reditum in Senatu: *Primum proceſſit qua authoritate vir? vini, ſomni, ſtupri plenus, madente coma, compoſito capillo.* Idem Orat. pro Publ. Seſtio: *Conſul unguentis dilibutus, calamiſtrata coma.* Sed *tertio*, in quo conſiſtit præcipue ratio ἀντιθέσεως inter τὸ κομᾷν viris prohibitum, atque τὸ κομᾷν fœminis permiſſum? Ipſi Gentiles notarunt illos viros, qui inſtar fœminarum ſic ſuas comas vittis conſtringebant, ut velaminis ſpeciem præ ſe ferrent. Noti ſunt Phocilidis verſus:

Μὴ μὲν ἐπ᾽ ἄρσενι παιδὶ τρέφειν πλοκαμῖδα χαίτην,
Μὴ κορυφὴν πλέξῃς, μήδ᾽ ἄμματα λοξὰ κορύμβων

Hoc eſt, interprete Cl. Adriano Junio cap. 8. de Coma:

Cæſariem ne mas criſpos producat in orbes,
Vincula neve plicent crines contrita corymbis.

Et Juven. Sat. 2. v. 96. mollem atque effæminatum deſcribens dicit:

Reticulumque comis auratum ingentibus implet.

Quid vero reticulum ſit, docet Nonius: *Reticulum*, inquit, *tegmen capitis muliebre.* Varro lib. 4. de L. L. Reticulum à reti dictum, quod capillos contineret, rete autem à raritudine. & Iſidor. lib. 19. *Reticulum eſt, quod colligit comas, dictum ab eo, quod retinet crines, ne effundantur.* Poſt Apoſtolum in ſexu digniori has ſubſtrictas comas ſpeciatim notat Salvianus lib. 7. de Gub. Dei. ſic loquens: *Cum enim muliebrem habitum viri ſumerent, & magis muliebrem gradum fingerent, cum indicia quædam ſibi monſtroſa impuritatis innecterent, & fœmineis tegminum illigamentis capita velarent, atque hoc publice in civitate Romana, urbe illic ſumma & celeberrima: quid aliud quam Romani Imp. dedecus erat, ut in medio Reip. ſinu execrandiſſimum nefas palam liceret admitti?* Atque hoc illud eſt, quod proprie in viris reprehendere atque ἀντὶ ἀτιμίας habere Apoſtolum exiſtimo. Nam ut hoc Romæ erat frequens, ita non dubium eſt, quin in Græcia quoque, unde plurima mala in Italiam delata fuerunt.

Digitized by Google

fuerunt. Obſervat de Athenienſibus Illuſt. Scaliger ad Catalecta Virgiliana pag. 355. hæc notans: ***Prima notio τῦ κορύμβυ eſt in capite veterum Atticorum tutulus, ſeu meta ſuggeſtus capillorum***: qui licet ex aſſuto capillamento factus fuerit, conſtrictione indiguit. Nec quicquam ad rem facere exiſtimo, quod vir ſummus ex Theophraſti Characteribus cap. περὶ ἀρεσκείας, obſervat politiores, & elegantiores inter Græcos conſueviſſe πλειστάκις ἀποκείρεσθαι, καὶ τὺς λϵυκοὺς ὀδόντας ἔχειν. Prçterquam enim quod ibi non exprimitur modus tonſuræ, hoc dici poteſt, ἄρεσκον Theophraſti, ſive Atticum Cortiſanum non omnes ſuos capillos depoſuiſſe, ſed quo coma molliter riteq; compoſita foret, eam leviter circũtondere conſueviſſe. Quomodo de Arabibus, ut jam antea notavimus, Herodotus in Thalia: κείρονται ὑποτρόχαλα, περιξυρῦντες τὺς κροτάφυς. Proprie hoc erat περικείρεσθαι: receptumque erat in Græcia ut eo ſolum modo pueri, qui in delitiis erant, circumtonderentur. Clare Dion Chryſoſtomus de Regno Orat. 2. μόνυς αὐτὺς τῶν Ἑλλήνων περιέκειρεν, ἥκιστα κομᾷν ὄπισθεν ἀφείς, ὥσπερ οἱ νῦν τὺς παῖδας τὺς ἁπαλύς. Ac prçter pueros meretrices, teſtis Heſychius: σκάφιον, εἶδος κυρᾶς τῆς κεφαλῆς ὁ κείρεσθαι, φασὶ τὰς ἑταιρϵυύσας εἶναι ἢ περιτρόχαλον. Hinc apud Senecam Epiſt. 115. *oratio circumtonſa & fucata*, de effœminata atque molli accipitur. Atque inde Varro in Fragm. ***Alii ſunt circumtonſi, & torti atque mutili, ut mangonis videantur eſſe ſervi.*** Ἄρησκος ergo Theophraſti pertinebat ad illos, de quibus Seneca loco dicto: ***Noſti complures juvenes, barba & coma nitidos, de capſula totos.*** Sed *poſtremo* quando Apoſtolus non vult viros eodem modo κομᾷν, atque fœminas, quibus coma pro velamine conceſſa erat, admonitio ipſius nititur generali illo principio, cujus jam antea mentionem fecerat v. 7. ſiquidem eo ipſo vir quaſi inferiorem ſe mulieri oſtendit, quod mulier, quæ hac ratione κομᾷν conſueverit, fuerit nupta. Neque enim virgines ulla ratione velari ſolent, ne quidem comam pro velamine habentes, unde & capitis nuditas iiſdem tribuitur. Tertull. in lib. de Virgin. velandis: ***Quid ſingula perſequar? ſolemnem manifeſta paratura totam circumferunt mulieritatem. Sed virginari volunt ſola capitis nuditate, uno habitu negantes, quod toto ſuggeſtu profitentur.*** Atque ex his obſervatis ad vexatum Apoſtoli locum, liquere exiſtimo, qua ratione ἀτιμία incurratur, ſi contingat virum κομᾷν. Quis enim dicere auſit, eos omnes mox legi naturæ adverſari, & ἀτιμίας reos eſſe, quibus natura citra moroſum cultum prolixius capillamentum conceſſit? Conſuetudini gentium, in-

Yy ter

ter quas vivitur, in his atque ſimilibus ſic obſequi convenit, ut tamen publice non præbeatur ſcandalum: atque ut decore & modeſte compta à muliere coma eidem vitio verti non debet, ita neque viro ſimpliciter promiſſa cęſaries. Notum eſt illud Ambroſii lib. 6. Hexam. *Coma in ſenibus reverenda, in ſacerdotibus veneranda, in bellatoribus terribilis, decora in adoleſcentibus, compta in mulieribus, dulcis in pueris.*

XII. Non dixi adhuc conſtantē traditionem eſſe Chriſtum comam aluiſſe. Scio quantum tribuendum ſit Nicephoro, nec ei perpetuo conſtat ratio. Interim apud Mallonium ad cap. 3. Paleoti Archiepiſcopi, citatur Lentulus vir Romanus, & Judaici populi Præſes, ita Chriſtum exornans: *Capillos habens colore nucis avellanæ prematura, & planos fere uſque ad aures, ab auribus vero concinnos, criſpos, aliquantulum cæruleos, & fulgentiores, ab oculis ventilantes, diſcrimen habens in medio capitis juxta morem Naziræorum.* Quamvis vero haut citra hæſitantiam aliquam recipiendam eſſe exiſtimem hanc de benedicto noſtro Salvatore hiſtoriam, interim hoc certum Naziræos, (eos typum Chriſti tuliſſe, convenienter colligi poſſe videtur ex loco Heb. 7. verſ. 26.) quos LXX. Interpretes ἡγιασμένους reddunt Amos 2. verſ. 12. comam promiſſam aluiſſe. Quod & ſpeciatim de Elia, qui videtur Naziræus fuiſſe, colligunt multi Theologi ex 2. Reg. 1. verſ. 8. Ipſeque Clemens Alexandrinus, qui comę in viris promiſſæ minus eſt addictus, eandem non aliter improbat, quam quatenus ad fœmineum modulum componitur. Ita enim ſtatuit lib. 3. Pædag. cap. 11. ψιλὴ μὲν ἡ τῶν ἀνδρῶν κεφαλὴ πλὴν εἰ μὴ οὔλας ἔχοι τὰς τρίχας λάσιον, δὲ τὸ γένειον αἱ δὲ συνεστραμμέναι τῶν τριχῶν, ἀπὸ τῆς κεφαλῆς μὴ καθιέσθωσαν ἄγαν, εἰς πλοκάμους καταλισθαίνουσαι γυναικείους. *Virorum quidem ſit raſum caput, niſi forte pilos habeat criſpos: mentum autem hirſutum. Intorti autem capilli ne à capite nimium demittantur, in comam muliebrem dilabentes.* Nam eo ipſo quod non vult ἄγαν ſive nimium dependere comam, ſtatuit comam dependere poſſe, nec aliter eam velut promiſſam culpari, niſi quatenus degenerat in comam muliebrem. Interim qui hic in alia omnia diſcedunt, videant quomodo cum hoc ipſo Clemente in gratiam redeant ratione barbæ ſuę, quam circumtondent; ita quippe deinceps per ſuum Interpretem loquitur: *Viris barba ſufficit. Quod ſi quis etiam barba nonnihil tondeat, ea tamen non eſt omnino denudanda, eſt enim turpe ſpectaculum.* &c. *Barbæ pili, qui nihil moleſtia afferunt, non ſunt vexandi, ut qui vultui gravitatem afferant, & paternum quendam terrorem incutiant.*

In-

Interim ut recedam ab Apoſtolo, exiſtimarim non pari loco haben- XIII.
dam eſſe comam virilem muliebriter cultam, cum viri capite inter precandum velato: nam coma illa plane adverſatur, qua muliebris eſt, rationi, atque vir *ἀτιμίαν* incurrit ſi ſe compoſuerit hac in parte cum fœmina. Quamvis enim ex conſuetudine gentium variarum, virorum ac fœminarum communes poſſint eſſe veſtes, aliaque ornamenta: tamen ratio omnes ferme gentes, ſaltem politiores docet, modicum ornandi ſtudiũ fœminæ circa comam permiſſum, viro probroſum eſſe, maxime ſi comam pro velamine habere inſtituerit. Unde recte Theophylactus (ab Illuſtri quoq; Salmaſio citatus) ad pręſentem locum: *Cur ignominia viro ſi comam habeat? Quia mulieris habitum aſſumit, & qui imperare debet, ſubjectionis inſigne accipit.* Quatenus ſcil. comam componit tanquam velamen, quod ſubjectionis indicium facit. Vice verſa, precationis *σχῆμα* ſecundum cujusque gentis conſuetudinem ęſtimandum. Supra oſtendimus apud Judæos viguiſſe ritum diverſum ab eo, quem hoc loco urget Apoſtolus, atq; ex lib. 2. Sam. 15. 30. necnon 19. 4. & Jer. 14. 2. liquet eos, qui in luctu apud Judęos erant, ſeſeque flentes coram Deo humiliabant, totum caput obvolviſſe. Atque ideo in primitiva Eccleſia (ut alias prolixe docebo) nunquam pręceptum Apoſtolicum exacte fuit obſervatum, ſimulque recepti quidam ritus, qui hodie ut plane inſolentes & indecori notarentur. Quomodo (ut unum ſolum exemplum proponam) uſitatum fuit in precibus pedes attollere. Teſtis eſt Clemens Alexandrinus lib. 7. Strom. *Pedes*, inquit, *attollimus in extrema orationis acclamatione, prompte animo & alacritate inſequi cupientes beatam illam naturam, quæ mente & intelligentia percipitur, & una cum verbo corpus à terra abducere conantes, erectam animam & deſiderii pennis elevatam cogimus in ſancta progredi.* Atque hoc eſt, quod de piis hominibus dixit Gregorius Nyſſenus Orat. 3. de Orat. *ἄκρῳ τῷ ποδὶ τῆς γῆς ἐπιψαύειν*, *terram eos ſummo tantum pede attingere.* Quo & reſpicere videtur Ambroſius lib. 6. Hexam. cap. 9. ut alibi obſervo.

Apoſtoli locus nos deducit ad capillos Abſalonis, quem ideo urgent XIV.
τειχόμαχοι, quod ejuſmodi capillus cauſſam neci regio filio prębuerit. Ne inconſequentiam hic notem, prolixe proditam ab Illuſtri Salmaſio pag. 36. & ſeq. dico ſimpliciter neque in textu Ebræo, neque apud Chaldæum Paraphraſtem, neq; in verſione LXX. Interpretum, neq; in Vulgata quoque Latina, imo ne quidem in verſione Belgica lib. 2. Sam. 18. verſ. 9. ullam omnino mentionem fieri capillorum; ſed hoc ſo-

lum dici, quod prehenſum fuerit Abſalonis caput ad quercum. Atque ſic intellexit Theodoretus, quando qu. 34. in lib. 2. Samuel. ſic loquitur: *De illo ſcelerato Dominus juſtas ſumpſit pœnas. Effecit enim ut in querceto equitans veniret ſub arborem, qua ramos haberet inclinatos, ut qui oblique germinarent, non multum inter ſe diſtantes: Illuc cum veniſſet mulus, inter ramos quidem foliorum ſtrepitus. Ille autem manſit ſuſpenſus, jucundiſſimum ſpectaculum viris piis, & omnia adminiſtrantis providentiæ juſtam oſtendens ſententiam.* Nec aliter locum hunc accepit Chryſoſtomus, aut quiſquis eſt author Homiliç de Abſalone. Imo nullus facile ex antiquis Patribus adduci poterit, qui exiſtimaverit è capillis pependiſſe Abſalonem. Iis, qui contrarium ſtatuunt, præiviſſe videtur Joſephus lib. 7. Antiq. Judaic. cap. 9. Cui ſubſcribit præter Rab. Salom. author Chronici Alexandrini, quos ſequi voluerunt complures ex recentioribus. Fateor quidem, Interpretes Belgicos in ſuis notis mentionem facere capillorum ramis arborum implexorũ; ſed, quod pace virorum ſummorũ dictum ſit, non video cur Gloſſa illud, quod in textu non eſt, ſuperaddere potuerit: quum enim conſtet ex cap. 14. lib. 2. Sam. 26. detondere comam ſuam conſueviſſe Abſalonem, quis dicere auſit eum, cum morti per Joabum traderetur, non potuiſſe recentem eſſe à forfice?

XV. Poſtremum argumentum, &, ut putant Achillæum, τελχομάχοις ſuggerit Pſal. 68. verſ. 22. cum enim eo loco minari videatur Deus ſe velle confringere *verticem comatum*, colligunt neminem poſſe alere tales crines, qui videntur referre comam alicujus latronis: maxime quod huic interpretationi favere videantur iidem Interpretes Belgici in notis ſuis, quibus plurimum alias deferendum eſſe exiſtimo. Ne multa, quæ hic dici poſſent, coacervem, hoc ſolum dico, ſi attendamus ſcopũ Pſalmiſtæ, ex eo ſolũmodo colligi poſſe, Deum velle faſtũ hoſtiũ ſuorum proſtituere, luctum iiſdem procurando. Quum vero capillorum deraſio, atque affectatum calvitium, luctum majorem arguere conſueverint, cur non hæc locutio ſic intelligatur, quod ordinario Scriptura eo modo loqui conſueverit? Conferatur Eſ. cap. 3. Jerem. cap. 47. & 48. Ezech. cap. 7. & 27. itemque cap. 8. Amoſi. Adducunt dicti Interpretes locum Jobi cap. 5. verſ. 5. poſt Venerandum D. Piſcatorem, quaſi eo loco prędo vocetur *tſammim*, hoc eſt, comatus. Haut negaverim Chaldęum Paraphraſtem, Pagninum, aliosque, qui hic utuntur voce latronis, ſive prædonis, vocem dictam deducere à *Tſamam*, quomodo cęſaries ſive capillus vocatur: atque apud R. David in lib. Radicum

Digitized by Google

cum ſic legi : *Latro more ferino capillos nutrit , ut mos eſt in terra Iſmaël: cum enim deſerta loca incolant,nudi incedunt, & capillis,quos creſcere ſinunt, nudum corpus contegunt*. At, ut ingenue , quod res eſt fatear, non video, quomodo cum ratione applicari hæc poſſint Pſ. 68. admiſſa quippe interpretatione hac apud Iobum , tanquam concinna , aut ſaltem ut non inconveniente , tamen ex toto contextu Pſalmi 68. ſpeciatim verſibus 22. 23. & 24. conſtat regium Prophetam intelligere hoſtes publicos, cum quibus nequaquam latrones , prædoneſve, componere fas eſt. At dato, Deum Opt. Max. verticem comatum, qua talem, eumque proprie intellectum proſtituere , quis inde concludere auſit , illum ſimpliciter huic Ipſi abominationi eſſe? Conſilium quoque Achitophelis proſtituit Jehova 2. Sam. 27. 14. quis tamen inde concludat omne conſilium prudens atq; tempeſtive adhibitum, Deum execrari? Quæ in ſe atq; ſecundum ſuam naturā ἀδιάφορα & indifferentia ſunt, propter ſpeciales circumſtantias, aut bona, aut mala evadunt. Quod circa menſuram capillorum, atque alia ejuſdem notæ, quis non admittendum eſſe ſtatuat?

Denique nonnulli ex τριχομάχοις inſtituunt ab unguibus ad capillos XVI.
argumentari, atque inferre , ideo capillos non multum extra cutē protendi debere, quod alias, ſi protendantur, idem fiat , atque ſi quis gloriam captare velit ex unguibus ſuis , ad quadrantem ulnę extenſos. At quis inferre auſit, eos in legem naturæ peccare, qui conſueverint tales circumferre ungues? De Philoſophis Tatian. Orat. contra Græcos: *Quid magni Philoſophi veſtri faciunt? Incedunt, altero ex humeris neglecto, capillitium demittunt copioſum, barbam alunt,* ὄνυχας θηρίων περιφέροντες, *ungues ferinos gerunt*. Miror autem τριχομάχους exiſtimare, nullum omnino uſum hominem percipere poſſe, ex longioribus unguibus, quum tamen ex iiſdem , & quidem acuminatis , in pollicibus manuum ſe prodentibus, Judæi æſtimare conſueverint circumciſores: quemadmodum prolixe docet Buxtorf. Synag. Jud. cap. 2. atq; hodie Afri, Guinęę incolę , cum reliquo corpore nigri ſint , ungues non minus prolixos nutrire, quam ab omni immunditie integros ſervare conſueverint, iiſdē vice cochlearis utendo, ad corripiendas minimas auri ramentas, quas ad certū pondus mercatoribus noſtratibus pro aliis mercibus offerunt.

A promiſſioribus capillis converto me ad barbam , quam an licite XVII
viri (hoc tempore ita obſervatur) in Belgio non tam præcidant, quam abradant , proxime quæritur? Certe Artemidorus tantum ornamenti filios parentibus afferre dixit , quantum decoris ori barba addit.

Cynicus quoq; apud Lucianum, tam deforme putavit ornatum barbæ viris ſubducere, quam leoni jubas. Theſeum amplius perhibet Plutarchus, nunquam barbam voluiſſe radere, ut ipſe virtutem ſuam eo indicio profiteretur. Atque, ne plura hic cumulem à viris doctis, (ſpeciatim ab Hortenſio Lando lib. de Perſecut. barbarum) pro barbæ commendatione jam diu commemorata, aut excutiam lepidiſſimum libellum Juliani Apoſtatæ, qui μισοπώγων inſcribitur, non dubitat noſter Adrianus Junius, poſtquam pro barbæ commendatione multa adduxiſſet, cap. 2. libelli de Coma, ſic perorare: *Abunde igitur oſtenſum puto, barbam ferro ſubjici, radive non debere, refragante divina ſcriptura immutabili auctoritate, reclamante natura lege: quin & decorum virorum & gentium conſenſus ubique repugnat, qui virum gravem, conſtantem, juſti tenacem, & probitate morum atque ſapientia præſtantem decere barbam uno ore loquuntur omnes. Aaronem principem ſacerdotem propexa barba venerabilem facit ſacra hiſtoria.* &c. Sed hæ ſimileſve declamationes me non movent, tantum abeſt, ut de ſententia, Scripturæ & rationum præſidio ſuffulta, dimovere poſſint. Atque, ut à Scriptura incipiam, ipſos Iſraëlitas ferrum barbæ conſueviſſe admovere, ejusque quaſdam ſaltem partes detondere, patet ex Mephiboſethi exemplo, de quo Spiritus Sanctus expreſſe voluit annotare 2. Sam. 19. 24. quod *myſtacem ſuum non curaverit*, eum ſcil. detondendo, toto illo tempore, quo David occupatus in perſequendo Abſalone, Hieroſolymis aberat. Tempore luctus enim Iſraëlitæ barbam negligebant, eam non attondendo, ut ex præſenti loco patet. Alias, quando ingentem luctum Sp. Sanctus Dei populo denunciat, minatur pariter barbæ raſuram; ut videre licet Jeſ. 15. 18. Job. 1. 29. Ezech. 27. 31. Mich. 1. 16. & Amoſ. 8. 10. Quod tamen ita non interpretor, cum multis, quaſi Iſraëlitæ, dolore extraordinario oppreſſi, conſueverint barbam radere: ſed, quod iis illa eventura eſſent, quæ plurimæ ex gentibus, Iſraëli maxime vicinioribus, facere ſolent; quas ſolitas fuiſſe, ad teſtandum dolorem, barbam totam deradere, diſtincte, multis quoque teſtimoniis prolatis, docet Adrianus Junius libel. de Coma cap. 12. Nam barbæ raſuram Deus populo ſuo prohibuerat, Lev. 19. 27. ſpeciatim ſacerdotibus, Lev. 21. 5. non quod ejusmodi raſura in ſe mala ſit; ſed quod minus conveniret Dei populo, qui non debebat ſe ſimilem exhibere aut ſacerdotibus Gentilium, qui ſoliti erant, tum capite, tum barba raſa ſacrificare idolis ſuis, ut patet ex Epiſtola Jeremię apud Baruch. 6. 30. aut etiam vicinis populis,

Digitized by Google

pulis, profundę idololatriæ immerſis. Convenienter admodum Franciſcus Junius & Tremellius in Notis ad Lev. cap. 29. verſ. 27. *Non enim omni luctu* (inquiunt) *interdicitur, ſed immoderato luctu. Hoc autem genus tondendi, (Herodoto & Diodoro teſtibus) Arabum & aliorum fuit, qui ad Iudaam habitabant.* Quod enim ipſa raſura, in ſe ſimpliciter conſiderata, non poſſit improbari, vel ex eo liquet, quoniam Deus præcepit Ezechieli, quem conſtat Sacerdotem fuiſſe, novacula & caput & barbam abradere, Ezech. 5. 1. Quomodo & Nazirei, finitis diebus Naziræatus, ex ipſius Dei præcepto, caput radebant, Num. 6. 5. Conſentit Hieronymus ad locum Ezech. 44. 29. ſic commentans: *Quod autem ſequitur: Caput autem ſuum non radent neque comam nutrient, ſed tondentes attondebunt capita ſua: perſpicue demonſtratur, nec raſis capitibus ſicut ſacerdotes cultoreſque Iſidis atque Serapis eſſe debere: nec rurſum comam demittere, quod proprie luxurioſorum eſt barbarorumque & militantium, ſed ut honeſtus habitus ſacerdotum facie demonſtretur.* Ergo ſecundum Hieronymum, cui accedit Ambroſ. Ep. 36. ipſi Iſraëlitici Sacerdotes radere poterant & caput & barbam, modo in utrumque novacula non graſſarentur, ut ſacerdotes Ægyptii, qui Iſidi, & Serapi faciebant: quod & diſtincte ipſe Deus ordinavit, non interdicens omni raſura barbæ, ſed ea duntaxat, quę atterebat *barbæ latus*, ſive angulos, Lev. 19. 27. quum Iſiaci ſacerdotes omnes capitis pilos, usque ad illos, qui ſupercilia muniunt, abraderent: ut non immerito Juven. Sat. 6. eos *calvum gregem* vocaverit. LXX. Interpretes dicto loco habent ὄψιν τῦ πώγωνος, quo nomine venit barba qua mentum velatur, ut notavit quoque Salmaſius lib. de coma pag. 601. Quę ſi obſervaſſet Adrianus Junius, vir cæteroquin doctiſſimus, non voluiſſet perſuaſum, per Dei legem interdictum fuiſſe omni barbæ raſura. Imo, ſi dederimus quoque, Deum citra ullam omnino limitationem hoc populo ſuo præcepiſſe, debebit duntaxat agnoſci legis cæremonialis præceptum, pro certa temporis œconomia ſolum populum Iſraëliticum reſpiciens, qualia *multa alia eidem* populo, quandiu ſub pædagogia fuit, præſcripta ſunt. Nec favet quoque barba Aaronis, ſiquidem ex Pſ. 133. verſ. 2. duntaxat collegeris, eum barbam habuiſſe, quum ſacro oleo inungeretur, Levit. 8. atque ſecundum phraſiologiam, qua eo loco Sp. Sanctus utitur, oleum in hanc & illam barbæ partem defluxiſſe, quod alias barbę circumtonſæ quoq; accidere poteſt. Ne jam dicam, Thalmudiſtas apud Muis in Commentario locũ pręſentem explicare *de duabus tantum*

guttis,

guttis, ſpeciem margaritarum, de barba ſuſpenſarum, exhibentibus. Ad Eccleſiam N. T. ſi accedamus, patebit, Chriſtianos libertatis ſuæ conſcios, barbam ſuam componere conſueviſſe ad morem regionis illius, in qua vivebant. Eoque aliud frequentabatur in Eccleſia Orientali, aliud in Occidentali: atque propterea Orientales nequidem Monachi vel Clerici, unquam aut caput, aut barbam raſere; quod à majoribus ſuis acceptum inſtitutum hodierno adhuc tempore non negligunt. Quæ & videtur eſſe cauſſa, quod Clemens Alexandrinus ſæpius, Theodoretus de Provident. Orat. 4. aliique, qui in communione Græcarum Eccleſiarum fuerunt, uſq; adeo luxurient circa barbæ encomium, quam, Philoſophorum more, promiſſam & aſperam ſcilicet, nutriri à Chriſtianis vult Clemens Alexandrinus, vix concedendo lib. 3. Pædag. cap. 11. ut *pili, qui in ſuperiori labri parte inter comedendum inquinantur, circumradantur.* Quod tamen ne in Oriente quidem ab omnibus Chriſtianis obſervatum fuiſſe videtur; quum Gentiles, qui (ut patet ex Tertulliano) Chriſtianorum *pallio* inclementer admodum dixerunt, illud varia ratioue exagitando, nuſquam legantur eorundem barbam vellicaſſe. Licet hoc quoque dici poſſet de Clemente Alexandrino, eum in Pædagogo tertio totum eſſe in ordinanda vita Aſcetica, laborareque cultores illius componere ad habitum Cynicorum & Stoicorum, quos *occurſu ſuo conſueviſſe vitia ſuffundere*, Tertullianus teſtis eſt: hos autem barbam promiſiſſe notius eſt, quam ut probari debeat. In Occidente autem obſervabatur à Chriſtianis mos Romanorum, quibus ſolemne erat, teſte Gell. lib. 3. cap. 4. maturiori ætate, tanquam quoddam nobilitatis inſigne barbam raſam exhibere. Inde & ipſi Galliarum Epiſcopi, barba ſive raſa, ſive circumtonſa, fuerunt. Patet ex Sidonio Apollinari, qui lib. 4. ep. 13. Germanicum Epiſcopum Cantillanenſem ſic deſcribit, ut ejus fuerit *veſtis aſtricta, tonſus cothurnus, crinis in rota ſpeciem acciſus, barba intra rugarum latebras merſis ad aurem ſecta forficibus.* Fateor quidem, verum eſſe, quod monet ὁ πάνυ D. Salmaſius pag. 593. *Primum Adrianum ex Imperatoribus Romanis inſtituiſſe barbam alere.* Interim eidem non dederim (ut contendit pag. 609.) *eum deinceps alios ſequutos eſſe Caſares, & ad eorum exemplum populum Romanum.* Certe Ammianus Marcell. lib. 21. notat Conſtantium Imp. *fuiſſe molli capillo, raſis aſſidue genis lucentibus ad decorem*: atque Theodoſium conſueviſſe *vellere ſteriles genas*, obſervatum fuit ab Aurelio Victore. Alias, ad modulum gentium, quibus Principes placere volebant, barbam

Digitized by Google

bam quoque ſuam componere ſolent. Atque cum Syri & Antiochenſes ſubſannarent eos, qui barbam alebant, (ut diſcere eſt vel ex unius Juliani Miſopogone) Verus Imp. qui *ſolitus* erat, teſte Capitolino, *barbam prope barbarice demittere, fertur ad amica vulgaris arbitrium in Syria poſuiſſe barbam.* Quomodo & Dio Caſſius de Caracallo: ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐτρύφα, ὥστε καὶ τὸ γένειον πάνυ ψιλίζεσθαι. Marium vero vulgus, per univerſum fere Imperium Romanum, barbæ & attondendæ & radendæ vacaſſe, ignorare nos non ſinit Tertullianus, qui ita libel. de cultu fœmin. ratione ſexus dignioris: *Propriaſque præſtigias formæ, & hic ſexus ſibi agnoſcit, barbam acrius cædere, intervellere, circumdare capillum, diſponere, etiam colorare canitiem, primam quamque ſubducere totius corporis lanuginem.* Fateor quidem, lib. 1. Conſtit. Apoſt. cap. 3. occurrere hunc Canonem: *Præterea non oportet pilos barbæ diſperdere, atque formam hominis contra naturam perdere. Non depilabitis, lex ait, barbas veſtras. Hoc enim mulieribus honeſtum, qui eas condidit Deus, eſſe voluit, viris autem indecorum ſanxit.* Sed prӕterquam, quod is referri debet ad Pſeudo-Clementem, ſufficienter exceptum à viro undiquaque Doctiſſimo D. Dallæo; amplius hoc dici debet, ſi qui, ex Chriſtianis in primitiva Eccleſia, inſtituerint barbam nutrire, hoc feciſſe, ut tali quaſi habitu pœnitentiam profiterentur: ut obſervatum quoque eſt à D. Salmaſio l. d. pag. 549. ex Iſidoro lib. 2. de Off. Eccleſ. cap. 16. *Hi vero*, inquit, *qui pœnitentiam agunt, proinde capillos & barbam nutriunt, ut demonſtrent abundantiam crinium, quibus caput peccatoris gravatur.* Sed, hac ratione Chriſtiani ſe conformarunt ad normam variorum Gentilium, qui tali ritu luctum, animique dolorem, teſtatum facere ſolent: ut præter Cujacium lib. 6. Obſerv. cap. 5. jam diu obſervavit Forn. lib. 4. rer. Quotid. cap. 5. Juſtin. ſub finem lib. 36. de Attalo: *Poſt hanc ſceleſtam violentiæ rabiem, ſqualidam veſtem ſumit: barbam, capillumque, in modum reorum ſummittit.* Hoc eſt Tertulliano lib. de Anima, cap. 39. *caput reatui vovere.* Promiſcue vero Chriſtianos barbam promiſiſſe, non colligeris ex ullo probatæ notæ Scriptore antiquo, cum conſueverint hac in parte ſe componere ad mores cujuſque regionis. Pallium Chriſtiani, qua viri, qua fœminæ à Philoſophis acceperunt, non æque tamen barbam. (Nam à pallio ipſas matronas Chriſtianas non abhorruiſſe, conſtat ex Paulino, qui ita Epiſt. 10. ad Severum, de habitu Melaniæ: *Craſſam illam & velut ſpartei ſtaminis tunicam, & vile palliolum, gaudebat manu tangere.*) Quid, quod non dubitarint Julianum hi

Zz ipſi

ipſi traducere, cum more Philoſophorum hircinam barbam aleret. Inde legas de illo apud Amm. Marcell. lib. 17. *In ædium venit cum victoriis ſuis capella, non homo.* Atque, ſi qui ex Patribus barbę defalcationi infeſti fuerunt, non tam ſimplicem tonſuram & raſuram, quam eos inſectantur, qui *demptis pilis corpus ſuum in fœminei corporis imaginem transferunt*, ut loquitur Julius Firmicus lib. 8. Matheſ. cap. 7. Quo & facit Tertulliani locus, ſuperius adductus, qui iterum in libel. de Pallio cap. 4. *Vnde* (inquit) *apud hirtos & hirſutos tam rapax ab ala reſina, tam furax à mento volſella?* Et copioſius Clemens Alexandrinus, (ejus, quod alias de barba fuerit, judicium modo tetigimus) lib. 2. Pædag. cap. 3. ubi notat τοὺς μισότριχας, ἄτριχας, τὸ ἄνθος τὸ ἀνδρικὸν μυσαττομένους: *Pilis infeſtos, glabros, florem virilem abhorrentes.* Et ſtatim: Διὰ τούτους γοῦν πλήρεις αἱ πόλεις πιττούντων, ξυρούντων, παρατιλλόντων τοὺς θηλυδρίας τούτους. *Propter hos plenæ ſunt civitates his qui effeminatos hos picant, radunt, vellunt.* Sed, quis ſecundum exceſſum culpabilem barbæ raſuram, eodem loco habeat, cum illa, quæ inter debitos modeſtiæ terminos conſiſtit? Ut in vitio prius eſt putandum, ita non æque poſterius reprehenſionem meretur. Et ne ſibi amplius plaudant illi, quibus eſt *hircorum barba & nigrum pallium*, ut loquitur Hieronym. ad Euſtoch. de Virgin. ipſe Chriſtus curtam barbam habuit, ut ex conſtanti traditione narrat Nicephorus lib. 1. cap. 40. τὴν μέντοι τρίχα τοῦ πώγωνος ξανθήν τινα εἶχε, καὶ οὐκ εἰς πολὺ καθειμένην. *Pilos barbæ flavos habuit, nec multum demiſſos.* Poſt ſeculum demum quartum, cum Clerici, præ illis, qui audiunt Laici, vellent haberi ſingulares, atque in vulgus venerabiles, qua capillo qua barbæ præſcripta fuit lex, ſed κατ' ἐθελοθρησκείαν, & uti recte obſervatum eſt à D. Salmaſio l. d. *multi canones facti, qui comam nutrire Clericis interdicerent, quia laici nutriebant, & barbam radere, quia laici radebant.* Huc facit Canon. 44. Concil. Carthag. IV. *Clericus neque comam nutriat, neque barbam radat.* Hanc enim eſſe genuinam lectionem hujus Canonis, argumentis infallibilibus evictum eſt à viro infinitæ lectionis Joanne Savarone ad ep. 24. lib. 4. Sidonii Apollinaris, quum illud *radat* jam olim quis maleferiatus eraſerit. Ne pro aſſerenda hac ipſa lectione ſollicitem quoque virum πολυμαθέστατον Joan. Gerardum Voſſium in Epiſt. ſubjecta Salmaſii Tract. de Coma, in qua tamen, ut plerumque in ſcriptis ſuis arat vitula Incomparabilis Theologi D. Franciſci Junii, ut cuivis patebit, ſi voluerit modo inſpicere hujus animadverſiones ad cap. 40. Bellarm. lib. 2. de Monach. Qui

canon

canon cum ſolos Clericos reſpiciat, tacite innuit Laicis licuiſſe comam nutrire, & barbam radere. Nec tamen hæc juvant raſuram in Papanis ordinibus receptam, quum ſit novitia admodum, & ante ſeculum ſextum in Eccleſia ignota, ut, à veritate expugnatus, loco dicto fateri cogitur ipſe Bellarminus. Sed, ut finiam hanc de barba διάσκεψιν, nullum aut Dei præceptum aut ratio urget, ut viri eam nutriant, hoc eſt, ſic promittant, ut ad longum quoque tempus illi neque forficem neque novaculam admoveant. Hoc enim ſenſu tum apud Gręcos, tum apud Latinos Authores, coma, barbave, ſive ali, ſive nutriri dicitur. Inde apud profanos Authores, proprie Diis crinem paſcere dicebantur, qui aliquo tempore, (plerumque autem ex voto) in honorem Deorum comam circumferebant. Virgil. 7. Æneid.

---- *ſacrum tibi paſcere crinem.*

Hoc eſt Euripidi in Bacchis, πλόκαμον τρέφειν: Homero Ἰλιάδ. ψ. χαίτην τρέφειν: Pauſanię in Arcadicis τρέφειν κόμην. *Nutrire comas* dixit Val. Flacc. lib. 6. Argon. *Alere capillum* Plin. lib. 14. cap. 15. Atque 1. Cor. 11. 14. pro eo, quod in Gręcis eſt, ἀνὴρ ἐὰν κομᾷ, Vulgatus habet: *Vir ſi comam nutriat.* Simili locutione Hor. l. 2. Sat. 3.

---- *ſapientem paſcere barbam.*

Alluſit ex Chriſtianis Scriptoribus Paulinus, quando Epiſt. ad Severum IV. ſic loquitur: *Vitamque noſtram, quaſi Nazaraum crinem paſcentes, Deo in caſtitate & parſimonia conſecremus.* Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Porro circa ea, quæ ſive comam, ſive barbam concernunt, *pro temporum & locorum diverſitate variari poſſunt*, ut utraque manu nobis loco jam citato Bellarminus largitur. Nec tamen probarim hac in parte deſultoriam levitatem, ut quis aut uno anno aliquoties barbæ habitum mutet, aut vir ſtatæ ætatis, ſolitus à prima lanugine barbam promittere, quo ſeculo ſe ſimilem reddat, derepente, quaſi à barbitonſore ſuo, veluti Medea, cum Pelia recoctus foret, deglabratus totus, mentoque depili prodeat. De popularibus ſuis hoc fatetur ſummus Salmaſius, l. d. pag. 593. *In mea Gallia ſæpius vel in anno forma barba novatur.* Ad levium hominum modulum ut identidem aliquis ſeſe componat, non patitur virtus illa, quæ ab Ethicis vocatur gravitas, imo neque Scriptura. Apoſtoli verbum eſt, Rom. 12. 2. *Ne vos configurate* (συσχηματίζεσθε) *ſeculo iſti.*

Dum in pilis occupor, ſimul ad fucos propellor, de quibus deinceps XVIII
hac Exercitatione agam, quod coma non minus quam barba adulterari

jam olim conſueverint. Nullum vero colorem fucis vel ipſe Quintilianus invenerit, modo ab iis removeris illa, quæ corpori mundando duntaxat ſerviunt. *Natura* enim *homo mundum, & elegans animal eſt*, juxta Stoicum Romanum Epiſt. 92. Atque, qui cum Diogene gloriam ex ſordibus captant, pulchrum ſibi ducunt, quod homine ex parte exuto, ſimiles ſcarabæis eſſe affectent. Fuci autem varii ſunt, ex iiſque rebus fere præparantur (fidem facere poteſt vel unus Annæ Corteſiæ libellus de Fucis) quæ faciei cutem, loco nitoris temporarii, poſtremo deformatione multiplici mulctant. Iis accenſeri debet *panis madidus* Othonis Imp. de quo Sueton. in vita illius cap. ult. *Quin & faciem* (inquit) *quotidie raſitare ac pane madido linere conſuetum: idque inſtituiſſe à prima lanugine, ne barbatus unquam eſſet.* Modum deſcribit Juven. ſat. 6.

Sed quæ mutatis inducitur, atque fovetur,
Tot medicaminibus: coctaque ſiliginis offas
Accipit, & facies madida dicetur an ulcus.

Inde idem Satiricus eadem Satyra: *Pane tumet facies*: & iterum Sat. 2.

Et preſſum in facie digitis extendere panem.

Dici non poteſt, quam infeſtos ejuſmodi fucis ſe Patres antiqui exhibuerint. Primo in Deum ipſum injurios eſſe pronunciant, quotquot iis delectantur. Inde Tertull. de Cultu fæmin. cap. 5. *In Deum delinquunt, quæ cutem medicaminibus ungunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt. Diſplicet nimirum illis plaſtica Dei: in ipſis redarguunt, reprehendunt artificem omnium. Reprehendunt enim cum emendant, cum adjiciunt.* Et Cyprianus tract. 2. de habitu Virginum: *Manus Deo inferunt, quando illud, quod ille formavit, reformare & transfigurare contendunt. Si quis pingendi artifex vultum alicujus & ſpeciem, & corporis qualitatem æmulo colore ſignaſſet, & ſignato jam conſummatoque ſimulacbro, manus alicujus afferret, ut jam formata jam picta quaſi peritior reformaret, gravis prioris artificis & juſta indignatio videretur. Tu te exiſtimas impune laturam tam improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offenſam?* Deinde illos exagitant, ut naturæ adverſarios. Ambroſ. lib. 1. de Virgin. *Quanta hæc* (inquit) *amentia eſt, effigiem mutare naturæ, picturamque quærere, & dum verentur maritale judicium prodere ſuum? Prior enim de ſe pronunciat, quæ cupit mutare, quod nata eſt. Ita dum alii ſtudet placere, prius ſibi ipſa diſplicet. Quem judicem, mulier, veriorem requirimus deformitatis tuæ, quam te ipſam, quæ videri times? ſi pulchra es, quid abſconderis? ſi deformis, cur te formoſam eſſe*

Digitized by Google

eſſe mentiris, nec tuæ conſcientia, nec alieni gratiam erroris habitura? Eoque, *tertio*, non dubitant fucos inſectari, ut ἔρημα diaboli. Tertullianus l. d. *Reprehendunt artificem omnium mulieres, cum emendant, cum adjiciunt, utique ab adverſario artifice ſumentes additamenta iſta, id eſt, diabolo. Nam quis corpus monſtraret mutare, niſi qui & hominis ſpiritum malitia transfiguravit? ille indubitate hujuſmodi ingenia concinnavit, ut in nobis quodammodo manus Deo inferret. Quod naſcitur opus Dei eſt: Ergo quod fingitur, Diaboli negotium eſt.* Atque, ut Jeſabel in Scriptura notatur cum ſuis medicaminibus 2. Reg. 9. 30. ita, quotquot unquam Deum timuerunt mulieres, eadem cane & angue pejus inſectatæ fuerunt. Hieron. de virgin. ſerv. ad Furiam: *Non habuit.* (Magdalena pœnitens) *orbes ſtibio fuliginatos.* Pluribus de fucis in genere non ago, ne videar poſt Homerum Iliadem velle ſcribere. Eorum uſum Chriſtianis, ſive viris, ſive fœminis, nulla ratione & prætextu concedendum eſſe, jam olim prolixe, argumentis è Scriptura & Patribus adductis, oſtendit Theologus Incomparabilis Petrus Martyr ad 2.Reg.9. quæ diſſertatio & inſerta eſt ejuſdem locis Communibus.

Occaſione vero fucorum in genere, non poſſum non obiter quoque notare fucos capillares. Duplices vero illi ſunt, qui cenſuram merentur. Priori loco occurrunt capilli tincti, quorum exemplum dedit Medea, ſecundum Clementem Alexand. lib. 1. Strom. præ aliis eam ſequentibus Pathicis, quorum coma in modum fœminarum probroſe tingi ſolet, ut recte obſervavit Barthius lib. 4. Adverſ. cap. 3. Nec hic conſtiterunt exempla, ad has dementiæ lineas, pręter fœminas, circa comam alias inſanire ſolitas, ipſis viris, imo principibus accedentibus. De fœminis teſtis poteſt eſſe vel unus Ovidius lib. 3. de arte Amandi: XIX.

Fœmina caniciem germanis inficit herbis,
Et melior vero, quæritur arte color.

Atque viros idem factitaſſe, è Spartiano diſcere eſt, qui refert, quod cum Adrianus Imp. *cuidam caneſcenti quiddam negaſſet, eidem iterum petenti, ſed infecto capite, reſponderit*: Jam hoc patri tuo negavi. Ne tangam Martialis jocum, qui ſic ludit in Lentinum:

Mentiris juvenem tinctis, Lentine, capillis,
Tam ſubito corvus, qui modo cygnus eras.

Nec Romani principes abhorruerunt, quorum multi inaurandis capillis ſtuduerunt. Capitolinus in Vero: *Dicitur tantam habuiſſe curam capillorum flavorum, ut capiti auri ramenta reſpergeret*, & in Commodo:

Capillo ſemper fucato, & auri ramentis illuminato. Trebell. in Gallieno *Crinibus ſuis ſcobem aſperſit.* Flavus color aurum arguit, quem & meretrices comæ ambire ſolent. Hinc famoſa illa Meſſalina apud Juvenalem ſat. 6. fornicem adit:

Nigrum flavo crinem abſcondente galero.

Verba Scholiaſtis poſt adferemus. Eo reſpexit Maro lib. 4. Æneid. quando ita de Didone: *Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem abſtulerat.* Ad quæ ita Servius: *Matronis nunquam flava coma dabatur, ſed nigra. Didoni ergo datur ut turpi. rotundo muliebris capitis tegumento, in modum galea facto, quo utebantur meretrices flavo, nam nigro crine matrona utebantur.*

XX. Alteri capilli deſtinati cenſurę, poſtea fuſius explicandę, ſunt *alieni*, ad ornatum capiti aptati. Hieron. ad Demetriadem, ſupra quoque adductus: *Ceruſſa ora diſtinguere, ornare crinem,* & alienis capillis *turritum verticem ſtruere.* Apulejo crines *attexti* ſunt. Ita enim lib. 11. Mileſ. Et attextis *capite* crinibus *&c. fœminam mentiebatur.* Aliis *empti.* Mart. lib. 12. epigr. 23.

Dentibus atque comis, *nec te pudet, uteris* emptis,
Quid facies oculo, Lælia, non emitur?

Ovid. lib. 3. de Arte:
Fœmina procedit denſiſſima crinibus emptis,
Proque ſuis, alios efficit ære ſuos.

Verbum *affigere* de his crinibus, quos *ſutiles* vocat, uſurpavit Tertullianus de cultu fœmin. verba proxime adducentur. Firmicus *apponere* lib. de Prof. relig. *Qui alienis crinibus appoſitis, fictam & compoſitam pulchritudinem mentiantur.* Talium capillorum πλέγμα, *galerus* & *galericulus* à Latinis vocatur, Tertull. l. d. *Affigitis præterea neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum quaſi vaginā capitis & operculum verticis, nunc in cervicem retro ſuggeſtum.* Suet. in Oth. cap. ult. *Munditiarum vero pœne muliebrium: vulſo corpore, galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato & annexo, ut nemo dignoſceret.* Schol. Juven. ſat. 6. *Galero: crine ſuppoſititio.* Alias *caliendrum* dicitur. Scholiaſtes vetus Horatii ad Serm. 1. *Caliendrum dicitur ornatus capitis mulierum, quo ad exornandos crines utuntur: vel, ſuppoſitus crinis, quem pro naturalibus capillis accipiebant.* Agnoſcit hanc vocem Gloſſarium, in quo ita lego:

Digitized by Google

lego: *Caliendrum*, κόσμιον κεφαλῆς. Græci habent varia nomina, quibus idem innuunt, ex quibus præcipua, πηνήκη, περικόμιον, ἔντριχον, καὶ περιθέτον. Julius Pollux lib. 2. Onom. cap. 3. ἐκαλεῖτο δέ τι καὶ πηνήκη, καὶ περικόμιον προσθετὸν, οὐ γυναιξὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀνδρῶν. οἱ ἐνδεῶς τριχῶν ἔχοντες, εἰς κόμης λόγον περιτίθεσι. τὸν δ᾽ αὐτὸν, καὶ ἔντριχον ὠνόμαζον. *Vocatur etiam quædam coma, appoſititia, quæ non modo mulierum, ſed & virorum eſt: & qui raros capillos habent, ipſa inſtar capillorum utuntur. hanc vero etiam* ἔντριχον *nominaverunt.* & iterum lib. 10. cap. 41. καὶ πηνήκην ἦ, καὶ περικόμιον. καὶ ὡς Ἀριστοφάνης ἐν Γηρυτάδῃ, περίθετον καὶ περιθέτην. *Inſuper galericum, & fictitiam comam. Vel appoſititium ſecundum Ariſtophanem in Gerytade, & appoſititiam.* Doctiſſimus Salmaſius ad Hiſt. Auguſtam exiſtimat aliud non eſſe *cæſariem*. Certe ſic legas apud Heſychium: καισαρία, περικεφαλαία. Quid vero ἡ περικεφαλαία ſit, Gloſſarium docet, in quo ita legas: περικεφαλαία, *Galea*. At *galeam* coincidere cum *galero*, idem Salmaſius nos docuit ad Solinum, & Tertull. de Pallio; fidem quoque faciente Juvenalis Scholiaſte, ut ante audivimus.

Sed his miſſis, utrumque hoc comæ lenocinium Patres admodum infectantur. Et quantum ad tinctos capillos, ad eos referri debent ſequentia Tertulliani verba de cultu fœminarum. cap. 6. Video quaſdam & capillum croco vertere. Pudet etiam eas nationis ſuę; quod non Germanæ aut Gallæ ſunt procreatæ: ita patriam capillo transferunt: male ac peſſime ſibi auſpicantur flammeo capite, & decorum putant, quod inquinant. Crocum capiti ſuo mulier Chriſtiana ingerit ut in aram. *Hæc ille.* Cyprianus de Habitu virginum cap. 13. Audaci conatu & ſacrilego contemptu crines tuos inficis. Malo præſagio futurorum, capillos jam tibi flammeos auſpicaris, & peccas, pro nefas! capite, id eſt corporis *parte meliore. Hactenus Cyprianus.* Idem lib. de Lapſis cap. 4. Corrupta barba in viris, in fœminis forma fucata. Adulterati poſt Dei manus oculi, capilli mendacio colorati. *Hæc iterum ille.* Qui duo, quando colore hoc capillis inducto, fœminas Gehennam auſpicari dicunt, conſentientem habent Hieronymum, cujus hæc clara verba Epiſt. ad *Marcellam*: Ne caput gemmis oneres, nec capillum irrufes, & illi aliquid de Gehennæ *ignibus auſpiceris.* Clemens vero Alexandrinus lib. 3. Pædag. oratione ad ſenes directa, hæc per interpretem *proloquitur*: Nec ergo pili ſunt tingendi, nec cani colorandi. Neque enim veſtem variare conceſſum eſt: & maxime ætatis ſenium, XXI.

&

Digitized by Google

& id, quod maximæ auctoritatis eſt, non eſt tegendum. Dei autem decus in lucem proferendum eſt, ad hoc, ut id honorent adoleſcentes. Cum enim impudenter ſe gerentibus aliquando apparuiſſet inſtar pædagogi canities, eos traduxit ad modeſtiam,& viſus fulgore, juvenilem terruit & repreſſit cupiditatem. *Hac Clemens*. Suppoſititiis crinibus haud æquior eſt hic ipſe Clemens. Sic enim legas apud eum loco *dicto*: Alienorum capillorum appoſitiones ſunt omnino rejiciendæ, & externas comas capiti adhibere, eſt maxime impium, quæ mortuis pilis *cranium induunt*. Tertull. libel. de Cultu fœmin. poſtquam fœminis exprobraſſet galerum, verbis antea adductis proxime ſequentia *ſubjicit*: Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti. Ne exuvias alieni capitis, forſitan immundi, forſitan Gehennæ deſtinati, ſancto & Chriſtiano capiti ſuppares. Imo hanc ornatus ſervitutem à libero *capite propellite*. Hieronymus has comæ ineptias ſeculo imputat, ſuam Demetriadem (verba ex parte antea ſunt adducta) ita *alloquens*: Quando eras in ſeculo, ea quæ erant ſeculi diligebas. Polire faciem purpuriſſo, & ceruſſa ora depingere, ornare crinem, & alienis capillis turritum *verticem ſtruere*. Quomodo & in Epiſtola ad Marcellam, cujus initium Abraham, ſerio illas arguit, quę capillis alienis verticem *ſtruunt*. Nec ratione deſtituuntur ſeveriores hæ Patrum cenſurę: nam capilli qua à viris, qua fœminis aut tinguntur, aut galericulo velantur, ſive ad tegendam canitiem, ſive ad diſſimulandum calvitium, ſive etiam ad procurandum formę decus. Nihil vero horum, à viro gravi, eodemque Scripturę filio, fieri debet. Ut à canitie initium faciam, illa eſt capiti *corona ornatiſſima*, ſecundum Salomonem Prov. 16. 31. Et, *ut ornamento juvenibus ſunt vires ipſorum*, *ita decori ſenibus canities*, juxta eundem Prov. 20. 29. Quiſquis ergo eam aut diſſimulat, aut prę pudore intempeſtivo, in partes ſollicitato mangonio, publice non vult agnoſci, injurius eſt in Deum, atque quæ *Ipſe* ornamento eſſe denunciat, ignominiæ ſibi ducit. Quod ad colorem vero, per tincturam canis procuratum, licet *vero* putetur eſſe præſtantior, juxta illud Naſonis lib. 3. de Arte:

Fœmina caniciem germanis inficit herbis,
Et melior vero, quæritur arte, color;

deturpat tamen hominem, eique dedecori eſt. Ut enim elegantur Plutarch. in libel. quo diſputatur an ſeni Reſp. ſit *gerenda*: ut lex (*inquit*) coronam ac diadema, ita canos natura venerabile dignitatis & principatus *ſignum fecit*. Nec aliud exiſtimari debet de calvitio. Fateor quidem

dem illud jam olim habitum fuiſſe indecorum, atque præbuiſſe materiem variorum dicteriorum; imo ipſum Deum filiabus Sionis, tanquam probrum inſigne, minari calvitium, Eſ. 3. 25. Interim tamen illius patronus Deus debet agnoſci, qui impunitum non dimittet eum, qui calvis maledixerit, ut teſtatur hiſtoria Eliſæi, 2.Reg.2. 23. Ne jam dicam, Syneſium peculiari ſcripto laudes Calvitiei celebraſſe, atque, Hieronymo teſte, ipſum Socratem, Gręcorum ſapientiſſimum, calvum fuiſſe. Imo, dato, Deum, calvitium ut probrum in hominibus quibuſdam velle conſpici: non tamen propterea ipſi, quæſitis exuviis latronum & meretricum, de eo obliterando laborare deberent, ſed potius dicere cum Propheta, *indignationem Iehovæ feremus*, Mich. 7. 9. Nihil vero, ſive pro capillitii tinctura, ſive pro galericulo prætexere poſſunt, qui, aut quæ, illud capiti ſuo aptant, nullam aliam ob cauſam, quam ut aliis ſpecioſiores videantur. Certe tinctura ejuſmodi (ut priori loco eandem conſiderem) non poteſt non Deo diſplicere, cum eidem quam maxime probroſa ſit. Pathetice Tertullianus lib. de Cultu fœmin. *Sed enim* (inquit) *Dominus ait*, (Matth. 5. 36.) Quis veſtrum poteſt capillum atrum ex albo facere, aut album ex atro? Hę que revincunt Deum. Ecce, inquiunt, pro albo vel atro, flavum facimus gratiæ faciliorem: quamvis atrum ex albo conantur facere, quas pænituit ad ſenectam uſque vixiſſe. Pro temeritatem! Erubeſcit ætas exoptata votis, furtum confitetur, adoleſcentia in qua delinquimus, ſuſpiratur, occaſio pravitatis interpolatur. Abſit à ſapientiæ filiabus ſtultitia tanta. Senectus cum plus occultari ſtuduerit, plus detegetur. Hæc eſt æternitas noſtra, *de capitis juventute*. Et tamen τειχόμαχοι antehac, cum ſibi dictaturam adhuc ſperare auderent, infeſtiores fuerunt iis ex utroque ſexu, qui comam alebant, quam, quos videbant prima juventæ face, per aſperſi pulveris lenocinium, mentiri ſenes, capitis ſive picem, ſive mulſum transformando in nivem. πρόφασιν, quæ juſtitiæ & ſobrietati ſatisfaciat, invenire quoque non poſſunt, qui ab emptis & aſſutis capillis formæ commendationem emendicant; quum enim ipſis fœminis, quibus permiſſum eſt κομᾶν, edicat Paulus ne *cincinnis* ſeſe ornent, 1. Tim. 2. 9. atque Petrus Apoſtolus teſtetur earum *ornatum non conſiſtere in nodis capillorum*, 1. Petr. 3. 3. ſane, nulla ratione excuſari poſſunt, quicunque ſecuri interioris ornatus, primo in adornando galero, & deinde in eodem capiti aptando, occupantur. Et tamen capita, hac ratione inſtructa, rugas Theologicas ſimul audent oſtentare,

Digitized by Google

atque è ſacro ſuggeſtu detonare in ſeculi vitia. Etenim ſcio, quantum libertatis circa *indifferentia* Chriſtiano, de libertate ſua edocto, competat, & multa ex illis, quæ hominem extrinſecus afficiunt, conſideranda eſſe pro ratione regionis & temporis; ingenue tamen profiteor, me non videre, quomodo alienæ hæ capitis exuviæ excuſari poſſint, quum omni ævo, apud omnes nationes eædem exoſę fuerint. Judicium Ovidii, & Martialis ſupra exhibuimus. In Anthologia occurrit Epigramma Lucilii in quandam Nicyllam, quæ emerat galericulum atrum, ut diſſimulata ſenectute, canos ſuos velare poſſet. Quod ita habet;

Τὰς τρίχας ὦ Νίκυλλα τινὲς βάπτειν σε λέγουσιν,
Ἃς σὺ μελαινοτάτας ἐξ ἀγορᾶς ἐπρίω.

Adrianus Junius libel. de Coma cap. 1. Latine ſic reddidit:

Fingere te perhibent quidam, Nicylla, capillos;
Quos mercata atros ipſa foro extuleras.

EXERCITATIO XXV.

DE

Veſtibus, & luxu circa illas.

1. *IN veſtitu obſervetur inaffectata humilitas quod ad materiam, formam, & numerum.*
2. *Debeantne forma differre veſtes viriles & fœminea? Fuſe inquiritur in legem Deut.* 22. 5. *Quam cæremonialem fuiſſe probatur, ſimul allata ratio vindicatur à Reyneſii exceptionibus.*
3. *Occurritur rationibus D. Franc. Iunii Theologi ſummi, quibus evincere conatus fuit legem hanc Cæremonialem eſſe.*
4. *Examinantur illa, quæ in contrarium Reyneſius adduxit.*
5. *An forma veſtium debeat eſſe gentilis, ita ut nihil peregrini in ea notetur? Simul expenditur locus Tzephaniæ cap.* 1. *verſ.* 8.
6. *Quot numero veſtes aliquis habere debeat?*
7. *Quomodo veſtium luxui occurri debeat, per ſupremas Poteſtates, maxime in Fœderato Belgio?*
8. *Rationes adferuntur, cur, quanto ocyus graſſanti huic luxui per ſevera edicta ſuprema Belgii poteſtates obviam ire debeant?*
9. *Iterum, per modum Appendicis, Lex Deut.* 22. *examinatur.*

Poſt

Digitized by Google

Poſt comam, & illius fucos, ad veſtimenta me converto, I.
circa quę, velut turpitudinis indelebilis inſignia, non modo convenit probare animum modeſtum, ſed etiam humilem. Nam, ut non incommode dicit Chryſoſt. hom. 28. in Geneſ. *Juſſit Dominus primos parentes togis pelliceis veſtiri, in perpetuam memoriam, quod inobedientes fuerimus Domino.* Eoque ſi audire convenit Chriſtum, Matth. 11. 29. edicentem: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*: næ, multo magis humilitatem hanc probare convenit, in amictu, qui eſt ſignum inobedientiæ & prævaricationis noſtræ in primo parente Adamo. Nec tamen propterea affectandę ſunt ſordes, aut Diogenis alicujus cultus. Convenienter Hieronymus Epiſt. 3. ad Nepotian. *Veſtes pullas æque devita ut candidas; ornatus & ſordes pari modo fugiendæ ſunt: quia alterum delitias, alterum gloriam redolet.* Quo vero Chriſtiano hic conſtet ratio, inaffectata humilitas attendenda eſt circa tria; materiam ſcil. formam & numerum veſtium. In materia iterũ conſiderari poteſt ſubſtantia,illiq; adjunctus color. Circa ſubſtantiam peccatur non modo, quando tantũ illius eſt pretium, ut id inæquale ſit cenſui & vocationi illius, qui inde veſtes ſibi adornat; verum etiam(ut recte hactenus notavit Teelingius Concione 1. de Veſtitu pag. 36.) quando illa, licet non admodum pretioſa, tam fragilis eſt, ut breviſſimo temporis ſpatio conteratur, atque in fragmina varia dilacerata, nulli amplius uſui ſervire poteſt. Mirum vero, quam jam olim hominum curioſitas & ambitio hic luxuriare conſueverint. Pathetice Nilus in Aſcetico: *In veſtitu non contenti iis, quæ ad tegendum ſunt neceſſaria, primum lanas emunt excellentiores,& velleris eligunt florem. Deinde tranſeunt ad mixta, quæ ex lino & lana contexta ſunt. Mox ſerica cupiunt, & ea primo quidem ſimplicia, tum præliis & animalibus, atque hiſtoriis diſtincta.* Interea tamen attendi hic debet regionum diverſitas, atque quæ in quoque loco natura ad veſtiendum attribuit, licite uſurpantur, modo non excedatur modus. Si in Belgio, modicę ſortis fœmina, quotidie ſerico & tenuiſſimo goſſypio indueretur, jure merito cenſuram incurreret: quum tamen citra ambitionis & faſtus notam, in habitu ex tali materia confecto,ſe oſtentare queant matronæ Italæ, Perſicę, & Sinenſes. Hinc quoque non collegeris, redeundum eſſe ad pelles, licet Deus Opt. Max. primis noſtris parentibus, poſtquam lapſi eſſent, ex illis primas veſtes confecerit: atque populi ad Septentrionem, iis adhuc hodie,quod alia materia deſtituantur,

Digitized by Google

uti conſueverint. Quo reſpicit Hieronymus, quando Epiſt. 3. dicit: *Et pelliterum turba populorum, qui mortuorum quondam feriis* (lego *inferiis*) *hominem immolabant.* Quare & Gothi, Sarmatæ, aliique populi cum pellibus apud Ovidium, Lucanum, & Sidonium Apollinarem exhibentur. Caſci Romani ſimilem habitum amarunt. Unde Propert. lib. 4.

Curia, prætexto quæ nunc nitet alta ſenatu,
Pellitos habuit, ruſtica corda, patres.

Seneca ep. 110. exiſtimat quidem pelles, cum aliis, quæ natura ſuggeſſit, homini veſtiendo ſufficere poſſe. Sic enim loquitur: *Frigus intolerabile eſt corpori nudo. Quid ergo? nunquid non pelles ferarum & aliorum animalium à frigore ſatis abundeque defendere queunt? non corticibus arborum pleraque gentes tegunt corpora? non avium pluma in uſu veſtis conferuntur? non hodieque magna Scytharum pars tergis vulpium induitur, ac murium, quæ tactu mollia, & impenetrabilia ventis ſunt?* Sed ubique natura neque tales arbores concedit, neque pellium, & plumarum abunde. Linum, & lanam, ipſe Deus veſtitui hominum deſtinavit Deut. 22. 11. iiſque in Aarone veſtiendo uſus eſt. Ne dicam, apud ipſos populos, qui pellibus amiciuntur, earum, ad faſtum & ambitionem uſque, notari poſſe delectum. Accedo ad colores, quibus tingi ſolent panni, qui materiam veſti præbent. Iis, candidum colorem, & artificii neſcium, ſi excipias, Clemens Alexandrinus quam infeſtus eſt. Sic legas apud illum Pædag. 3. *Candidis ac minime curioſis ac operoſis veſtibus uti eſt convenientiſſimum.* & paulo poſt: *Tinctura itaque Sardiniaca & alia ompbacina, ſeu oleagina, & alia viridis, roſacea, & coccina,* & *alia innumerabiles tinctura excogitata ſunt à pernicioſis delectationibus, quo fit ut ad viſum jam conferatur veſtis, non ad integumentum.* Quę tamen ſimpliciter admitti non poſſunt. Colores variegati, ſpeciatim hyacinthinus, purpureus, & coccineus notantur in veſtibus Aaronis, ab ipſo Deo ordinatis, Exod. 28. certo indicio, colorum diverſitatem aliter in veſtitu reprehendi non poſſe, quam quatenus aut animi faſtum aut levitatem arguit. Atque, ut paſtores in veſtitu tum graves tum humiles eſſe debent, neutiquam vero circa eum, pręter vocationis ſuę rationem, plus æquo curioſi; ita illis, ratione omnium locorum & temporum, pullam, ſive atram, veſtem non conceſſero. Modo audivimus Hieronymi judicium de veſte pulla devitanda. Si vero preſſius adhærere voluerimus N. T. albæ veſtes potius convenient myſteriorum ſacrorum diſpen-

diſpenſatoribus, quod in iis tum exhibuerit gloriam ſuam Chriſtus, Matth. 17. 2. ad modum ſymboli, pro illis, qui cum eo æternum regnabunt, Apoc. 3. 4. tum etiam, quod arguant puritatem & innocentiam, Dan. 7. 9. Apoc. 3. 18. Quam ob cauſſam, recenter baptizatos, olim quoque albis veſtibus indui conſueviſſe, patet ex Tertull. de Cor. Mil. Ne jam dicam, Sacerdotes Idolorum, ſecundum varios, videri *Cemarim* dictos 1. Reg. 10. 22. & 1 Reg. 23. 5. quod nigris veſtibus amicerentur, fidem faciente Kimchio ad Tzeph. 1. 4. ubi eadem vox occurrit. Interim neque patrocinari volo albo verbi Miniſtrorum amictui, in ſacris alicubi, apud Reformatos quoque, ab his frequentari ſolito, aut aliquid (quod perpetuo ſit obſervandum) definire. Nigrum paſtorum habitum probandum eſſe exiſtimo, ubi color ille gravitatem & animum dimiſſum ſignat, modo hi ipſi non inſidientur illorum ex ſuo ordine libertati, qui, aut, pro ratione regionum, in quibus vivunt, alterius coloris veſtibus utuntur, aut, pro re nata, atque ad prodendam libertatem, quam per Chriſtum conſecuti ſunt, veſtem alio colore imbutam induunt. Color in belluis, à Deo veſtitis ſeu plumis, ſeu ſquamis, ſeu pellibus, multiplex occurrit: poteſtque homo vario quoque colore veſtes ſuas tingere, dummodo non adhibeat colorem, quo, aut animi levitas prodi ſolet, aut, qui inſolens ſit in illa gente, inter quam moratur. Nolim vero ſimpliciter hic arguere colorum in eadem veſte differentiam, quaſi illa redoleat aut idololatriam, aut Antichriſtianiſmum, ut non nemo quoque ex Orthodoxis Theologis exiſtimat, motus loco Ezech. 23. 13. 14. & Apocal. 17. 3. 4. 5. in illis enim textibus, ut habitus Idololatrarum deſcribitur, ita non eſt propoſitum Spiritui Sancto nobis abominabilem reddere ejuſmodi habitum, ratione coloris, ſed duntaxat docere, quomodo ex eo idololatræ & idola queant agnoſci. Diverſi quoque colores in amictu Aaronis (ut modo diximus) notati fuerunt. Spiritus Sanctus alibi idola nobis exhibet aurea Eſ. 40. verſ. 19. argentea, Actorum 19. verſ. 24. ænea, Dan. 5. verſ. 4. lapidea & lignea, Deuternom. 4. verſ. 28. nec tamen propterea aurum, argentum, æs, lapides, & ligna nobis vult eſſe abominationi. Quoniam vero huc devenimus, verbo aliquid annotare debemus de colore purpureo, materiæ veſtium conciliato, (ſub eo comprehendo colorem quemcunque elegantem & pretioſum) quem execrandum eſſe, aliquis concludere poſſet, (progrediendo ſcilicet

Digitized by Google

ſecundum principia virorum, alias egregiorum, quibuſcum modo nobis negotium fuit) eo quod purpureis veſtibus idola ſua ornare conſueverint idololatræ, Jerem. 10. 9. Olim autem (ut notiſſimum eſt) color purpureus habitus fuit pretioſiſſimus, atque Regibus peculiaris erat, ſic tamen ut in Orientalibus regionibus, Tyro proximis, unde color hic ſolet peti, frequentatus pariter fuerit in cultu, à quibuſcunque opibus præpollentibus. De Tyriis ipſis manifeſtum eſt ex Ez. 27. 7. atque eorum exemplum opulentiores in Judæa, ex more gentis, ſecutos fuiſſe, patet ex Parabola Luc. 16. 19. Cujus Parabolici divitis purpura & byſſum, prętet Chriſti inſtitutum, ut in luxum quaſi veſtium declamare poſſint, abſque ratione DD. Poſtilliſtæ arguunt: neque enim Chriſtus eum notat, quod purpura & byſſo amiceretur, & victitaret ſplendide; ſed, quod ſecundum ſecuritatem carnalem, non attendendo ſcil. *confractionem Ioſephi*, Amoſ. 6. 6. hoc faceret *quotidie*. Convenienter Lutherus in Conc. ſuper hoc Euangelio: *Cæterum dives iſte non eo nomine arguitur, quod delicatis cibis & eleganti veſtitu uſus ſit. Quando etiam complures olim ſancti Reges & Reginæ, ſplendido cultu ornati fuerint, utpote Solomon, Heſter, David, Daniel, &c. ſed quod cor ſuum illa inhiaret, requireret, illiſque impendio afficeretur. Ipſe quoque omne gaudium, ſolatium, voluptatem denique omnem in his quæreret, & plane in his idolum ſibi ſtatueret. Quod Chriſtus hac voce* quotidie *ſubindicat.*

II. Succedit conſideranda veſtium forma, cujus ratione, initio quæritur, an illa reſpectu dignioris & ſequioris ſexus debeat eſſe diſtincta? Nota lex Dei eſt Deut. 22. 5. *Ne eſto inſtrumentum virile ſuper fœminam, neque induito vir veſtem fœminæ: nam abominationi eſt Iehovæ Deo tuo, quiſquis facit iſta.* Cui conſentit Synodus Gangrenſis, quæ can. 13. anathemate ferit mulierem, quę fuerit *uſa veſtimentis virilibus*. Cæterum de lege Dei, non omnium idem eſt judicium: multi cenſent eam Cęremonialem eſſe, ac proinde reſpicere ſolos Judæos. Placet hoc quoque τῷ πάνυ D. Salmaſio, qui ita in Tract. de Coma pag. 585. *Hæc lex* (inquit) *ex jure Gentili Hebræorum per Moſen dato deſcendit, non ex naturali. Non amplius in uſu apud eos erant pellicea veſtes, quales primis hominibus Deum ipſum feciſſe, ille ipſe Moſes ſcripſit. Ipſa ſane natura ſatis diſtinxit utrumque ſexum, ſed aliis rebus quam veſtium ornatu diverſo, aut comæ cultu diſparili.* Diſſentit Franc. Junius, qui l.d. dictam legem ad jus naturale refert. Cui priuſquam reſpondeo (ſiquidem Salmaſii ſententia omnino probanda) aliorum ſententias referre convenit. Ergo Ambro-
ſius,

ſius, exemplo Clementis Alexandrini, legem hanc myſtice interpretatur. Sic enim lib. 4. Epiſt. 15. *Arbitror* (inquit) *quod non tam de veſte, quam de moribus, dixerit hæc lex, vel de uſibus atque artibus, quod alius virum, alius fœminam deceat actus.* Joſephus lib. 4. Orig. cap. 8. ad diſciplinam militarem refert. Quomodo & Paulus Fagius hoc loco in Paraphraſi Chaldaica annotavit, duntaxat vetari, ne mulieres cum viris proficiſcantur in militiam, more Orientalium populorum; aut ne ſe exponant periculo pudicitiæ, neve cętera virorum officia obeant, ſed familiam curent: quanquam ibidem alias quoque interpretationes refert. Joannes Seldenus vir doctiſſimus, Judaicorumque rituum conſultiſſimus, in libel. Aureolo de DIs Syris Syntag. 2. c. 4. adducta authoritate Maimonidis ex More Nebochim, trahit ad idololatriam Paganicam, qua viri in honorem Veneris veſtes muliebres induebant, & vice verſa mulieres in honorem Martis arma veſteſque viriles. Alias vox Ebręa *Celi*, quę ibi occurrit, non modo hoc loco, verum alibi quoque à LXX. Interpretibus redditur per τὰ σκεύη, ſive ἀγγεῖα; licet ſæpe quoque notet veſtimenta, atque hæc ſignificatio, quæ placuit etiam Interpretibus Belgis, commode præſenti loco aptari poſſit, quum proxime ſequatur vox *Simlath.* Nec tamen propterea hęc lex deſinit eſſe Cęremonialis: ſalvo ſiquidem aliorum judicio, putem hanc ipſam legem comparandam eſſe cum legibus Dei, Lev. 15. verſ. 15. & ſeqq. ubi agitur de viro gonorrhęa laborante, & fœmina menſtruata. Cum uterque enim qua mas, qua fœmina quoque, immundam redderet non modo veſtem, ſed cubile quoque, in quo jacuerat; næ quis potuiſſet facile impurus reddi, ignarus alterutrius infirmitatis, ſi promiſcua veſtium permutatio fuiſſet conceſſa. Ut vero interdicto de gonorrhæa & menſtruis, Judæi admonebantur de caſtimonia colenda in ipſo matrimonio; ita comminatio addita legi de veſtibus non commiſcendis, oſtendit, quam ſerium Deo hoc interdictum ſit. An vero interdictum hoc, myſterii quid circa Chriſtum innuerit, poſtea liquere poterit. Quæ interim contra rationem, quam duntaxat probabilem conjecturam habere volui, (quam multa circa explicationem Scripturæ non compellimur ignorare?) pag. 197. Reyneſſius adducit, hactenus me movere non poſſunt, ut ſententiam mutem. Dicit quidem 1. *Vir quoque viri, & mulier alterius mulieris veſtem induere non debuiſſet, ibi enim idem eſt periculum.* Concedo totum: hoc enim colligere eſt ex lege Lev. 15. Pergit (2.) *tum vir mulieris* (inquit) *veſtem tangere non debuiſſet,*

non

Digitized by Google

non enim induendo, ſed & tangendo polluebat ſe. Imo, ut tangendo polluebat ſe, ſic Deus pronunciat Deut. 22.5. *abominationi ſibi eſſe* eos, qui diverſi ſexus veſtimenta commiſcent. Quod enim inquinationis periculum ſubeſſet, Deus, ut oſtenderet, populum ſuum ne quidem immunditiei periculo ſe exponere debere, legem hanc tulit. Quod vero profanum foret, eas veſtes induere, quas non licebat tangere, Deus voluit ſeveram hanc comminationem Legi ſuæ ſuperaddere. Inſtat Reyneſſius: *Tum.3. viro lotas mulieris veſtes induere licuiſſet, & viceverſa, mulieri virorum; tum enim erant puræ.* Sed ſciendum eſt, virorum gonorrhœam & mulierum profluvium proveniſſe à morbo: quum, pro menſtruo, velut ordinario profluvio, mulier ſolemniter non expurgaretur. Quod ergo uterque, qua mas qua fœmina incerti forent, quando obvenire poſſet hæc ex morbo infirmitas, ceſſat Reyneſſii cavillatio. *Tum 4. maritus* (inquit) *ſuæ uxoris, quam ſciebat menſtruo non laborare, & uxor ſui mariti, quem ſciret non laborare gonorrhœa, veſtimenta induere potuiſſet.* Jam reſponſum eſt: lex non tam reſpiciebat menſtruum mulieris profluvium, quam morbidum. Quod ergo qua maritus qua uxor incerti eſſent, paroxyſmi, Deus quam ſevere veſtium permutationem prohibuit. Deniq; ſic loquitur: *Et.5. permutatio veſtium ſaltem ante maturam ætatem licita fuiſſet.* Aliquid eſſet, ſi, ratione ſingulorum hominũ pubertatis initium eadem temporis periodo definitum foret. Sed quam natura (loqui ita fas ſit) ratione non modo marium, ſed & fœminarum hic ſit ludibunda, in vulgus quoque notum eſt. Eoque Deus, ut quam ſerium munditiei ſtudium populo ſuo commendaret, ſtrictas & ſeveras haſce leges tulit. Quarum ſcopum ſi intuear, impetrare à me non poſſum, ut hactenus ſententiam mutem.

III Nec contrarium ſuadere poſſunt rationes, quas habet ὁ μέγιςος alias, D. Franc. Junius in Analyſi hujus loci. Initio ſic loquitur: *Qui* putaverunt præceptum eſſe *cæremoniale, ii profecto cauſſam (ut vocant) fundamentalem hujus cæremoniæ non adferunt, quæ certo conſtare poſſit*, &c. Reſp. Rationem ſufficienter nos adduxiſſe credimus, quam putamus hactenus ſufficere debere. Pergit: *Naturalis honeſtatis cenſendum eſt, quod hic dicit Moſes, nec virilia inſtrumenta mulieribus aptanda, nec viris muliebria: quia ementiuntur naturam, & honeſtatem naturalem oppugnant, qui tantum ſibi auctoritatis tribuunt, ut ſexus diſcrimina confundant, ſive ſerio ſive joco fiat & hiſtrionice.* Reſp. Lubens do, ipſum quoq; Clementem Alexandrinum lib. 3. Pædag. cap. 3. ſic loqui: *Turpiſſimum profecto*

fecto fuit exiſtimatum, non apud Romanos tantum, ſed & in Græcia & apud alias quoque, licet barbaras, nationes antiquitus, ſi viri muliebre veſtimentum aſſumerent. Sed, quod pace Scriptoris πολυμαθεστάτου dictum ſit, fallitur hic Clemens non una vice. De Romanis fateor, aliquando apud eos fuiſſe conjunctum cum turpitudine, non modica ſed enormi, ſi vir indueret veſtes muliebres, (probat P. Faber lib. I. Semeſtr. cap. 15.) atque Romæ meretricibus probri loco datam fuiſſe togam, jam olim à viris doctis obſervatum fuit. Interim nego idem obtinuiſſe in Græcia. Pallium viris & fœminis commune fuiſſe, vel ex Diogene Laërtio conſtare poteſt, qui refert, Xantippen cum pallio ſui Socratis conſueviſſe in publicum prodire; atque cum Chriſtiani Romæ quoque nexu mancipioque pallium ſibi vindicaſſent, fœminæ eorum eo quoque uti inſtituerunt, ut ſupra ὡς ἐν παρόδῳ ex Paulino me obſervaſſe memini. velabant vero illo caput. Hieron. Ep. 12. *Solent quædam, cum futuram virginem ſpoponderint, pulla tunica eam induere, & furvo operire pallio, auferre linteamina.* & Epiſt. 8. ad Demetriadem: *Vili tunica induitur, viliori tegitur pallio.* Ambroſ. porro d. l. ſuam ætatem reſpiciens, notat, *Græco more influxiſſe, ut fœminæ virilibus quaſi ſuccinctioribus tunicis uterentur.* De Barbaris vero teſtis eſt Julius Pollux lib. 7. Onomaſt. cap. 2. ὅτι οἱ βάρβαροι καὶ ταῖς θηλοπρεπεστέραις τῶν ἐσθήτων ἔχαιρον: *quod & barbari etiam muliebribus veſtibus delectarentur.* Et ſpeciatim de Germanis Tacit. libel. de Morib. German. cap. 10. *Nec alius fœminis quam viris habitus.* Hæc cum ita ſe habeant, argumento ſunt (ut pro meis adoptem verba D. Salmaſii lib. de Coma pag. 588.) *diſcrimen hujuſmodi non à natura deſcendere, quoniam non ſit omnium gentium. Quæ apud alios erunt mulíebres, apud alios viris convenire videbuntur. Longæ veſtes putantur mulieribus magis accommodæ. Totus Oriens veſtifluus muliebriter quaſi amicitur.* Interim in honeſtatem peccarit, quiſquis cum Clodio voluerit habitum alterius ſexus induere, ut aut commodius & tutius ſatisfacere poſſit ſuæ libidini, aut alii alicui ſceleri vacare. Ne dicam manifeſto periculo, ſe qua mares qua fæminas exponere, quando cum veſte videntur ſexum mutaſſe. Atque ſic hunc locum intellexit in Notis Munſterus: *Si mulier* (inquit) *ſeſe miſceat inter milites ad bellum procedentes, exponit ſe periculo magno violandæ pudicitiæ. Idem ſentiendum de maſculo. Nihil igitur aliud hic præcipitur, quam ut mulieres & viri diſtinctas habeant veſtes, & occaſio tollatur multorum malorum* Quanquam, boni publici cauſſa, à lege hac licuiſſe recedere ipſe D. Junius fatetur: huc

 enim

enim ſpectant hæc ejuſdem verba : *Sin honeſtas hæc cum publica utilitate concurrit, aut cum gravi ulla neceſſitate privata aut publica, tum publicæ utilitati & neceſſitati honeſtatem oportet cedere.* Exempla varia habet Camerarius Cent. 2. cap. 39. & 41. & Centur. 3. D. Junio unus adhuc aries reliquus, ita enim deinceps : *Huc pertinet ratio, quam adducit Moſes, quum pronunciat*, quiſquis facit iſta, eum eſſe abominationi Jehovæ Deo noſtro : *tanquam ſi diceret non poſſe non abominari Deum homines ejuſmodi, qui naturam naturalemque honeſtatem & ordinem ita conturbarint.* Sed, ex hac ipſa clauſula Seldenus contendit, ritum aliquem profanum, ſeu Idololatricum vetari ; quod talis comminatio plerumque *ſpectet in S. literis idololatriam.* Quod & certiſſimum : nam Idololatriam abominationi eſſe Jehovæ, patet ex Deut. 7. 25. & 12. 31. & 17. 4. & 27. 15. Pſ. 104. 40. aliiſque locis. Interim mandatis cæremonialibus quoque ſimilis additur comminatio: *Ne mactato Iehova Deo tuo bovem aut pecudem in qua ſit vitium, res ulla mala : nam abominationi Iehova Deo tuo eſt*, Deut. 17. 1. Quod videret Reyneſſius, *D. Iunij* rationes minus ſufficientes eſſe, atque fateri deberet, nos convenientes iis occurriſſe, pag. 195. novas rationes excogitavit, quo poſſet evincere eam pertinere ad Leges naturæ. *Primo* ita argumentatur : *Lex hæc nullum habet reſpectum ad Chriſtum venturum, ut omnes cæremoniæ. Col. 2. 16, 17.* Quando dicit Apoſtolus l. d. occaſione dierum feſtorum, quod *fuerint umbra futurorum, at corpus Chriſti* : non hoc vult innuere, omnes veteris Teſtamenti cæremonias, præciſe Chriſtum reſpexiſſe & in illo completas fuiſſe ; ſed pertinuiſſe partim ad Chriſtum, ut ab eo complendas, partim ad Eccleſiam ipſius, & conditionem ejuſdem. Unde & Paulus legem (Exod. 12. 15.) de non comedendo fermentato pane ſeptimis primis Paſchæ diebus, applicat ad fideles, quando dicit 1. Cor. 5. 7. *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio*, &c. Atque ſic veteres, explicantes legem Cæremonialem, moralem ſignificationem paſſim conſectantur in ſuis Commentariis. Eoque dicere poſſumus, ſufficere, ſi lex hæc Cæremonialis aliquid adumbrarit, quod ſive ad Chriſti Eccleſiam, ſive ad membra illius pertineret. Hugo Cardinalis in Gloſſa huc trahit præceptum Apoſtoli 1. Tim. 2. 12. *Mulieri docere non permitto* : & forte non incommode. Quid ſi dicamus quoque, Chriſti perſonam, quæ duabus ſubſiſtit naturis, per hanc legem quadantenus adumbrari. Ut enim ſecundum Divinam naturam (quemadmodum Patres loquuntur) eſt *ἀμήτωρ*, & ſecundum humanam

nam *ἀμίκτως*; ita is, qui ut mediator quid participat de utroque quaſi ſexu, æque inconfuſas tamen has naturas ſuſtinet, atque in Iſraële inconfuſa eſſe debebant marium & fœminarum veſtimenta. *Secundo* ſic inſtat: *Chriſtus nec vita nec morte implevit hanc legem, ut quidem omnes cæremonias.* Difficile fuerit Reyneſſio probare, omnes cæremonias Veteris Teſtamenti Chriſtum in ſua propria perſona implere debuiſſe: nec hoc ullibi Scriptura docet. Interim lubens do, recte colligi ex loco Col. 2. 17. omnes cæremonias velut umbras, poſt exhibitum Chriſtum, tanquam corpus, ceſſare debere. Sed ſimul hinc colligo, legem hanc ut Cæremonialem, non poſſe amplius obſtringere nos Chriſtianos ſub N. T. *Tertio* ſic progreditur: *Natura docet hanc legem, itaque cæremonialis non eſt. 2. ad Cor.* 11. 14. 15. Quum tota hæc argutatio Reyneſſii, quam prolixe deducta pag. 196. nitatur falſa Gloſſa loci 2. Cor. 11. & nos ſupra quam prolixe locum illum examinaverimus, verbum hic non addo. *Quarto* & poſtremo ita inſurgit: *Pericula hanc legem exigunt, mox enim horrenda ſequetur confuſio, ſi eodem vir & fœmina utatur veſtimento,* &c. Quaſi vero natura, aliis characteribus, velut genitivis notis, quam veſtibus, non diſtinxerit mares à fœminis. Ut periculorum horum Reyneſſius poſſet eſſe ſecurus, ſupra abunde providimus.

Ut ergo concludam, ſi per morem regionis, maris & fœminæ veſtes IV. indiſcretę fuerint, abſque conſcientiæ ſcrupulo conſuetudini illi accedere poterit Chriſtianus. An vero in comœdiis, veſtium permutatio inſtitui queat, alibi inquiram. Hic ſolum ingenue profiteor, me non videre, quomodo viri quidam graves eo maxime nomine abrogata velint Spectacula, quod in iis per veſtium confuſionem jus naturæ violetur, non cogitando legem, quam proponit Moſes, eſſe Cæremonialem.

Deinde, occaſione formæ, quæ veſti aptari debet, quæritur, an illa V. vernacula & quaſi propria cuique genti debeat eſſe, ut nihil circa illam peregrini notetur? Affirmativa ſententia pluribus, iiſque non incelebribus Theologis jam olim arriſit, qui moti fuerunt loco Prophetæ Tzephanię, cap. 1. verſ. 8. ſic edicentis: *Et erit in die mactationis Domini, animadvertam in principes & filios Regis, & in omnes qui induti ſunt indumento peregrino.* Cæterum inter ipſos Rabbinos, circa ſenſum hujus loci non convenire, teſtis eſt R. David Kimchi, ad illum locum ſic commentans: *Exponit Pater meus p. m. quum viderent aliquem, cui prævalere poterant, inſigni veſte indutum, eam rapiebant ab illo, & ipſimet indue-*

bant eam. Sapiens vero Aben Eſra exponit veſtimentum peregrinum contrarie univerſo populo, via ſuperbia, ne quis homo ſimilibus veſtibus indueretur. Et ſunt qui exponunt veſtimentum, cultum idolorum: ſic Ionathan [illegible], *& omnes qui conveniunt ad colendum idola. Sunt praterea, qui exponunt: homines, qui volunt videri ſeparati & ſancti, induuntque veſtem peregrinam, qua diverſa eſt à veſte aliorum hominum, ut alii queant eos agnoſcere, quod ſint ſeparati, interim via ipſorum ſunt mala.* Rabbinorum mentem paucis propoſuit Munſterus, in Notis Biblicis ad hunc locum, ita ſcribens: *Per veſtitum extraneum quidam intelligunt eos, qui geſtabant veſtes ab aliis ſublatas. Alii exponunt veſtes ad ſuperbiendum factas. Sunt alii, qui intelligunt Phariſaicos homines ſeu hypocritas, qui peculiari veſte ſimulabant ſe coram hominibus juſtos & ſanctos, cum intra eſſent lupi rapaces.* Pręterea, quum hæc conditio ſit hominum in hoc terrarum orbe exulantium, quin vix toto ſeculo elapſo dominum mutent; Deo Opt. Max. qui eſt cæli & terræ dominus, *regna transferente*, Dan. 2. 21. aliter vix fieri poteſt, quin oboriatur quædam peregrini cultus neceſſitas, victore aut præſcribente habitum ſibi vernaculum, aut ipſis victis, ſive ſubactis populis, quo placeant victori, ad hujus amictum ſe componentibus. Adhæc regiones, quæ mercatura florent, atque non minus per ſuos cives longinquas regiones adeunt, quam ab incolis univerſi ferme terrarum orbis frequentantur, ægre ſibi cavere poſſunt, quin peregrini cultus aliquid admittant, iis, qui ex longinquis regionibus redeunt, habitum quem ibi aſſumpſerunt, in patria quoque circumferentibus, quod cogitent eo redire, unde venerunt. Eoque ſi de peregrina veſte pręcedens locus ſit intelligendus, cogitandum, eos, qui hic arguuntur peregrini cultus, ſimul aſſumpſiſſe mores peregrinos. Convenienter Junius & Tremellius ad d. l. *Omnibus delitiis & vanitati ſtudent, palamque oſtendunt invectis exoticis moribus & veſtibus.* Speciatim, veſtes peregrinę hic arguuntur, quod arguerent colluſionem cum idololatris, prout oſtendit comparatio hujus commatis 8. cum verſibus 4. & 5. quibus Propheta antea idololatriam reprehenderat. Conſentit Hieronymus, qui licet allegorice totum hunc locum interpretetur, ratione tamen habita ſenſus literalis, dicit: *Et ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina, hoc eſt, qui pro Dei cultu venerati ſunt idola.* Quę interpretatio in Scriptura quoque fundamentum habere videtur, ſiquidem Ezech. cap. 23. verſ. 15. Iſraëlitæ idolis Babyloniorum facientes, repręſentantur in habitu Babyloniorum & Chaldęorum. Verba

Digitized by Google

ba ex verſione Junii & Tremellii ita habent: *Videns homines expreſſos in pariete, imagines Chaldæorum expreſſas judico, accinctos cingulo lumbis ſuis, redundantes coloriis ad capita ſua, ſpecie ducum omnes: ſecundum ſimilitudinem Babyloniorum, Chaldæorum, ut in ſolo natali ſuo; amaſiam egit cum eis.* Calvinus licet locum hunc intelligat de forma veſtis, quam Propheta culpet ut peregrinam, in Exegeſi tamen oſtendit ſe aliter eam non inſectari, quam quatenus aut ſociam habet mollitiem, aut qui ea utuntur, intendunt placere peregrinis, qui ſunt diverſæ religionis. Operæ pretium fuerit adſcribere integrum locum, *qui ita habet*: Contextus non patitur de aliis intelligere quam de aulicis hominibus, quoniam delitiæ magna ex parte erant in veſtitu. Nam quod dicit Chriſtus, experientia omnium temporum nimis verum eſſe docuit, qui mollibus veſtiuntur in aulis Regum eſſe. Et probabile eſt, aulicos ſtulta affectatione ſubinde mutaſſe veſtes: ſicuti ubi homines ſumtuoſi videri appetunt, excogitant quotidie varios modos perdendę pecuniæ. Etiamſi pluſquam oportet ſplendide veſtiti fuerint, putant tamen fere hoc eſſe ſordidum, geſtare integro menſe eandem veſtem. Et quo magis appareat ipſorum prodigalitas, etiam mutant formas veſtium: hęc affectatio hodie plus ſatis in mundo graſſatur. Sed jam ſeculo Prophetæ, quantum conjicere licet, etiam homines aulici, & qui in populo dominabantur, veſtes ita mutabant, ut magis venditarent ſuas lautitias, & eſſent in admiratione apud ſimplices & miſeros homines. Hæc autem ambitio non eſt ſimplex, ſed ſimul trahit ſecum aliorum contemptum. Exprobrant enim hoc modo pauperibus divites, ſe ſolos eſſe dignos hac varietate & copia. Non ſufficit quod & pro ſuo commodo veſtiti ſint, deinde accedit ad uſum ornatus & ſplendor: ſed libenter alios omnes nudarent & quia pudet hoc eos facere, tamen quantum in ſe eſt, ſupervacua copia jactāt ſe ſolos dignos eſſe ornatu. Non mirū igitur eſt, ſi Dominus tam aſpere illis minetur. Jam quum vitium hoc ſucceſſu temporis minus auctum fuerit, notabilis eſt hic locus Prophetæ. Et quo magis luxuriant homines, & ſeſe profundunt ad iſtam varietatem, quæ teſtis eſt ſuperbiæ ipſorum, diſcamus reſtringere affectus carnis noſtrę, ne ad immodicas lautitias tranſiliant: & qui opibus abundant, contenti ſint tamen mediocritate, pręſertim vero abſtineant ab iſta prępoſtera affectatione, quam haud dubie objurgat Propheta. Poteſt tamen fieri ut tunc Judęi aſciverint novas & inſolitas veſtiū formas ex remotis locis: quemadmodum hodie Turcico habitu ſeſe oblectant Galli, quia illis nimis

 eſt

eſt commercii cum Turca. Sic etiam tum occupaverat animos illius populi perverſa cupiditas, ut vellent Chaldæos demereri, & quodammodo ſibi familiares reddere ſimilitudine ornatus. Et hoc poteſt colligi ex loco Ezechielis, ubi eos comparat vel ſcortis, vel ſtultis amatoribus. Quemadmodum enim ſcorta depingunt ſibi amatores in parietibus, & idem etiam faciunt ſcortatores & adulteri: ſic exprobrat Ezechiel Judæis, quod ita exarſerint perverſo ſtudio ineundi fœderis cum gente Chaldaica, ut in cubiculis haberent depictas imagines. Non dubium eſt, quin etiam veſtitum imitati fuerint, ut oſtenderent ſe in maximis bonis deputare, ſi poſſent eſſe eorum amici & fœderati. *Hæc Calvinus.* At, redeundo ad formam veſtis, illa ſic cujuſque regionis conſuetudini reſpondere debet, ut ſimul exacta ſit ad regulam frugalitatis, modeſtiæ, & vocationis, in qua unuſquiſque à Deo conſtitutus eſt. Nec tamen certo hæc definiri à quoquam poteſt. Conſultum quidem eſt, moribus antiquis vivere, neſcio tamen an prudens haberi debeat, qui voluerit aut veſtitu Patriarchas exprimere, aut pallium ſuum exigere ad Pauli penulam. Convenienter D. Teelingius l. d. pag. 40. *Als een fatſoen ſlechts nieu en ongewoonlijck is, ſoo is het onſichtelijck. Dat yemant van ons ſich nu vroude kleeden gelijck de* Patriarch Abraham, *ofte den* Apoſtel Paulus *ſich magh gekleet hebben, het ſoude onſichtelijck gevonden vverden. De gevvoonte vermach in deſe materie veel, als ſlechts een fatſoen niet en is veeltoyich, noch lichtveerdich, ſo maeckt het de gevvoonte goet.* Conſentit non minus Salmaſius, quam diſtinctius hæc explicat, quando Epiſt. de Coma pag. 641. ita loquitur: *In forma non minus quam in materia veſtium vulgo peccatur. Et nulla ferme eſt qua non argui queat vanitatis & ultra neceſsitatem ſuperflui. Mos eſt, qui excuſationem in talibus poteſt dare. Et cum tyrannus ſit, quod plurimos vel omnes in eundem conſenſum trahat, eo mitius ac moderatius ejus imperium redditur, quod niſi eſſet, longe pejus de iſta re in ſe conſulerent homines, ſi omnes ſuo ſe arbitrio veſtire cogerentur.* Nec interim tamen eidem aſſentior, quando pag. proxima dicit: *Sed cum homines ipſi mutent, & totus cum illis orbis, cum omnia vertantur, quid periculi eſt & vertumnos eſſe nos in veſtibus?* Imo, vir ſumme, periculi plurimum. Deſultoria hæc levitas non ſolum injuria eſt loculis, ſed plurimum quoque temporis in ſe convertit, *quod* alias *nos redimere* vult Apoſtolus, Epheſ. 6. 16. Nec oportet, ut modo quoque ex eodem Apoſtolo notabamus, nos σχηματίζεσθαι huic ſeculo: quod faciunt, quicunque corporis ſui habitum identidem componunt ad modum

dum ſeculi, in horas mutari ſoliti. Sane, quicunque omni tempore ſolliciti ſunt, ut veſtes compoſitas habeant ad pręſentem ſeculi modulum, fere minimum temporis impendere ſolent ornatui interiori, atque raro cogitare, qua ratione ſe *ornare* poſſint *operibus bonis:* quod tamen tam expreſſe pręcipit Apoſtolus, 1. Tim. 2. 10. Quamvis, ſecundum Flaccum lib. 1. ep. 17.

Omnis Ariſtippum decuit color, & ſtatus, & res.

Non æque tamen hoc decorum eſt Chriſti diſcipulo, qui ſe exhibere non debet ſimilem Chamæleonti. Quomodo vero malo huic endemio convenienter occurrere poſſit Magiſtratus, modo expendemus.

Ubi antea egerimus de veſtium numero, cui Chriſtianus quoque VI. ſtudere non debet. Chriſtus Matth. 10. 10. prohibuit quidem diſcipulis ſuis, *comparare duas tunicas:* cæterum duntaxat pro circumſtantia illius temporis, quo illos ablegabat ad annunciandum Euangelium, doceretque, (ut recte obſervatum fuit à Chryſoſtomo) ut abdicata omni cura & ſollicitudine rerum hujus ſeculi, præſertim vero ſuperfluitate & luxu, ſe totos Divinę providentię committerent, munerique ſuo omnibus animi viribus intenderent. Alias, ipſum Chriſtum plures veſtes, quam unicam tunicam habuiſſe, patet ex Joan. 19. 23. Paulum quoque præter veſtes, quibus in peregrinationibus indutus erat, amplius φελόνην, ſive penulam, poſſediſſe, ipſe innuit 2. Tim. 4. 13. Atque ordinario Judæos tunicæ ſuperinduiſſe pallium, colligere licet ex concione Chriſti, Matth. 5. 40. Ne dicam, Aaroni veſtium ſyntheſin à Deo ipſo aptatam fuiſſe. Præterea, non eſt ſimpliciter illicitum, pręter veſtes quotidianas, alias habere, in arca reconditas, quę per certam occaſionem ſolummodo induantur. Veſtes nuptiales memorantur, Matth. 22. 11. lugubres, 2. Sam. 14. 11. viduitatis, Gen. 38. 14. 15. militares, Jeſ. 59. 17. atque Simpſon, dubio procul ſecundum conſuetudinem in Iſraële receptam, triginta mutandas veſtes ei promiſit, qui ænigma à ſe propoſitum ſolviſſet, Jud. 14. 13. Ergo interdicitur duntaxat ille ſuperfluus veſtium numerus, qui cum ſolam animi mollitiem moreſque corruptiſſimos arguat, neque corpori muniendo ſervit, neque rei licitæ, atque in ſocietate politica diſtinguendæ, leviſſimum indicium facit. Hunc luxum per Prophetam Jeſaiam cap. 3. olim ſerio ipſe Deus arguit: quem locum cum pathetice admodum veſtium luxui moderno applicuerit D. Teelingius d. t. pag. 36. non pigebit exhibere verba illius, quę ita habent: *De ommebanghſelen onſer klee-*

kleederen, als daer ſijn Gordelen, Schoeriemen, Kouſſebanden, &c. die moeten niet t' over-tolligh ſijn, die en behoorden ja niet meer te vveeſen, dan de noot vereyſcht. Iohannes hadde ſijn kleed, ende ſijn gordel, om dat op te ſchorten, ende dat vvaſt al: Soo deſgelijcx den Vorſt Eliakim, Eſa. 22. 21. &c. Hier tegen ſondigen de gene vvelcke daer ſo veel flickflackerijen om het lijf hangen: ſy hebben Fardegalen, Porte-fraſen, Goude Naelden, Geſteenten, Peerlen, haere gulden Braſeletten, hare Poignetten, Onderkragen, lange Lobben, Kanten, hare Sleuyers, Flitteren, Muſſchelſaet knoppen, Brey-naet, Naelden-vverck, Paſſementen, Boorden, Koorden, Borduyrſelen, ende ick en vveet niet vvat ydelheden meer, ſo dat ſy daer gaen, als met een heele Kraem op haer lijf, ende ſijn ſo toegemaeckt, dat alſmen vvilde d'ydelheyd ſelve ſchilderen, men geen ander patroon ſoude hebben te ſoecken. Hier tegen vaert de Heere ſeer heſtelijck uyt Eſai. 3. ende vvil dat niet overſien, noch verſchonen, ſelve niet in de hooſche Iof-vrouvven, ende eedelſte dochteren Zions; vvelcke het Paleys des Conincx vvas, 2. Sam. 5. 7. 8. 9. Quamquam vero ex his veſtium appendiculis, quæ à Propheta commemorantur, quædam videri poſſent uſum habuiſſe, atque hoc hodie prętexatur vulgo ab hominibus hujus ſeculi; eo ipſo tamen reprehendi merentur, quod corpori aptentur, ideo, ut ei gratiam queant conciliare, aliorumque oculos in ſe convertere. Egregie Hieronymus Epiſt. de vetando Contubernio: *Caliga* (inquit) *ambulantis nigella ac nitens ſtridore ad ſe juvenes vocat; papillæ faſciolis comprimuntur; & criſpanti angulo anguſtius pectus arctatur; capilli vel in aures defluunt; palliolum interdum cadit, ut candidos nudet humeros; & quaſi videri noluerit, celare feſtinat, quod volens detexerat. Et quando in publico, quaſi per verecundiam operit faciem, lupanarium arte id ſolum oſtendit, quod aperte oſtenſum magis placere poteſt.* Nec minus eleganter quam vere Cyprianus de Diſcipl. & habitu virginum: *Ornamentorum ac veſtium inſignia & lenocinia formarum non niſi proſtitutis & impudicis fœminis congruunt; & nullarum fere pretioſior cultus eſt, quam quarum pudor vilis eſt. In Apocalypſi cap. 17. deſcribitur meretrix illa perdita, cum qua fornicati ſunt reges terra, amicta pallio purpureo & coccino, adornata auro & lapidibus pretioſis* (hæc alias, ut ſupra notavimus, non ſunt ſimpliciter arguenda, recte tamen notantur in Babylonica meretrice, quod, hoc habitu laboraret ineſcare incolas terrę) *tenens poculum aureum in manu ſua.*

VII Interea tamen à ſupremis poteſtatibus huic in amictu luxui, velut endemio alicui morbo, occurrendum foret: maxime hoc agere debe-

rent

rent moderatores Belgii fœderati. Pro dolor! ad ſummum inſolentia hęc inter nos acceſſit, atque præterquam quod Deum jam diu, ut ut longanimem, ad iram provocavit, amplius gravis eſt reipublicę & familiis. Dum enim ancillæ ipſæ, curti ſui cenſus ignaræ, filias-familias æmulari ſtudent, atque hę patrimonium inſtar Biantis ſecum portant, parentes comedunt, obſtrictis eorum nominibus non modo mercatoribus pannariis, verum ſartoribus quoque & comptricibus, à quibus quotidie ſecundum omnigenos modulos deformantur, cum ſe ornari quam cultiſſime exiſtimant. At, ſi hac ratione privatum parvum reddatur, quomodo commune magnum eſſe poterit? Remedio opus eſſe, omnes judicant: quale vero eſſe debeat, prudentiſſimi quoque ambigunt. De legibus veſtiariis multa à multis dicta ſunt; ſed, quum nulla lex unquam tam circumſpecta ſit, ut non in illius fraudem plurima facta fuerint, haut video, quomodo ſufficiens remedium à legibus ejuſmodi ſperare liceat. Et tamen remedio & quidem tempeſtivo opus eſt, quod quicunque reipubl. huic liberæ præjudicioſum eſſe cenſent, nę de libertate judicant peſſime; ſiquidem licentia, libertatem utplurimum mentiens, neque confligere debet cum Dei legibus, neque ulla ratione gravis eſſe ſaluti qua publicę, qua privatæ. Quinque quę hic ſuadeam, duntaxat occurrunt. Quæ licet forte ludibrio quibuſdam ſint futura, tamen proponam. Initio offerunt ſe illi, qui in illuſtri faſtigio poſiti ſunt, quorum vita ut debet cenſura eſſe; ita eorundem exemplum ad formandos ſubditorum mores maximum momentum adfert. Si ergo hi præſumpſerint, in cultu corporis quam moroſe attendere ad frugalitatem, modeſtiam, gravitatem, & conſtantiam; atque ad eaſdem regulas ſtrictiſſime exegerint univerſam ſuã familiam, ſubditi, qui perpetuo magiſtratus in oculis habent, erubeſcent provocare illos, quibus, ad conciliandam authoritatem, ipſe Deus conſpectiorem cultum aſſignavit. At, quid quotidie in hiſce provinciis (deplorandum hoc cum maxime) fieri videmus? Ubi primum dignitas aliqua, ſæpe aut per ambitum, aut fato Metelli, viro alias mediocri aut novo, contigerit, univerſæ familię facies mutatur. Uxor, liberi, non modo affectant habitum nobilium, verum etiam generoſorum, & Illuſtrium; atque, quicquid otioſorum hominum petulantia quotidie pro innovanda forma veſtium linearum, lanearum, & ſericarum excogitat, ſecure imitantur, *modos*, quos crepant aſſiduo, non ad patrimonii modulum, (hic ſæpe vix modicus) ſed ad pręſumptæ vanitatis (conceptę

circa paternam dignitatem) regulas exigendo: Paterfamilias (qui, ſi hiſce ineptiis ſe non oblectet, ad illas ſaltem connivet) dum videt ſe parem non eſſe ſumptibus, qui ſuis in ædibus fiunt, ſubſidium quærit à ſuo munere; at neque hujus modica emolumenta alendæ tantæ vanitati ſufficiunt: Ergo quæſtui haberi reſp. incipit; munera contra juramentum, quod præſtitum, accipiuntur; peculatu maculantur manus & conſcientia; factiones in repub. aluntur; novorum negotiorum delegationes excogitantur; in ſumma ea fiunt, quæ arguere ſolent remp. corruptiſſimam. Utinam vero horum omnium malorum fomes quam primum tolleretur, atque de eo tollendo, ſerio cogitarent illi, qui non minus diſciplinam domus ſuæ, quam reip. ſalutem ſartam tectam præſtare debent. Secundo loco cogitare hi ipſi Patriæ Patres deberent, harum regionum ſalutem magnam partem conſiſtere in artibus mechanicis, maxime operibus illis, quæ texturæ ſubſidio conficiuntur, quæ uti jam olim per univerſum terrarum orbem ſolita ſunt diſtribui, ita hiſce regionibus ſingularem exiſtimationem procurarunt. Sed, ex quo luxus circa veſtitum prędominari cœpit, artifices operum lineorum, laneorum, & ſericorum pariter ſervire inſtituerunt hominum corrupto judicio, atque merces ſuas ita adulterare, ut non modo panni in his regionibus confecti, alibi, velut modis multis corrupti, peſſime audiant, verum etiam infimi ordinis homines in holoſerico ſe oſtentent, quod, per mangonium multiplex, illud haut multo majori pretio comparari queat, atque vulgaris pannus. Eoque, opera per magiſtratum danda eſſet, ut operum textilium conſtituerentur accurati cenſores, qui quam diligenter curarent, ut, tum ratione formæ, tum materiæ, è textrina, non niſi probe exaſciata hæc ipſa prodirent; quo grandiori eorundem pretio inferioris ſortis homines tam deterrerentur, quam exteri invitarentur, ad hæc ipſa opera expetenda, non quidem in uſus vulgi, ſed illorum, quibus initio deſtinari ſolent. Quum vero reip. per tributa, quibus nulla ratione hæc ipſa carere poteſt, ſit ſuccurrendum; ut non opprimantur tamen tenuiores, ſed, quantum fieri poſſit, ſubleventur; *tertio* res pretioſiores, quibus, ad luxum veſtiarium, homines vulgo abuti ſolent, majoribus oneribus gravandæ forent, quo tum multi deterreantur ab iis comparandis, tum etiam ærario conſulatur: cumque nulla tributa magis, quam hęc ipſa, quæ pro pannis ſolvuntur, interverti in Belgio ſoleant, deliberandum ſerio foret de mediis, per quæ omnes fraudes, multiplices ſane, præcaveri

poſſint,

Digitized by Google

poſſint. Ne quoque circa gemmas & margaritas, ſuas fortunas (ut hodie in his provinciis fieri videmus) ipſi ex plebe homines dilapident, tributi nomine, ab emptoribus tertia pretii pars, venditoribus ſoluti, amplius ærario pendi deberet, conſtitutis exploratoribus, qui non minus ad contractus gemmarios attendant, quam ad eos, qui in ſuos uſus monilia comparare inſtituerint. Quod vero experientia doceat, propterea quamplurimos luxurioſius ſeſe amicire, quod merces laneas, lineas, & ſericas ab inſtitoribus die cæca emere poſſint; *Quarto* ratione pannorum & ornamentorum pretioſorum, quæ non oportet vulgaria eſſe, ſtatui deberet, non audiendos eſſe inſtitores mercatoreſque, ſi in diem has ſuas merces vendiderint illis, qui in proprios uſus eaſdem convertere voluerint; relicta mercatoribus credendi licentia, duntaxat circa magnariam venditionem, factam propolis, atque illa, quę neceſſariis ſolummodo uſibus deſtinata ſunt. Petulantia vero hominum in mutanda forma veſtitus, quę, ratione pileorum & calceorum quoque, admodum deſultoria & ferme intolerabilis eſt, *Quinto* in ordinem redigi & frænari poterit, ſi modo probe ordinatę fuerint opificum tribus, ſpeciatim ſartorum, ſutorum, pileonum, phrygionum, & nodulariorum, conveniatque inter Curatores earundem, (qui & in protectione Magiſtratuum eſſe debent) de tolerandis nullis, niſi qui ſancte promiſerint, ſe religioſe leges tribuum, in quas adoptati fuerint, obſervaturos eſſe. Inter has vero leges ſit hæc prima, circa formam veſtitus nihil mutandum eſſe, niſi ſuffragio contribulium: in mutationem vero haut facile veterani conſentient, quod, alias per omnem ætatem, diſcipuli eſſe debeant, quotidie ex Gallia redeuntibus novis opificibus, ſuę ſimplicitati ad mores antiquos compoſitę, confundendę ſtudentibus. Idem obſervari deberet circa ſartrices, linteam ſupellectilem tractantes, atque comptrices alias, quę per ingenium ſuum, circa novarum formarum excogitationem perpetuo occupatum, quæſtui non modo habent fœmineam petulantiam, verum exenterant quoque loculos patrumfamilias, quod hi, ut domi omnia tranquilla ſint, cogantur ut plurimum muliebri impotentiæ obſequi.

Utinam vero quanto ocyus ſupremæ in Belgio poteſtates hic evigilarent! Venimus ad ſummum. Et petulantia infimæ quoque plebis, circa veſtium deſultoriam atque ſumptuoſam levitatem, ipſi reip. gravis eſt. Nam 1. quum interſit reipub. ſubditos locupletes habere, per hunc luxum, dum alter alteri non vult cedere, non modo mediæ VIII

Ccc 2 condi-

conditionis familiæ, ſed ſplendidiores quoque, ad incitas rediguntur. 2. Ex ſequiori ſexu, ut corpore quæſtum faciant, multis hęc ipſa petulantia ſuadet. Dum enim deſperant de ſplendidiori cultu, per bonas artes conſequendo, ſcortatorum libidini ſemet velut victimas offerunt, quò in publico cum ſuis veſtibus ſe oſtentare queant. 3. Ancillæ, quomodo heris ſuis quid intervertere poſſint, noctes atque dies meditantur; quod ex annua mercede eum corporis ornatum conſequi non poſſiut, quem æqualibus invident. 4. Non modo cives mediocres verſuram facere coguntur, ſed & primariis familiis oriundi nobiles, dum nomina faciunt apud mercatores pannarios, ſartores, ſutores, comptores, comptrices, &c. Quando vero contingit, illos fortunis ſuis excuti, non modo multi boni viri ſolutione ſua deſtituuntur; verum, qui per luxum veſtiarium ad pauperiem redacti ſunt, ſæpe notantur graves eſſe diaconis, aliiſque pauperum curatoribus. 5. Per hunc luxum ordines in repub. confunduntur, quos tamen diſtinctos eſſe convenit. Dum enim alter alteri circa cultum non vult cedere, ſuperiores ab inferioribus, nobiles ab ignobilibus diſtingui non poſſunt, quos tamen diſcretos eſſe oportet. 6. Sed, quod dolendum maxime, quum ab utroque ſexu, ab omnis ordinis hominibus, ab omni ætate, in hoc fœderato Belgio adeo impenſe cultui ſtudetur, virtuti, &, quod caput, pietati non litatur. Evigilent ergo tandem ſupremi reip. moderatores. Et, quod hactenus putarunt non coërceri poſſe malum, adverſus illud in præcedentibus expedita remedia propoſita eſſe deprehendent.

IX Quæcunque autem hactenus diſſerui de veſtimentis, & ratione compeſcendi eorum luxum, ſubjecta ſint judicio eorum, qui ſenſus non minus habent exercitatos ad diſcretionem boni & mali, quam inter judicandum affectibus ſuis moderari poſſunt. Atque, ne quem forte male habeat, quod legem Deut. 22. cęremonialem eſſe velim, rogo eum, antequam me damnare inſtituat, rationes, quas adduco, expendat: quas ſi quis diſtinctius conſideraverit, videbit, quam convenienter legem illam adduxerint Philo Judæus *lib. de fortit.* Joſephus lib. 4. Antiq. cap. ult. & Cyprianus Ep. 37. Nec eum offendet magnopere Canon. 13. Synodi Gangrenſis, in quem ſupra quoque digitum intendebamus, ita enim Latine habet: *Si qua mulier, propter eam, quæ exiſtimatur pietatis exercitationem, veſtem mutet, & pro ſolita veſte muliebri, virilem ſumat, Anathema ſit.* Quanquam neque hic Canon ſimpliciter arguit mulierem, virilem habitum induentem, ſed ſi hoc faciat διὰ

νομι-

νομιζομένην ἄσκησιν, ut Grçca verba habent. Certe, ſi hæc lex debeat cenſeri moralis, atque ſecundum literam intelligi, omnes marium & mulierum veſtes, ſi non materia & forma ſimul, ſaltem hac ſola differre debebunt: quod tamen nunquam in ulla gente uſitatum fuit, ne quidem apud ipſos Romanos. Nonius Marcellus, de genere veſtimentorum agens: *Togis*, inquit, *non ſolum viri, ſed etiam fœmina utebantur.* Ulpianus leg. 23. ff. de auro & arg. leg. *Veſtimenta* (inquit) *omnia aut virilia, aut muliebria, aut communia, aut familiaria. Communia ſunt, quibus promiſcue utitur mulier cum viro: veluti, ſi ejuſmodi penula palliumve eſt, & reliqua ejuſmodi, quibus ſine reprehenſione, vel vir vel uxor utatur.* Nec aliter receptum fuit in Græcia. Suidas in dictione Theramenes, *cothurnum*, ait, *tam viris quam fœminis communem fuiſſe.* & Julius Pollux lib. 7. Onom cap. 13 commemorat veſtimenta, quibus mulier cum viro promiſcue utebatur. Atque ſi percurrerimus omnes gentes, idem cognoſcemus. Ergo hactenus maneo in mea ſententia, legem dictam habendam eſſe cæremonialem. Sed ſatis de veſtibus.

EXERCITATIO XXVI.

DE
Denudatione colli, partiumque vicinarum.

1. *STatus controverſiæ definitur.*
2. *Pleraſque gentes, varias corporis partes non texiſſe, oſtenditur.*
3. *Omnia corporis membra non ſunt æque probroſa, ut tegi debeant.*
4. *Tertullianus praivit Doctoribus Praciſiſtis.*
5. *Reſpondetur ad locum 1. Cor. 11.*
6. *Attendi hic debet loci conſuetudo.*
7. *Occurritur ſpeciatim iis, quæ contra uberum denudationem, ex more gentis alicubi receptam, attulit Reyneſſius.*

SUpereſt, ut hac Exercitatione agam de denudatione colli, I. vicinarumque partium, frequentari à ſexu fœmineo alicubi ſolita. D. Voetius part. 3. Diſp. Quintæ de Excelſ. Mundi, Th. ult. eam naturæ adverſari exiſtimat, quod hæc doceat, talem *impudentiam*, *laſciviam*, *& lenocinia non decere pudorem*, *modeſtiam*, *& gravitatem fœminei ſexus*; eoque arguit ſerio Alſtedium, Theologum alias Orthodoxum, quod aſ-

ſentiendo Azorio in Theologia Caſuum, hæc habeat: *Fœminæ poſſunt geſtare nuda pectora, aut uti veſte adeo tenui, & pellucida, ut pectora ſint perſpicua: ſi hoc ſit more receptum in aliqua provincia.* Sed, ut fatear, quod res eſt, non video equidem cur ſcuticam promeritus ſit Alſtedius. Ne vero aliquis anſam calumniandi inveniat; hactenus aſſentior D. Voetio, cenſuram, eamque gravem mereri illas, quæ aliud ſuadentibus conſuetudine & Genio regionis, cælique facie, circa hanc ordinario occurrente, partes collo propinquiores non modo denudant, verum etiam omnigenis lenociniis colorant & adulterant, fautoreſque mundi, filiæ primogenitæ diaboli, cenſeri debere, qui hoc in filiabus ſuis, vivētibus in his regionibus, tolerare poſſunt. Eoque probo, quæ Reyneſſius conſcribillavit. pag. 199. & ſeqq. pro exaggeranda hac petulantia fœminarum, alium in finem mamillas nudatas non oſtentantium, quam ut ſint incentiva libidinis. Interea tamen ratione omnium locorum, idem non eſt cenſendum, nec exiſtimandum, adverſari naturæ omnium populorum, quod non convenit aliquibus gentibus propter ſuum ſolum & cælum; aut adverſari naturæ hominum in communi conſideratorum, quod indecorum eſt ſexui fœmineo, ſpeciatim virginibus. Prout hactenus recte ſtatuere videtur Alſtedius. Nautę noſtrates toto ferme pectore nudato incedunt, à primis annis ad hoc aſſuefacti; quibus nemo tamen propterea cenſuram deſtinaverit, quod villoſa eorum pectora libidinis incentiva cenſeri haut mereantur. Hoc non carere crimine, putat Reyneſſius, pag. 200. ſed quomodo probabit? Nec tamen, ut συκοφαντῶ Reyneſſius, à nautis (an aliter illi pectus detegant, quam laſcivæ quędam apud nos fœminę, cum Reyneſſio tam accurate non attendi) argumentor ad fœminas idem facientes, præter conſuetudinem loci. Quum oſtendere ſolum velim, recte Alſtedium monuiſſe, loci habendam eſſe rationem.

II. Præterea de Fœminis caſcorū Germanorū ita Tacitus cap. 17. libel. de Morib. Germ. *Fœminæ* (inquit) *partē veſtitus ſuperioris in manicas non extendunt, nudæ brachia ac lacertos, ſed & proxima pars pectoris patet.* Lacedæmone, ubi legiſlator agnoſcitur ſapientiſſimus ille Lycurgus, in pompis & ludis, tum pueri, tum virgines nudæ exhibebantur, atque mulieribus omnibus veſtes citra genua finiebantur; quare & Julius Pollux illis tribuit σχιστὰς χιτῶνας. Atque, ne quis putet Lycurgum, velut bonum quem Homerum, quum ita ſciſceret, dormitaſſe, audiat Plutarchum, in vita illius, ita per interpretem loquentem: *Detectioni virgi-*

Digitized by Google

virginum nihil inerat obſcœni, cum qua conjuncta verecundia erat, aberat libido: ſed ſimplicem aſſuetudinem & ſtudium boni habitus conciliabat, guſtumque fœmina præbebat Spirituum non inertium, quod ſocietate nec ipſa virtutis & gloriæ excluderentur. Imo, ipſe Plato, ſapientiſſimus alias legiſlator lib. 2. de LL. convenientiam ætatis ad matrimonia, definiri vult per judicem, nudos omnino mares, nudataſque uſque ad pubem fœminas inſpicientem. Hæc facti eſſe clamat Reyneſſius p. 201. cæterum adverſari juri. Sed probatum hoc oportuit: quam ficulneæ enim ſint rationes, quas in contrarium Reyneſſius adfert, poſtea ex earum examine liquere poterit. Interim, quod Plato ſanxit, aliquando apud ipſos quoque Romanos, rigidos alias honeſti antiſtites, receptum fuiſſe, ignorare nos non ſinit ipſe Juſtinianus Imp. *in Inſtitut.* §. 1. *Quib. modis tutela finitur.* Miror vero, Icc. quoque eminentiſſimos, fidem ſui Triboniani hic ſuſpectare, quum multa fuerint apud Romanos recepta, quorum liquida memoria apud Scriptores non ſupereſt. Triboniano vindicando ſufficit vel unus Quintilianus, qui Declam. 279. exhibens judicem, cognoſcentem de pauperis filio, quo ſcelerate dives aliquis abuſus fuerat, hæc inter alia habet: *Poſtea nudari filium, atque in conſpectu judicum conſtitui coëgiſſet.* Dilutum vero eſt dicere, hoc à Rhetore eſſe confictum. Quaſi vero, circumſpectiſſimus Fabius potius non reſpexerit antiquam conſuetudinem. Præterea, quis putet frontem uſque adeo periiſſe Juſtiniano, & Triboniano, (eam licet alias poſuiſſe videantur, prout alibi oſtendimus) ut auſi fuerint bis meminiſſe hujus antiqui ritus, (ſi credimus viris doctis) per ſomnium Tribonianæum è Platonis republ. traducti, atque Romanis affictì? Ego certe, qui neque Juriſconſultus ſum, neque Juriſconſulti filius, in animum meum inducere nulla ratione unquam potero, ut hoc credam: maxime cum ipſe Imp. *l. ult. Cod. quando tut. vel cur. eſſe deſ.* glorietur, quod reſecuerit *indecoram obſervationem in examinanda majorum pubertate, & indagationem corporis inhoneſtam.* Nec refert, inhoneſtam ab Imperatore (cui nos libenter accedimus) cenſeri talem corporis denudationem. Olim ſecus videbatur Romanis, allium adhuc olentibus, & rigidioribus moribus præditis. Sed his miſſis, tota ferme Africa, & America, major Aſiæ quoque pars, adhuc hodie ſic amicitur, ut utriusque ſexus ratione, totum ferme pectus & collum nuda promineant.

Verum quidem eſt, à lapſu probroſam in homine eſſe nuditatem, at non pariter omnium membrorum ratione. Membra, in quibus ſe- III.

dem

Digitized by Google

vel libidine commoventur. At hic ipſe Auguſtinus, qui pudori & continentię contra Julianum conſtanter patrocinatus eſt, neutiquam tamen pudorem offendit aut in collo, aut in pectore.

Tertullianus Montani deliriis effaſcinatus, ut pręivit, quemadmodum alibi doceo, Præciſiſtis noſtris, ita non modo fœminas, ſed, & virgines videri poteſt velari voluiſſe, non modo colli & pectoris ratione, verum toto capite, *in lib. de velandis virginibus*: in quo licet ſollicitet Scripturam, naturam, & jus Gentium, more tamen hominum noſtrorum toto cælo errat. Miror interea, cur hi ipſi non audiant Doctorem ſuum. Certe hac pathetica oratione, elegantiam Africanam ſpirante, *obſignat illum libellum*: Oro te ſive mater, ſive ſoror, ſive filia, virgo, ſecundum annorum nomina dixerim, vela caput. Si mater, propter filios: ſi ſoror, propter fratres: ſi filia, propter patres: omnes in te ætates periclitantur. Indue armaturam pudoris, circumda vallum verecundiæ, murum ſexui tuo ſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos. Adimple habitum mulieris. Ut ſtatum virginis ſerves, mentire aliquid ex his quę intus ſunt, ut ſoli Deo exhibeas veritatem, quamquam non mentiris nuptam. Nupſiſti enim Chriſto: illi tradidiſti carnem tuam, illi ſponſaſti maturitatem tuam. Incede ſecundum Sponſi tui voluntatem. Chriſtus eſt, qui & alienas ſponſas & maritas velari jubet, utique multo magis ſuas. Sed & vos admonemus alterius pudicitiæ mulieres, quę in nuptias incidiſtis, ne ſic à diſciplina velaminis exoleſcatis, ne quidem in momento horæ, ut quia rejicere illam non poteſtis, alio modo deſtruatis, neque tectæ, neque nudę incedentes. Mitris enim & lanis quædam non velant caput, ſed contegunt, à fronte quidem protectæ, qua proprie autem caput eſt, nudæ. Alię modice linteolis, credo ne caput premant, nec ad aures uſq; demiſſis cerebro tenus operiuntur. Miſereor, ſi tam infirmo auditu ſunt, ut per tegmen audire non poſſint. Sciant quia totum caput mulier eſt. Limites & fines ejus eouſque porriguntur, unde incipit veſtis. Quantum reſoluti crines occupare poſſunt, tanta eſt velaminis regio, ut cervices quoque ambiantur. Ipſæ enim ſunt, quas ſubjectas eſſe oportet, propter quas poteſtas ſupra caput haberi debet, velamen jugum illarum eſt. Judicabunt vos Arabię fœminæ ethnicæ, quę non caput, ſed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo liberato, contentæ ſint dimidiam frui lucem, quam totam faciem proſtituere. Mavult fœmina videre, quam videri. *Hæc Tertullianus.* Sed bonum Tertullianum deceperunt ma- IV.

Ddd tronæ

tronæ Carthaginenſes, quæ quum olim caput velare ſolitę eſſent, exiſtimavit, virgines earundem ad antiquum morem ſtricte revocandas eſſe.

V. Simul abuſus multoties eſt teſtimonio Apoſtoli 1. Cor. 11. qui mulieres Corinthiacas in ſacris voluit eſſe velatas, non quod abſolute hoc foret neceſſarium, ſed, quod ex ratione gentis, à ſexu ſequiori, illo ritu ordinario maxima prodi ſoleret reverentia, & ſubjectio; ob quam cauſam quoque voluit viros aperto capite orare. Nam, ut recte obſervavit Doctiſſimus Capellus in Spicilegio ad hunc locum Apoſtoli, Canon de habitu precantium eo tendit, quod ſit *precandum eo habitu, quo ſolent homines reverentiam ſuam & cultum teſtari erga magnates & principes hujus ſeculi. Qui variat pro locorum & temporum varietate.* Nec diſplicent ea, quæ deinceps habet de Velamine mulierum. *Verba viri docti hæc ſunt*: Sane ut operæ pretium forte eſſet civilem illum & antiquum velandi fœminas, quum in publicum prodeunt, morem etiamnum hodie inter nos obtinere, uti in longe maxima orbis terrarum parte adhuc obtinet: ita optandum etiam forte foret praxin τοῦ ῥητοῦ hujus Apoſtolici Canonis, quatenus fœminas ſpectat, etiamnum hodie in Eccleſia Chriſtiana ubique obtinere. Sed quandoquidem vetus ille mos civilis, velandi fœminas quum prodeunt in publicum, jam pridem inter Chriſtianos Europæos occidentales exolevit, contrariuſque mos vulgo inolevit, ita, ut jam facies fœminarum non modeſtiæ & verecundiæ gratia, vel neceſſitatis cauſa, ob nimiam cæli inclementiam, veletur, (imo vero hodie velamen illud luxus & delicatæ mollitiei manifeſtum eſt argumentum) propterea non videtur jam τὸ ῥητὸν hujus Canonis importune atque intempeſtive urgendum, ſed videndum potius, quid in civili conſuetudine obtineat, indeque quid deceat, vel minus deceat in Eccleſia, hac in parte, judicandum eſt. Et quando (uti dictum) velare faciem hodie multis in locis luxus & mollitiei potius, quam modeſtiæ & verecundię eſt argumentum, illæ iis in locis potius damnandæ & coarguendę ſunt, quæ in ſacris concionibus faciem velant, quam quę audiunt aperto vultu, utpote quę velamine illo apertam prodant mollitiem & luxum, non verecundum pudorem. *Hactenus Capellus.* Nec velamentum, ab Apoſtolo Corinthiis fœminis commendatum, quod apud eas receptum eſſet, à natura ſuadetur, cum Apoſtolus v. 14. *naturam*, ſeu φύσιν (quocunque tandem modo vocabulum illud eo loco debeat accipi) adducat pro coma, velamentum ratione Corin-

thiarum

thiarum verſ. 13. urgendo ſolummodo ut πρέπον. Nam revera πρέπον erat, ut Corinthiæ matronæ Deum velato capite honorarent, quum tali habitu pro more gentis ſummam reverentiam & ſubjectionem teſtari ſint ſolitæ. Apud ipſos Romanos, ſummo aliquando probro fuit, ſi fœmina totum caput velaſſet. Teſtis Plutarchus in Quæſtion. Rom. ita per interpretem loquens: *Mulieribus, omnino non licebat, caput obnubere.* (ἐπικαλύπτεσθαι τὴν κεφαλὴν) *Etenim narrant hiſtoriæ, primum omnium Sp. Carbilium uxori nuncium remiſiſſe ob ſterilitatem, ſecundum Sulpitium Gallum, quod ſuam vidiſſet veſte attracta caput tegere.* Diſſentit Valerius Maximus lib. 6. cap. 3. *Horridum*, inquit, *C. quoque Sulpitii Galli maritale ſupercilium: nam uxorem dimiſit, quod eam capite aperto foris verſatam cognoverat; abſciſſa ſententia, ſed tamen aliqua ratione munita. Lex enim, inquit, tibi meos tantum præfinit oculos, quibus formam tuam approbes.* At ego Plutarcho, in his longe accuratiori, malo credere. Errata Valerii Hiſtorica ſine numero, jam olim notavit Sebaſtianus Corradus vir doctiſſimus. Nam ordinario matronas Romanas caput non velaſſe, hinc claret, quod hoc ab iis tum demum fieret, quando ſacris operaturæ eſſent. Hinc Varro lib. 4. de LL. *Ricam*, ait, *à ritu dictam, quod Romano ritu ſacrificium fœmina cum faciunt, capita velant.* Ad hoc virgines, tum Romæ, tum Carthagine capite prodiiſſe retecto, ignorare nos non ſinit Tertullianus, quando l. d. ſic de matronis loquitur: *Sed virgines volunt ſola capitis nuditate.* & Maro lib. 2. Æneid.

---- Circum pueri, innuptæque puellæ,
Sacra canunt.

Innuptæ, hoc eſt, non velatæ: nam nubentes, ut notiſſimum, flammeum ſumebant, quod totum caput, imo ipſam frontem quoque, velabat. Iſidor. lib. 9. Etymol. cap. 8. *quod tegeretur caput, nuptiæ dictæ.* Juvenal. Scholiaſtes ad Satyr. 6. *flammeæ, genus amictus, quo ſe cooperiunt mulieres die nuptiarum: eſt enim ſanguineum, propter ruborem cuſtodiendum.* Eo per omnem ætatem utebatur Flaminica, à qua & ipſum flammeum nomen habet. Hinc Verrius Flaccus apud Plin. lib. 21. Nat. Hiſt. cap. 8. *Flammeum nuptæ amiculum vocabant, non quidem à flammæ colore, ſed quia flaminica, cui divortium facere non licebat, eo perpetuo utebatur.* Poſt nuptias, ut vel ſolæ ſtatuæ evincunt, matronę apud Romanos aut vitta crines conſtringebant: unde Tibullus lib. 1. Eleg. 6.

Sit modo caſta doce, quamvis non vitta ligatos
Impediat crines, nec ſtola longa pedes.

Ddd 2 aut

aut utebantur caliptra, vertici tegendo ſerviente. Paulus Feſti abbreviator: ***Caliptra genus veſtimenti, quo caput operiebant.*** Atque tum cenſebantur proprie eſſe velatę: aut, ut Græci loquuntur, *κεκαλυμμέναι*. Eodem videtur reſpicere Plutarchus loco dicto ſic loquens: *συνηθέστερον δὲ καὶ μὲν γυναιξὶν, ἐγκεκαλυμμέναις, τοῖς δὲ ἀνδράσιν, ἀκαλύπτοις εἰς τὸ δημόσιον προϊέναι.* ***Solent fere mulieres tectis, mares nudis capitibus in publicum progredi.*** Qui locus ne confligat cum præcedentibus Plutarchi verbis, ſic eſt intelligendus, quod verticem, ſeu crines, velare conſueverint matronæ Romanæ quoque, non vero frontem, quam Sulpicius apertam eſſe volebat. Redeundo vero ad Pauli locum, recte obſervatum fuit à Dn. Salmaſio in Epiſt. de Coma pag. 687. Apoſtolum non voluiſſe, ut fœminæ Corinthiorum omni tempore velatæ forent, ſed duntaxat cum ſacris intereſſent: quod neque Tertullianus in dicto libello contendit, ut perperam nonnulli eidem affingunt. Siquidem ut recte quoque monuit ὁ πάνυ Salmaſius, quum apud Carthaginenſes maritatæ fœminæ in ſacris caput velarent, voluit Tertullianus, hoc quoque ab omnibus virginibus fieri: cum hoc aliquæ duntaxat facerent, quas vocat ***virgines Dei***, oppoſitas ***virginibus hominum***; quæ licet in vicis propter Ethnicos velarentur, in ipſo tamen cœtu Chriſtianorum nudato ſtabant capite. Prout jam olim in argumento illius libelli recte obſervavit Beatus Rhenanus, & cuivis attentius libellum illum legenti patebit: eoque verba ex Afro Scriptore ſuperius adducta, ut jure oppoſita illis, quibuſcum nobis circa pectus fœmineum eſt negotium, ita revera tamen ex Tertulliano ipſo, habita ratione inſtituti ipſius limitari debent. Nec Dn. Heinſius ad præſentem Apoſtoli locum auſpicato ſatis adducit Dionem Chryſoſtomum ex Tarſenſi Priori, quaſi, Apoſtolus propterea voluerit Corinthias velatas in publicum prodire, quo ſimiles redderentur ſuis Tarſenſibus, quę uſque adeo velatæ incedebant, ut ne facies quidem aſpicientibus pateret. Nam, ut circa Tarſenſes, hoc, velut ſingulare, notat Dion, ita indicio eſt, reliquas in Græcia matronas in publico velari non conſueviſſe: ut recte obſervatum eſt à Salmaſio ibid. pag. 684. Quo loco ut anubus ſolum mitram vindicat, ita, ex Servio addo, eam amplius geſtari conſueviſſe, à fœminis famę non nimium bonæ. Verba doctiſſimi Grammatici ad verſ. 216. lib. 4. Æneid. hæc ſunt: Mitra. ***Hoc eſt incurvo pileo: de quo pendebat etiam baccharum tegimen.*** (forte ***buccarum tegimen***) ***Sane quibus effæminatio crimini dabatur, etiam mitra eis adſcribe-***

ſcribebatur: multa enim lectio mitras proprie meretricum eſſe docet. Unde & Juven. ſat. 3.

Picta lupa barbara mitra.

Mitram vero ſuperiorem capitis partem, neutiquam vero frontem quoque velaſſe, clare ex Tertulliani verbis, antea adductis, patet. Nec μαφόριον, quod ex Achmete ὀνειροκρίτῃ urgêt Dn. Heinſius l. d. evincit, omnium fœminarum in Græcia capita velata fuiſſe. Nam, licet hic, ex illius ſublatione in ſomnio exhibita, fœminæ viduitatem auguretur; conſtat tamen, quam ὀνειροκρίται in his & ſimilibus ludere conſueverint. Ne dicam, hoc μαφόριον quoque, quod velandis etiam monachis, loco cuculli in Græcia ſervire ſolet (prout notatum eſt à ſummo virorum, Meurſio in Lex. Græco-Barbar.) potuiſſe eundem uſum in Græcia, labenti ævo, exhibere, quem flammeum apud Romanos, ſponſas ſolummodo velare ſolitum, ut modo probatum eſt. Sed, ne miſſum adhuc faciamus Apoſtoli locum, (quem ſecundum velamentum, ratione Corinthiacarum fœminarum ſolummodo intelligendum eſſe, ad ſignificandam ſubjectionem earum erga viros, recte viderunt Petrus Martyr, Gualterus, Beza, Diodatus, & Jacobus Laurentius, citati à Rev. D. Revio de uſu Capillitii cap. 5.) comma ejuſdem capitis XVI. non evincit illud, quod ſolam Eccleſiam Corinthiacam concernebat, ex inſtitutione Apoſtolica in omnibus Eccleſiis receptum fuiſſe, ac proinde adhuc hodie obſervandum eſſe, ut contendit Epiſcopius in ſuis Quæſtionib. du. 64. Nam, quando dicit Apoſtolus: *Quod ſi quis videtur contentioſus eſſe, nos ejuſmodi conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei:* hoc non vult innuere, ſufficere adverſus vitilitigatores, cum quibus nolit contendere, quod *ipſe & Eccleſia Dei ſic ſtatuant*; ſcilicet viros aperto capite, mulieres vero velato, orare & prophetare debere. Neque enim verba Apoſtoli ſic ſunt interpretanda cum Lyrano: *Nos non habemus ejuſmodi conſuetudinem, nec Eccleſiæ Dei;* nempe ut mulieres aperto, viri tecto capite prophetent. Sed potius, cum Chryſoſtomo, Hieronymo, & Ambroſio, quem plerique recentiores ſequuntur: *Nos non habemus ejuſmodi conſuetudinem, neque Eccleſia Dei*: nempe, ut præfracte velimus cum quoquam contendere. Unde non inconcinne Toſſanus, Theologus Orthodoxus, ad hunc ipſum locum: *Verſu* 16. inquit, *concluſio eſt hujus loci, Eccleſiam à contentionibus, & φιλονεικίᾳ,* quæ eſt *ſchiſmatum mater, debere eſſe alienam, & ſatis eſſe Apoſtolo reſpondere, quid ratione illius*

loci, ordini & decoro eſſet conſentaneum. Contrarium quoque non colligeris ex commate x. ubi Apoſtolus vult, *mulierem poteſtatem habere in capite propter Angelos.* Nam, ut per *Angelos*, fruſtra quibuſdam diſſentientibus, non poſſunt alii intelligi, niſi Angeli boni; ita Apoſtolus non modo vult à mulieribus Corinthiacis obſervari decorum, ne contriſtentur Angeli, qui ſunt actionum noſtrarum teſtes, (ideo & monemur ſancte ambulare *in conſpectu Dei, & Domini Ieſu Chriſti, & electorum Angelorum*, 1. Tim. 5. 21.) Sed ratione earundem velato capite in Eccleſia Corinthiaca ſubjectionem teſtantium, ſpeciatim mentio fit Angelorum, quod hi, tum præeant exemplo ſubjectionis; ſiquidem non modo vocantur λειτουργικὰ πνεύματα Heb. 1. verſ. ult. verum etiam miniſtrare Deo dicuntur Dan. 7. 10. uſque adeo ut ſe vocent συνδούλους noſtros Apoc. 22. 9. qui nobis præeant exemplo ſubjectionis & obedientiæ, *efficiendo verbum Iehovæ & auſcultando voci verbi ejus* Pſ. 103. 20. Tum etiam, quod ſimili quaſi ritu ſubjectionem ſuam erga Deum teſtentur, *alis binis contegendo faciem ſuam*, in myſtica viſione Jeſaiæ, cap. 6. 2. Quicquid viris doctis quoque videatur, tempore Apoſtoli ubique mulieres non velabantur.

VI Tandem ut ad lineas, à quibus jam diu exſpatiatus ſum, redeam, ſicut ratione velandi capitis, attendi debet conſuetudo cujuſque loci; ita idem ſtatuendum eſt de pectore, quemadmodum recte vidit accuratiſſimus Alſtedius. Certe, Scriptura nuſquam, aut pectus, aut ubera fœminea pudendis accenſet, ut hæc omnino velari debeant. Quis credat quoque, illas tunicas pelliceas, quas primis noſtris parentibus, poſt triſtem lapſum, paravit & aptavit ipſe Deus, pariter contexiſſe pectus & ubera? Nec eſt quod aliquis dicat, hæc, ſi denudata ſint, præbere ſcandalum, atque eſſe incentivum ad libidinem. Quod lubens quidem do, verum eſſe ratione locorum, ubi ejuſmodi denudatio non eſt recepta, maxime ſi accedant fuci & lenocinia, & ſtricturæ illæ mamillarum, incendendæ libidini præ ceteris ſervientes, apud eos qui veneri magis ſunt dediti. Alias uſurpavero illud Tertulliani, ex libello jam antea adducto de Vel. Virgin. *Bonæ res neminem ſcandalizant, niſi malam mentem.* Atque nuditatem corporum humanorum, per ſe non accendere libidinem, docet Joannes Lerius Theologus Reformatus, à Genevenſibus Theologis, inter quos tum erat ter maximus Calvinus anno 1555. cum Villagagnone miſſus in Braſiliam, ad annunciandum Euangelium. Poſtquam enim cap. 8. Hiſt. Navig. in Braſil. prolixe egiſſet

Digitized by Google

egiſſet de nuditate non minus virorum, quam fœminarum Braſilianarum, tandem pag. 96. *hac ſubjicit*: In eos aliquid dicendum videtur, qui, aut opinantur tacite, aut etiam ſcriptis mandarunt, commercium illud adeo frequens cúm Barbaris, nudis ac præſertim cum fœminis, ad laſciviam & libidinem provocare: dico igitur, quamvis in ſpeciem nuditas illa concupiſcentiæ eſca non immerito cenſeatur, tamen, ut res ipſa comprobavit, inculta illa nuditate certum eſt, multominus opinione viros ad libidinem pellici. Itaque auſim aſſeverare, ſplendidum illum cultum, fucos, ſuppoſititias comas, capillos calamiſtratos, ampla illa & tanto artificio complicata, amictoria pretioſa, mammillaria, laciniatas & undantes veſtes, cæteraque hujuſmodi, quibus fœminæ noſtrates tam ſedulo formam mentiuntur, plura incommoda & mala parere, quam faciat Barbararum nuditas, tametſi forma ab illis non vincatur. Ita ut ſi pluribus, ſervato decoro, hæc perſequi liceret, efficaciſſimas huic ſententię meæ ſubjicerem rationes, refutatis omnibus argumentis, quę in contrariam partem afferri poſſint. Ac, ne diutius immorer, eorum teſtimonium hic appello, qui mecum in Braſiliam navigarunt, quique utraſque conſpexerunt. *Huc uſque Lerius.* Quem, licet fingat noſter Reyneſſius pag. 201. duntaxat comparative loqui, ex toto tamen Diſcurſu ipſius, hoc palam eſt, eum recte cenſere nuditatem corporis per ſe, non eſſe libidinis incentivum; ac proinde, nec toto genere debere cenſeri malam. Pectoris & faciei nuditas minus ſæpe animum corruptum arguit, atque utriuſque velamen: quomodo quædam, ut jam antea ex Hieronymo cognovimus, jam olim *in publico quaſi, per verecundiam operiebant faciem, lupanarium arte id ſolum oſtendendo, quod aperte oſtenſum magis placere poſſet.*

VII. At deſpiciamus tandẽ quibus argumentis noſter Reyneſſius probare laboret, juri quaſi gentium adverſari, ſi fœminæ nudatis mamillis in publicũ prodeant. *Primo* ſic argumentatur: *Repugnat* (inquit) *pudicitia, ut fœmina nuda geſtet ubera, idque non modo à parte detegentis fœmina, ſed & ſpectantis viri. Fœmina quid aliud agunt, niſi ut ſeſe viripotentes, imo virivolentes, & forma non ſpernendas publice depradicent?* &c. ſimul adducit pag. 203. duos Scripturę Textus. Nam Ezech. 23. 3. ita dicitur: *Qua ſcortantes in Ægypto in pueritia ſua ſcortabantur, ibi compreſſa fuerant ubera earum, ibi ſubegerant mammas virginales.* & Hoſ. 2. 2. *Amoveat adulteria è medio uberum ſuorum.* Reſp. 1. ne calumnietur Reyneſſius, aut alius aliquis exemplo illius, duo in anteceſſum prǽſupponenda eſſe contendo:

do:

do: Nempe ſic ubera à fœminis denudari ſecundum conſuetudinem gentis, favente ei cæli genio, ut ſimul nulla lenocinia per petulantiam fœmineam accedant. 2. Hoc ſi fiat ergo ſimpliciter, atq; ex more gentis, ut fit à fœminis Afris, Americanis, & Aſiaticis multis: nego, quod per ſe arguat aut immodeſtiam aut impudicitiam. 3. Hoc neutiquam arguunt duo hi Scripturę textus, quos ut Reyneſſio Ravanelli Bibliotheca ſuppeditavit, ita tanquam vir bonus ea quoque ſuperaddere debuiſſet, quæ obſervantur à dicto Ravanello, apud quem in voce *Ubera* ſic lego: *Impudicitia meretricum apparet in earum facie, quam fucant, & uberibus, quæ exornant.* Speciatim vero ad locum Hoſ. 2. 2. hæc Tarnovius obſervat: *Genus loquendi deſumptum eſt à meretricibus & adulteris, quæ fucis illinunt faciem, & pectus circa ubera ornant variis* χειμηλίοις, *quò comptiores appareant, amatoreſque ſuos magis alliciant, ac inflamment.* ὁ πάνυ Dn. Rivetus, pro illuſtratione præſentis loci, adducit locum Proverb. 7. 18. ubi ita habet vulgatus Interpres, *inebriemur uberibus*: verum *dodim*, quod occurrit in Originali Textu, non debet explicari per *mammas*, ſed per *amores*; prout factum eſt à LXX. Syro, Aquila, Symm. Theod. Chaldæo, Luthero, Junio, &c. *Secundo* ita inſtat Noſter: *Quæ nuda ubera geſtat mulier, ea juxta præceptum Pauli ornata non eſt* (1. Tim. 2. 9.) *amictu honeſto, cum verecundia & modeſtia. Quam enim hic verecundiam, quam modeſtiam vel Argus deprehendat?* Reſp. 1. Concedo lubens, nullam hic verecundiam, nullam modeſtiam notari poſſe, ſi quę inſtar Meſſalinæ auratas oſtentet papillas Juv. Sat. 6. verſ. 122. aut cum meretricibus apud eundem ibid. verſ. 490. aſtringat mamillas, aut etiam ad pelliciendos amatores, alium quem fucum adhibeat: ſed, ſi quæ ex more gentis abſque ullo lenocinio nudatis mamillis incedat, eam animum pariter modeſtum, & verecundum, probare non poſſe, pernego. 2. Præcipue in viris & fœminis oculi ad libidinem duces ſunt: & juxta Græcos ἡ γὰρ ὄψις λάβη τοῦ πάθους ἐςί: imo juxta Petrum Apoſtolum, quorundam oculi ſunt μεςοὶ μοιχαλίδος, 2. Pet. 2. 14. ergo concludas cum noſtro homine, oculos quoque velandos eſſe, tum à viris tum à fœminis. Si quæ in ea quoq; gente, ubi fœminæ pro more mamillas denudant, ratione illarum laſciviat, haut magis reliquis præjudicare poteſt, atque laſcivi adulteri oculi, verecundo aliorum obtutui. 3. Apoſtoli locus reſpicit veſtitum, & nobis neutiquam obeſſe poteſt, quum verecundiam & modeſtiam ab iis quoque exigamus, quæ ex more gentis mamillas ſuas abſque lenocinio denudant.

Tertio

Digitized by Google

Tertio argumentatur Reyneſſius pag. 204. *Quæ fœmina nuda geſtat ubera, ea & totum ventrem, genitiva parte duntaxat excepta, nudum geſtare poſſet: Idcirco enim ei nudum pectus geſtare conceditur, quod pudenda tegendaque partibus generationis & digeſtionis comprehendi dicant, uti ſupra Auguſtinum citabat vir doctus, aſt ſic & totus venter, & dorſus & femora, denudare licitum erit. Lepida profecto verecundia!* Reſp. 1. Diſpar ratio eſt: partes enumeratæ, genitivis partibus vicinæ, ſi denudarentur, hæ commode tegi non poſſent. 2. Mulier infantem lactans verecunde, in hominum extraneorum quoque præſentia, ubera ſua detegere poteſt, ut proli potum det, haut verecunde tamen femora. 3. Lumbis, & femori ipſa Scriptura partes generandi delegare ſolet, Heb. 7. 10. Geneſ. 35. 11. Geneſ. 46. 26. Exod. 1. 5. non æque vero uberibus: neque enim ad generationem quid conferunt, quamvis homini genito alendo ſerviant. Eoque Deus, inter quaſdam gentes, fœminis ubera adeo ampla conceſſit, ut ab iis, ſupra humeros projectis, infantes, lac ſugendo, pendere poſſint. Quis ſapientiſſimum artificem Deum hic non arguat, ſi mamillæ æque præciſe tegi debeant, atque partes generationi deſtinatæ? *Quarto* ita cornicatur: *Ubera tactui exponi non debent, vidimus enim ſupra id reprehenſum in Iſraële, quod* ubera mammaſque virginales comprimi paſſa eſſet, *itaque non licet ea nuda geſtare.* Reſp. 1. Quid de loco Ezechielis, in quem Noſter hic digitum intendit, ſit exiſtimandum, ſupra vidimus. 2. Do lubens, fas non eſſe nudata mulieris ubera per laſciviam, affectata licet gravitas πρόφασιν inveniat, contrectare; ſed quæ conſequentia, ergo non licet eadem nudare, ſecundum loci conſuetudinem, ea lege, quam antea præfinivimus? Mulieres mentum in patria noſtra denudatum in publico quoque oſtentant: non tamen extra cenſuram foret Rev. D. Reyneſſius Noſter, ſi, vel leviter quoque, ad modum blande columnæ, manum ſuam ſubſterneret mento ſuæ ancillæ. 3. Diſtinguendum eſt inter tactum ſimplicem, & inter contactum laſciviæ. Hic illicitus plane eſt, non tamen (ut puto) peccaret aliquis, ſi araneam, uberibus fœminæ, lactantis ſuum infantem, inſidentem, verecunde apprehenderet, & interficeret. 4. Impudicus tactus, ut deteſtandus eſt; ita Scripturæ familiare eſt per verbum *tangendi*, congreſſum venereum innuere. Noti ſunt Textus Gen. 20. 6. Gen. 26. 11. Prov. 6. 29. 1. Cor. 7. 1. Eoque ſi contactus

Digitized by Google

in ſpeciem ſimplex, non modo circa fœminæ ubera, ſed quodcunque quoque corporis membrum, V. G. manus, eum in finem inſtituatur, ut ad huncce contactum quaſi, per mentis deſtinationem, libido relationem habeat, contactus execrabilis haberi debet. *Quinto* & poſtremo hæc offendo: *Ubera nuda geſtare vanum eſt & leve, atque inde quoque offendiculum parit, ſi qua enim mulieris levitas ex veſtium forma colligi poßit, profecto ex hac ſumma*, &c. Reſp. 1. Hęc ex præcedentibus ultro concidunt. 2. Vanitati, laſciviæ, & inverecundiæ abſit ut patrociner: ubicunque hæc circa denudata ubera notari poſſunt, eorum denudationem execror; ſed, ubi ex ſimplicitate gentis hæc ipſa recepta eſt, citra cenſuram eſſe debet. Non ego laſciviæ fœminarum apud nos, quæ ad ſummum venit, unquam vel per ſomnium patrocinari ſtudui: ſolummodo laboravi vindicare τὸν πάνυ Alſtedium ab iniqua cenſura D. Voetii, Dictatoris illius (ſed citra ſuffragium populi) Theologici: quod an auſpicatò aggreſſus fuerim, judicent alii.

EXERCITATIO XXVII.
DE
Pœna ſimplicis furti.

1. *PÆna Capitalis, qua fures ſimplices afficiuntur, non adverſatur legi Divinæ.*
2. *Inquiritur prolixe in judicium Davidis* 2. *Sam.* 12. *quod & ſententia noſtra vindicatur.*
3. *Nec juſtitia diſtributiva contraria eſt.*
4. *Reyneßii rationes diluuntur.*
5. *Conſentit vero juri Romano, multarumque aliarum gentium, pœna hac.*
6. *Scrupulis variis porro occurritur.*
7. *De pœna Abigeatus.*

I. DE pœna ſimplicis furti, cum venia multorum Orthodoxorum Theologorum, & Icc. aliquanto diſtinctiùs, citra odium, atque ſolius veritatis amore, hac Exercitatione ex Scriptura, & Juris Romani ac Gentium antiquitatibus, breviter agere decrevi, expenſurus, an illud, prout

prout à vi atque rapina eſt diſtinctum, convenienter & ex juſtitiæ pręſcripto per Magiſtratum pœna capitali caſtigetur? Neque enim dubium eſt, quin fures impœnitentes regno cælorum ſint exterminandi, clare illud edicente Apoſtolo. 1. Cor. 6. Quòd quidam ex Orthodoxis Theologis, ſpeciatim Piſcator, Zepperus, & Ameſius, ex Icc. autem uterque Matthęus, Bacchovius, aliique, pecuniaria duntaxat pœna illud expiari voluerint, incurrerunt cenſuram quorundam Theologorum Auguſtanæ Confeſſionis, eamque acerbam admodum. Ita enim Meiſnerus in Philoſophia Sobria part. 1. ſect. 2. cap. 4. qu. 3. *Nonnulli ex Calvinianis erga fures intempeſtive ſunt benevoli.* Brogmannus in loco de Lege, poſtquam quæſiviſſet: *An fures jure juſto puniantur ſuſpendio, aliave pœna capitali?* Sic reſpondere incipit: *De qua quæſtione lis nobis eſt cum ſchola Calviniana: quippe quæ non concedit ut ſimplex furtum pœna capitali puniatur.* Sed cogitare hi ipſi debuiſſent, ſententiam quorundam Orthodoxorum, quos minus candide ut Calvinianos traducunt, prolixe & fervide propugnatam fuiſſe à Wolfgango Frantzio, Theologo Wittebergenſi, in eximio opere de Interpret. Scripturæ, atque pag. 515. ab eo citari ipſum Lutherum, qui anno 1524. d. 2. Maij, his verbis in quadam Epiſtola ad Spalatinum uſus fuerit: *Pœnam furibus nemo ſtatuit æquius, quam is qui creavit omnia Deus; qui populo ſuo inter cæteras leges civiles hanc ſanxit quoque Exod. 2. ut duplum, quadruplum, quintuplum redderetur à fure pro qualitate furti, moreretur autem qui hominem eſſet furatus, quod ſi non haberet, ipſe venderetur. Quam legem & Salomo in Proverbiis probat, ubi dicit, furem poſſe ſubſtantia vendita ſeſe redimere, adulteram vero animam perdere, utinam hæc lex reciperetur.* Ut vero diſtincte atque ordine agam, *primo* expendam, an ex pręſcripto legis Divinæ, nulla ratione ſimplici furto capitis ſupplicium irrogari poſſit? *Deinde* inquiram, quid ratione juſtitiæ diſtributivæ, & *tertio* quid ratione juris Romani & Gentium hic ſit ſtatuendum? Atque ut incipiam à lege Divina, quę & ſapientiſſimum agnoſcit Legiſlatorem, & pariter perfectiſſima eſt, hoc, velut principium, hic pręſupponi volo, leges Politicas à Deo per Moſen populo Iſraëlitico latas, æquales legibus moralibus eſſe habendas, quatenus iis ſubeſt naturalis ratio, nec determinatę ſunt ad ſpecialem aliquam circumſtantiam, concernentem duntaxat illum populum, & politiæ formam, quam placuit in regione, multis benedictionibus locupletata, ipſi Deo præſcribere. Alias leges Politicę & forenſes Moſaicę, quatenus ſunt juris particula-

Digitized by Google

ris, & diſtinctivę Judæorum à Gentibus, propter ſpecialem politiæ & regionis rationem, abrogatæ ſunt per adventum Chriſti in carnem. Quo fundamento jacto, libenter deinde agnoſco, legem Dei de ſimplici furto proponi à Moſe Exod. 22. comm. 1. ubi ita ſancit ſupremus Legiſlator: *Si quis furatus fuerit bovem aut ovem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boves pro uno bove, & quatuor oves pro una ove.* Ex quibus verbis patet, pœnam furti ſimplicis, (quod & declaratur exemplo bovis & ovis, eo, quod Iſraëlitæ pecuariam facerent, atque eorundem fortunę potiſſimum in pecoribus conſiſterent) modo fuiſſe quintupli, modo quadrupli. Nam ideo pro uno bove, furto ablato, quinque reſtitui debuerunt, non vero quatuor tantum, ut pro ove: propterea quod ex labore bovis, majus commodum acquiri ſoleat, quam ovis, ut non inconvenienter ad hunc locum obſervavit R. Mejer, haut multum diſſentiente Theodoreto. Sed, ut hæc ipſa lex, plene intelligi queat, dupliciter conſiderari debet. 1. Ratione ſuæ naturæ. 2. Ratione circumſtantiarum, quas, pro variatione atque intenſione pœnę, ipſe Deus attendi voluit. Illo modo ſi conſideretur, non poteſt non in ea aliquid agnoſci, quod peculiariter reſpexit populum Iſraëliticum, atque promiſſiones, eidem ſub definita regiminis forma, ab ipſo Deo factas & præſtitas. Quod, ut pateat, duo mihi dari velim. Scilicet, gravius eſſe furtum atque minus in republ. tolerandum, ſimul gravius caſtigandum, ſi tum ſingulariter per illud lædatur is, cui factum fuerit, tum etiam fur damnum, quod alicujus fortunis intulit, ſarcire non queat. Quod ſi quis concedere noluerit, rogarim tantum eum, diſtincte mecum expendere dignetur illa, quæ leguntur 2. Sam. 12. Unde ex lege contrariorum, non poterit non mihi quoque concedi: Furtum eſſe cenſendum levius, atque mitiori pœna caſtigandum, ſi per illud tum minus lædatur ille, cui furto res fuerit ablata, tum etiam in proclivi ſit furi, ſi non hoc tempore, ſaltem aliquando, certo reſtituere cum uſuris ipſam ſortem, à ſe furtive interverſam. Poſterius hoc attendendum & quidem quam diligenrer, circa populum Iſraëliticum, cui lata fuit lex, modo adducta. Deus in terra Cananæa non modo univerſitati illius populi, ſed ſingulis etiã in eo opipare proſpexerat, partim per diſtributionem ſufficientis agri, partim etiam per ſingularem fœcunditatem ipſius ſoli: pręterea, ſi quis fortunis laberetur, eas iterũ conſequi poterat anno Jubilæo magno Levit. 25. Deo quã ſcrupuloſe non minus præcavente, quam lege quoque lata ſciſcente, ne foret quis egens in medio populi, Deut. 15.

Digitized by Google

Deut. 15. 4. Atque, ſi forte alicui quid furto ſubductum foret, atque fur deprehenderetur, non poterat damno mactari, ſed lucro amplo, nimirum quadruplum conſequendo pro ſimplo ablato. Nec periculi quid domino rei furtivæ ſuberat, in lucro hoc conſequendo à fure; ſi enim præſenti tempore ſolvendo non eſſet, vendebatur, ad hoc ut dominus rei furtivę conſequi poſſet ſuum ſive quintuplum, ſive quadruplum. Verba legis Dei ſunt clara, ſic enim legitur Exod. 22. verſ. 3. juxta verſionem Junii & Tremellii: *Fur omnino rependito, ſi non eſt ei, vendetur pro furto ſuo.* Priuſquam progrediar, rogo eos, quorum viſcera igni miſericordię pro furibus ęſtuant, in timore Dei mecum expendant, quę proportio fuerit, inter ſimplex furtum, & ſervitutem in quam fur abripiebatur, ſi non poſſet pro re furtiva, ſive quintuplum, ſive quadruplum reſtituere? Leg. 209. ff. de R. I. dicit Ulpianus Ic. *Servitutem mortalitati fere comparamus.* Apud Philon. Jud. lib. *quod omnis probus liber*, citatur hic verſus Senarius ex veteri poëta ἀδήλῳ:

Τίς ἐστι δοῦλος, τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν;

Quis ſervus eſt, mortem qui poteſt temnere?

Unde & Cic. Philipp. 10. *Mors civitatibus Romanis ſemper fuit ſervitute potior.* Voluit vero ſapientiſſimus Deus, hac ipſa ſervitute in medio populi ſui furtum expiari, licet hæc pœna ordinaria foret (ut colligere eſt Geneſ. 43. 18. & 44. 16. 17.) apud Ægyptios, à quorum tamen moribus, populum ſuum alias quam alieniſſimum eſſe volebat. Sed, ut præcedentia ratione pœnæ, furto apud Iſraëlitas definitæ per ipſum Deum, arguerunt aliquid, quod peculiare in illo populo agnoſci debeat; ita hæc ipſa ſervitus, peculiarem rationem habebat à parte Iſraëlitarum: ſiquidem fur non poterat vendi niſi in Iſraële, (cumque Herodes alienigenis quoque eum vendi voluiſſet, maximi motus ſunt concitati, ut videre eſt apud Joſephum lib. 16. Antiq. Jud. cap. 1.) atque tum clementer more aliorum ſervorum erat habendus, tum etiam ſeptimo anno manumittendus, juxta legem Dei, Deut. 15. 12. Licet interim intermedio tempore ſervitus utut videretur lenis, ei tanquam res dura incubuerit; nam ſervum verſari debuiſſe in perpetuo metu accipiendarum plagarum, abunde patet ex locutione Spiritus Sancti, alicubi mentionem facientis ſervilis timoris, ſpeciatim Rom. 8. verſ. 15. Nec quenquam movere debet, quod Maimonides apud Seldenum de Jure Nat. & Gent. lib. 6. cap. 7. contendat, moribus

receptum fuiſſe, ut fur tam diu duntaxat ſerviret, quam pretium rei furtivę reddidiſſet, non vero & quadruplum, quintuplumve; quum interim ſervire debuerit, ſi ſolvendo non eſſet. Quis ergo, niſi adverſus veritatem obfirmatus plane fuerit, ultro non fatęatur, ratione pœnæ, furto inter Iſraëlitas per Deum definitæ, aliquid, per omnia referendum ad legem Forenſem, qua talem, adhærere? æque, atque ex parte forenſis eſt, licet ſubſit moralę aliquid, quod perpetui agnoſcendum eſt juris, lex de Uſuris, occurrens Deut. 23. quæ infra copioſiſſime cum Deo à nobis examinabitur. Explicata natura ipſius legis de furto, accedo ad rationem circumſtantiarum, ob quas furti pœna per ipſum Deum intendi potuit. Atque, ut ex hoc eodem capite, ſive Exod. cap. 22. verſ. 2. liquet, *Si fur inventus fuiſſet effodiens, & fores percuſſus & mortuus, non erat percuſſor morti obnoxius.* In Codice Sanhedrim cap. 8. hujus legis hęc redditur ratio, interprete Doctiſſimo Coccejo; *Qui cum perfoſſorio ingreditur alienam domum, judicatur ob id, in quod prolapſurus erat.* Quod idem D. Coccejus pag. 69. porro ex Ebræis ſic elucidat. *Certum eſt, neminem hominem de bonis ſuis conceſſurum. Iſte igitur ſic cum animo ſuo decernit. Si vadam, dominus ædium mihi obſiſtet, neque ſinet me. Si obſiſtet mihi, occidam eum. Iam lex ait: Qui te invadit, animo cædem faciendi; occupes cædem licet.* Monet *amplius docere* Maimonidem, quando effractor jam parat abitum, ſi teſtes haberi poſſint, occidi jure non poſſe: ſed ad reſtitutionem obligari. Scio Junium & D. Piſcatorem legem hanc ita interpretari, quaſi de nocte duntaxat effoſſor potuerit occidi, non vero de die, atque hoc colligere ex verſu proximo tertio, ubi dicitur: *Si ſol ortus fuerit ei, cædis reus eſto.* Sed hoc nobis non obſtat, ſiquidem hactenus patet, potuiſſe propter circumſtantias ita intendi pœnam furti, ut redderetur capitalis. Alias non improbamus hæc Auguſtini, Quæſt. in Exod. *Intelligitur* (inquit) *tunc non pertinere ad homicidium ſi fur nocturnus occiditur, ſi autem diurnus, pertinere. Poterat quippe diſcerni quod ad furandum, & non ad occidendum veniſſet, & ideo non deberet occidi.* Quandoquidem hic ex textu ipſo certum manet, eum, qui poterat licite occidi, habitum fuiſſe non ut homicidam & latronem, ſed, ut furem. Præterea, furi pœna intendebatur, ratione objecti. Atque initio ratione hominis furto ablati, ſive ratione plagii, occurrit hęc lex Exod. 21. 16. *Qui furatus fuerit aliquem, vendideritque illum, & inventus fuerit in manu ejus, moriendo morietur.* Cujus legis Franzius l. d. pag. 516. hanc reddit rationem: *Qui furabatur,*

Digitized by Google

tur, (inquit) *hominem inter Iſraëlitas, citra dubium ad peregrinos Ethnicos eum detulit, adeoque corpus & animam ipſius vendidit & perdidit in æternum.* Sed, licet hoc dubium exile videatur Franzio, mihi tamen ingens eſt. Nam, cur non ſurreptus liber homo, idemque infans, potuerit à Judæo inter ipſos fratres divendi? Certe, cum in Iſraële aliquis ob æs alienum cum univerſa familia vendi potuerit, cur non potuerit plagiarius prætexere, infantes, quos venum inter ſuos populares exponere volebat, à ſe ſubductos fuiſſe debitori cuidam? juxta illud, quod legimus 2. Reg. 4. 1. Eoque putarim potius, propterea plagium ex Dei voluntate ultorem gladium habuiſſe, quod liber homo ſervituti, quæ nihil à morte diſtat, manciparetur. Porro ſacrilegium, quod proprie eſt furtum rerum ſacrarum, capitale fuiſſe, patet ex exemplo Achanis apud Joſuam cap. 7. 25.

Denique pro circumſtantia, tum rei furtivæ, tum eorum quoque, II. quibus furto aliquid ablatum erat, furto decerni potuiſſe pœnam capitalem, abunde patet ex iis, quæ leguntur 2. Sam. 2. Locus integer ſecundum verſionem Junii & Tremellii ita habet: *Quapropter miſit Iehova Nathanem ad Davidem, qui ingreſſus ad eum dixit ei: duo homines erant in civitate quadam, unus dives, alter vero pauper. Diviti erant greges & armenta multa admodum: Pauperi autem nihil quicquam, niſi agna una parva, quam emerat, quam alebat, ut educaretur ſecum & cum filiis ſuis pariter: de fruſto panis ejus comedebat, & de poculo ejus bibebat, denique erat ei tanquam filia. Sed adveniente viatore ad virum illum divitem; pepercit accipere de grege ſuo, aut de armento ſuo, quod pararet viatori qui venerat ad ſe: accipiens vero agnam viri illius pauperis, paravit eam illi viro qui venerat ad ſe. Tunc David accenſus ira in virum illum valde, dixit Nathani, ut vivit Iehova, reus mortis eſt vir ille, qui fecit hoc. Agnam quoque ipſam rependito quadruplum, eo quod fecit rem hanc, & eo quod fecit hanc, & eo quod non pepercit.* Quod Davidis judicium, exactum ad ſingulares circumſtantias, ne qua ratione nobis prodeſſe queat, varia ab iis ſunt excogitata, quibus propoſitum eſt præfracte tutari hanc theſin: *Quod juſtitiæ ratio non permittat, ut aliquis ob ſimplex furtum ultimo ſupplicio afficiatur.* Exceptiones ordine expendam, quo pateat, quantum ponderis illis inſit. Atque initio noto, fautores contrariæ ſententiæ exceptiones excogitaſſe multas, quod diffiderent de unius alteriuſve ſufficientia. At, ut funiculus ex arenis contortus, fit validus & ligando equo ſufficiat, non effecerint centum millia arenularum, juxta

Perſi-

Perſicum proverbium. 1. Dicunt ergo: Davidem pronunciaſſe mortis reum eſſe illum, cujus furtum diſtincte, & definite, exponitur, ſecundum calorem iracundiæ, non vero ex præſcripto juſtitię. Sed hanc reſponſionem, meram conjecturam eſſe, abunde innuit D. Piſcator in ſua Diatriba de Abrogatione legum Moſaicarum, præfixa Comm. in Exodum, ita ſiquidem loquitur: *Fieri potuit ut judicaret David contra legem Divinam, abreptus ſcil. pravo aliquo affectu. Sicut certe ei evenit, quum ex ira juraret, ſe deleturum familiam Nabalis: quod propoſitum iniquum fuiſſe, ipſe poſtea, à Nabalis uxore ſapienter admonitus, agnovit. Et in iſto quoque judicio ferendo, David ira accenſus fuiſſe ſcribitur in furem illum, contra quem ſententiam ferebat: veruntamen non tali ira, quali in cauſſa Nabalis. Ibi enim erat vindicta privata, quod ſe injuria affectum putabat: bic autem publica, quod, ut judex, agre ferebat injuriam uni è ſubditis illatam.* Aſſentitur tamen Piſcatori ὁ πάνυ D. Ameſius, præceptor alias honorandus lib. 5. de Conſ. cap. 52. §. 3. Sed diſtincte reſpondeamus? Dico ergo: 1. A poſſe ad eſſe, non valere conſequentiam, iis quoque notum eſt, qui nondum ære lavantur. 2. Non eſt veriſimile, Davidem, ira abreptum, præcipitem ſententiam tuliſſe: ſiquidem, ut hactenus per ſubductionem quaſi Spiritus Sancti, peccatorum veterno indormierat, ita ad propoſitionem primam Nathanis excitari cœpit, & incaleſcere eodem illo Spiritu, quem Pſal. 51. renovari deſiderarat. 3. Nathan Propheta ad Davidem miſſus, ut eum hac parabola propoſita ad ſeriam reſipiſcentiam deduceret, ſane debuiſſet ex officio Davidem arguere, ſi in ipſa parabolę προσπταίσῃ, hoc eſt, limine impegiſſet. 4. Omnino, David ut judex debuiſſet hic gravius deliquiſſe, (ſi modo unquam probari poſſit eum circa hoc judicium deliquiſſe) atque, cum contra Nabalem iræ ſuę pluſculum indulgeret. Neque enim ira hominis privati, æque multum incommodi circa ſe habet, atque judicis, ejuſdemque regis. Notus textus Regum ſapientiſſimi Salomonis, Prov. 16. 14. *Nuncii excandeſcentia Regis, ſunt nuncii mortis.* 5. Non omnis ira eſt illicita: poteſt enim aliquis iraſci, nec tamen peccare, juxta Apoſtolum Eph. 4. 26. In parabola, Ipſe rex, qui repræſentat Deum, dicitur *iratus* fuiſſe, cum juberet immiſericordem ſervum tradi tortoribus, Matth. 18. 34. II. Dicunt, Davidem pœnam capitis decreviſſe vi, inter furandum exercitę, neutiquam vero furto, pro quo voluerit quadruplum reſtitui. Unde ita D. Piſcator. l. d. *Satis mihi eſt, Davidem pœnam capitis ſtatuiſſe non in ipſum furtum, ſed in vim, quæ furto fuerat*

rat adjecta. Similiter Franzius l. d. *Morte omnino dignam cenſet non niſi iſtam tyrannicam crudelitatem.* D. Ameſius quoque l. d. *David*, inquit, *ſententiam illam ferens, non ſimplex furtum reſpexit, ſed ſummam crudelitatem divitis furis, vel potius raptoris in proximum pauperem graſſantis.* Habet quoque inter alias hanc reſponſionem D. Antonius Matthæus Junior in nitido opere de Criminibus pag. 87. Reſp. 1. Sed dico Davidem duntaxat reſpexiſſe circumſtantias furti ſimplicis, atque propter illas, tanquam judicem juſtum & circumſpectum, morti hunc furem adjudicaſſe. Ut ſic ſtatuam, præivit D. Rivetus, cujus hæc verba Comm. ad Decal. pag. 364. *Cum David pronunciavit furem, qualem eum deſcribebat Nathan, 2. Sam. 12. 5. eſſe reum mortis, reſpexit ad circumſtantias, crimen aggravantes. Ergo fuit in Iudicum poteſtate poſitum, ut pro illarum varietate pœnas vel augerent, vel minuerent.* 2. Cedo vero in textu unum verbum, quod arguat vim adhibitam fuiſſe ab hoc parabolico fure, eodemque divite. Verbum Ebręum *Vaukkabh*, deſcendens à *Lakabh*, notat ſimpliciter accipere & ferre, nec ullam violentiam arguit. 3. Velim vero indicari parallelum locum, ex quo pateat, violentum furem, præter capitis ſupplicium, ſuſtinuiſſe amplius pœnam quadrupli. Sed, cum ratione præſentis loci, hic Parabolicus fur dives eſſet, amplius in pœnam quadrupli à Davide condemnatus fuit, & quidem merito, quo homini pauperi ſuccurreretur; qui præter hanc unicam agnam, aliud non habebat. *Inſt.* Sed dicit D. Piſcator l. d. *Duo pœnarum genera diſtincte duplici illo delicto oppoſita à Davide fuiſſe, ex ipſis verbis patet, ubi ait:* eo quod fecit rem hanc (*nempe quod agnam vicino abſtulit*) & eo quod non pepercit: *id eſt, quod in agna illa auferenda vim adhibuit, & quidem contra hominem pauperem, idque in auferenda re unice chara.* Reſp. 1. At, ubi *non parcere* in Scriptura notat vim & violentiam? Verbum *bhamal*, quod ibi occurrit ſignat quidem clementia uti: ſed mox qui clementia non utitur, pariter vim adhibet? Sic dicitur quoque Jeſ. 9. 19. ubi idem verbum occurrit: *Nemo in fratrem ſuum clementia utetur.* Neutiquam tamen inde concluſeris, hoſce immiſericordes homines ſimul fuiſſe raptores & oppreſſores, niſi pari ratione volueris concludere: Sacerdotem & Levitam lęſiſſe hominem, cujus in parabola Luc. 10. fit mentio, eo quod clementiam non exercuerint. 2. Hoc vero loco David reddit rationem ſuæ ſententiæ: ſumma enim erat iniquitas, quod cum dives hic pepercerat ſuo gregi, pariter non pepercerit unicæ agnæ hominis pauperis, ſed eam abegerit, ut eam

aptaret uſibus menſę ſuæ. III. Martyr ad præſentem locum ex mente quorundam ita commentatur: *Dicunt*, inquit, *iſtam dicendi formulam Davidis, non ſic accipiendam quaſi plecti capite voluerit, ſed ad emphaſin exprimendam hyperbole uſum eſſe: quaſi dicat, poſſet videri reus mortis, non quod capitali ſupplicio eum affici vellet*, &c. *Hic ego video Spiritum Sanctum eſſe abuſum lingua Davidis, quemadmodum proverbio dicitur: ἡ γλῶσσα ἁμαρτάνουσα τ' ἀληθῆ λέγει.* Non multum recedit D. Matthæus l. d. ſic loquens: *Dici poteſt, hyperbolico dicendi genere uſum Davidem, ut exprimeret improbitatem hujus furis, qui cum dives gregis eſſet, agnam unicam interceperat pauperi.* Reſp. 1. In omni Parabola occurrit πρότασις & ἀπόδοσις, atque hæc illi reſpondere debet: eoque, ut Nathan non hyperbolice, ſed vere dixit, Davidem virum mortis eſſe, exiſtimandum quoque eſt, non hyperbolico dicendi genere, ſed vero ac juſto judicio, furem divitem, eumque Parabolicum à Davide adjudicatum fuiſſe capitis ſupplicio. 2. Lubens do, non ambigendum eſſe, quin Scriptura utatur hyperbole, æque atque aliis tropis, ut recte monuit Auguſtinus lib.16. de Civ. Dei cap. 2. interea tamen in locutionibus propriis non eſt fingenda hyperbole, ſive κατ' αὔξησιν, ſive etiam κατὰ μείωσιν. 3. Ut Nathan, loco Dei, velut Judex, ſententiam pronunciavit in Davidem; ita David quoque, ut Judex ſententiam tulit & pronunciavit in furem Parabolicum, atque per eum, in ſemetipſum. At, quis unquam ſomniavit, Judicem, quando pronunciat ſententiam, uti locutionibus hyperbolicis? Davidem vero pronunciaſſe ſententiam ut judicem, patet ex adjecta ratione, quam cum D. Piſcatore modo examinavimus. IV. Hęc amplius excogitavit D. Matthæus l. d. pro exceptione quaſi nova: *Peculiari id inſtinctu Dei factum eſt, ut David in iſta verba prorumperet, atque ſuamet ipſe ſententia caderet, juxta illud vulgatum Græcorum: ἡ γλῶσσα ἁμαρτάνουσα τ' ἀληθῆ λέγει: Ipſe enim filius ille & vir mortis erat.* Reſp. 1. Hactenus probo, quod Vir conſultiſſimus, non exſcripſerit quidem P. Martyrem, ſed interpolaverit duntaxat, licet minus auſpicato, ut dein liquebit: ſaltem vir candidus Martyris feciſſet mentionem. Turpe ſiquidem eſt, nolle profiteri per quem profeceris. 2. Variæ quidem reſponſiones adferri poſſunt in Theologicis controverſiis, ratione certi loci Scripturæ, qui controverſus ſit: verum illæ debent conſentire, neutiquam autem diſſentire; multo minus ita eſſe ordinatæ, ut una alteram interimat. Vir eximius antea dixerat, præ ira, Davidem præcipitem hanc ſententiam tuliſſe; at nunc, ex ingenii ſui pharetra adducit Dei inſtinctum.

Digitized by Google

inſtinctum. Quomodo hęc duo conſentire poſſunt? Certe, antea hæc duo non conciliabuntur, quam Chriſtus & Belial in concordiam fuerint redacti. 3. Interea hic agnoſcimus, ut omnino debemus agnoſcere, Dei inſtinctum, & quidem ſingularem: quoniam enim Sp. Sanctus, ſub nubibus Davidicis aliquandiu occultatus, ad orationem Nathanis, ſe rurſum in Davide promptum exhibuit, æque atque in Eliſęo poſtea, ad ſonum fidium; certo eſt credendum, ut jam antea monui, hoc ipſum judicium Davidis, circa furem Parabolicum, non quidem proxime in Davidem, ſed per iſtum furem mediate, in Davidem ipſum pronunciatum eſſe: Ac conſequenter, hoc judicium fuiſſe conſentaneum Divinæ voluntati, ſimulque oſtendere, quomodo ſecundum explicationem Sp. Sancti (hic univerſę Scripturę eſt author) per Davidem, intelligi debeant Dei leges de pœna ſimplicis quoque furti. 4. Reyneſſius quoque noſter ſuam dexteritatem circa hunc locum, ne qua ratione mihi faveat, oſtendere voluit. Omiſſis vero verborum ληκύθοις, quas profundit, duo potiſſimum habet, examine utcunque digna. *Primo* p. 210. hæc offendo: *Gratis ſupponitur hic agi de furto, quod neque ex propoſitione Parabola, neque ex ejus applicatione liquet; non vocatur furtum, non dicitur clam & ignorante domino factum, ſed agna veluti gremio domini erepta.* Reſp. 1. At contrarium jam patuit ex præcedentibus. 2. Reyneſſius qui tam audacter & impudenter mihi contradicere audet, ex Textu oſtendere deberet interveniſſe rapinam: at ne γρῦ quidem occurrit. Virorum egregiorum conjecturæ, pręconceptæ opinioni ſubſervientes, non ſunt genuinæ Scripturę interpretationes. *Secundo* ita inſurgit: *Nathan Davidem non furti, ſed raptus & homicidii convincere volebat, atque idcirco parabola horſum tendere credi debet; ille Uriam, velut agnam è gremio Bathſebæ rapuerat, & occiderat; ille non ob furtum, ſed ob homicidium & adulterium reus mortis fuit; ille Bathſeba, quod ei per gladium Ammonitarum eripuerat, quadruplum reddidit, ſe ſcil. ei, & regnum filio.* Reſp. Sed bonus noſter vir, hæc ipſa evertendo, contra ſeipſum ſententiam dicit. Ita enim paulo ante loquitur: *Furtum proprie nec vim includit, nec fit ſub oculis domini, ut hic factum innuitur.* Quid vero ipſe Nathan ad Davidem dicit? d. cap. verſ. 12. expreſſa hæc verba occurrunt: *Quia tu feciſti clam; etiam ego facturus ſum rem hanc coram toto Iſraële, & coram ſole.* Clam ſcil. David abduxerat Bathſebam, & conſequenter inſtar furis, ipſo Reyneſſio judice. Eoque, ut parabola facto Davidis reſpondeat, qui agnam abſtulerat, non raptor ſed ſimplex fur haberi debuit, ac con-

 ſequenter

Digitized by Google

ſequenter David pœnam irrogari voluit non ob rapinam, ſed ſimplex furtum. 5. Et poſtremo Franzius l. d. hanc novam exhibet reſponſionem: *At quis hodie furem agna, criminali & capitali quidem pœna afficiendum exiſtimaret?* Reſp. 1. Exiſtimavit vero hoc Sp. Sanctus, per Davidem, Divino inſtinctu prędìtum, loquens, ut modo agnovit ipſe D. Matthæus. 2. Circumſtantiæ delicta vel attenuaut, vel aggravant. Agna hæc unicum viro pauperi ſolatium erat, atque dives amplo gaudebat grege, è quo plurimas oves accipere potuiſſet: nulla autem erat ratio, cur pauperi ſuam unicam agnam eriperet, niſi propoſitum ei fuiſſet, hominem afflictum ſatis, ad deſperationem adigere. 3. Verum quidem eſt, quod agna, qua talis, ſi erepta fuerit, non mereatur capitis ſupplicium: ſi tamen concurrant circumſtantiæ, quas hactenus conſideravimus, ejus interverſio capitalis eſſe poteſt. Atque hęc ſunt illa, quæ hactenus expendere voluimus è Scriptura V. T. (locum enim Prov. 6. minus ſcopo noſtro ſervire putamus) quæ, an non liquido evincant, ſimplici quoque furto, ſi circumſtantiæ concurrant, pœnam capitalem, per judicem, Deum timentem eumque prudentem, decerni poſſe, omnes illi judicent, in quibus modo judicium non laborat.

III. Nec pœna capitalis, furto ſimplici è Scriptura vindicata, adverſatur juſtitiæ diſtributivę, uti paſſim clamatur. Audio quidem dici, quod nulla proportio intercedat inter τὰ βιωτικὰ, ſeu bona ſecularia, & hominis vitam; at hoc, quod ad modum quaſi axiomatis jactatur, neque juſtitia vindicativa Dei agnoſcit, neque ſana quoque ratio. Ut à priori incipiam, ſeu juſtitia, quam in hoc ſeculo Deus in maleficos, ad alios deterrendos, exercet; certe axioma vulgare eſt falſum, nec, ut univerſaliter verum, admitti poteſt. Quam diro ſupplicio non fuit affectus Achan, cum omnibus ſuis filiis, filiabus, bobus, aſinis, & gregibus? Joſ. 7. At quæ proportio inter illud intercedit, & togam Babylonicam, ducentos ſiclos argenti, atque lingulam auream quinquaginta ſiclorum? Ananias & Sapphira, horæ momento proſtrati atque letho dati fuerunt, Act. 8. propterea, quod aliquid intervertiſſent ex eo pretio, quod totum ſibi ſervare potuiſſent. Cui mortalium hic conſtiterit ratio proportionis? Atque, ut propius ad furtum accedam, quæ proportio intercedit inter ędium nocturnam effractionem, & prę ſentaneam interfectionem hominis, de cujus tamen propoſito occidenti non poterat certo conſtare? Et tamen ipſe Deus, ut paulo ante audivimus, pronunciat ejuſmodi cædem juſtam eſſe. Sed, qui à nobis in alia omnia hic abeunt,

Digitized by Google

eunt, ut ſuum axioma in ſtatu permaneat, inveniant quaſi præſidium in Scriptura, Satana ipſo edicente Jiobi cap. 2. 4. *Quicquid eſt viro, daturus eſſet pro ſe ipſo*. Reſp. 1. Ego alias legi apud Scholaſticos, qui hic Auguſtinum ſequuntur, quod ne quidem diabolo, quando vera loquitur, fides ſit habenda, eo, quod intendat, ex Dei permiſſione, aliquem decipere. 2. Sententia hæc diabolica, valet duntaxat apud diaboli filios, qui cum non ſuſtineant ſpem melioris vitę, omnia præ hac caduca & ærumnoſa vita vilia ducunt: quum filii Dei ex Chriſto, qui eſt os veritatis, didicerint, quod, *qui velit animam ſuam invenire, eandem perdat*, Mat. 10. 39. ſciantque, *ſe debere animas deponere pro fratribus*, 1. Joan. 3. 16. imo aliquando, cum ſcil. gloria Dei hoc exigit, vitam ſuam vilem ducere, *nulla illius habita ratione*, ut dicitur de Epaphrodito, Phil. 2. 30. ipſis interea cum Paulo perpetuo optantibus *diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*, Phil. 1. 23. 3. Diabolum patrem mendacii arguunt ſaniores ex Ethnicis. Senecæ verbum eſt, Epiſt. 70. *Non omni pretio vita emenda eſt*. Quomodo & Cæſtius dixit apud Senecam Patrem Suaſ. 7. *non qualibet mercede vitam redimendam eſſe*. Ut vero ulterius liqueat, proportionem, ex lege juſtitiæ, aliquando intercedere inter bona hujus ſeculi, atq; hominis vitam, caſus, qui illud ſuadent, non quidem abſolute, ſed ſecundum certas definitaſque circumſtantias conſiderari debent, quemadmodum à Davide factum fuiſſe, jam antea nobis patuit. Nam, licet in genere verum ſit, quod monet Philoſophus lib. 1. Polit. cap. 5. nempe τὸν πλȣ̃τον εἶναι ὄργανον οἰκονομικῶν ϗ πολιτικῶν; in ſpecie tamen inſtrumenti hujus neceſſitas comparet, ſi, fortunarum tum modulus, tum poſſeſſor ſimul conſiderentur. Pauper Davidicus unam duntaxat poſſidebat oviculam, quacum ſe oblectabat, quam cum furto interverteret dives, quicquid ſolatii homini pauperi eſſet, ſubductum ibat. Ponamus ſimiliter, viduam, cui ſoboles eſt numeroſa, (exempla plurima vel una civitas Amſtelodamenſis ſuppeditare poteſt) poſſidere quinquaginta florenos, ſervientes diurnæ mercaturæ, quam exercet circa poma, ſingulis biduis & à propolis emi, & magna voce per urbem divendi ſolita, lucro interim ſerviente, tenui quidem, cæterum honeſtæ familiæ onerosæ ſuſtentationi; atque illos quinquaginta florenos, circa veſperam magna cum moleſtia coactos, furto auferri à decoctore, qui eos porro in popinis & ganeis intra paucos dies abliguriat; an non ſacerrimus hic fur, quantum in ſe jugulum præcidit, non minus afflictæ matri, quam parvulis illius liberis? Singulis eorum cum Sophocle in Philoctete

 excla-

exclamantibus: πόθεν γὰρ ἔσαι βιοτὰ τὶ ὠδ' ἐν ἄυραις τρέφεται: *Unde mihi victus erit? Quis enim aere victitare poteſt?* Qui vivendi ſubſidia intervertit, ipſam vitam eripere cenſetur, ſiquidem ſecundum Ariſtotelem lib. 1. Polit. cap. 5. *Fieri non poteſt, ut vivatur ſine alimento.* Verum quidem eſt, viduam hanc cum ſuis parvulis oſtiatim mendicando victum rogare poſſe: at quam durum hoc eſt iis, qui per omnem ætatem labore manuum ſuarum ſeſe honeſte ſuſtentarunt? *Malim meriri meos, quam mendicarier*, dicit Plautus in fragm. Vidulariæ. Ponamus amplius hunc caſum: Sit aliquis, quem Magiſtratus conſtituerit quæſtorem orphanorum, atque is, poſtquam ſuam familiam ſplendide & luxurioſe per plures annos de alieno habuerit, verſuram faciat, emigrando in locum ignotum, atque intervertendo omnes fortunas plurimorum afflictorum puerorum, qui, cum antea de ſuo vivere potuerint, deinceps pendere debeant ab aliena miſericordia, atque miſerandum in modum ætatem tranſigere. Si Magiſtratus Chriſtianus, ejuſmodi furi, qui deſtinato conſilio, tot innoxiis hominibus, extremam perniciem procurat, tantum, ut ſuo ventri ſecure ſervire queat, patibulum deſtinaret, næ, quantum ego cenſeo, juſtitiæ per omnia ſatisfaceret. Ut vero ante diximus, ratione loci & ſtatus publici, conſiderandas eſſe leges, latas populo Iſraëlitico de furtis; ita, quorundam quoque populorum ratio, ſtatuſque familiæ & politiæ inter illos receptæ, exigunt, ut furtum ſimplex morte quoque mulctetur, quod ſcil. talis reip. membra, duriter per loci Genium agentia, tum difficillime fortunas aliquas ſibi acquirant, tum etiam occaſionem commodam non habeant, eaſdem tuto aut cuſtodiendi, aut aſſerendi adverſus injurias, à furibus inferri ſolitas. Quo in caſu publicam pacem fures violant: quandoquidem nemo cenſeri poteſt res mobiles, quas poſſidet, tutæ cuſtodiæ commiſiſſe. Convenienter Bodinus lib. 6. de Republ. cap. ult. pag. 1202. *Apud Tartaros* (inquit) *& Moſchovitas leviſſima furta morte puniuntur; quia rariſſima ſunt oppida & in tuguriolis aut caſis humilibus fortunæ cujuſque poſitæ ſunt. Quin etiam apud Indos qui ſunt ad Occaſum, fures verubus aut varris transfigi mos erat, priuſquam Hiſpani regiones illas ſubegiſſent: quia tenui filo tantum prædia diviſa erant; quæ qui tranſiliret aut perrumperet, graviſſimo ſcelere obligari credebatur.* Qui & juris divini & humani conſultiſſimi audiunt, recte ſtatuerunt, rationem pœnarum non præciſe eſſe exigendam ad proportionem culpę, adeo, ut ratio pœnæ exacte reſpondeat rationi culpæ, ſed potiſſimum eſſe æſtimandam ex fine, ſive bono publico; ſiquidem,

Digitized by Google

ſiquidem, ut huic ſarto tectoque præſtando invigilant potiſſimum legum-latores, ita per irrogationem pœnarum capitalium, non tam intendunt perniciem delinquentium, quam potius exemplum ad omnes tranſiturum. Inde Philoſophus lib. 2. Polit. cap. ult. agens de legibus Pittaci, qui unus fuit è ſeptem Greciæ Sapientibus, ita per Interpretem loquitur: *Ejus hæc lex eſt propria, ut ebrii duplo majorem quam ſicci pœnam luant, ſi quem pulſarint: nam eo quod plures ſint ebrii, quam ſicci, qui petulanter alios lædant, non ad veniam ſpectavit, quæ ebriis potius ſit habenda, ſed* πρὸς τὸ συμφέρον, hoc eſt, *utilitatem.* Atque hinc eleganter & erudite quoque Auguſtinus lib. 21. de Civ. Dei cap. 11. eorum ſententiam convellit, qui exiſtimabant injuſtum eſſe, ut aliquis damnaretur pœna æterna, pro peccatis exiguo tempore perpetratis. Et huc omnino referri debet, quod habet Claudius Saturninus Leg. 16. §. 9. & 10. ff. de Pœnis: *Evenit,* (inquit) *ut eadem ſcelera in quibuſdam provinciis gravius plectantur: ut in Africa meſſium incenſores, in Muſia vitium: ubi metalla ſunt, adulteratores monetæ. Nonnunquam evenit, ut aliquorum maleficiorum ſupplicia exacerbentur, quotiens, nimium multum perſonis graſſantibus, exemplo opus ſit.* Eleganter & vere Symmachus lib. 2. ep. 13. *Tantum denuo legibus ſeveritatis addendum eſt, quantum flagitia creverunt.*

Ne rationes hæ, juſtitiæ patrocinentur in pœnæ capitalis irrogatione, Reyneſſius noſter pag. 206. hoc argumentum intorquet: *Aut enim ſuſpendetur fur. 1. ob injuriam illatam, 2. aut ob damnum illatum, 3. aut quia ſolvendo non eſt, 4. aut quia incorrigibilis eſt, 5. aut ob conſequentiam, ne furibus repleatur civitas.* Reſp. 1. Sepoſita tertia ratione, quam nos non curamus, ob omnes has cauſſas fur ſuſpenditur, accedente pacis publicæ violatione, quam fures præſumuntur temerare, dum nulli per eos licet ſecuro eſſe ſuarum poſſeſſionum. 2. In pœnæ irrogatione (prout patet ex antecedentibus, atque è ſubſequentibus ulterius cognoſci poterit) quid loci & ſubditorum ratio ferat, attendi debet. Eoque ſi ſubditorum fortunę mobiles arctiori cuſtodia (ut furum ſecuræ ſint) contineri non poſſint, qui iis inſidiantur ut eripiant, à pœna non deberent eſſe eximii, quam magis merentur, qui amplius has fortunas ereptum eunt. *Secundo* dicit: *Per mortem furis etiam damnum non ſarcitur, quod per vitam & laborem ejus poſſet.* Reſp. Sed hic non attenditur ſolum damnum quod dedit, verum potiſſimum, quod violant pacem publicam. Addit *tertio*: *Tum certe in crucem ferri non deberet, ſi & injuria remiſſa, & damnum reſtitutum foret.* Reſp. Quamvis hac ratione ſatiſfiat IV.

Digitized by Google

ſiat privato cui damnum datum eſt, non tamen judici ſatisfit, qui cavere debet, ne cui impune pacem publicam violare fas ſit. *Quarto* ita argumentatur: *Cur quæſo qui per fraudem magiſtratui tributam eripit, & damnum multo majus infert, etiam publice deprehenſus, ſcalam non aſcendit, ſi propter damnum pendeat fur?* Reſp. Ut nulla ratione à furto excuſandos putem (quidquid vulgo quoque videatur) vectigalium defraudatores, ita in illos gravius quid (ſi ſæpius deprehenſi fuerint) ſtatui publice intereſſet. Interim hi pretium quod interverterint una cum mulcta ſolvendo, ſatisfacere utcunque poſſunt: quum non niſi per fraudem peccent. At alteri fures, dum temerant loca, quæ tutæ cuſtodiæ ſervire deberent, pacis publicæ violatores haberi merentur. V. C. Si crumeniſeca, ceu ſector zonarius ruſtico extorqueat crumenam de collo ipſius pendulam (olim apud Romanos hoc quoque receptum fuiſſe, ex pluribus Plauti locis conſtat) an non temerat publicam ſecuritatem? Cui enim tutum erit pecuniam circumgeſtare, ſi ne quidem ſecure ea ſervari queat in marſupio, à collo pendulo? *Quinto* laborando furem ſarcire poſſe damnum, quod dedit, infert. At jam reſponſum eſt, præter damnum, attendi pacis publicæ violationem, item alia, ex circumſtantiis delicti dijudicanda. *Sexto*, ne fur ſuſpendatur ut incorrigibilis, ita pag. 207. loquitur: *Membra corporis ſanè ita coërceri poſſunt, ne iis ad furtum fur abuti poſſit: relegetur modo Amſterodamum, ad celebrem illam domum diſciplinariam.* Reſp. Sed illa ipſa domus, quæ S. Raſpini fanum eſt, exempla ſuggerit hominum, uſque adeo corruptorum, ut manus quoque ſibi præciderint, ne laborare poſſent. Præterea cum perpetuus carcer morti adæquetur, judex mortem furibus irrogare poteſt, ne reſp. damnum ſentiat perditiſſimos hoſce fucos alendo. *Denique* ita dicit: *Cur non nominis Divini vitiatores, ſabbati profanatores, fornicatores, ebrioſi, calumniatores, vel vicies deprehenſi, tolluntur in altum?* At contra hos leges non eſſe latas, aut ſi latæ ſint, executioni non mandari dolemus. Sufficit injuſtitiæ hactenus legem argui non poſſe, quæ furibus laqueum deſtinant.

V. Cum hac pœna capitali, furto ſtatuta, conſpirat jus Gentium, quod, ſepoſitis Indis, Tartaris, & Moſchis, ſi æſtimetur ratione populorum, præ aliis morum elegantia & ingenii ſagacitate conſpicuorum, per omnia favet ſententiæ noſtræ. Ut incipiam ab Athenienſibus, notæ ſunt Draconis leges, atque temperamentum Solonis, quo earundem duritiem edulcavit. Gell. lib. 11. cap. ult. *Draco Athenienſis* (inquit)

vir

vir bonus, multaque eſſe prudentia exiſtimatus eſt, juriſque divini & humani peritus fuit. Is Draco leges, quibus Athenienſes uterentur, primus omnium tulit, in illis legibus furem, cujuſmodicunque furti, ſupplicio capitis puniendum eſſe, & alia pleraque nimis ſevere cenſuit ſanxitque. Ejus igitur leges, quoniam videbantur impendio acerbiores, non decreto juſſuque, ſed tacito illiteratoque Athenienſium conſenſu obliterata ſunt. Poſtea legibus aliis mitioribus à Solone compoſitis uſi ſunt. Is Solon ex ſeptem illis inclutis ſapientibus fuit, is ſua lege in fures, non, ut Draco antea, mortis, ſed dupli pœna vindicandum exiſtimavit. Sed, neque *Solonis* leges, quas optime intellexit Demoſthenes, furem capitis ſupplicio exemerunt. Ita vero loquitur interprete Wolfio, *in Orat. contra Timocratem*: Atque Solon, (*inquit*) cui nec ipſe Timocrates, ſe ferendarum legum licentia conferendum eſſe cenſeat, nuſquam id egit, ut ejus generis homines impune & ſecure graſſari poſſent; ſed in hoc potius intentus fuit, ut vel non delinquerent, vel ut delictorum pœnas darent, legemque tulit: Si quis interdiu ſupra quinquaginta drachmas furatus fuerit, abduci liceat ad undecim-viros. Si quis vero noctu quodcunque tandem ſurripuerit, eum & occidere, & inter perſequendum vulnerare, & ad undecimviros, ſi cui lubet, abducere fas eſto. Convicto autem eorum facinorum, propter quæ in vincula licet abripi, non liceat datis vadibus ſatisfacere pro furtis, ſed mors pœna eſto. Ac ſi quis è Lyceo, aut ex Academia, aut Cynoſurge veſtem, aut lagunculam, aut quicquam aliud minimi pretii, aut aliquod vaſculum è gymnaſiis aut portubus ſurripuerit, ſupra decem drachmas, etiam his morte pœnas eſſe luendas conſtituit. Si quis vero privato judicio furti convictus fuerit, ei licere duplum ſolvere æſtimatæ litis: penes vero judices eſſe, furem propter argentum ad quinque dierum totidemque noctium vincula damnare, ut omnes eum vinctum eſſe videant. Etiam has leges paulo prius audiviſtis. Cenſuit enim flagitioſum hominem, non tantum rapinis reſtitutis, eſſe liberatum (quia magnum furum proventum eo quidem pacto fore cenſuit, ſi celato furto fruerentur, deprehenſo tantundem duntaxat ſolverent, quantum ſuſtuliſſent) ſed cum duplum oporteret ſolvere, tum in vinculis habitum, ſupra mulctam hanc, quod vitæ reliquum fuerit, exigere cum infamia. *Hactenus per interpretem ſuum Demoſthenes.* Placuit vero hunc locum, prolixiorem licet, hic exhibere, tum quod Demoſthenes juris Attici conſultiſſimus fuerit, tum etiam, ut patere queat, ſi quem alium, Solonem, furibus infeſtiſſimum fuiſſe. Etenim quid durius, quam

capitis ſupplicium illi decernere, qui è publico loco *ὑπὲρ δέκα δραχμάς*, hoc eſt, vix quatuor Carolinos florenos, furto abſtulerit? De balneariis, aliorumque publicorum locorum, furibus idem teſtatur Philoſophus Sect. 9. Probl. 14. ubi quærit, *cur ſi quis ex balneis furatus fuerit, aut ex palaſtra, aut ex foro, aut ex aliquo hujuſmodi loco, morte, qui autem ex domo privata in duplo furti pretio condemnetur?* Ratio vero, quam ibid. adducit, non diſplicuit quoque Plauto, quando Rud. 2. 3. ita loquitur: *Qui it lavatum in balneas, ibi cum ſedulo ſua veſtimenta ſervat, tamen ſurripiuntur. Fur facile quem obſervet, videt: cuſtos, qui fur ſit, neſcit.* Romanis eadem ſententia ſediſſe videtur. Notum illud Catulli in Vibennium: *O, furum optime balneariorum, Vibenni pater.* Quicquid aliis quoque videatur, antiquorum Romanorum leges nihilo mitiores legibus Athenienſium fuerunt. Ante jus XII. Tabularum furtum capitale fuiſſe, ignorare nos non ſinit Servius Grammaticus doctiſſimus. Qui ad verſ. 205. ſive ad hæc verba lib. 8. Æneid. *At furis Caci mens effera*, ſic commentatur: *Pro ingenti ſcelere*, furis *nomen poſuit. Capitale enim crimen apud majores fuit, ante pœnam quadrupli.* Eadem verbotenus habet Iſidorus lib. 5. Origin. cap. 26. ſolitus Servium exſcribere. Imo per ipſas LL. XII. Tabularum, furtum capitale fuiſſe, ignorare nos non ſinit Theophilus Juſtiniani Paraphraſtes §. 5. Inſtit. de perpet. & tempor act. ita loquens per interpretem: *Lex* (dicit) XII. *Tabularum, cum furti actionem daret, capitalem in furem pœnam conſtituit. Prætor vero pecuniariam.* Certe Tab. II. ita ſancitum fuit: *Si nox furtum faxit, Siim aliquis occiſit, jure cæſus eſto.* Tribonianus l. 4. §. 1. ff. ad Leg. Aquil. adducto Caii teſtimonio, perſuaſum vellet, hanc conditionem de interficiendo fure nocturno XII. velut Tabulis additam fuiſſe: *Ut tamen id ipſum cum clamore teſtificetur.* Sed aliud ſuadent Cicero, Seneca, & Auguſtinus, quibus mens Duodecim fuit exploratiſſima. Ita quippe Cicero Orat. pro Milone: XII. *Tabulæ nocturnum furem* quoquomodo: *diurnum autem, ſi ſe telo defenderit, interfici impune voluerunt.* Senec. lib. 10. Controv. ult. *Lex, quæ nocturnum furem occidi jubet*, quoquomodo *jubet, non de damnato tantum, ſed de fure loquitur.* Auguſtin. qu. 11. ſuper Exodum: *Hoc & in legibus antiquis ſecularibus invenitur, impune occidi nocturnum furem* quoquomodo: *diurnum, ſi ſe cum telo defenderit. Iam enim plus quam fur eſt.* Sumptum quippe hoc caput Legis fuit, ex LL. Solonis, quarum modo ex Demoſthene mentionem fecimus. Ulpianus Rhetor ad dictum Demoſthenis locum hanc rationem reddit.

cu

Digitized by Google

ἐν νυκτὶ κ̓ δύναταί τις βοηθοὺς καλέσαι αὐτῷ. Cæterum, quam durum eſt, cuilibet privato poteſtatem facere occidendi furem nocturnum, de cujus intentione ulteriori conſtare neutiquam poteſt? Lex Divina (ut ſupra audivimus) furem nocturnum, amplius ut effoſſorem conſiderabat. Ponamus vero, patrem familias negligentiorem, fores non clauſiſſe, atque aliquem ex prætereuntibus, qui nunquam furto maculaverit manus ſuas, favente nocte invitari ad auferendum aliquid ex ædibus tam male cuſtoditis, an licebit alicui ex domeſticis, impune eum occidere? Sed hoc tamen non minus permittit jus XII. Tabularum, quam Lex Solonis. Imo, ſic cenſuit quoque Democritus: nam teſte Stobæo, Serm. 42. ſtatuit innocentem habendum, qui nocturnum furem, aut latronem, manu, juſſu, aut ſententia occiderit. Cedo hic proportionem inter delictum & pœnam? Tribonianus furibus, ut poſtea videbimus, faventior, in partes ſollicitato Ulpiano leg. 9. ff. ad LL. Corn. de Sicariis, mitigare hanc pœnam aggreſſus eſt, ſic enim Ulpianum ipſum ſciſcentem introducit: *Furem nocturnum ſi quis occiderit, ita demum impune feret, ſi parcere ei ſine periculo ſuo non potuit.* Fateor, per leges Prætorias pœnam ſimplicis furti factam fuiſſe pecuniariam, ut modo nos docuit Theophilus, at, non audio hunc, quando porro l. d. ſic loquitur per interpretem: *Quoniam ergo jus quod ex Lege* XII. *Tabularum venit, propter aſperitatem exploſum eſt,* (διὰ τὴν τραχύτητα καταφρονήθη) *& magis jure Prætorio utimur (juſtum enim erat, ut qui in pecunia læſiſſet, & in pecunia plecteretur) ideo Prætoriam furti actionem vocamus.* Nego enim, aſperiùs hoc jus penitus exploſum eſſe. Nam valuit *primo* in caſtris. Teſtis eſt author graviſſimus Polybius lib. 6. cap. 35. ubi ſic per *interpretem*: Tenentur milites quidem (*inquit*) Tribunos obſervare, iiſque auſcultare, Tribuni vero Conſulibus. Et habet Tribunus poteſtatem mulctæ dicendæ, pignoris capiendi, virgis aut fuſtibus cædendi: idem jus eſt Præfectis in ſocios. Fuſte autem percutitur etiam is, qui aliquid è caſtris fuerit furatus, item qui falſum teſtimonium dixerit. *Hæc Polybius.* En, ut fuſtuarium caſtrenſi furto ſtatutum fuiſſe dicat? Erat vero ἡ ξυλοκοπία, ſeu, fuſtuarium, ſecundum eundem Polybium, *Pœna hujuſmodi. Tribunus fuſtem capit, eoque condemnatum quaſi attingit ſolum, quo facto, omnes legionarii, qua fuſtibus, qua ſaxis, inibi intra caſtra ut plurimum quidem ſontem necant: ſed, & ſi qui evaſerint, non tamen ſalvi propterea ſunt. Nam quæ illis ſalus, quibus in patriam quidem redire non licet? & quos neceſſariorum nemo auſit tecto recipere?* In ipſis XII. hujus

ſupplicii mentio fit, quod indicante Tab. VII. ſpeciatim ſubibant, infamium carminum auctores. Horat. lib. 2. ep. 1.

—— quin etiam lex
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quenquam
Deſcribi: vertêre modum, formidine fuſtis,
Ad bene dicendum delectandumque redacti.

Ad capitales vero pœnas pertinet, *fuſte feriri*, ut liquet ex *l.* 7. §. 1. *ff. ad l. Aquil. leg.* 1. §. 17. *ff. ad Sc. Silianian.* & *l.* 8. §. 1. *ff. de pœnis.* Ex quibus ll. patet, eodem ferme loco haberi fuſtem, atque gladium & telum. *Deinde* rigor LL. XII. Tabularum obtinuit perpetuo in agris: teſtis ſiquidem eſt Conſtantinus Harmenopyl. lib. 6. Prochir. cap. 5. jus ſemper fuiſſe furem nocturnum in agris occidendi, etiamſi miles eſſet, at in urbe non niſi telo uteretur. Verba illius ſic Latine habent: *Furem nocturnum extra urbem licet occidere, etiamſi miles ſit: eundem vero in urbibus non licet occidere, niſi telum circumferat.* Cujus rei hæc eſt ratio, quod frequentia & civium conſpectus injuriæ inferendæ occaſionem *tollat, ſolitudo afferat*, arg. l. ult. ff. Quod met. cauſſ. Quo facit quoque illud Ciceronis oratione pro Cęcinna: *Si quantum* (inquit) *in agro, locisque deſertis audacia poteſt, tantum in foro atque in judiciis impudentia valeret,* &c. Ergo, per leges Prætorias, non omnimodo, ſed ex parte ſolum temperatus fuit rigor LL. XII. Tab. quas enervavit penitus nimia clementia Imp. Juſtiniani, aut verius Triboniani erga fures indulgentia. Nam Novel. 134. in fine ſic decernit Imperator: *Pro furto nolumus omnino quodlibet membrum abſcindi: ſed aliter eum caſtigari. Fures autem vocamus, qui occulte & ſine armis hujuſmodi delinquunt. Eos vero qui violenter aggrediuntur aut cum armis, aut ſine armis, in domibus, aut itineribus, aut in mari: pœnis eos legalibus ſubdi jubemus.* Et tamen clementiſſimus hic Imper. qui tam diligenter cavit, ne corporali pœna afficeretur fur, voluit χειροκοπεῖσθαι, ſive, manus præciſione illum mulctari, qui aut ſuccidiſſet vitem alteramve arborem ad colligitantes pertinentem, aut, qui ſepes alterius inutiles reddidiſſet, ut docet nos idem Harmenopylus lib. 6. Prochir, tit. 5. & 7. Ergo, alterutra ex manibus fuerit ſecundum juſtiſſimum Juſtinianum amittenda, ſi quis duntaxat inutilem reddiderit alterius ſepem: interim citra metum quoque corporalis caſtigationis, licebit pauperi viduæ omnem ſuam ſubſtantiam eripere, atque eam *ad ignominioſam vitam tranſponere, & ad quotidiani victus, neque non amictus corporis inopiam adigere,*

Digitized by Google

adigere, ut cum inopiæ jugo, ad mortem uſque prematur opprobrio ignominiæ, prout idem Imp. loquitur Novella proxima. Amplius, quæ ratio, quod Imp. obſervarit leges XII. Tabularum, ratione arborum cæſarum, neutiquam tamen eas obſervari voluerit ratione furis nocturni? Per XII. enim Tabulas capitale erat, alienas arbores ſuccidere: ut patet ex Caii comment. ad LL. XII. Tab. adducto l. 2. ff. Arbor. furt. cæſar. Unde & Servius in Comm. ad 8. Eclog. Virg. ad hunc verſum; *Atque mala vites incidere falce novellas*, ſic inter alia commentatur: *Fuerat autem capitale ſupplicium, arbores alienas incidere.* Lubens agnoſco hic meam cæcitatem, nec perſpicere poſſum, quomodo hac in parte juſtitiæ diſtributivæ ſua ratio conſtet. Ut vero redeam ad XII. tabulas, ſecundum illas, diurnum quoque furtum longe ſeverius caſtigatum fuiſſe, quam permiſit clementiſſimus Juſtinianus, amplius non patitur nos ignorare A. Gellius, deinceps lib. 11. cap. ult. ita *loquens*: Ex cæteris autem manifeſtis furibus liberos verberari addicique juſſerunt ei, (*Decemviri* ſcil.) cui factum furtum eſſet, ſi modo id luci feciſſent, neque ſe telo defendiſſent: Servos item furti manifeſti prenſos verberibus affici, & è ſaxo præcipitari: Sed pueros impuberes Prætoris arbitratu verberari voluerunt, noxamque ab his factam ſarciri: *Hactenus Gellius.* Quæ ſi aliquis aliquanto diligentius voluerit expendere, jus XII. Tabularum, furtum quoque ſimplex, ſeveriſſime caſtigaſſe videbit, atque favere illi ſententiæ, quam juri Gentium conſentaneam eſſe, defendimus. Quod vero à XII. Tab. poſtea per jus Prætorium fuerit receſſum, neutiquam factum eſt, intuitu juſtitiæ, ut perſuaſum vellet Theophilus. Nam per LL. haſce (quæ à Tacito lib. 3. Annal. vocantur *finis æqui juris*) *bene humano generi proſpectum fuit*, ut ipſe Imperator Juſtinianus dicit in initio l. 14. *Cod. de Legit. hered.* Quare neutiquam argui poſſunt aut injuſtitiæ, aut iniquitatis. Sed rigor antiqui carminis caſtigatus eſt, quod hoc exigeret mutata reip. facies. Nam, ut eleganter adverſus Favorinum, Legum harum aſperitatem incuſantem, apud Gell. lib. 20. Noct. Att. cap. 1. Sextus Cæcilius *diſſerit*: Nec ideo contemnas legum iſtarum antiquitates, quod pleriſque jam ipſe populus Romanus uti deſierit: non enim profecto ignoras legum oportunitates & medelas pro temporum moribus & pro rerum publicarum generibus, ac pro utilitatum præſentium rationibus, proque vitiorum, quibus medendum eſt, fervoribus, mutari atque flecti, neque uno ſtatu conſiſtere; quin ut facies cœli & maris, ita rerum atque fortunæ tempeſtatibus varientur. *Hæc eo loco Cæcilius.*

Scil. quo tempore Roma cœpit divitiis affluere, atque univerſi orbis theſauros mœnibus ſuis concludere, minus curari cœpit furtum. S. P. Q. R. exiſtimavit ſatis eſſe, furtum pecuniaria mulcta caſtigare, quod civibus univerſus ad ſarciendum damnum orbis pateret: quam ob cauſſam quoque leges ſumptuariæ, ſpeciatim Licinia & Fannia abrogatæ ſunt. Atque, ut prudenter eodem loco Cæcilius differit: ***Omnia hæc obliterata & operta ſunt civitatis opulentia, quaſi quibuſdam fluctibus exæſtuantis.*** Ut enim leges pœnis firmantur boni publici ergo; ita perpetuo attendi debent ſtatus & conditio ipſius reip. prout antea & in genere oſtendimus, & in ſpecie verum eſſe evicimus, ratione ipſarum Dei legum. Et hactenus quidem Athenienſes, ac Romanos, ſeveriſſimos, etiam uſque ad capitis ſupplicium, furti vindices fuiſſe, ex iis, quæ diximus, patet. Eorum exemplum ſecuti fuerunt antiqui Scythæ, quibus non ſine ratione applicare licet, quod Tacitus de Germanis dicit cap. 19. *Plus ibi boni mores valuerunt, quam alibi bonæ leges.* Ita autem de illis Juſtinus lib. 2. cap. 2. ***Nullum ſcelus apud eos furto gravius: quippe ſine tecti munimento pecora & armenta habentibus, quid ſalvum eſſet, ſi furari liceret?*** à Scytharum antiquorum inſtitutis non recedunt moderni Tartari, eorundem poſteri, de quibus ſpeciatim conſulendus eſt *Matth. à Michovv. lib. 1. de Sarmatia Aſiana, cap. 6.* Item, plerique Americæ incolę, quos veroſimile eſt Scythicę originis eſſe: quomodo ſpeciatim *Gonzal. Oviedo lib. 5. Hiſt. Ind. cap. 3.* notat de incolis inſulę *Hiſpaniola*, quod fures, ob leviſſimum quoque furtum, acuminato palo, per corpus transfixo, imponere conſueverint. Qui apud Phryges agriculturæ inſtrumentum ſurripuiſſet, morte mulctabatur: apud Lycios vero, ſi liber homo furtum perpetraſſet, pœna ſervitutis ei irrogabatur, prout de utriſque teſtatur *Nicol. Damaſc. libel. de Morib. Gent.* Apud antiquos Cimbros extant Frothonis 111. leges, quibus ut furibus ultimum ſupplicium irrogatum eſt, ita ſpeciatim ***furti pœna recidebat in eum, qui furi ignoverat***, prout teſtis eſt Pontanus lib. 1. Hiſt. Dan. Apud antiquos quoque Hungaros, juxta decreta *S. Stephani lib. 2. cap.* 41. tertium furtum capitale erat. Legibus Wiſigothorum, ut patet ex lib. 7. tit. 2. §. 13. mulctæ pecuniariæ verbera fuerunt addita, ita quippe verba legis habent: ***Cujuslibet rei furtum, & quantalibet pretii æſtimatione taxatum, ab ingenuo novies, à ſervo vero ſexties, ei, qui perdidit, ſarcietur, & uterque reus C. flagellorum verberibus coerceatur. Quod ſi aut ingenuo deſit unde componat, aut dominus componere pro ſervo ſuo non annuat, perſona,***

qua

Digitized by Google

qua ſe furti contagio ſordidavit, ſervituta rei domino perenniter ſubjacebit. Secundum LL. Gundebaldi Burgundionum Regis, abigeatus morte punitur tam in ingenuo, quam ſervo, omne autem furtum ſimili pœna in ſervo. Dic vero hic proportionem, qui eam tam exacte urges. Quæ omnia ſi quis attenta mente expenderit, haut iraſcetur Friderico Ænobarbo Imp. quod reſtem furibus, emendari neſciis, deſtinarit, *libr. Poſt. de Feud. tit.* 27. §. *Si quis quinque*: maxime, ſi notaverit, Imperatorem, legem illam, pro obtinenda *Pace*, attemperaſſe turbulentis bellorum motibus. Quam ſeveritatem in caſtris quoque idem Imp. ſtrictiſſime exerceri voluit. Ita enim Guntherus Ligurinus poëta, ſupra ſeculum, quo vixit, cultus lib. 7. ex mente hujus ipſius Barbaroſſæ:

Servus deprenſi convictus crimine furti,
Si fur ante fuit, probroſa morte peribit:
Sin minus, abraſo ſignatus vertice frontem,
Verbera dura feret, caſtriſque fugatus abibit,
Ni fuerit domini ſpoliis, armiſque redemptus.

Nec eſt, quod aliquis iraſcatur quoque Carolo v. Imperatori juſtiſſimo, quas enim, ſive meis Ultrajectinis, ſive aliis populis leges tulit, examinandas ante dedit Icc. & viris ſummis, quos plurimos ſemper circa ſe habere ſolet. Eadem alias ratione, idem iraſcatur Illuſtriſſimis & Potentiſſimis Ordd. fœderati Belgii, ſiquidem lege militari tertia, omnibus furtis indiſcriminatim, à militibus commiſſis, ultimum ſupplicium, ſive pœnam capitalem, decernunt. Paucorum Icc. ſententia privata, exacta imprudenter ad privatam ſententiam quorundam Theologorum, alias Orthodoxorum, non poteſt ulla ratione præjudicare tot rationibus, jam antea adductis. Atque Martyris, Muſculi, Danæi, Junii, Piſcatoris, Riveti, & Ameſii authoritati, quam, exemplo Patris, ſollicitat D. Antonius Matthæus F. opponere licet authoritatem Calvini, & Melanchtonis, (pro noſtra ſententia conceſſam ab eodem D. Matthæo) quod hi duo, magno ſuo merito haberi mereantur πολλῶν ἄλλων ἀντάξιοι. Quid quod Ariſtoteles noſter, qui calculo ipſorum adverſariorum ſuorum, Philoſophiæ Practicæ conſultiſſimus fuit, in noſtram ſententiam inclinet. Sect. 29. Probl. 16. ita lego: *Cur furti mors eſt pœna; injuria vero, exiſtente majori injuſtitia æſtimare oportet pœnam, aut pœnam pendere? An quod injuriam facere, humana eſt paſſio, & omnes plus, aut minus eam participant: furari autem non eſt neceſſarium. Et quia dum nititur furari, & injuriam inferre, praeligit.* Miror vero D. Matthæum Juniorem, in partes

ſuas

Digitized by Google

ſuas ſollicitare quoque Grotium, non apte conſultis ſuis Theologis, qui vivo quoque Grotio, per me Socinianiſmum eidem affricare laborarunt. Certe Sociniani, qui, per magiſtratum ſanguinem effundi nolunt, & proinde carnifices quoque execrantur, furtum nolunt eſſe capitale crimen, ut ſpeciatim patet ex eorum Faſciculo, evulgato à D. Cloppenburgio. At interim furtum, præ ullo alio crimine ſemper probroſum fuit habitum, & viri generoſi mortem furto prætulerunt. Ex pluribus, quæ ad manum ſunt, adduco unum Oroſium lib. 4. Hiſt. adv. Gentes cap. 13. ſub finem ita loquentem: *Fabius Cenſorius Fabium Butteonem filium ſuum furti inſimulatum interfecit, dignum ſcil. facinus, quod pater vel parricidio plectendum duceret, quod ne leges quidem, niſi multa pecunia, aut ad ſummum exilii, circa quemlibet hominum cenſuerunt.*

VI. Quum hactenus ergo evictum fuerit, ſimplici furto, ex juſtitiæ quoque præſcripto, capitis ſupplicium decerni poſſe, amplius deſpiciendum de ἐπιεικείᾳ, quę hic poſſit ad modum temperamenti adhiberi: qua occaſione ſimul occurremus variis objectionibus. Videntur vero Legiſlatores, non minus convenienter, quam prudenter, quod æquum & juſtum definiviſſe, quando laqueum decernunt illi demum, qui poſtquam bis pœnas ob furtum perpetratum dederit, tertia vice iterum in ſimili delicto deprehenditur. Contra quod moderamen, non video cur diſputare inſtituerit D. Antonius Matthęus Junior, Ic. alias accurratus, in *Tract. de Criminibus*, pag. 103. & ſeq. Audio quidem dici: *Poſito, incorrigibilem è medio tollendum eſſe, unde certi ſumus, eſſe incorrigibilem, qui tertium furatus eſt.* Sed reſpondemus 1. Hoc, quod vir eximius ſolummodo hypothetice ſupponit, ſimpliciter verum agnoſci debet, ſervitque tranquillitati humanæ ſocietatis. Quod liquet ex ipſa analogia juris Divini, quo patri datur actio, uſque ad judicium lapidationis, adverſus filium prodigum, qui nulla paterna correptione emendabatur, Deut. 21. verſ. 18. & ſeqq. Verba Textus ita habent: *Si cui fuerit filius contumax & rebellis, qui non auſcultat voci patris ſui & voci matris ſuæ; quamvis caſtigaverint eum, tamen non auſcultat illis: Ideoque prehendentes eum pater ejus & mater ejus; produxerint eum ad Seniores civitatis ſuæ, & ad portam loci ſui dicentes Senioribus civitatis ſuæ, filius noſter iſte contumax & rebellis non auſcultat voci noſtræ: comeſſator & ebrioſus eſt: Tunc obruent eum omnes cives ejus lapidibus, ita ut moriatur, & tolles malum illud è medio; ut omnes Iſraëlitæ audiant & timeant.* Audio quidem Reyneſſium noſtrum pag. 207. ſic cornicantem: *Lex hæc intentum non probat; ſed ob ſcelera damnabant,*

quod

Digitized by Google

quod domi rebellis eſſet, foris bonorum dilapidator. At quis non miſereatur hominis, quod legere non potuerit illa, quæ in ipſo Textu occurrunt? An non ipſa Parentum querela de filio ut immorigero, eo vergit, ut eâ, judici oblatâ, ſignificare velint, filium ſuum immorigerum, ideo ad judices à ſe deferri, quòd eidem caſtigando ipſi amplius non ſint pares? 2. Ternarii numeri (quem Pythagoras, ut ex Jamblicho conſtat, titulo τῆς δίκης condecorare ſolet) circa furem mortis ſupplicio afficiendum, ideo dici poteſt, haberi à Legiſlatoribus rationem, quod ipſa Scriptura, tres quatuorve defectiones, multarum loco habere conſueverit. Notum illud Amoſi cap. 1. *Propter tres defectiones Damaſci*, &c. Atque, in eadem Scriptura, *ter* illud fieri dicitur, quod crebro fit, Job. 33. 29. 2.Cor. 12. 8. & alibi. 3. Liceret mihi inferre adverſus virum egregium, furem ne quidem ultimo ſupplicio afficiendum eſſe, quando ſepties & octies quoque pœnas dederit, quod poſſit adhuc ſupereſſe ſpes emendationis: ſed, an interea licebit homini, publice inutili, graſſari in fortunas alienas? Quum conſtet, multos ex hominibus trium literarum, virgas & forfices non curare, atque vix vincula iis coërcendis ſufficere, cum & validiſſima quoque perrumpere ſciant. 4. Legiſlatores ex tertio furto animum furis incorrigibilem arguentes, pariter providere voluerunt, ne per eum ulterius humana ſocietas læderetur, quam integram præſtare ante omnia illi ipſi debent. Pergit D. Matthæus atque ita loquitur: *Si ob damnum tertium, ſi ob tertiam injuriam nemo capite punitur, cur ob tertium furtum furi gula frangatur? non enim levius omne damnum furto eſt.* Leg. illud quæſitum 32. D. ad legem Aquiliam *furtum pleriſque injuriis levius.* Reſp. 1. Hæc eſſe imparia: nam damnum poteſt magis præcaveri quam furtum. Damnum, quod ſæpius culpa quam dolo committitur, ab inferente facilius ſarcitur, quam à fure (in quo merus dolus) recuperari queat res furtiva. 2. Atque hinc in d. l. 32. quæ nobis nequaquam officit, dicitur à Gajo, *interdum* ratione damni *leviorem cauſſam delicti eſſe; veluti ſi culpa, & non dolo, damnum daretur*: quum, innuente aperte Ic. in furto ſemper dolus interveniat. 3. Neutiquam in dicta lege furtum & damnum adæquantur, ſed ratio inquiſitionis, ſi ſcil. à familia fuerit aut damnum datum, aut furtum commiſſum: nam ut furtum familię ſarcit dominus, ac ſi unus liber idem commiſiſſet, *ne ex uno delicto tota familia dominus careat*; ita ob hanc eandem cauſſam, ſimili ratione dominus damnum ſarcit, à tota familia datum. Adeo, ut non inconvenienter Gl. huc referat vulgatam regulam: *Ubi eadem ratio, ibi idem jus.*

Digitized by Google

Inſtat vir Celeberrimus, atque ita deinceps ſcribit: *Sed imprimis movet* l. 4. Cod. de ſerv. fugit. *ubi Conſtantinus eum, qui tertium ſervum alienum celaſſe convictus erit, non capite, ſed tribus aliis ſervis, vel ſexaginta ſolidis mulctat; cum tamen certum ſit, toties furtum eum admittere, quoties fugitivum celat*, l. 1. D. de fugit. Reſp. 1. At hoc nequaquam me movere poteſt, quum Tribonianus, qui non niſi mulcta pecuniaria furtum expiari voluit, non potuerit aliam pœnam ſtatuere ei, qui alienum ſervum tertio celabat. Nam, ut tertio furto, per Tribonianum, non niſi mulcta pecuniaria definita fuit, ita non potuit non idem quoque Tribonianus, quo ſibi conſtaret, nec contradiceret, locum dare Conſtantini Conſtitutioni. 2. *Imprimis* vir eximius *moveri* poſſet hoc argumento, ſi is, qui alienum ſervum celat, fur improbior foret. Sed hoc non dicit Ulpianus in d. l. 1. ubi hęc duntaxat lego: *Is, qui fugitivum celavit, fur eſt.* Poſtremo D. Matthæus ita argumentatur: *Ne militaris quidem diſciplina tertium deprehenſo mortem irrogat, ſed ei, qui ter ob idem admiſſam jam mulctatus erat, ut ſcribit Polybius lib.* VI. *Cum autem diſciplina militaris civili longe aſperior ſit, cur non quartum potius furtum, quam tertium, capite puniendum cenſuerunt interpretes?* Reſp. 1. Quid ſtatutum vero ſit legibus Militaribus Dnn. Ordd. modo innuimus, atque conſuli poteſt *den Artikul-brief.* Amplius, ex Polybio jam diu eſt quod oſtenderimus, apud ipſos Romanos furto caſtrenſi ſtatutum fuiſſe fuſtuarium. 2. Ergo conſequens eſt, Polybium eſſe intelligendum de militaribus delictis levioribus. 3. Furti tolerantia in fure, qui habitum furandi contraxit, animum ad furandum fere ei addit, ut experientia quotidiana conſtat. Atque hæ ſunt rationes Ic. dum viveret ſummi, quas citra odium, cujus cauſſas procul habeo, breviter & modeſte examinare volui. Aſſentior vero lubens eidem, quando patrii ſtatuti moderamen ἐπιεικὲς commendat, exhibendo ſimul hæc illius verba: *Ob tertium furtum fur omnino ſuſpenditor, niſi commiſeratione ætatis, aut alia pregnanti de cauſſa judici aliter viſum ſit.* Sed, ut facile largior, *inter juſtas cauſſas* referri poſſe *tria furta levia*; ita voluiſſem, vir in ſcribendo accuratus, definiviſſet, an judex neceſſario ſemper cogatur habere reſpectum ætatis minorennis, ad mitigandam pœnam, an vero hoc faciat libere? Quæ enim in utramque partem diſcutit *Maranta part. 4. diſt. 1. num.* 84. hactenus mihi ſatisfacere non poſſunt. Preterea, non injuria alicui oboriatur hic ſcrupulus, an hoc etiam ferreo ſeculo, atque ſub mundi ſenectam, minorennis ætatis, quod ad diminuendam pœnam, ſpeciatim quoque furti,
à judice

Digitized by Google

à judice ratio haberi poſſit? Notum illud Horatii lib. 3. Od. 6.

Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Atque de ſua ætate jam olim ſcripſit *Marſil. in l. infans. ff. ad leg. Corn. de Sicar.* quod infantes ſexto ætatis ſuę anno callidiores, & doli capaciores eſſent, quam olim fuerant anno decimo quinto. Quomodo & Jodocus Damhouderus in Praxi Criminali cap. 84. num. 5. dicit: *Noſtris quoque comperimus temporibus, quod in iis pueri nequiores ſunt, & viciis magis dediti, quam priſcis fuerant temporibus.* Ego hactenus ἐπέχω, alio forte tempore plenius hanc quæſtionem excuſſurus. Ut vero redeam ad pœnam furti, ne capitalis illa evadat, ita differunt Sociniani, in Compendiolo Socinianiſmi, evulgato & refutato per D. Cloppenburgium: *Pœnas capitales in furibus minime admittunt*, (ſcil. Sociniani) *quos potius, more apud Turcas & Perſas recepto, vellent alia leviore pœna affici: ut videl. mitella, vel notabili aliqua veſte amicti, publicas vias inſtaurarent, aut aliis ejuſmodi laboribus, vel ad tempus, vel in perpetuum addicerentur.* Reſp. 1. Haut mirandum, aſſeclas Socini, hæreticorum primipili, infeſtos eſſe capitali furum ſupplicio, ſiquidem in univerſum ipſi Magiſtratui gladium, ſcelerum vindicem, eripiunt. Ita quippe loquuntur hi iidem: *Docent, Chriſtiano quidem licere Magiſtratum gerere, modo non utatur gladio, ad fundendum ſanguinem: quia putant in N. T. non licere fidelibus, ut quenquam morte afficiant.* 2. Remedia correctoria, quæ capitali ſupplicio ſubſtituuntur apud Moſſemanos, mox quoque locum habere non poſſunt per univerſum terrarum orbem. Una quoque gens, non poteſt alterius gentis qua libertati, qua moribus, in pœnarum irrogatione, præjudicare: quum in coërcendo, non tam res quæ violantur, quam qualitas delicti ſit attendenda, an videlicet & quatenus remp. & ſalutem communem lædat, ad cujus conſervationem omnes leges ſunt *referendæ, ut* pręclare ex *VVeſemb. in parat. ff. de furt. num.* 15. oſtendit Sande lib. 5. Deciſ. Friſ. Tit. 9. def. 9. Atque ſi ratione pœnæ una gens alteri poſſit legem definire, abſurdę, imo ſæpe ridiculæ legis authoritas attendenda erit. Burgundionum vetuſtorum hæc lex fuit: *Si quis canem, vel fixum, vel ſegutium aut petrunculum præſumpſerit involare, jubemus ut convictus, coram omni populo poſteriora ipſius oſculetur.* Sed, quis obſervationem hujus legis aliis in

exemplum commendare voluerit? 3. Inter nos recepta ſunt ergaſtula, haut leviora opere metallico, ad quod olim ſontes condemnari ſolent. Experientia vero conſtat, paucos emendari: qui enim ad certos annos duriſſimo labore in iis exerciti quoque ſunt, quando dimittuntur, deteriores fere exeunt, atque mox ad ingenium redeunt. 4. Quid quod omne illud, quod ergaſtularii laborando lucrantur, cedat ergaſtulorum curatoribus, non vero iis, quibus furto res fuerit ſubducta; quum tamen his ante omnia ſatisfieri deberet, ſecundum hypotheſes horum hominum, ſtricte inhærentium literę legis Divinæ, quam cæremonialem ex parte agnoſcendam eſſe, antea evicimus. 5. In ſumma, ut finiam, quemadmodum in irrogatione pœnarum, earum quoque quæ ſpeciatim furtum concernunt, ſemper attendi debet quid reip. ratio & ſalus exigant; ita cogitandum quoque (ut jam antea notabamus) ſub hanc mundi ſenectam, aſperioribus remediis opus eſſe. Ut enim recte per Interpretem Diodotus apud Thucydidem lib. 3. diſſerit: *Veri ſimile eſt mitiores pœnas olim in maxima ſcelera conſtitutas fuiſſe. Sed cum temporis progreſſu violarentur, ad mortem pleræque proceſſerunt.* Eoque, ſi forte aliquando videatur ratione pœnarum occurrere ὑπερβολικόν τι (quod notat in Davidis judicio, 2. Sam. 12. Procopius Gazęus à Meurſio editus) imputari debet rationi loci & temporis.

VII. Priuſquam miſſam facio hanc de furti pœna Exercitationem, verbo expendere debeo rationem Abigeatus, quod crimen nollet capitali ſupplicio affici D. Matthæus, tum l. d. tum etiam in eodem opere de Criminibus pag. 232. quod neque Dei lex ultimum ſupplicium decernat, neque jus Civile quoque. Sed in Dei lege de re furtiva, pecudum duntaxat mentio fit, quod in illis fortunæ Iſraëlitarum conſiſterent; eoque, quæ de pœna furti antea diximus, volumus applicari ſpeciatim Abigeatui. De jure Civili major eſt controverſia. Notum eſt reſcriptum Adriani, hiſce Ulpiani quaſi verbis à Triboniano in Pandectis exhibitum l. d. de Abigeis: *De abigeis puniendis ita D. Adrianus conſilio Utica reſcripſit: Abigei cum duriſſime puniuntur, ad gladium damnari ſolent; puniuntur autem duriſſime non ubique, ſed ubi frequentius eſt id genus maleficii, alioquin & in opus, & nonnunquam temporarium dantur.* Cujacius Icc. alpha, cui aſſentitur D. Matthęus, producto Ruffino, lib. 13. Obſerv. cap. 10. probat hoc, quod ſequitur, genuinum D. Adriani reſcriptum fuiſſe: *Ideoque puto apud vos quoque ſufficere genus pœnæ, quod maximo huic maleficio irrogari ſolet, ut ad gladium abigei dentur: aut ſi quis tam notus & tam gravis in*

Digitized by Google

abigendo fuit, ut prius ex hoc crimine aliqua pœna affectus ſit, hunc in metallum dari oportere. Atque ſimul infert, per *gladium* in reſcripto D. Adriani, non eſſe intelligendum ultimum ſupplicium, ſed ludum gladiatorium. Quod nos libentiſſime damus: neque enim putamus Adrianum aliam pœnam in animo habuiſſe. Sed hoc dicimus, Tribonianum more ſuo, interpolaſſe D. Adriani reſcriptum, atque gladium (falſo prætexendo authoritatem D. Adriani) de pœna duriſſima, ſeu capitali omnino eſſe intelligendum, qua Juſtinianus cum ſuo Triboniano voluerit Abigeatum expiari. Nam, ex mente horum Duumviorum, (ut jam diu ab aliis eſt obſervatum) non poſſe intelligi *ludum gladiatorium*, inde patet, quod Juſtinianus probarit reſcriptum Conſtantini *leg. unic. Cod. de Gladiat.* de gladiatoribus penitus tollendis. Iis, qui ſic nobiſcum reſpondent, ſequentia l. d. ſive pag. 234. regerit D. Matthæus: *Fruſtra timent, ne gladii verbum otioſum ſit: cum & ludis antiquatis, id tamen verbum nos doceat, quanta huic crimini pœna debeatur. Quanquam & pro certo ſumunt, quod Cujacius eis non largitur: qui cruenta quidem gladiatorum ſpectacula, à Conſtantino ſublata fatetur; ludum negat.* At hęc me parum movent. Nam 1. reſpondeo, ludicrum V. C. foret, ſi judex, qui nollet extare memoriam ergaſtulorum, aliquem ad pœnam ergaſtuli condemnaret. 2. Quanquam Adrianus non putarit ſuum gladium, ſive gladiatorium ludum, eſſe duriſſimam pœnam; Tribonianus tamen *gladium* D. Adriani, è propria ſua mente interpretatus eſt, & intelligi voluit de pœna *duriſſima.* 3. Do lubens, lata à Conſtantino lege, de tollendis gladiatoriis ſpectaculis, cujus meminit ſpeciatim Euſebius lib. 4. de Vita Conſtant. mox ludum non fuiſſe everſum: quum ſub Theodoſio & Valentiniano, quidam meditati fuerint in eum gladiatores iterum introducere, atque ſpeciatim ſub Conſtantio fuerint permiſſi hi ipſi ludi, ut patet ex Conſtantii lege que eſt *l. 3. Cod. Theod. de Paganis.* Unde ipſe quoque Auguſtinus queritur lib. 6. Confeſſ. cap. 8. *Alypium ſuum, gladiatorii ſpectaculi inbiatu incredibiliter abreptum fuiſſe.* Interim certum eſt, per Honorium, hoc eſt, ferme LXXX. annis ante Juſtinianum, & gladiatores, & ludum, penitus ſublatum fuiſſe, ut fuſe legere eſt apud Theodor. lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 26. adeo, ut Juſtinianus interpolator reſcripti D. Adriani, per ſuum Tribonianum, per *gladium* non potuerit intelligere niſi ultimum ſupplicium.

Digitized by Google

EXERCITATIO XXVIII.
DE
DE USURA TRAPEZITICA.

1. *COnflictus non minus inter antiquos, quam recentiores Theologos, eoſque Orthodoxos quoque intercedit, an uſura ullo modo ſint licitæ? Simul explicatur, quid ſit uſura.*
2. *Eas toto genere malas non eſſe oſtenditur non minus ex Scriptura, quam ad ea reſpondetur, quæ in contrarium adduci ex eadem ſolent.*
3. *Uſura moderata & limitata conſentanea ſunt juri Naturali.*
4. *Modum iis definire debet Magiſtratus: ubi & agitur de Centeſima & unciario fœnore.*
5. *Menſa uſurariæ, quæ in Belgio exercentur, moderante & permittente eaſdem Magiſtratu, exercentur.*
6. *Imo alicubi exercentur ab ipſo Magiſtratu.*
7. *Adeo, ut circa illas nihil occurrat, quod aut Scripturæ, aut juri Naturali adverſetur.*
8. *Unde neque magis ſunt execrandæ, quam Montes Pietatis, ſi non his ſunt meliores.*
9. *Reſpondetur ad ea, quæ vulgo in contrarium objici ſolent.*
10. *Eoque nulla eſt ratio, cur exercitores earum Menſarum, quà tales, aut à ſacra cœna, aut à Collegio Seniorum, & Diaconorum arceri debeant.*
11. *Atque idem judicaturos eſſe omnes æquos & moderatos Theologos, confiditur, etiamſi cum ſuis D. Voetius obſtrepat.*
12. *Quinam ad exercitium harum menſarum ſint admittendi?*

1. QUanquam ὁ πάνυ Dn. Salmaſius, non minus prolixe, quam ſolide, excuſſerit, quid æſtimandum ſit de Trapezitarum menſis, quibus D. Voetius à pluribus annis infeſtiſſimus eſt; non credo tamen vitio nobis datum iri, ſi hac Exercitatione breviter mentem noſtram propoſuerimus. A voce, ut incipiam, *uſura* (ut pueris quoque notum eſt) ab uſu nomen habet, &, ut ſæpe pro uſu in genere ſumitur, ita, in numero multitudinis potiſſimum, ordinario pro uſu

Digitized by Google

uſu pecunię accipi conſuevit. Alias *fœnus* dicitur, non quod hæc vox uſuræ ſit ſynonyma, ſed, quod per Synecdochen uſuræ æquivaleat, ut erudite obſervatum fuit à D. Salmaſio Tract. de Uſuris pag. 121. A Græcis dicitur τόκος, à verbo τίκτω: quia per uſuras numus quaſi numum progenerat. Ebręi duo potiſſimum uſitata vocabula habent, atque ratione debitoris, conſiderato ordinario uſurę effectu, eam vocant *neſchech* à *naſchach*, mordere; quod arrodere conſueverit facultates illius, qui uſuras ſolvit: ratione vero creditoris, eam vocant *tarbith* à *rabba*, *multus fuit*; quod adaugeat opes illius, cui uſuræ ſolvuntur. Uſurarum rationem pulchre tetigit Flaccus lib. 1. Sat. 2.

Dives agris, dives poſitis in fœnore nummis.
Quinas hic capiti mercedes exſecat, atque
Quanto perditior quiſque eſt, tanto & cujus urget.

Quo in loco ut ipſam ſortem *caput* vocat, ita ſortis fructum, qui Latinis (ut diximus) *uſura*, ſive *fænus* eſt, *mercedem* dicit, cujus vocabuli alias proprie uſus eſſe ſolet in locatione. Convenienter vero *uſura* ex Salmaſio l. d. pag. 270. deſcribi poteſt; *Merces pro uſu rei mutuatitiæ ex pactione præſtanda.* Aut potius, quia merum mutuum non debet perpetuo reſpici: *Fructus debitus quaſi ex juſtitia, conferendus præter rem, quæ finito uſu eſt reſtituenda.* Quidam, ſi non multi quoque Theologi, non modo diſtinxerunt inter Ebręorum *neſchech* & *tarbith*, verum etiam inter Latinorum *fœnus* & *uſuram.* Sed præter juſtam & ſufficientem cauſſam. Nam quamvis viri egregii, & inter illos Antonius Matthæus Senior, Ic. quantivis pretii, in Diſputationibus Miſcellaneis, dicat, *fœnus eſſe lucrum petentium, quod de mutuo debitor à creditore exigat, uſuram vero lucrum non eſſe, ſed propter moram non ſolventium infligi*; fundamento deſtituitur. Eoque, ſepoſitis hiſce diſtinctionibus, plane inutilibus, & ad rem non facientibus, initio debemus expendere, an uſura quoque licita ſit, quam agere poſſimus de tali uſura, qualem publica authoritate (hoc enim perpetuo ſupponi debet) illi exercent, qui odioſo nomine *Longobardorum* vulgo traducuntur. Fateor, Theſin admodum diligenter excuſſam fuiſſe à quatuor ſummis Theologis, nempe D. Riveto in Explicat. Decal. pag. 366. & ſeqq. D. Ameſio lib. 5. de Conſcient. cap. 44. §. 6. & ſeqq. D. Spanhemio Dub. Euangel. 127. & D. Cloppenburgio: vitio tamen nobis datum iri non credimus, ſi quædam, quæ à tantis viris dicta fuerunt, cum quodam ſuperpondio repetierimus. Etſi vero diffiteri non liceat, præter Gentiles plurimos

(eorum

(eorum ſententias exhibet D. Spanhemius d. l. §. 3. quibus addendus Ariſtoteles lib. 1. Polit. cap. 6. & 7. item 4. Ethic. cap. 1.) antiquos Patres fænori fuiſſe infeſtiſſimos, ſpeciatim Baſilium Magnum in Pſ. 15. Gregorium Nyſſenum Homil. 4. in Eccleſiaſt. Hieronymum in Pſ. 54. & lib. 6. in Ezech. cap. 18. Auguſtinum in Pſ. 36. Lactantium lib. 6. Inſtit. cap. 18. Ambroſium lib. de Tobia, cap. 13. Chryſoſtomum in cap. 5. Matth. & Bernhardum Epiſt. 322. quorum verba citantur partim apud Gregorium de Valentia Tom. 3. Diſput. in Thomam ſect. 5. quæſt. 21. punct. 1. §. 2. partim apud Gerhardum Tom. 6. LL. CC. pag. 912. & ſeq. Quod vero Thomas Aquinas Scholaſticorum Alpha 2. 2. æ, qu. 78. art. 1. ſtatuat, *accipere uſuram pro pecunia mutuata eſſe ſecundum ſe injuſtum*: atque jus Canonicum 14. q. 4. *cap. Si quis oblitus*, uſuris infeſtum ſe præbeat, omnes tum Scholaſtici, tum Canoniſtæ ἄσπονδον πόλεμον non modo uſuris indixerunt; verum ut hæreticis quoque inclementer dicunt omnibus, qui pro uſuris legitimis unquam ſteterunt. *Inde hæc legas apud Gregorium de Valentia l. d.* In primis quidem ex fide certum eſt, Uſuram hujuſmodi eſſe peccatum. Ita enim eſt definitum in Clement. unica de Uſuris, ex Concilio Viennenſi ſub Clemente v. ubi dicitur, eſſe puniendos tanquam hæreticos, qui id negent. Negant id autem Albanenſes, teſte Antonino 4. parte Theolog. tit. 11. cap. 7. §. 5. & ſchiſmatici Græci, ut refert Guido Carm. in Catalogo hæreticorum. Sed falſo & hæretice id iſti negarunt. Sicut etiam impie & hæretice Carolus Molinæus in tract. de Commerciis & Uſuris, præſertim initio, & quæſt. 2. & quæſt. 74. contendit non omnem hujuſmodi Uſuram eſſe peccatum, ſed tantum eam, quæ ſit *exceſſiva*, hancque ſolam in Scripturis damnari. Quod dogma plane hæreticum eſt, & non niſi imperitiſſimis argumentis &c. ab illo auctore propugnatum in illo ſuo tractatu, qui & ſub ementito nomine Gaſparis Caballini, Anno 1576. quaſi Venetiis impreſſus ſine ullo Typographi nomine in lucem editus eſt, neſcio quibus uſurariis obſtetricantibus. *Hactenus ille.* Porro, à Pontificiorum Doctorum opinione in Papatu, inſtar articuli fidei adhuc obtinentis, non recedit Lutherus, cum primis illis Theologis, qui pro cauſſa ejuſdem, quæ ipſa Dei cauſſa erat, ſub initium Reformationis caput ſacrarunt. Lutheri mens colligi poteſt, *Tom. 1. in ſerm. de uſuris* fol. 188. *& ſeqq. Tom. 7. Germ. Ienenſ. pag.* 389. *fac.* 2. §. 2. quam (ut Lutheri ipſius ſententiam) ſignantius expreſſit fidus ejuſdem Achates Philippus Melanchton in Epitom. Philoſ. Moral. quæ edita eſt tum
anno

anno 1542. tum anno 1557. in Catechiſmo edito anno 1543. item in Annotat. in Matth. publicatis anno 1558. (eoque ut aliena à Philippi mente, rejicio illa, quæ D. Cloppenburgius adducit è Conſiliis Theologicis à Pezelio editis, quorum alias pleraque ſunt ſuppoſititia) item Brentius in caput quintum Levitici pag. 125. fac. 1. §. 3. & fac. 2. q. 1. idem in Comm. in Pſ. 15. ed. anno 1565. Urbanus Regius in ſuis locis Commun. edit. anno 1545. Hieronymus Wellerus in Comment. in Pſ. 15. Quos omnes authores adducit Philippus Cæſar, Superintendens Gottingenſis, qui peculiari tractatu anno 1569. omnem in univerſum uſuram oppugnavit. Auguſtanæ confeſſionis Theologis acceſſerunt nonnulli quoque ex noſtris, ſpeciatim Muſculus in Pſ. 15. Quem non modo ſecutus fuit Andreas Hyperius, doctiſſimus Theologus Marpurgenſis, in eximio opuſculo (editum hoc eſt cum aliis Opuſculis Baſileæ anno 1580.) de probatione ſui ipſius ad Octavum Præceptum: verum ex Theologis Helveticis quoque Martinus Borrhaus Theol. Prof. Baſileenſis in Comment. ad Exod. cap. 22. & Benedictus Aretius parte 2. Problem. loco 50. quem locum, non dubitat pag. 631. obſignare hiſce duabus Theſibus: 1. *Cum uſura nedum jure poſitivo, ſed etiam utroque, tum veteri tum novo Teſtamento, tanquam in ſe malæ, prohibitæ ſint à Deo, quod nulla poteſtate etiam ſuprema diſpenſari poſſit, ut licitæ recipiantur: ſequitur quod ſtipulatio uſurarum eſt nullius momenti.* 2. *Sunt autem uſurarii ſeu fæneratores, quicunque ex pecunia mutuo data, vel minimum etiam obolum, vel hauſtum frigidæ aquæ ex conventione ultra ſortem recipiunt.* Ex Theologis Anglis addi debent nominatim Joannes Juellus Epiſcopus Sariſburienſis, qui non modo peculiari diatriba, quæ inter opera illius occurrit, laboravit oppugnare omnis generis uſuram, verum etiam peculiari præfatione condecoravit tractatum à Thoma Wilſono adverſus uſuras editum. Idem fecit quidam Piæus in Tract. quem inſcribit: *Spiritus uſuræ adjuratus*; itemqne in reſponſo ad librum ἀνώνυμον, quo uſura defendebatur, excuſo anno 1604. in cujus Epiſt. Dedicaroria Author ex ſuis quoque, velut ὁμόψηφον laudat Pouvellum. Amplius inter opuſcula Poſtuma Lanceloti Andreæ Epiſcopi Vintonienſis, occurrit Determinatio Theologica, aliquando Cantabrigiæ habita, qua author laborat aſſerere, *Uſuras, legitimas quoque, eſſe illicitas.* Denique circumfertur Tractatus Roberti Boltoni (ſitne jam typis exſcriptus, neſcio) quo quam fervide omnis generis uſuræ, citra ullam omnino diſtinctionem oppugnantur. A quibus non multum recedit Rever. D. Uſſerius Armacha-

nus, in corpore Doctrinæ Divinæ ad Octavum pręceptum. Nec tamen dixerim cum nonnemine, Reverendiſſimos Angliæ Epiſcopos, motos quaſi authoritate juris Canonici, Uſuris infeſtiores fuiſſe: quum fuerit hęc particularis quorundam ex hoc ordine ſententia, æque, atque alios particulares Eccleſiæ noſtræ Doctores in diverſum abiiſſe, modo patuit. Cæterum hiſce opponere convenit, præter rationes proxime proponendas, authoritatem graviſſimorum Theologorum Orthodoxorum, (nempe, Oecolampadii, Buceri, Bullingeri, Calvini, Vireti, Zanchii, Danæi, Toſſani, Junii, Martinii, Keckermanni, Zepperi, Riveti, Ameſii, & Wollebii) enumeratorum ſtrictim à τῷ μακαρίτῃ D. Cloppenburgio, in veſtibulo Inſtitut. Theologicæ de Fænore & Uſuris. Quibus velut conſentientes addi debent, Theologi Leidenſes in Synopſi Diſp. 37. th. 34. Polanus in Syntagm. Theol. lib. 10. cap. 63. Tilenus Syntagm. part. 1. Diſp. 49. Th. 27. & ſeqq. Scharpius in curſu Theolog. loc. comm. de Lege ad octavum Præceptum, aliique plures; qui omnes ſub certis conditionibus & legibus, poſtea à nobis conſiderandis, uſuras admittunt. Quum vero, præ aliis ſolide variis in locis hoc docuerit, (maxime in Reſponſo peculiari de Uſuris, quod occurrit in tomo Epiſt. edit. anno 1617. pag. 488. & ſeq. ſive Epiſt. 383.) nunquam ſatis laudatus D. Calvinus, ipſeque non minus odio Pontificiorum, quam Lutheranorum, ad modum ſcopi fuerit perpetuo expoſitus; iniquum in modum ab utriſque pariter exagitari cœpit: Pontificiis objicientibus, quod *fæneratorum cauſſam tuendam ſuſceperit*, Lutheranis vero, neſcio quæ non fingentibus, eorumque nomine, ad concitandam invidiam fabulante Huttono in præf. ſecundę partis Reſponſ. *quod duo miniſtri Genevæ depoſiti exularint* (inſtigante ſcil. Calvino) eo, *quod uſuram, quam flatus ille probat*, dixiſſent *illicitam*. At, ut ὁ πάνυ D. Rivetus, caſtigando Jeſuitam Bailium, Pontificiis uſque ad ἐχεμυθίαν os obturavit tract. 4. Cathol. Orthod. qu. 15. ita Lutheranis Calvino poſthac obloqui tuto non licet, niſi pariter plurimis ex DD. ſuis voluerint detractum: ſiquidem cum Calvino idem ſentiunt Chytræus & Pelargus in Comm. ad 23. cap. Deut. Heerbrandus & Schnepfius in Conſil. Theolog. Bidenbachius Decad. 1. Conſ. 4. & Dec. 6. Conſ. 8. Hunnius in 2. Cor. 8. Geſnerus in Pſ. 15. Hoc in Scripto Germanico anno 1617. Lipſię edito. Gerhardus Tom. 6. LL. Comm. pag. 911. & ſeqq. Backmeiſterus Diſp. 9. in Decal. Th. 38. & ſeqq. omnes citati à Meiſnero, qui & part. 3. Phil. Sobr. cap. 6. qu. 1. prolixe contra Jeſuitam de Valentia diſputat. Quibus addi

Digitized by Google

addi poſſunt Tarnovius de Sacro Miniſterio lib. 1. cap. 21. Jacobus Andreæ Smidelinus in quatuor Concionibus Ratisbonæ editis, Balduinus in Caſib. Conſcient. & denique Brochmannus in loc. Comm. tom. 2. Loc. de Magiſtratu, ſect. ult. Ideo vero hunc Authorum quaſi conflictum, in veſtibulo hujus Exercitationis proponere placuit, non quod exiſtimem ambigere licere, poſſitne ſecundum conſcientiam aliquis uſuram, ſeu fructus pecuniæ, alteriusve rei, ei æquivalentis exigere; Sed, ut liqueat, minus convenienter à quibuſdam Theologis, uſuris Trapeziticis bellum indici, ex hoc fundamento, quod complures Theologi, iiſdem quam infeſti fuerint: cum pari ratione poſſit inferri reditus vulgares pecuniæ creditæ non poſſe exigi, quod plurimi ex Theologis majorum gentium iiſdem in univerſum adverſati fuerint.

Quo vero liquido conſtare poſſit, uſuras, prout jam ante à nobis definitæ ſunt per *fructus, quos res* (poſtea reſtituendæ) *domino ſuo pro uſu pariunt*, in univerſum non eſſe prohibitas, primo eas non adverſari Scripturæ, ac deinde quoque æquitati naturali, cui, poſt Scripturam plurimum deferendum eſt, conſentaneas eſſe, oſtendemus uſuri magis, ubi res exiget, aliorum Theologorum verbis, quam noſtris. Atque initio quidem per ipſas leges Forenſes populi Iſraëlitici, quę à Deo ipſo, ſupremo legiſlatore populo ſuo promulgatæ fuerunt, aliquas uſuras eſſe licitas, hinc manifeſtum: Quod, cum Deus prohibuerit Iſraëlitis contractum uſurarium, qui mordeat debitorem, inire cum fratribus, permiſerit tamen eundem inire cum extraneis. Textus expreſſus occurrit Deut. 23. 19. 20. ubi ita Deus per Moſen: *Ne dato in uſuram fratri tuo, uſuram pecuniæ, uſuram cibi, uſuram ullius rei, quæ in uſuram datur. Extraneo iſti dabis in uſuram, fratri tuo ne dato in uſuram.* Ut reddant rationem differentię, quæ reſpectu Judęi inter fratrem atque extraneum debebat intercedere, ita breviter Interpretes Belgæ ad eum locum commentantur: *Om dat ſy niet* (extranei ſcil.) *als de arme Iſraëlten, door armoede, maer om haren koophandel ende trafycke met de Ioden handelden.* Et diſtinctius Franc. Junius Theologus ſummus in Explicatione Analytica hujus loci: *Uſuris* (inquit) *ab egentibus fratribus exigendis Dominum interdicere, ac non ſimpliciter, demonſtrant illæ ipſæ enumerationes quibus Moſes utitur, quum dicit*, uſuram pecuniæ, *nimirum fratri egenti data*, & uſuram cibi, *vel cibarii, id eſt, rerum ad victum pertinentium*, denique uſuram ullius rei, qua quis rodi poteſt, *quum in egeſtate eſt verſ. 19. poſtremo autem verſus argumento confirmatur, quum dicit Moſes*: extraneo in uſuram dabis; *nimirum quia extranei in Iudæam* II.

mercimoniorum cauſſa commeabant; non eſt autem uſura in commerciis plane illegitima: ſed fratri, qui non commercii cauſſa, ſed egeſtatis, mutua commoda à fratre accipit, uſuram imperari vetat expreſſe Deus, adjecta promiſſione, verſ. 20. At, quæcunque tandem ratio legi huic ſubſit, hoc certum eſt, atque extra omnem dubii aleam, quicquid in contrarium quidam excipere voluerint (quibus ſolide & ſufficienter occurrit Meiſnerus l. d.) uſuram in ſe ſimpliciter non eſſe malam, quod Deus ipſi ſuo populo permiſerit eam exigere ab extraneis. Ut enim ex limitatione legis, rem aliquam permiſſive concedentis, juxta *Guil. Pariſienſem*, recte inferre licet, eam ſimpliciter non eſſe illicitam, quod modus, rem ſua natura malam & illicitam, nulla ratione poſſit efficere bonam atque licitam: ita quam convenienter inferre licet, uſuram non eſſe toto genere malam atque illicitam, ne quidem ſecundum forenſes Moſis leges, quod illius exercitium ipſis Iſraëlitis Deus permiſerit, ratione extraneorum. Quæ limitatio, ſane ratione furti (ei non dubitarunt quidam accenſere contractus uſurarios) neque locum habere poteſt, neque ab ipſo quoque Deo in ſua lege adhibetur: quod toto ſuo genere furtum malum ſit, nec ullo in caſu (quamvis ſecus viſum fuerit quibuſdam Caſuiſtis Pontificiis) poſſit reddi licitum. Unde & Thalmudiſtæ apud Seldenum *lib. 6.* de Jure Natur. & Gent. cap. 10. non modo dicunt, tam affirmativum eſſe hoc præceptum *fænori mutuum dabis Gentili*, quam negativum mandatum, quod proxime præcedit, *fratri fænori mutuum non dabis*: Verum etiam (verba ſunt Seldeni d. l. pag. 721.) *rationem reddunt quare ſignantius hæc permiſſio adjecta ſit legi ſacræ de fænore, non item legibus de rapina & furto. Quoniam ſcil. furtum & rapina nunquam & nullibi*, &c. *non illicita. Nec minus vetitum Gentilis bona furari aut ſurripere quam Iſraëlita. Scilicet, ex jure univerſali & omnium communi, cui derogari noluit heic Numen. Sed vero fænus contrahitur tam ex conſenſu pariter accipientis quam dantis, adeoque ita contractu hominum nititur libero, ut ex jure univerſali ſeu Naturali nihil omnino ei obſtare velint.* Atque, ut hactenus patet, per ipſam legem Moſis licuiſſe Iſraëlitis mutuum ad uſuras dare Gentilibus, ſive extraneis; ita ex eadem lege conſtat, contractum uſurarium nulla ratione adverſari legibus charitatis: ſiquidem is ipſe Deus, qui per legem ſpecialem permiſit ſuo populo, ut uſuras poſſet exigere ab Extraneis, ſive à Gentilibus, illi pariter injunxit, ut non modo extraneos diligeret, Levit. 19. 34. Deuter. 10. 18. 19. verum etiam ſibi quam ſcrupuloſe caveret ab eorundem oppreſſione, Exod. 22. 21. item 23. 9. Levit. 19. 33.

certiſſimo

certiſſimo documento, tantum abeſſe, ut is opprimatur, à quo, ex lege juſtitiæ, uſuræ exiguntur, ut amplius cum hac ipſa exactione quam amice conſpirare queat ſincera proximi dilectio. Ne procedat hoc argumentum, variæ excogitatæ ſunt à Scholaſticis exceptiones. I. *Dicunt*, non fuiſſe permiſſum Judæis exigere uſuras ab omnibus extraneis, ſed ab iis ſolum, quos erant bello extirpaturi. Quod innuere quoque videtur Zepperus, quamvis aliàs legitimas uſuras permittat, quando lib. 4. de LL. Forenſ. cap. 25. ſic loquitur: *Quia exterminari & ſubjugari à populo ſuo gentes voluit Deus, earumque facultates ad ipſos derivari, uſuras quoque ab iiſdem exigi conceſſit, imo voluit, tanquam medium, quo arroſa, & nervis omnibus deſtitutæ atque exutæ, in populi ſui poteſtatem facilius redigerentur, juxta proverbium*: Qui mutuo accipit, fit ſervus creditori. *Quemadmodum enim peculiari privilegio conceſſum fuit populo Dei ſpoliare Ægyptios, pretioſiſſimaque ipſorum vaſa & ſuppellectilia auferre, ut furti tamen non tenerentur: ita ſimili privilegio uſuris Chananæos opprimere conceſſum ipſis fuit. Habebant enim contra illos jus belli.* Reſp. 1. Sed hæc *Exceptio* eſt valde diluta licet pro ea quoque ſollicitetur Ambroſ. in lib. de Tobia cap. 15. Sic enim Moſis verba reſtringenda forent, ad eos Cananæos, ſeu peregrinos, qui per Iſraëlitas armis forent ſubigendi. Sed verba Moſis ſunt generalia, nec ullibi apud Moſen comparet differentia inter hos duplices Cananæos. 2. Ipſe textus manifeſto oſtendit (fatentibus Thalmudiſtis ipſis, apud Seldenum, loco d.) opponi *extraneos* indefinite fratribus. 3. Falſum eſt, uſuram, quam poterant Iſraëlitæ ex ipſius Dei permiſſione exigere ab extraneis, ſerviiſſe eorundem oppreſſioni, quæ, ut modo patuit, omnimodo interdicta erat Judæis. Dilucidus eſt textus Exod. 22. 21. *Peregrino vim ne facito, nec opprimito eum.* Quem locum quamvis Abrabaniel, & nonnulli alii, interpretati fuerint de peregrino, qui religionem ſuam mutaverat, & factus erat Proſelytus; quam convenientet tamen D. l'Empereur lib. de LL. pag. 92. ex Salomone Jarchi contendit, *per peregrinum* intelligendum eſſe *hominem, qui in iſta provincia natus non eſt; ſed ex alia provincia venit, ut ibi habitaret.* 4. Deinde, ut recte dicit Spanhemius, *hac reſtrictio retorqueri poteſt in Scholaſticos, ſic enim & hodie aliqua uſura licita foret, illa nimirum, quæ exigitur ab illis, quibuſcum bellum gerere licet.* II. Dicunt, ad tempus duntaxat Iſraëlitis permiſſum fuiſſe, uſuras ab exraneis exigere, æque atque propter cordis duritiem, iiſdem permiſſum erat divortium. Atque huc derivatur authoritas Hieronymi, cujus hæc ſunt verba in cap. 18. Ezechielis: *In principio*, inquit, *legis*

Digitized by Google

à fratribus tantum fænus tollitur; in Propheta ab omnibus uſura prohibetur: In Evangelio virtutis augmentum eſt, præcipiente Domino, Fæneramini his, à quibus non ſperatis recipere. Inde & Borrhaus, Theologus Baſileenſis quantivis pretii Comment. in XXII. Exod. *Tempora* (inquit) *alia alio tempore & aliis congruunt. Iſraëlitis ut ſuas, quas duxerant uxores, ſi diſplicere cæpiſſent, repudiare, & alias, quod naturæ conſentaneum, interprete Chriſto, non erat, ducere fas erat: ſic fænus in extraneos exercere permittebatur, quod hi digni putarentur, qui durius quam domeſtici & religionis conſortes tractarentur, ut fuerunt jam olim Chananæi ad ſervitium & exilium ſemel deſtinati.* Reſp. 1. Ut inter Prophetas & Moſen nullus intercedere conflictus poteſt; ita neque illa, quæ à Moſe ſub certa conditione velut licita fuerunt permiſſa, ulla ratione per Prophetas, in Moſis quaſi præjudicium, potuerunt reddi illicita, quemadmodum paulo diſtinctius oſtendetur, quando ad Prophetarum loca reſpondebitur. 2. Neque exiſtimandum, Chriſtum in N. T. perfectiora mandata ſuis dediſſe Sectatoribus, quam in lege Moſis propoſita fuerunt: prout recte Orthodoxi omnes prætendunt adverſus Socinianos. 3. Si toto genere mala foret omnis uſura, nullo caſu permitti poſſet (prout antea diſtincte fuit oſtenſum) illius exercitium: quod tamen ratione extraneorum, ipſe Deus Iſraëlitis adeo dilucide permittit, ut cæcus haberi debeat, qui auſit contendere, illud ſibi non liquere. 4. Male cum uſura committitur divortium, ex levi cauſſa; quod nulla lege Moſis fuit permiſſum, licet Deus illud non puniverit. Quamvis interim diffitendum non ſit, verba Moſis Deut. 24. 1. exhibentia duntaxat hypotheſin facti, per modum narrationis propoſitam, pro lege & quidem poſitiva, jam Malachiæ tempore, (ut videre eſt in illius Prophetia cap. 2. verſ. 15. & 16.) apud duræ cervicis Judæos explicata fuiſſe. Videatur Theologus vere incomparabilis Franc. Junius in Analyt. Expl. d. l. Deuteronomii. 5. Ad hoc lata differentia intercedit inter divortia ex levi cauſſa, atque inter uſuras: illa pugnant cum fide conjugii, atque habent intrinſecam turpitudinem, adverſantem legi naturali, quod de uſuris neutiquam dici poteſt. III. Ex mente Scholaſticorum quorundam Gregorius de Valentia ſic excipit. *Iudæi etiam Gentibus fænerando peccaverunt in ea re contra naturale præceptum, quamvis impune, &c. Et videtur poſſe colligi ex eo, quod David Pſal. 71. inter alia beneficia, quibus Meſſias debuit impertiri Iudæos, illud etiam commemorat: Ex uſuris & iniquitate redimet animas eorum.* Reſp. 1. Valentiæ accedit Chemnitius in LL. communibus apud Meiſnerum, quando contendit

dit, Iſraëlitas ab extraneis uſuras potuiſſe exigere *in foro ſoli*, non vero *in foro poli.* Sed hæc *exceptio* per omnia mihi videtur eſſe diluta. Siquidem verba Moſis (qui agnoſci hic debet ſupremus populi Iſraëlitici Legiſlator) arguunt à parte Dei liberam, nec ulla ratione reſtrictam, permiſſionem. Quæ Deus ipſe autem permittit, cenſeri omnibus modis licita debent. 2. Nec Valentiæ ulla ratione favet comma 14. Pſalmi LXXII. ubi licet Vulgaris Interpres, ſecutus LXX. Senes, *uſuras* habeat, earum tamen loco, urgente textu Originali, ſupponi debent doli, ſive fraudes. Quamvis & ipſe Auguſtinus, quem ſequitur Bellarminus, allegorice eo in loco *Uſuras* interpretatus fuerit. Videatur Doctiſſimus Amama in Antibarbaro ad eum locum. IV. Hotomannus Ic. alias egregius lib. 2. de Uſuris, cap. 3. apud Meiſnerum, cenſet, duntaxat *jure talionis permiſſum fuiſſe Iudæis uſuras exigere à Cananæis ſive ab extraneis, quod ipſi Cananæis quoque pro mutua pecunia uſuras ſolvere deberent.* Reſp. 1. Hæc gratis dicuntur, ubi enim Scriptura tacet, nos incertis conjecturis indulgere non debemus. Manifeſtiſſimum vero è Scriptura eſt, ex permiſſione ipſius Dei, licuiſſe Iſraëlitis ab extraneis uſuras exigere. 2. Dato, jure talionis, Iſraëlitas à Cananæis potuiſſe uſuras exigere, illud interim manebit certum, hoc ipſum eos potuiſſe facere ex conceſſione ſanctiſſimi Dei, qui nihil aut concedere aut permittere ſolet, quod non ſit juſtum atque conforme ſuæ Sanctitati. 3. Ad ea, quę per modum ἐνστάσεως ratione divortii ex levi cauſſa urgeri ſolent, jam antea reſponſum. Atque ſemper hic obſervandum, latam differentiam intercedere inter tolerantiam, atque permiſſionem: Deus toleravit quoque Polygamiam Patrum prioris fœderis, eo, quod non reipſa, atque pro merito caſtigaverit: nunquam vero ſpeciali lege illam permiſit, (ut uſuras) minime probavit. Pari ratione dici poſſet Deus toleraſſe ebrietatem Noachi, atque inceſtum Lothi, quod ſevere neutrum puniverit. Quæ tamen nihil commune habent cum Uſuris, quas ab extraneis exigere, ſpeciali ad hoc lege lata, Deus Opt. Max. conceſſit. V. Munſterus *denique* Theologus eximius, atque antiquitatum Judaicarum conſultiſſimus, præeunte Ambroſio l. d. in Notis ad præſentem Deuteronomii locum ſic commentatur: *Quanquam mihi videatur hæc uſura, de qua hic agitur, ſolum conceſſa erga ſeptem illas gentes, quarum univerſam facultatem dominus Iſraëlitis tradidit, & authoritatem dedit, ut quocunque poſſent extorquerent modo. Iuſſit ut occiderent & profligarent eas, captivas abducerent, bona earum diriperent & ſpoliarent, ſicut & in Ægyptios dedit illis poteſtatem,*

ut

Digitized by Google

ut ſpoliarent eos. Reſp. 1. Sed hæc eſt conjectura viri ſummi. Ubi Scriptura nihil determinat, noſtrum quoque non eſt determinare, nec limitationes Dei præceptis debent affingi, ſi eaſdem non agnoſcat ipſe Spiritus Sanctus. 2. Dato, licuiſſe Iſraëlitis uſuras accipere duntaxat à ſeptem gentibus; hactenus nihilominus ſequetur, uſuram nec eſſe habendam toto genere malam, nec eam quoque à Deo ſimpliciter prohibitam: quod enim ſimpliciter eſt illicitum, atque adverſarium Dei legi, ratione nullorum hominum poteſt evadere licitum, prout antea innuebamus. Et hæc dicta ſufficiant circa hanc legem, in qua licet aliquid politici, ratione fratrum & extraneorum occurrat, evidenter tamen oſtendit, non omnem uſuram juri naturali adverſari; & fruſtra eos eſſe, qui contendunt, permiſſionem uſurariam, ratione extraneorum, Iſraëlitis factam, non *juris*, ſed *facti* eſſe: quum legem hanc aliter intellexerint Joſephus, & Philo Judæus, citati à Grotio ad com. 35. cap. 6. Lucæ. Qui non plane negligendus, quando de ratione diſtinctionis inter Iſraëlitam & extraneum l. d. ſic commentatur: *Cum finitimi plerique Iudæorum ex mercatura magnum quæſtum facerent, ut Sydonii, Tyrii, accolæ maris rubri, Ægyptii, fænus in illos permitti ſummam habebat rationem. Nam & aliorum populorum legibus odioſiſſimum eſt fænus, quod in agricolas exercetur.* Nec ea, quæ ordinario è Scriptura adducuntur, Theſi, quam hactenus defendimus, adverſantur. Dicitur quidem Pſ. 15. verſ. 1. juncto verſ. 5. *Iehova, quis commoraturus eſt in tentorio tuo? Quis habitaturus in monte ſanctitatis tuæ? Qui pecuniam ſuam non exponit fænori.* Sed Reſp. 1. Dici poſſet in Ebræo eſſe *Beneſchech*, atque hunc locum poſſe accipi de uſura rodente & mordente, niſi LXX. hic haberent ἐπὶ τόκῳ, atque nos hic differentiam non agnoſceremus. 2. Placent apprime ea, quæ habet R. Kimchi ad hunc locum, citatus à Muis in Comment. *Ita vero ille*: David hic & Ezechiel 18. non prohibuerunt, niſi quod Lex prohibuit. Lex vero uſuram non prohibuit niſi cum Iſraëlita, non autem cum alienigena, cum quo licita eſt, ex Deuter. 23. 19. ubi legitur, *Non fænerabis fratri tuo fœnus pecuniæ, fænus cibi, fænus cujuſcunque rei quæ fænori dari ſolet.* v. 20. *Alieno fænerabis; fratri autem non fænerabis.* Qui locus minime eſt intelligendus de rapina, furto, re amiſſa, quæ retineatur, aut re per vim ſurrepta. Nam alienigenæ non licet vim ullam inferre, aut ejus bona diripere, aut fortunas expilare. De uſura tantum, quæ ipſo volente & ſciente acquiritur, eſt accipiendus iſte locus: eſt enim licita. Nam cum Iſraëlita teneatur alterum Iſraëlitam devincire, mutuum autem abſque fœnore beneficium

ſit,

Digitized by Google

ſit, & interdum majus quam donum, ſiquidem multos pudeat dono accipere, non item mutuo, non ſic Iſraëlita cum Gentili tenetur facere. Is enim non tenetur beneficium in hunc conferre, nec ſuam pecuniam gratis mutuare: ſiquidem ut plurimum ejuſmodi homines Iſraëlitis ſunt infenſi. Verum procul dubio, ſi Iſraëlita quiſpiam à gentili beneficio ſit affectus, tenetur ille quoque hunc beneficio afficere. Atque prolixior hic eſſe volui, (*inquit Kimchi*) ut haberes quod Nazarenis (*Chriſtianos ſic vocat*) reſponderes, qui dicunt non diſtinxiſſe Davidem inter Iſraëlitam & Gentilem, ſed omnem uſuram prohibuiſſe. Verum (*inquit idem*) abſurdum eſt dicere, prohibuiſſe Davidem id, quod Moyſes Magiſter meus verbis Dei permiſerit: cum dictum ſit in Lege, Deut. 12. 32. *Quicquid ego præcipio vobis, cuſtodietis ut faciatis: non addes ad illud, neque diminues ex eo.* Hactenus *Kimchi* ex mente & interpretatione Muiſii. 3. Quum & alia præcepta moralia limitatè in hoc Pſalmo debeant accipi, atque ſpeciatim comm. 3. bis *proximi* mentio fiat, qui Ebræis *Karob*, & alias *vicinum* notat, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, convenienter hic vox eadem poteſt repeti. II. Objicitur locus Ezech. 18. 17. ubi ſic legunt Junius & Tremellius: *A paupere retrahat manum ſuam, uſuram aut fœnus non accipiat.* Sed ad hunc locum jam in anteceſſum reſpondit *Kimchius*, atque explicationem debet accipere è proximo verſu. *Abſtulerit rapinam à fratre*, ejuſdem Prophetæ cap. 22. 12. *Uſuram & fœnus accipis, & quæſtum facis à proximis tuis fraude.* Adeo, ut certum ſit, aliam uſuram non prohiberi etiam ab Ezechiele, quam quæ per Iſraëlitas à fratribus exigebatur. III. Urgeri ſolet locus Proverb. 28. 8. ubi arguitur ille, *qui auget ſubſtantiam uſura & fœnore.* Sed, 1. ut videtur Salomon commate illo loqui de tali viro, de quo dicit, eod. cap. verſ. 22. *quod acceleret ad ſubſtantiam*; ita, certiſſimum eſt, hunc ipſum in uſuris exigendis neque rationem perſonarum (quæ tempore Salomonis, ſecundum rationem legis, ut Cæremonialis, diſtingui debebant) neque modi, aut quantitatis uſurariæ, habuiſſe. 2. Speciatim hoc loco à Salomone arguitur is, qui uſuras iniquè exigebat à *tenuibus*: ſiquidem proxime dicitur, quod hujus hominis ſubſtantia reditura ſit ad eum, qui gratioſe eſſet *largiturus tenuibus*, quos ſcilicet per iniquas ſuas uſuras antea oppreſſerat; quomodo & idem Salomon Prov. 13. 22. dicit, *juſto recondi opes peccatoris.* At qua ratione uſuræ, certis in caſibus, non poſſint exigi à pauperibus, infra commodius explicabitur. IV. Et quidem præcipue, in contrarium urgeri ſolet dictum Chriſti, Luc. 6. 35. *Diligite inimicos veſtros, benefacite, & mutuum date,*

μηδὲν ἀπελπίζοντες. At, ut reſpondeam, parum, aut nihil præſidii, in illo relictum iis, qui Uſurę univerſim infeſti ſunt. Nam, ne exſcribam jam illa, quæ centies millies ab aliis circa hunc ipſum locum ſunt dicta, atque tranſcripta toties, Reſp. 1. Antecedens paradoxum hujus commatis abunde evincere, Chriſtianum genuinum ita debere eſſe affectum, ut tam paratus ſit, ſi modo exigat Dei gloria, mutuum dare citra non minus ſortis quam uſurarum rationem, atque paratus debet eſſe ***beneſaciendo quoque inimicos ſuos diligere.*** Nam utraque propoſitio eſt indefinita, quæ ſimpliciter univerſali non poteſt æquivalere, haut magis, atque hęc, quæ verſ. 30. ejuſdem capitis occurrit, ubi Chriſtus dicit: ***Cuivis petenti abs te, dato.*** Nam, ut hęc propoſitio debet reſtringi ad eos pauperes, quos eleemoſynis noſtris ſublevare debemus; ita præceptum de diligendis inimicis debet reſtringi ad inimicos privatos, neutiquam vero extendi ad hoſtes Dei & reip. ac conſequenter præceptum de mutuo dando reſtringendum ad pauperes, quos, extreme afflictos, mutuum dando ſic ſublevare debemus, ut nihil omnino ex illo mutuo exſpectemus, ſive ſortem, ſive uſuras. Alias eſt pręceptum Apoſtoli, ***Nemini quicquam debete,*** Rom. 13. 8. atque, qui mutuum accipiunt, ſi poteſtatem reſtituendi habeant, non ſolum illud, quod mutuo datum eſt, reſtituere debent, verum etiam attendere, quid vice ἀντιδώρυ debeatur, quod pecunia noſtra ad tempus aliquod caruerimus, ne ***quod aliis fuit relaxatio, nobis*** fiat ***afflictio***, 2.Cor.8. 13. Qui contendunt hic interdici omnibus uſuris, fruſtra poſt Victorinum Strigelium, in Notis ad hunc locum, urgent verbum δανείζειν: ſiquidem, ut ὁ πάνυ D. Salmaſius recte obſervavit lib. de Modo Uſurarum pag. 298. δανείζεσθαι ***utrumque genus mutuationis comprehendit, gratuitæ & fœnebris.*** Eoque, non neceſſum fuit, quo ſors quoque comprehenderetur, per Chriſtianorum liberalitatem una cum uſuris donanda pauperibus. Chriſtus, loco τοῦ δανείζεσθαι, debuerit uti aut verbo διδόναι, aut δωρεῖσθαι. Quamvis & hoc dici queat, cum D. Spanhemio, omnem erogationem, quam ſuadent charitas & benevolentia, ratione retributionis, quam promiſit Deus, non eſſe δώρημα, ſed δάνεισμα proprie ſic dictum. Notum ſiquidem illud Salomonis; ***Mutuat Iehova, qui gratioſe largitur tenui; & beneficium ipſius rependet ipſi,*** Prov.19.17. 2. At, omnibus quam diligenter expenſis, mihi præ ceteris placet interpretatio Viri, dum viveret, ſummi, D. Ludovici de Dieu; qui habita ratione vocis ἀπελπίζειν, atque ſignificationis ordinariæ, quam habet apud Helleniſtas, & ad quam Syrus quoque Interpres attendit, eam non ***intranſitive,***

ve, ſed *tranſitive* accipit, ita ut hoc loco idem ſignificet, atque aliquem ad deſperationem adigere; ſenſus autem ſit hujus locutionis, *μηδὲν ἀπελπίζειν*, atque *nullius rei ſpem præcidere*, illi ſcil. qui voluerit à nobis mutuari. Atque ſic Lucæ verba (prout obſervavit quoque D. Spanhemius) per omnia reſpondebunt verbis Apoſtoli Matth. 5. 43. *τὸν θέλοντα ἀπὸ σοῦ δανείσασθαι, μὴ ἀποστραφῇς*: *Volentem mutuari abs te, ne averſator.* Secus cenſet Grotius, acceditque Vulgato Interpreti. At quiſque ſuo ſenſu fruatur. Sufficit nobis, hactenus oſtendiſſe, uſuram, quatenus à nobis deſcripta eſt, non adverſari Scripturæ, ſed amicè reſpondere, quum ipſe Deus ſuo populo, à quo tamen ſingularem ſanctimoniam exigebat, eandem ratione certarum perſonarum, ſive extraneorum, permiſerit.

Nec naturali æquitati, aut ſanæ rationi quoque, Uſura adverſatur; III.
imo perquam amice, quicquid plurimis in contrarium viſum fuerit, utrique reſpondet. Argumentis duntaxat paucis utar, quo deinceps *ἀνασκευαστικῶς* quoque agere poſſim. Atque 1. conſentiunt uſuræ, hactenus indefinite à nobis conſiderandæ, naturali æquitati, cujus hanc regulam præſcripſit ipſe Chriſtus Luc. 6. 31. *Quæcunque volueritis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis.* Si enim cum ratione æſtimemus, nobis *ἀντιδωρόν τι* deberi, ſi quis cum lucro ad tempus pecunia noſtra uſus fuerit, cur ſimile *ἀντίδωρον* alii denegemus, ſi pariter ad compendium noſtrum ejuſdem pecunia uſi fuerimus, aut, ſi compendium certum non fecerimus, ſaltem præſenti neceſſitati, quæ exitium nobis minabatur, ſubſidio mutui fuerimus exempti? Dubio procul autem ea, quæ ad modum *τοῦ ἀντιδώρου* accipi poſſunt, licitè quoque in ſtipulatum deducuntur. II. Si Apoſtolus, loco, hac ipſa Exercitatione citato, ſive 2. Cor. 8. 13. ne quidem eleemoſynas nobis cedere vult *εἰς θλίψιν*, ſive in afflictionem noſtram vergere: multo minus in afflictionem mutuantis mutuum cedere debet. Cedet vero in afflictionem multiplicem, ſi nomine uſurarum nihil aut accipere aut ſtipulari liceat. Ut multa omittam, quæ fuſe hoc loco tum enumerari, tum deduci poſſent; qui aliis ſuam pecuniam mutuam dedit, ſemetipſum privavit commoditate præſenti pecunia comparandi illa, quæ familiæ *πρὸς τὸν βίον* ſunt neceſſaria. III. Apoſtolus attendendo non tam Chriſtianam charitatem, quam illud quod ratio naturalis dictat, 2. Cor. 12. 14. innuit, parentes debere *τοῖς τέκνοις θησαυρίζειν*, ſive, *liberis ſuis theſauros colligere*. At, quomodo hoc fieri poterit, ſi parentes, quicquid, ſive pecuniæ, ſive frumenti,

ſive aliarum rerum habent, petentibus gratuito utendum dederint? Certe tantum abeſt, ut poſſint aliquid, in futuros uſus liberorum ſuorum recondere, carebunt ſępe non modo ſua pecunia, verum & multis rebus neceſſariis, quod deſtituantur pecunia, qua illas tempeſtive ſibi comparent. Eoque, quo huic ſuo muneri, ſimul & *divino & naturali ordini* ſatisfaciant (ita quippe cenſet Muſculus ad ſuperiorem locum) ſi quę habent talenta (ut in parabola ipſe Chriſtus Luc. 19. 23. loquitur) *dent ad menſam*, quo, ſuo tempore ea cum fœnore poſſint exigere, atque hac ratione, juxta Apoſtoli admonitionem, τῶν οἰκείων προνοεῖν, 1. Tim. 5. 8. IV. Si licet alicui pecuniam credere, hypothecæ loco, certo fundo cum annuis ſuis fructibus ſubſtituto, næ, neglecto tali fundo hypothecario illiuſque fructibus, uſuras quoque ſtipulari licet. Quo argumento cum utatur quoque τρὶς μέγιστος Calvinus in Reſponſo de Uſuris, quod occurrit inter ejuſdem Epiſtolas, non pigebit illius verba hic exhibere. *Ita ergo ille:* Sit aliquis dives & amplis fundis ac reditib. præditus, & minus numatus tamen. Sit alius mediocriter dives & non quidem ad alterius illius opes accedens, ſed cui tamen amplior ſit præſens pecunia. Hic igitur cum ſua pecunia lubenter fundum ipſe empturus ſit ſibi, rogetur ab illo ditiore, ut mutuam illi det pecuniam. Poſſet quidem qui mutuum dat, ita ſtipulari ſibi reditum pecuniæ ſuæ, ut fundus ex illa emptus ipſi in hypothecam ſubjiceretur, donec ſua ipſi pecunia redderetur (atque ita ſibi melius conſuleret) ſed fructu pecuniæ ſive uſura contentus erit. Cur igitur primus ille contractus ſine hypotheca ad pecuniæ fructum tantum damnabitur, alter ſub hypotheca fundi empti & cum reditu, annuo longe aſperior probabitur? & quid aliud eſt quam puerorum inſtar ludere cum Deo, cum de rebus ex verbis nudis, ac non ex eo quod ineſt in re ipſa judicatur? Quaſi ex forma ipſa verborum virtutes vitiave diſcerni debeant. *Hactenus Calvinus.* V. Quum homo homini natus ſit, atque nemo ſibi ſoli quoque ſufficiat, ſed indigeamus omnes mutuo ſubſidio; etenim, quo perpetuo invenire poſſimus illos, qui juvare nos velint mutua pecunia, (qua opulentiores ſæpius indigent, quam tenuioris conditionis homines) ἀντιδώρου loco moderatas uſuras mutuanti ſolvere convenit, ut non una modo vice, ſed quoties neceſſitas laboranti familiæ noſtræ incubuerit, tales invenire poſſimus, qui mutua pecunia præſenti noſtræ neceſſitati ſuccurrere velint. Gnarum hoc erat Proclo, homini licet Grammatico, qui ex interpretatione, ita Latine loquitur ad verſ. 348. τῶν ἔργων Heſiodi: *Non modo,* (inquit) *quantum accipimus, reddere debemus*

mus, ſed cum auctario aliquo pro virili noſtra. Hoc enim faciet, ut rurſus in egeſtate conſtituti conſequamur, à vicino opem ferente. In minoribus contractibus non relata gratia obſtat nobis, ne in majoribus gratificationem mereamur, noſque ut ingratos & beneficio indignos traducit. Rationibus hiſce plures alias ſuperaddere liceret, niſi hæ paucę inſtar omnium eſſe poſſent. Quæ in contrarium adducuntur, levia admodum ſunt, & talia, ut ſemetipſa evertant, ſi modo judicio ſano probeque ſubacto exhibeantur. Ex quibus argumentis, duo ſolummodo, quod ſpeciem aliquam præ ſe ferant, non tam noſtris quam aliorum verbis diluemus. 1. Urgeri ſolet, exemplo Chryſoſtomi & Ambroſii, à pluribus argumentum Philoſophi, qui lib. 1. Polit. cap. 7. pronunciat pecuniam ſterilem eſſe, eoque ſic arguunt: Si pecunia, vel per centum annos ciſtæ incluſa, nullos fructus parit, næ iniquum eſt, ut quis, qui modico duntaxat tempore ea uſus fuerit, nomine illius uſuras ſolvat. Reſpondere vulgari huic argumento lubet Calvini verbis, l. d. *ſic loquentis*: Ratio (*dicit*) Ambroſii, quam etiam affert Chryſoſt. non eſt magni momenti. Pecunia non parit pecuniam. Quid mare? quid domus ex cujus locatione penſionem percipio, an ex tectis & parietibus argentum proprie naſcitur? Sed & terra producit, & mari advehitur quod pecuniam deinde producat, & habitationis commoditas cum certa pecunia parari commutarive ſolet. Quid ſi igitur plus ex negotiatione lucri percipi poſſit, quam ex fundi cujuſvis proventu, an feretur, qui fundum ſterilem fortaſſe colono locaverit, ex quo mercedem vel proventum recipiat ſibi, qui ex pecunia fructum aliquem perceperit, non feretur? & qui pecunia fundum acquirit, an non pecunia illa generat alteram annuam pecuniam? Unde vero mercatoris lucrum? ex ipſius, inquies, diligentia atque induſtria. Quis dubitat pecuniam vacuam inutilem omnino eſſe? neque qui à me mutuam rogat, vacuam apud ſe habere, à me acceptam, cogitat. Non ergo ex pecunia illa lucrum accedit, ſed ex proventu. *Hactenus Calvinus.* Non inconvenienter quoque Grotius in Annotat. ad locum ex capite VI. Lucæ, jam antea examinatum reſpondet. Verba ita *habent*: Multi (inquit) ut probent illicitum eſſe omnem quæſtum ex uſu pecunię, aut rei ſimilis, alteri conceſſo, dicunt pecuniam natura ſua eſſe ſterilem. Sed in hoc argumento manifeſtus eſt παραλογισμός. Dicitur enim pecunia ſterilis natura, non quod jus naturæ id pręcipiat, ſed quod hominum induſtria non ipſa natura tali fructui originem dederit: quomodo & domus natura eſt ſterilis, cujus tamen penſiones iniquè à domino percipi nemo dixerit. *Hac*

 Grotius.

Grotius. 2. Dici ſolet, ***mutuo dominium transferri, ac proinde fructum rei penes dominum eſſe debere***. At, præterquam quod dici poſſet, τὸν πάνυ D. Salmaſium, argute, & forte non inconvenienter, oſtendiſſe, mutuum non eſſe alienationem, amplius pro meis adopto verba D. Grotii, loco proxime laudato ***ita loquentis***: Iſta *(inquit)* ſubtilitas vocum ad æquitatem naturalem nihil facit. Nam in rebus quæ genere recipiunt functionem, ut pecunia, frumentum, vinum, jus illud ad recipiendum idem genere eſt vice dominii. Fatentur autem omnes plus eum recipere, qui ſtatim aliquid recipit, quam qui multo poſt tempore, ob utilitates eas quas ſecum fert ἡ φυσικὴ κατοχὴ, quod non minus in mutuo quam in re commodata procedit, ſi rei momenta, non verborum apices, ſectamur. Hoc ipſum autem quod in temporis mora ſitum eſt, haud dubie æſtimari ac proinde & in ſtipulationem deduci poteſt. Nam ſi cui dem mutua centum, & paciſcar ut alio tempore mihi det itidem centum mutua, quæ eſt vera ἀντάλλαγὴ, quomodo iniqua probabitur magis eſſe hæc pactio, quam ſi bovem vicino ad opus ruris commodem, ea lege, ut idem aliquanto poſt mihi tantundem præſtet? Jam vero illa iterum mutuum dandi obligatio, ut res omnes, communi menſura, id eſt, pecunia æſtimari poteſt. Dictat natura, non teneri quenquam prodeſſe alteri cum detrimento ſuo. Ac is qui pecunia ad tempus caret in gratiam alterius, poterat eam in agros aut domos impendere ac medii temporis percipere fructus, quos ſi quis dicat incertos, illud ipſum tamen incertum, ut omnis alea, ſuum habet pretium, ita ut vendi quoque ſoleat. ***Hactenus iterum Grotius***. Reliqua quæ moveri ſolent, tum occaſione regulæ per Chriſtum ſupra propoſitæ, tum ratione benevolentiæ, quæ gratuito quaſi exerceri debeat, talia ſunt, ut in adverſarios pro veræ ſententiæ aſſertione retorqueri poſſint, quemadmodum ex antecedentibus quilibet colligere poteſt.

IV. Pergimus igitur ad uſurarum modum. Quem non neceſſum fuit ſub priori fœdere definiri, aut ab ipſo Deo immediate, aut mediate, per anteceſſores populi Iſraëlitici, ſiquidem, ut antea patuit, in populo Iſraëlitico alius uſus uſuræ non fuit, quam quatenus eam exercere licuit adverſus extraneos; quos, pro œconomia Eccleſiæ, tum temporis, Dei ſtatuta, peculiaria uni Iſraëli, non reſpiciebant. Neque Chriſtus rationem uſuræ definire debuit. Ut enim regnum illius non fuit de hoc mundo; ita ipſe cum ratione dixit, ***Quis me vobis judicem, aut partitorem præfecit?*** Luc. 12. 14. Unde prudentiſſimus Calvinus convenienter in Harmonia, ad hunc ipſum

ipſum locum dicit: *Voluit Dominus inter politica hujus mundi imperia & Eccleſiæ regimen diſcernere.* Scilicet officium eſt Magiſtratus Politici, tum irrogare, tum *accipere tributa,* Matth. 17. 25. atque, ut ſubditorum officium eſt, *ſolvere tributa*, Rom. 13. 6. ita viciſſim Magiſtratus, quantum in ſe, curare debet, ut ſubditi tributis ſolvendis ſufficiant, quod facit, dum talem uſurarum modum definit, qui non premat quidem illos, qui mutuam pecuniam accipiunt, juvet tamen plurimum eos omnes, qui mutuò pecuniam dando, ex illius uſuris agitare debent. Optandum quidem foret, in ſocietate humana, ipſum uſurarum nomen ignoraretur, omneſque, quod ad τὰ βιώτικα ſibi poſſent ſufficere; ſed, quum hoc ἥττημα imputari debeat lapſui primorum noſtrorum parentum, qui ſe ſuoſque poſteros ejecerunt Paradiſo, ſufficiente alias omnia πρὸς αὐτάρκειαν exhibere; officium Magiſtratuum eſt, hoc ipſum tali ratione circumſcribere, ut neque fraudetur mutuum rogantium deficientia, neque etiam deterreatur, ſæpius decepta, mutuantium facilitas. Ad duo vero non minus attendere debent Magiſtratus, qui leges ferunt, quam ſubditi, qui gloriam ex ſolo obſequio poſſunt conſequi. Initio, imo ante omnia Magiſtratus proſpicere debent, ne quis, neglectis legibus, hac in parte, pro animi ſui deſiderio, uſuras exigere fœnuſque exercere queat. Sapiens quidem legiſlator fuit Solon, non tamen ei conſtitit ratio, quum, teſte Lyſia Orat. 1. contra Theomneſtum, ſic ſciſceret: *Uſurarum ex pecunia fœnerata percipiendarum is modus eſto, quem cupit ipſe fœnerator.* Etenim homines natura habendi avidi ſunt, atque, ſi ipſorum cupiditas nullis legum repagulis circumſcribatur, invitante lucro, ulterius illa ſe extendet, quàm eo ſe progreſſuram eſſe antea exiſtimaverat: quod lucrum fallax ſit, & illud quod acceſſiſſe videtur, ſpem faciat novi, cujus fines in incerto ſunt. Eoque ſecundo, Magiſtratus debent modum uſurarum determinare, attendendo rationem tum temporis, tum loci, tum etiam periculi, quod ſubire poſſint ordinario, qui pecuniam, aut aliquid, quod eidem ſit analogum, mutuo dare præſumpſerint. Loci & temporis propterea, antequam cogitetur à Magiſtratu de periculo, ratio haberi debet, quod omni tempore in omnibus locis æque copioſe ſeſe offerre non conſueverint illa, quæ ordinario in mutui contractum veniunt. Quod ut pateat, ſtatum reip. Romanæ propoſiturus ſum, ita ut pariter hujus noſtri Belgii ratio cognoſci poſſit. Atque, Romæ non eandem uſurarum quantitatem perpetuo obſervatam fuiſſe, ignorare nos non ſinit Tacit. lib. 6. Annal. cap. 16. *Primo. duodecim tabulis ſancitum,*

ſancitum, ne quis unciario fœnore amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletium agitaretur, dein rogatione tribunicia ad ſemuncias redacta: poſtremo vetita verſura. Cæterum occaſione hujus loci, anxie inter viros doctos diſquiritur, quodnam ſit fœnus unciarium? Quibusdam placet, fuiſſe leviſſimum, adeo ut reſponderet duodecimæ parti centeſimæ, quæ cum eſſet uſura maxima, ſingulis menſibus duodecimam ſortis partem, annuatim vero duodecim in centuriam, capiebat. Aliis vice verſa placet eam confundere cum ipſa centeſima. Ne jam dicam de intermediis quibusdam ſententiis, quæ ut viris minus celebribus placuerunt, ita minus ponderis iis adeſt. Pro poſteriori opinione ſtant Scaliger, Hottomannus, Adrianus Junius, Manutius, Thomaſius, Jacobus Godofredus, aliique plures. Pro priori Budæus, Antonius Auguſtinus, ὁ πάνυ D. Salmaſius, & Celeberrimus D. Gronovius: qui licet profiteatur ſe ὁμόψηφον eſſe Salmaſio, totus tamen eſt lib. 3. de Pecun. vetere cap. 13. in vellicandis illius rationibus. Quod cum paſſim faciat toto iſto libro, multis oborta eſt ſuſpicio, virum alias modeſtum nullam aliam ob cauſſam Commentarium de Seſtertio ſub incudem revocaſſe, quam ut ab exceſſu huic ſuo εὐεργέτῃ, cui prima famæ auſpicia debuit, inſultare poſſet: aliis interim ridentibus, quod facile ſit muribus quoque, mortui leonis barbam vellere. Nolo hoc tempore patrocinari Salmaſio, nec examinare ea, quæ eidem mortuo objicit Gronovius: novi utrumque hominem, nec omnia quoque Gronoviana talia eſſe, quæ prope Phidiæ Minervam collocari mereantur, ut forte alia occaſione ulterius oſtendam. Diſſimulare interim non poſſum, me compelli non minus à Salmaſio quam à Gronovio in alia omnia diſcedere, atque in ea eſſe ſententia, ut credam unciarium fœnus idem plane eſſe cum centeſima. Ut ita ſtatuam, has adfero rationes. Quum apud omnes ſanæ mentis homines in confeſſo ſit, in ea repub. quæ ſubditos habet pauperes, & æris indigos, uſuras eſſe grandiores, quam ubi ſubditi opibus & pecunia abundant: quis perſuaſum habeat, eo tempore, quo Roma circa matrem ſuam adhuc luctabatur, (ut cum Floro loquar) atque faſces ſuos ultra Italiam nondum extenderat, annuatim modo unam centeſimam ſortis partem, modo iterum unam ducenteſimam ſortis partem ſolutam nomine uſuræ fuiſſe? atque cum ea ipſa Romuli urbs ferme ὅλης τῆς οἰκουμένης opes mœnibus ſuis complecteretur, centeſimam uſuram fuiſſe ordinariam, atque duodenas centeſimas partes ſortis, citra querelam quoque anno penſas fuiſſe? Imo, quis ſibi perſuadeat, plebem Romanam indignatam fuiſſe, quod ex præſcripto XII. Tabularum, uſuræ

loco,

loco, quoque anno, unam centeſimam ſortis partem ſolvere debuerit, atque T. Manlio Torquato & Cn. Plautio Coss. decennio poſt, ſemunciarium fœnus ex unciario fieri debuerit, quod hoc plebi nimis grave foret; ſiquidem Liv. lib. 7. cap. 16. unciarium fœnus ad M. Duillii rogationem (quæ decennio ſolum ante lata erat) poſt XII. tabulas refert. Verba hęc ſunt: *C. Marcio, Cn. Manlio Coss. de unciario fœnore à M. Duillio Tribuno pl. rogatio eſt perlata: & plebs aliquanto cupidius eam ſcivit, accepitque.* Si poſſit exemplum dari ullius nationis, quæ adeo & argenti fuerit inops, & uſurarum impatiens, ut potuerit ſortem accipere ſub conditione ſolvendi annuatim centeſimam duntaxat iſtius partem, eaque uſura inſignis adhuc oneris rationem habuerit, lubens fatebor, hiſce rationibus nihil momenti ineſſe. Interea rogo viros doctos, tum eas expendant, tum etiam comparent cum illis, quæ proxime dicturus ſum. Teſtatur Capitolinus de Antonino Pio, tanquam aliquid ſingulare & ſine exemplo, quod *fœnus trientarium exercuerit, ut patrimonio ſuo plurimos adjuvaret.* Quod Pii exemplum, teſte Ælio Lampridio, non modo ſecutus fuit, verum etiam ſuperavit optimus Imp. Alexander Severus. Nam & ille *fœnus trientarium*, ſed ita *exercuit, ut pauperibus plerisque ſine uſuris pecunias ad agros emendos dederit, reddendas de fructibus.* At, quorſum ut ſingulare quid, notatum fuiſſet, ab utroque Principe exercitum fuiſſe fœnus trientarium? ſi unciarium & ſemunciarium fœnus, à primis ferme reip. incunabulis legibus definitum, ita accipi debeat, ut unciarium fœnus ſit duodecima pars centeſimę, ſemunciarium vero duntaxat vigeſima quarta. Certe, ſi cẽtum denarii ad fœnus trientarium dati annuatim quaternos denarios pariant, & uſurariæ clementię documentum ſingulare exhibeant, næ multo majorem clementiam evincere debebit fœnus unciarium, ad quod, (modo credamus viris eximiis) ſi crediti fuerint eidem centũ denarii, annuatim ſingulos ſolummodo denarios profundent creditori. Quis vero credat, ratione trientarii fœnoris, tum Antonini Pii, tum etiam Alexandri Severi moderationem laudaturos fuiſſe Capitolinũ & Lampridium, ſi fœnus unciarium, acceptum è mente virorum doctorum, jam olim ipſis XII. Tabulis definitũ fuerit? Nec hęc, quam propugno, ſententia recedit à principiis, quę viri vere ſummi recte monent eſſe attendenda. Nam omnino præſupponendum eſt, apud Romanos uſuras fuiſſe menſtruas, & pecuniam fœnebrem ad cujusque menſis Kalendas repeti potuiſſe, (quod hactenus robur addit meo argumento,

LII quo-

Digitized by Google

quoniam enim paupertina adhuc rep. pecuniæ occurrebat ſterilitas, uſuræ adeo grandes erant, ut ſors quoque menſe poſſet repeti) ſi enim aliunde hoc non conſtaret, vel ex uno Plutarcho manifeſtum eſſet, qui in libello, περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι, oſtendit, fœneratores, diem Calendarum, omnium alias auguſtiſſimnm, conſueviſſe reddere nefaſtum & odioſum ſua acerbitate. Deinde, & hoc præſupponi cupio ex eorundem principiis, uſuram Centeſimam apud Romanos fuiſſe maximam, atque menſuram reliquarum minorum uſurarum, uſque adeo, ut haberi debuerit *as* quaſi uſurarius, juxta *Salmaſ. de modo Uſur.* pag. 269. Quid vero frequentius, quam elegantiæ ergo, rem unam eandemque, & totius & partis nomine, inſigniri? Ratione Centeſimæ uſuræ, (cui nos, ob rationes antea allatas, contendimus omnino διὰ πασῶν reſpondere *fœnus unciarium*) quoque menſe una pars ſortis, ad centenas partes redactę, ſolvebatur; ſed, cum anni cujusque forent duodeni menſes, illique reſponderent aſſi uſuræ Centeſimæ, etenim cur non, ratione habita aſſis, ut annui, menſtruum fænus (illius ejuſdemque ſcil. aſſis) unciarium dici potuerit? Lego quidem hæc in libro Cl. & Celeberrimi Dn. Gronovii, (quem alias maximi facio) qui inſcribitur, *De pecunia Vetere* pag. 492. *Ridendum vero*, aſſis *nomine cenſeri annum, menſes* uncias. Sed, ut illa verba, indigniſſima modeſtiâ Dn. Gronovii, opponuntur ſententiæ τοῦ πάνυ Dn. Hadriani Junii Batavi, viri, dum viveret, doctiſſimi, atque in ſcriptis ſuis longe accuratiſſimi; ita velim arbitrentur omnes, qui forte hęc legent, an non Dn. Gronovius Gronovii fuerit oblitus, quum proxime (rationem ſcil. hujuſce riſus allaturus) ita ſcriberet: *Sane ubi annus as, menſis uncia, bimeſtre ſextans, tres menſes, quadrans, & deinceps: ſed quid hoc ad uſuras? nihilo magis quam ad cyathos ſextarii, aut ad pedes jugeri, aut hereditatis conſortia. An uſuræ ſunt partes anni? Reditus pecuniæ ſunt currentibus anni articulis multiplicati: dicuntur autem unciæ, ſextantes, quadrantes, non anni, ſed centeſimæ ratione.* Quæ, velut minime cohærentia, ut collabantur, (1.) ſumatur duntaxat, quod verbis pręcedentibus ipſe Dn. Gronovius dicit: *Reditus* (inquit) *pecuniæ ſunt currentibus anni articulis multiplicati*; atque deinde, *dicuntur unciæ*, &c. *centeſimæ*. Ergo, ut ſecundum anni articulos (hoc eſt, ex noſtra ſententia, menſes) uſuræ olim diſtributæ fuerunt, atque annum uſurarium (ipſo Dn. Gronovio fatente) exhibuit Centeſima, ita menſtrui Centeſimæ reditus, reſpondentes anni majoribus, ſive duodenis partibus, uſuram annuam Synecdochice convenienter exhibere

bere potuerunt, maxime, quod denominatio hujus uſurę ab uncia, examuſſim reſponderet tempori, quo pecunia fœnebris & collocari & exigi ſolet. Verba ſunt ipſius Dn. Gronovii loc. d. pag. 481. & ſeq. *Itaque ſic centeſimam uſurarum vel commodi nomine, &c. quoque dixere, huc reſpicientes, quod menſe quovis pars centeſima aſſis, ſeu unus in centum, decem in mille, pro uſu pecuniæ alienæ merces præſtaretur.* Ex quibus ego Davus pro ſimplicitate mea colligo: ergo ratione cujusque menſis, qui uſurarum ratione, aſſi Centeſimę reſpondebat, potuiſſe uſuram aliàs Centeſimam dictam, unciariam convenientiſſime dici; quum argumenta antea à me adducta, pro vero ſenſu *fœnoris unciarii*, talia ſint, ut à nullo cum ratione everti poſſint. 2. A ratione viri Eximii, ut potuiſſet abeſſe illud *ſane*; ita ſextarii, ut & jugeri, haut magis ad rem faciunt, atque aut galea pedi, aut caliga capiti veſtiendo ſervit. Res hę, ſuo peculiari modo menſurabiles, non ſolent habere certum as, cujus ratione ſic in duodenas partes debeant diſtribui, ut, duodena cujusque anni parte, pars pariter duodena exhibenda ſit: quemadmodum hoc volens nolens Dn. Gronovius de uſura Centeſima, & parte illius menſtrua, ſive uncia fateri cogitur. Porro, apud τὸν τρὶς μέγιστον, eundemque ἐν τοῖς ἁγίοις Dn. Salmaſium in Pręf. de Fœnore Trapezitico, contra noſtram ſententiam, hactenus vindicatam, ſequens argumentum offendo: *Si unciaria uſura centeſima eſt, ut cenſuit Scaliger cum Adriano, &c. juxta eam expoſitionem ſemunciarium fœnus idem fuerit ejus ſemiſſali. Cur igitur* ſemuncias *pro ſemiſſibus dixit Tacitus? Atqui* ſemis *aſſis eſt dimidia pars, id eſt, ſex unciæ, ac* ſemuncia *unciæ dimidium.* Imo, quid ni ſemunciarium fœnus ob rationes jam dictas reſpondeat uſuræ ſemiſſi? atque duodenæ Tacito ſemunciæ, quoque menſe ſolvendæ, conficiant ſemiſſem aſſis annui, ſive Centeſimæ? Quod vero aliæ uſuræ pariter ſecundum propriam denominationem non referantur & ad ſingulos menſes, & ad aſſem annalem, ſive ad aſſem Centeſimæ, ratio eſt, quod non occurrant æque commoda vocabula, atque ſe offerunt ratione centeſimę ſecundum annum conſiderandę, & unciarum ſemunciarumque ratione ſecundum menſes ſingulos, & tamen ad proportionem Centeſimę, ſive aſſis uſurarii, aptarum vulgo denominari. Sed progreditur l. d. ὁ πάνυ D. Salmaſius: *Unciariarum* (inquit) *uſurarum mentio etiam in jure Digeſtorum, ut docuimus, &c. in libro de Modo uſurarum.* Reſpicitur autem à viro ſummo l. Titium, ſive lex 47. § 4. ff. de Adminiſtr. & peric. tutorum, ubi ſic Scævola Ic. loquitur: *Præfectus le-*

Digitized by Google

gionis ita teſtamento cavit: Volo, ut ſit in arbitrio tutorum filii mei, ſi voluerint hujus ſummę uncias inferre uſurarum nomine, ita, ne nummi diſpargantur. *Quæro, ſi apparuerit pecunia fænerata à tutoribus, judicio tutelæ uncias uſuras, an vero eas quas ſtipulati ſunt, præſtare debeant? reſpondi. Si ſecundum voluntatem defuncti elegiſſent uſurarum præſtationem, neque pupilli nomine in fœnus dediſſent: id præſtatur, quod teſtamento voluiſſet.* Cujus legis occaſione ita commentatur vir egregius, in erudito alias opere de modo Uſurarum pag. 289. *Ut ne mirum ſit*, ſi aſſes uſuras *etiam dixere ut Plinius loco quem ſupra correximus, quemadmodum & ſemiſſes & quincunces, & trientes.* Unciæ *igitur* uſuræ *ſunt, cum nummus unus fœnoris in centum nummos ſortis annuus infertur.* Uncias *inferre* uſurarum nomine, *dixit Scævola de unciario fœnore.* At voluiſſem vir ſummus legem hanc interpretatus fuiſſet non ſecundum præconceptam opinionem, ſed mentem ipſius Scœvolę. Do lubens, uſuras unciarias, vocari poſſe uſuras uncias, ſed, an propterea uſura unciaria debebit adeo remota eſſe ab uſura centeſima, ut hujus duodenam ſolummodo partem complectatur? Teſtator, qui pupillis ſuis per tutores conſultum volebat, pecuniam collocarat commode, nempe ad uſuram centeſimam, ſive uſuram unciariam, cujus pecunię uſum cum ambiiſſent Tutores, offenſi ſunt onere uſurarum, atque minores uſuras ſtipulari voluerunt. Etenim, cum ex ſententia viri ſummi, unciarium fœnus, duntaxat fœnuſculum, ſive fœnus leviſſimum haberi debeat, quæ fuerit ratio, quod tutores, quorum eſt commodis pupillorum invigilare, illud, quod minimum fœnus agnoſci debebat per ſtipulationem adhuc minus reddere voluerint? Unde & P. Manutius in Comm. ad lib. 5. Cic. ep. 6. *Si centeſima, vel unciaria, vel ſemunciaria in anno ſolveretur quis tantulo quæſtu pecuniam ſuam collocaſſet?* Ulterius pergit vir egregius, atq; loco proxime adducto ita loquitur: *De hujuſmodi unciis uſuris accipiendus Senecæ locus lib. 3. de Ira, quod nemo adhuc viſus eſt animadvertiſſe, ubi* uſuræ haud milleſimæ *meminit his verbis:* Quid ſi propter uſuram haud milleſimam, valetudinarius fœnerator diſtortis pedibus, & manibus ad comparandum non relictis clamat, ac per vadimonia aſſes ſuos in ipſis morbi acceſſionibus vindicat? *Loquitur de uſura, ut apparet tum minimi modi, propter quam, ut rem levem, mirum ſit, valetudinarium fœneratorem diſtortis chiragra podagraque manibus ac pedibus tantopere æſtuare. Non poteſt alia eſſe quam unciarii fœnoris, quam* haud milleſimam *contemptim appellat, quia non ſit revera milleſima.* Viro egregio, ne putet ſibi palmam

mam & gloriam inventæ hujus interpretationis deberi, præiverat jam olim Lipſius, ad d. l. Senecæ, qui occurrit lib. 3. de Ira cap. 35. ita ſcribens: *Ea ſane* (uſura ſcil.) *cum milleſimo menſe ſors æquabatur, haud longe eſt ab* Unciali *uſura: cui miror hoc ævo, & tam fervida avaritia fuiſſe locum.* Sed, quis Genius qua Lipſio, (qui in materia de uſuris alias ſequi ſolet κατὰ πόδα Antonium Auguſtinum) qua Dn. Salmaſio ſuggeſſit, hanc *uſuram*, vix *milleſimam*, cujus meminit Stoicus Romanus, aut legibus, aut moribus Romanis debere receptam fuiſſe? Certe, hoc fidiculis non extorſeris ipſis Senecæ verbis. *Quid* ſi, dicit Seneca, aperte innuendo, à ſe fingi caſum hominis ad extremas ſordes avari & iracundi. Nos Philoſophi, Tyronibus artis Logicæ, inculcare quam diligenter ſolemus axioma in Scholis decantatiſſimum: *Conditionalis propoſitio nihil in eſſe ponit.* Secundum quod, ſi conſiderentur Senecæ verba, luce meridiana clarius patebit, *uſuram vix milleſimam*, quæ ex mente Senecæ, non niſi Chimæra, aut *ens rationis* eſt, nihil commune habere cum *uſura uncia*, aut *unciali*. Atque ſic ſolidiſſime nos eviciſſe confido adverſus viros ſummos, uſuram unciariam eandem omnino eſſe cum uſura Centeſima, & viros egregros debuiſſe antea diligentius attendere rei Romanæ ſtatum, quo tempore per leges XII. Tab. introducebatur fœnus unciarium, quam illud diſtinguerent ab uſura Centeſima. Fateor lubens, me Criticorum & indoctiſſimum, & imperitiſſimum, & obſcuriſsimum eſſe, nec explicandæ pecuniæ veteri tantum temporis tribuiſſe, atque Celeberrimum Dn. Gronovium; propterea tamen non probavero omnia, quæ vir diligens in opere nupero, eoque laborioſo proponit: quem ut ſpero, libero hoc meo judicio haut offenſum iri, ita eum rogo, ſecum ante omnia in concordiam redeat. Siquidem in Præf. ad Lect. ita lego: *Materiam lentam difficilemque ſubigendo crebro & tractando ita emollivi, ut quædam, ad quæ nec ego, nec quiſquam, quod ſcirem, adſpirarat, plana & certa mihi redderem.* Cum quibus quomodo cohæreant illa, quæ ſub finem operis occurrunt, vix video. Ita quippe de hoc ſuo ſcripto ipſe Author: *Et tamen plus parte tertia libri, jam moto prælo, jam Trepidantibus operis, in ſummis temporis anguſtiis, die omni inter publicas privataſque recitationes & officia urbana exacto, matutinis vigiliis aut horis, quibus olim corpus curabant, his quoque ſæpe impeditis exemptiſve minutatim ac guttatim natum eſt.* Niſi forte numerius partus, canis feſtinanter parientis, ſimul haberi debeat fœtus

probe limatus atque formatus. Si luberet hoc agere, & gloriolam captare (præfiſcine dixero) oſtendere poſſem virum vere eximium, quem agnoſco Criticorum alpha, in hoc ipſo opere amplius quam centies dormitaſſe, maxime ubi Dn. Salmaſium, quem ipſe in Præf. vocat *virum eruditione principem*, aut vellicat, aut exagitat. Si compellar hoc agere, faciam, ut confido, cum venia viri Celeberrimi, qui videri poſſet animum addidiſſe, quod ſuam Præfationem his verbis obſignet: *Fruere, & bonis noſtris fave, malis indulge; non ut diſſimules, (cupio & ipſe me, & ſi qui à me inſcio deduci poſſint, ab errore liberari) ſed, quod non mea magis quam tua intereſt, ut liberaliter & eleganter caſtiges.* Sed hæc hactenus. Redeundum tandem eſt ad lineas. Ergo apud Romanos, uſura Centeſima, cui reſpondebat fœnus unciarium, ordinario agnoſcebatur uſura maxima; (extraordinaria ſiquidem fuit Centeſima duplex, & triplex) eâque major per leges non fuit conceſſa. In Belgio noſtro non eadem ſemper fuit, ob commerciorum differentiam, uſurarum ratio. Sub initium motuum, per Hiſpanos excitatorum, admiſſa quoque eſt Centeſima, & ad multos annos Uſuræ ſeptunces & beſſales quoque in frequenti uſu fuerunt: hodie ſemiſſales vel quincunces fere obtinent, Hollandiam ſi excipias, ubi Uſuræ trientales admodum frequentantur, quod ex ærario, per Ordines illius provinciæ, grandiores uſuræ ſolvi non conſueverint. In definienda uſurarum quantitate Magiſtratus attendere perpetuo debet, ut jam antea quoque innuebamus, rationem temporis, & conditionem ſubditorum ſuorum. Simul Magiſtratus in definienda uſurarum quantitate conſiderare debet periculum, quod ordinario adeunt illi, qui mutuam pecuniam dant. Atque hanc ob cauſſam fœnus nauticum perpetuo grandius fuit. Nam, quamvis creditores ipſi una mare ingredi non conſueverint, & *in portu maneant, nihilo ſecius* παραβάλλονται ἐν θαλάσσῃ, *hoc eſt*, in mari periclitantur, *non vita, ſed pecunia, quam crediderunt: cujusque adeo periculum ipſos reſpicit, tam in ſorte, quam in uſuris*, ut loquitur Dn. Salmaſius lib. de modo Uſurarum pag. 197. Notum ſiquidem illud Taciti lib. 14. Ann. *Nihil tam capax fortuitorum, quam mare.* Itemque illud Propertii lib. 3. eleg. 5.

Ventorum eſt quodcunque paras, haud ulla carina
Conſenuit, fallit portus & ipſe fidem.

Quid quod illi ipſi, quibus pecunia creditur, ex pecunia illa ordinario majus lucrum percipere conſueverint. Unde & Ariſtoteles dicit lib. 1.

Polit.

Digitized by Google

Polit. cap. 7. *Navigatio* (πλείω ποϱίζει τὴν ἐπικαϱπίαν) *plus emolumenti affert.* Atque hinc omni tempore, apud omnes gentes, uſura nautica major terreſtri conſuevit eſſe. Nec tamen propterea injuſtitiæ argui poteſt. Unde Guido Papæ in fine Deciſ. 572. dicit: *Quod ſint permiſſæ uſuræ nauticæ, facit incertitudo & periculum: nam plerumque propter incertitudinem quædam permittuntur: quæ ſi certa eſſent, non permitterentur.* Et Molinæus comment. de uſur. q. 2. n. 91. *Quod juſtiſſimum ſit fœnus nauticum liquet propter multitudinem & magnitudinem periculorum quæ verſantur in mari: & propter exiguitatem & utilitatem pretii videlicet centeſima reſpectu tantorum & continuorum periculorum totius ſortis.* Quod vero quis miretur imprimis, rigidi illi honeſti ſatellites, Cynici & Stoici quoque, probro ſibi non duxerunt, hoc genus Uſuræ exercere. De Menippo, qui profeſſione Cynicus fuit, ita lib. 6. per interpretem Diogenes Laërtius: *Refert* (inquit) *Hermippus diuturnum fœneratorem fuiſſe, vocatumque ex re* ἡμεϱοδανειστὴν *tandem.* Namque nautica uſura fœnerari ſolere & pignori accipere, ut pecunias *complures cogeret.* Apud eundem lib. 7. ſic lego: *Ajunt* Zenonem Citticum *plus quam mille talenta habuiſſe, quum venit in Græciam, eaque nautis fœnerari ſolitum.* De Catone Majori, Philoſophorum non modo Romanorum, ſed omnium quoque Stoicorum ſeveriſſimo, ita pariter per Interpretem ſuum Plutarchus in illius vita: *Uſus eſt* (inquit) *etiam fœnore, quod maxime omnium culpatur, nautico, idque in hunc modum. Eos, quibus pecuniam mutuo dabat, multos ad ſocietatem jubebat vocare. Cum navicularii quinquaginta, totidemque navigia convenifſent, is Quintionis liberti opera (is enim debitoribus in navigatione & negociatione ſocium ſe præbebat) unam partem habebat: ita non de tota negociatione in diſcrimen veniebat, ſed de exigua ejus parte magnum lucrum exſpectabat.* Et tamen hic ipſe Cato eſt (ſunt verba τοῦ πάνυ Dn. Salmaſii lib de modo Uſur. pag. 378. & ſeq.) *qui fœnerari idem eſſe quod hominem occidere palam prædicabat, & fœneratores furibus eſſe pejores cives pronunciabat.* Addo, eum in veſtibulo libri de R. R. ſic profari: *Majores noſtri ſic habuerunt, & ita in legibus poſuerunt, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli. Quanto pejorem civem exiſtimarint fœneratorem, quam furem hinc licet æſtimare*: atque præiviſſe Columellæ, ut in Præf. libri ejuſdem argumenti, inquireret in fœnerationis quaſi turpitudinem. Quod ſi vero candide voluerimus omnia arbitrari, hoc nauticum fœnus, longe probroſius eſſe diſcemus, quam quod exercere videntur noſtrates Trapezitæ, de quibus infra pluribus acturi ſumus.

Ob

Ob rationes vero, quas modo tetigimus, fænus hoc nauticum apud Græcos ſpecialibus legibus definitum non fuit, ut erudite oſtendit Salmaſius cap. 5. de modo Uſurarum pag. 188. & 218. Nec apud ipſos quoque Romanos, quo liceret contrahentibus, prout majus aut minus appareret maris periculum, ita majores, aut minores uſuras ſtipulari ac promittere, ut notat idem Salmaſius l. d. cap. 9. pag. 380. Atque fruſtra valde eſt Bodinus quando lib. 5. de Republ. cap. 2. ſic ſcribit: *Gabinia lex maximas uſuras definiit in nautico fœnore propter periculi pretium, quinquageſimo menſe.* Scil. dicere vult, per hanc legem uſuram nauticam fuiſſe quinquageſimam, ut terreſtris erat centeſima. Sed debuiſſet antiquum Authorem nominaſſe, qui hoc teſtaretur. Certe eſt ἁμάρτημα μνημονικὸν: atque ex ipſo jure Civili patet contrarium. Innuere hoc ipſum videntur verba Imp. Juſtiniani ſic ſciſcentis l. 26. §. 1. Cod. de Uſuris: *In trajectitiis contractibus, vel ſpecierum fœnori dationibus, uſque ad centeſimam tantummodo licere ſtipulari, nec eam excedere, licet veteribus legibus hoc erat conceſſum.* Eadem pariter mente dixit Paulus Ic. lib. 2. Sentent. tit. 14. §. 3. *Trajectitia pecunia propter periculum creditoris, quamdiu navigat navis, infinitas uſuras capere poteſt.* Primus Imp. Juſtinianus fœnus hoc nauticum in imperio Romano ad *centeſimam* reduxit in *l. ult. Cod. de Uſur.* i. e. ut una uncia ſingulis menſibus, atque ita duodecim pro centum toto anno præſtarentur. Et hæc legitima uſura dicta eſt, ut eſt in Scholio veteri lib. 23. Baſilic. tit. de uſuris. Νόμιμος τόκος ἐστὶ διαποντίως τινὸς δανείζοντος ἤτοι ἐπικινδύνως ἑκατοστιαῖος. *Uſura legitima ejus qui trajectitiam pecuniam trans mare vehendam fœneratur, id eſt, cum periculo ſuo, centeſima eſt.* Licet idem Imp. Nov. 106. approbaverit quaſdam pactiones in fœnore nautico receptas, quibus contrahentes uſuram centeſimam excedebant; poſtquam convocatis naucleris, ex iis didiciſſet, *modos eſſe varios talium mutuorum.* Atque, ſi credimus Cujacio *ad Novell. 106. & 110.* quem ſequitur *Gudelinus lib. 3. de Iure Noviſſimo. cap. 3.* non tamen conſtiterit ſibi Imperator, ſed Novell. 110. abrogaverit Novell. 106. reducta centeſima, juxta *leg. 26. §. 1. Cod. de Uſur.* Quamvis non ignorem Salmaſium cap. 9. de modo Uſur. pag. 377. Novellam 110. ita explicare, ut ea plane abrogatam velit centeſimam, atque antiquam licentiam circa fœnus nauticum reductam eſſe. quam bene non inquiro. Sufficit pro iis, quæ poſtea erunt dicenda, rationem fœnoris nautici obiter hic expoſuiſſe, quod ſane fuit ingens, ut non immerito dixerit Petronius:

Qui

Digitized by Google

Qui pelago credit, magno ſe fœnore tollit.

Poſtquam expendimus, quomodo Magiſtratus in definiendo modo Uſurarum duo attendere debeat; conſiderare duo ſimiliter debemus à parte eorum, qui mutuam pecuniam alii credunt. Initio hic admodum mihi probantur ea, quę habet Grotius ad cap. 6. Lucæ, *ubi ſequentia lego*: Ut autem ſciatur, quantum recipi ęquitas permittat, non eſt ſpectandum, ut quidam cenſent, quantum lucri faciat qui pecuniam ſumſit, ſed quantum ei abſit qui alteri pecuniam numeravit: ſicut in emtione quoque & in aliis contractibus, nunquam æſtimatio facienda eſt ex eo quod interſit accipientis, ſed ex eo quod abſit danti. Abeſt autem tantum, quantum quisque pro vitę ſuę genere ex pecunia compendii facere poteſt ac ſolet: puta ex agris, ex domibus, ex mercatura, detracta æſtimatione periculi, quod in aliis rebus majus, in aliis minus eſt, ita ut fieri inter mercatores ſolet in contractu averſi periculi quem aſſecurationis vocant. *Hæc Grotius.* Atque hæc mihi videtur eſſe cauſſa, cur non licuerit Epiſcopis & Clericis per Conciliorum quorundam canones uſuras exercere: nam ut non licebat illis *negotiationis quæſtuoſæ nundinas aucupari*, ita non licebat quoque illis *uſuris multiplicantibus fœnus augere*; licet utrumque ſuo tempore factitatum fuiſſe ab illis, qui ſacro ordini erant aſſcripti, conqueratur Cyprianus *Serm. de Lapſis.* Scilicet, indecorum eſt Epiſcopo, ſeſe immiſcere negotiis hujus ſeculi, atque in præjudicium ſui muneris mercaturæ vacare: eoque, quum non poſſit è pecunia (ſi quam habeat) tantum quæſtum facere, atque mercatores; nę iniquum quoque eſt, ut tantum uſuræ quoque percipiat, atque ordinarii mercatores. Et tamen novi Paſtores in Belgio, qui pecuniam ſuam nulli credere volunt, niſi uſuras ſemiſſes ſtipulati fuerint, quum tamen ordinario duntaxat receptæ ſint uſuræ quincunces, & trientales: quod an æquum ſit, ipſi viderint. Certe iis minus competunt uſuræ ſemiſſes, atque uſuræ centeſimę & beſſales Trapezitis, quos tamen hoc nomine exagitant. Sed, ut hoc obiter tangam, (fuſiſſime alias id factum à Dn. Salmaſio l. d.) per antiquos Conciliorum canones non niſi Epiſcopis & Clericis uſuris fuit interdictum. Verba ſunt Grotii loco *proxime adducto*: Solis his, qui in Eccleſia munere aliquo conſpicui erant, quos dicunt τοὺς ἐν κανόνι, is quæſtus interdicitur canone Apoſtolico, ut vocant, XLIV. Laodiceno IV, Niceno XVII, Africano V, & XVI. Cauſa fuiſſe videtur, quod hi, qui in ſacro erant ordine, non tantum crimine

omni, ſed & ſuſpicione avaritiæ vacare deberent. Ita eni[illegible] tur Afri patres dicto canone v. *Quod in Laicis reprehenditur, [illegible] gis debet in Clericis prædamnari.* Quin dicto canone xvi. [illegible] fœnore prohibetur epiſcopis, presbyteris, diaconis, pro[illegible] rerum alienarum ſuſcipere, aut aliorum cauſis patrocini[illegible] addita ratione, quod non deceat eos, qui ſacræ militiæ n[illegible] rint, ſæculi rebus implicari. *Hæc iterum Grotius.* Velim a[illegible] illi, ex ordine Eccleſiaſtico, qui Trapezitis ſe exhibent Va[illegible], di- ligenter non modo legere, verum etiam meditari inſtitu[illegible] Canonem quintum. Inſcribitur περὶ ἀπληςίας, ſive, *de Ava*[illegible] de, quotquot pecuniam ſuam fœnori exponunt, ſtricte ob[illegible] ges de Uſuris à Magiſtratu latas, nec eas ulla ratione violent[illegible] ſi affluant opibus, quo ἐπιεικῶς habeantur, & leviſſimam quo[illegible] ritiæ ſuſpicionem à ſe amoliri poſſint, minus potius nomine [illegible] ſtipulentur, atque per leges eſt permiſſum.

V. Definito modo uſurarum (cujus ſupremum arbitrium Magiſtratui deferendum) ulterius deſpiciendum, ut ad principalem quæſtionem propius accedere poſſimus, quidnam arbitrari conveniat de uſura Trapezitica, in fœderato Belgio paſſim permiſſa, in cujus gratiam præcedentia præmiſimus. Illius deſcriptionem graphicam proponere laboravit Dn. Johannes Cloppenburgius in Inſtitutione de Uſuris: in quo laborioſo Tractatu, licet ratione Theſios, hactenus examinatæ, nobis ſit ὁμόψηφος, ratione hypotheſios tamen diſſentir, atque cap. x. dicti Tractatus pag. 55. 56. & 58. *ita loquitur*: Hoc nomine merito odioſa & infamis eſt, quippe contraria & naturali, & divino, & humano juri, praxis iſtorum fæneratorum, qui ſuperiori ſæculo obtinebant in Italia, atque ibi exercebant improbiſſimum & barbaricum fœnus. Vigebat illic & à nonnullis Italię principibus, infidelibus, & ſociis furum (Eſai. 1.) authorata erat, multis (inquit *Carolus Molinæus*) etiam doctoribus precio pariter redemptis ſubſcribentibus, in queis *Alexander*, uſura plus quam improba, vel continens duas ſolidas centeſimas & ſemiſſem (h. e. 30. annua in centum) vel horribilior continens triplicem ſolidam centeſimam & tertiam partem centeſimæ (h. e. 40. annua in centum) vel idoneis pignoribus acceptis, vel ſub hypotheca bonorum debitoris, pignoribus non traditis, cum facultate de trimeſtri in trimeſtre bona etiam immobilia debitoris pro libitu diſtrahendi: tamque efferi fœneratores, non ſolum ſic alliciebantur, ſed etiam conducebantur

ducebantur à Regulis Italiæ, de (*hac nimium quam exaggerantur*) miſeris civium prædis tam turpiter, & ſcelerate, negotiantibus: quin etiam ſic conducebantur à potentibus Prælatis Eccleſiaſticis, legatis à Papa & Epiſcopi vicariis. Et quod adhuc turpius & ſceleratius, permittebantur, atque authorabantur, earundem improbiſſimarum uſurarum improbiores uſuræ. Horum fœneratorum Italorum proſapia ſunt, qui hodie paſſim in Ciſalpinis regionibus, in quibus plurimum commercia vigent, officinas inſtituunt, in quibus cuilibet petenti mutuo dant, accepto pignore, quo non ſolum de ſorte ſecuri ſunt, ſed etiam de uſura tanta, quæ ultra locationem domus, & ſtipendia operarum & ſervorum qui pignora curant, uberem fructum & inſigne lucrum certo adferat: puta dupla ſolida centeſima & beſſe circiter (ſive plus minus 32. annua in 100.) ubi, ut jam vidimus, Imperatoriæ leges *Juſtiniani*, ne mercatoribus quidem in ſola pecuniæ negotiatione illa, quæ ſit extra jacturæ aleam, permittunt Beſſali fœnore amplius exercere. *Hactenus Cloppenburgius.* & paulo poſt: *Fœneratores hi vocantur Longobardi, ab Italia provincia ex qua primo Alpes tranſcendiſſe videntur, ad iſtius quaſtus aucupium, prætextu officioſitatis in pauperes, exercendum. His accenſeri debent Judæi*, &c. Cogitare aliquis poſſet, huic orationi, quod authorem virum Theologum agnoſcat, nihil falſi ſubeſſe, maxime quod ille ipſe in eodem Tract. pag. 160. perſuaſum cupiat, ſe nihil *pro modulo* ſcripſiſſe, quod non pariter ſcripſerit *ex conſcientia, volente & jubente Reverenda Synodo* (Belgicarum) *Eccleſiarum*; eaque talia eſſe, quæ *muniant praxin* earundem Eccleſiarum. Sed, ex illis, quę ad modum Cenſurę, aut verius modeſtæ Stricturę, à nobis ſuccincte annotabuntur, liquere poterit, viros Theologos quoque, à veritatis lineis, quando iis ſibi videntur inſiſtere, aberrare poſſe. Ergo notamus 1. Virum egregium & Reverendum, fruſtra admodum eſſe, quando Uſurarios Italos (ſane in libera republ. non tolerandos) quos aliquando foverit Alexander VI. Papa, vult eoſdem eſſe cum illis Trapezitis, de quibus deinceps acturi ſumus. Illi immorigeri erant, at noſtri, qui à Magiſtratu admittuntur, ad ejuſdem leges rigide componere ſe debent. 2. Vir Reverendus, cum ſuis Belgis potiſsimum ſcripſerit Tractatum de Uſuris, (unde & primitus prodiit vernaculo idiomate) in Trapezitarum Belgicorum originem penitius inquirere debuiſſet. Dn. Salmaſius pag. 587. *Tract. de Trapez. Fœnore*, digitum duntaxat intendit in Zypæum, Canonicum Antverpienſem: facere vero non poſſum, quin

prolixiorem ex illo locum in gratiam Lectoris mei exhibeam. Ita ergo ille loquitur in *Tract. de jure Pontif. novo lib. 5. tit. de Uſuris, pag.* 470. Invenio (*inquit*) in Concordatis Ducis Brabantiæ & Dominorum de Grimbergen, *An.* 1297. hos ſtipulatos, ut in ſua ditione eis jus foret habendi Lombardum, quod mero jure & citra pactum eis non licuiſſet. Et ideo has eſſe puto argentarias, quæ à Frederico recenſentur inter Regalia. *In uſibus feud. tit. quæ ſint Regalia.* non vetus argentariorum munus, *de quo l.* 4. *& paſſim D. de edendo.* Nam & reliquæ Regaliorum voces *d. t.* & jura vel nihil ſonant Romanum, vel ab eo longo intervallo ſecernuntur: quamquam ex inſtituto tamen etiam ſuo argentarii fœnerabantur, ſed tam aliorum pecuniam quam ſuam collocabant, quaſi publici miniſtri *d. l.* 4. ideoque ad edendum rationes cogebantur, & ex ſolo pacto uſurę eis debebantur, *Nov. de arg. contract.* 136. §. *quia vero legem* (quale aliquid in diplomate Philippi Pulchri an. 1499. refertur) cum aliis non niſi ex ſtipulatione debeantur *l. ſi tibi in prin. D. de pact. l.* 3. *C. de uſur.* Itaque Johannes Dux Brabant *anno* 1312. Lombardos ſub ſua ſalvagardia conſtituit, & cognitioni ſuę reſervavit, tabulis legum Brabant. *den Landtchaert.* ut & concordata Brab. §. *de crim. uſur.* & formam exercitii veriſimiliter præſcripſit. Philippus Pulcher d. diplomate quibuſdam Mercatoribus, ut vocat, fœnebrium menſarum exercitium permiſit non tantum, ſed & pręmiis & privilegiis invitavit. *Hac Zypæus.* Quę dilucide oſtendunt initio, quam parum ſit tribuendum viro Rever. quando inſtituit Hiſtoricum agere. 3. Ut non diffitendum, quoſdam ex his menſariis, originem trahentes aut ex Gallia Ciſalpina, aut ex Pedemontano agro, in vulgus tuliſſe *Lombardorum* nomen; ita putarim illud in Belgio frequentari cœpiſſe, quod initio ſolito majores uſuras hi ipſi Trapezitæ, ſive menſarii exigerent. Nam jam olim uſitatum fuit majoribus noſtris, quicquid ſolito grandius eſſet, vernaculo idiomate *Lombardſch* vocare. Pueris quoque nota ſunt *Lombardſche Eye, Lombardſche binne, Lombardſche noot*, &c. 4. Carolum V. Papæ obſervantiſſimum Imperatorem quam infeſtum fuiſſe hiſce Trapezitis non miror: ſed, ſi hoc dicerem, eundem Imperatorem dira quoque edicta promulgaſſe adverſus eos, qui in Belgio Reformatæ religioni à Luthero vulgo denominatæ, duntaxat favebant, atque Jacobum Latomum, & Ruardum Tapperum hæreticę (ſic ſalutari volebant) pravitatis Inquiſitores, ſuſpectaſſe haud unum ex hiſce Menſariis, tanquam faverent iſti religioni, imo plures quoque ex hoc

ordine

Digitized by Google

ordine (ut alias oſtendam) negotium Reformationis haut ſegniter per Belgium promoviſſe, nihil à veritate alienum dicerem. 5. Notanda vero inſignis Caroli v. licet Imperatoris alias laudatiſſimi, hac in parte hallucinatio; nam quum d. 10. *Aprilis anno* 1510. (quo tempore tantus Princeps adhuc ſub Tutoribus erat) menſæ fœnebres ſublatæ eſſent per Belgium, ipſe per Edictum *anno* 1545. *die* 30. *Ianuarii*, eaſdem iterum admiſit: ſed addidit, ut (ſunt verba Zypæi in Notitia Juris Belgici) *fœnebrem menſam excercentes, partemve in ea aut adminiſtrationem habentes, divinis officiis non interſint, alioquin privilegium amittant, & ut publici uſurarii puniantur.* Quod ſane ſummam ſapit iniquitatem: nam, ut loquitur Excellentiſſ. Dn. Salmaſius, (qui hoc ipſum Edictum conſideravit) lib. de Fœnore Trapez. pag. 400. *Mira profecto lex, permittere erectionem menſarum mutuationis, quaſi ad bonum publicum inſtitutarum, & infamia notare atque à ſacra ſynaxi arcere, qui eas exercent. Oportet illum profeſſionem hanc, quæ talem mereri pœnam ei viſa eſt, contra jus divinum ac morale facere putaſſe. Quod ſi ita putavit, cur permiſit publice exerceri, quod contrarium legibus Divinis eſſet?* 6. Hi, ſive Trapezitæ, ſive argentarii, ſive menſarii, non ſunt fœneratores privati, ſed publici: quomodo jam olim differentiam interceſſiſſe inter Trapezitas, ſive fœneratores privatos & publicos, recte ſtatuit ὁ πάνυ Dn. Salmaſius in Pręf. de Fœnore Trapez. *ubi ſequentia lego:* Fœneratores ubique locorum, olim duorum generum fuere, privati nimirum & publici. Unicuique privato ſemper licuit pecuniam ſuam exercere, & ex ea quæſtum facere legitimis uſuris, ubi lex modum earum finiviſſet, aut placitis ubi liberum eſſe ſiviſſet. Hi δανεῖσαι, Gręcis appellati, Latine *fœneratores.* Publicos Græcia τραπεζίτας nuncupavit, à menſis quas in foro poſitas cum nummis in his publice expoſitis habebant, ut omnibus fœnerato accipere volentibus, pecunias expenſas ferrent. Latini eoſdem vocant *Menſarios*, aut *Argentarios*, atque etiam *Nummularios.* Privati fœneratores ſimiles ſunt hominibus privatis, qui res in agro ſuo natas, vinum, triticum, oleum, legumina, & alias quaſcumque fruges, liquidas aridasve vendunt, cum plus ex illis colligant quam conſumere domi poſſunt. Ita privati fœneratores pecuniam ſuam, ne ſibi otioſa eſſet, in quæſtu ac reditu habebant, ſi quando ea abundarent. At fœneratores publici erant, ut mercatores nunc quoque publici ſunt, qui emunt ut vendant, & vendunt ut alia iterum vendenda emant, & ſic indeſinenter merces

 habent

Digitized by Google

habent vænales. *Huc uſque Salmaſius.* 7. Conſtituuntur vero noſtri Trapezitæ à Magiſtratibus, quibus jus eſt eos conſtituendi, qui & iiſdem non modo leges præſcribunt, quas ſtrictiſſime obſervare debent; verum etiam annuum Canonem iis fere imponunt, ad modum recognitionis, fiſco ſolvendum. Legibus illis non minus definitur, quantum uſuræ nomine, ſupra pignora, exigere poſſint ipſi Trapezitæ, verum etiam ſcrupuloſe cavetur ſecuritati & commodis eorum, qui pignoribus oblatis mutuum à Trapezitis accipiunt: adeo, ut neque ante elapſum juſtum tempus pignora ſub haſta poſſint diſtrahi, neque etiam quid interverti in fraudem debitorum de pretio, quod cogi contigerit ex pignoribus diſtractis: quæ, ſi contigerit in auctione publica majori pretio diſtrahi, quam Trapezitæ, nomine ſortis & uſuræ, debeatur, quod ſupereſt, reſtitui debet illis, quorum pignora bene vendi contigerit; qui, ſi ſeſe non offerant, aut, poſt inquiſitionem inſtitutam, inveniri non poſſint, ſuperfluum illud non in ſuum commodum Trapezita convertit, ſed Curatoribus pauperum offert. Saltem offerre debet; probaruntque hac in parte ſuam fidem ſæpius probæ notę menſarii, inter quos complures confido occurrere, qui Deum ex animo metuant. A quibuſdam ſi hic peccatum fortè fuerit, (quod liquido probari deberet) non imputandum eſt ipſi ordini, ſed aliquibus, qui agnoſci debeant maculæ & opprobria ordinis, per ſe innoxii. Nam ut uſurpem iterum verba Dn. Salmaſii ex eadem Præf. *Quamvis autem in trapezitarum ordine ſint etiam improbi multi, ut in aliis profeſſionibus, quia tamen perſona habentur publica; non vitio profeſſionis ſunt, ſed ſuo, ſi qui ſunt mali. Sic etiam Tabelliones, & Notarii publici, falſarii nonnulli reperiuntur. Et publicani multi iniqui, legum contortores, & bonorum extortores, quibus hodierni trapezitæ, ſi qui improbi exiſtunt, ſimiliores videntur.* 8. Quæ ſi obſerventur, patebit, quam iniqui illi ſint Cenſores ordinis alias inculpati, qui non verentur eos furibus & latronibus accenſere. Sane longe candidiorem ſe hic exhibet Franciſcus Zypæus, Juris Canonici licet Doctor, & proinde juratus Papanorum dogmatum Antiſtes, quando l. d. pag. 483. *ita loquitur*: Neque enim recte ſentiunt, qui hos menſarios, uſurarios publicos, vel Lombardos, latronibus comparant, ac furib. quibus ſumptus in res latrociniis, aut furto, ſublatas impenſos exigere non licet, *l. 1. C. de infant expoſ.* Neque enim contra juſtitiam peccant uſurarii, quatenus indemnitatem ſuam, non lucrum, ſtipulantur, exiguntque. *Hac iterum Zypæus.*

At,

Digitized by Google

At, miſſo non minus Zypæo, quam Dn. Cloppenburgio, (cui ut VI. opponere debuimus præcedentes *ſtricturas*, ita earundem occaſione Trapezitarum noſtratium, qui perſonæ publicæ, conditionem expoſuimus) deinceps notari volumus, uſque adeo honeſtum eſſe ordinem Trapezitarum, ut à pluribus annis in variis Hollandiæ & Zelandiæ urbibus, Magiſtratus ipſi illud factitarint, quod alias per Trapezitas, in ſubditorum ſuorum commodū, exequi ſolent. Speciatim hic commemorari debēt Magiſtratus Harlemenſis, Amſtelodamenſis, Goudanus, Roterodamenſis, Hornanus, Veteraquinenſis, Medioburgenſis, & Vliſſinganus. Quod uſq; adeo probatur ipſi Dn. Cloppenburgio in Tract. Latino de Uſura pag. 66. ut cap. XI. *ſic loquatur*: Laudabilis eſt ille conatus, quo in nonnullis civitatibus Magiſtratus cogitarunt de remedio, quo profligata illa praxi *Longobardorum*, ita conſuleretur pauperibus & indigentibus, ut non neceſſum haberent in ſimiles piratas incidere: videlicet publice mutuata pecunia ſub leviori, quantum fieri id poſſet, uſura. *Hac Dn. Cloppenburgius.* Ne vero aliquis exiſtimet, Magiſtratus dictarum urbium, per ſingularem moderationem uſurarum, tacite iniquitatis condemnare Trapezitas, qui alibi à Magiſtratu jus Menſæ conducunt, obiter hoc loco, & tamen bona fide explicabo, quænam ratio utrarumque menſarum ſit quod ad uſuras. Ergo uſque in hunc diem, Harlemi, Amſtelodami, Roterodami, Hornæ, Medioburgi, & Vliſſingæ pro minoribus pignoribus, centum florenis non valentibus, annuatim ſolvi ſolent ſeni deni floreni & quini ſtuferi; quantum quoque ex ſimilibus pignoribus, uſuræ ratione, conceſſum eſt cogere Trapezitis, menſas habentibus, Arnemii, Ultrajecti, Amisfurti, Daventriæ, & Groningæ, niſi quod Ultrajecti & Amisfurti è pignoribus, non valentibus ultra quatuor florenos, in annum tantum percipi poſſint deni floreni. Goudæ, ſecundum antiquam conſuetudinem, Magiſtratus, qui ipſe per ſuos delegatos curator eſt fœnebris menſæ, ex omnibus indiſtincte pignoribus, pretium centum florenorum non excedentibus, in centuriam florenorum annuatim percipit unum & viginti florenos ac tredecim ſtuferos, ex reliquis vero pignoribus majoribus cogitur uſura centeſima. Veteribus Aquis, ubi ſimiliter, quemadmodum antea dictum eſt, ab ipſo Magiſtratu menſa curatur, indifferenter ex omnibus pignoribus redactis ad centum florenos, quotannis nunc ſolvuntur 21. flor. & 13. ſtuf. Pignora, pertingentia uſque ad quadringentos & ſeptuaginta quinque

que

Digitized by Google

que florenos Hornæ, ad quingentos Medioburgi & Groningæ [illegible] ad ſexcentos Vliſſingę, in florenorum centuriam, quoque menſtruæ uſuræ nomine pariunt ſenos denos ſtuferos; quum Ultrajecti [illegible] quibusque hebdomadis pro centum florenis ſolvantur octodecim ſtuferi, annua uſura ſurgente ad novem florenos. In omnibus autem ſupra dictis civitatibus, pignora quingentos aut ſexcentos florenos excedentia, ſenis quibusque hebdomadis pariunt centeſimum nummum. Placuit in gratiam Lectorum, paulo diſtinctius hęc proponere, (quę vera eſſe, ſi neceſſitas urgeat, per publica documenta probare poſſum) ut ſubſequentia dijudicari commodius queant, publiceque conſtet, clementius cum tenuioris ſortis hominibus non agi in illis locis, ubi ipſi Magiſtratus fœnebres menſas curant. Verum quidem eſt, anno 1656. Magiſtratus Amſtelodamenſes & Roterodamenſes, utcunque minuiſſe uſuras antea receptas, atque ab hoc tempore habita ratione majorum pignorum, 100. vel 500. flor. obſtrictorum, inæquales quaſi haberi poſſe menſas reliquorum Trapezitarum; cæterum, hoc nequicquam cauſſæ Trapeziticæ, (quam juſtiſſimam eſſe ſubſequenti ſectione probabo) præjudicare poteſt. Siquidem quinque ſunt, quæ hic diſtincte conſideranda veniunt. 1. Integrum eſt Magiſtratibus, è Bancis Mercatorum, tantum pecuniæ fœnebri ſuæ menſæ deſtinare, quantum temporis ratio & neceſſitas mutuo rogantium efflagitaverint; quum Trapezitæ ipſi ſæpe mutuam pecuniam, ſub uſuris haut modicis, accipere cogantur. 2. In illis urbibus, longe majori quantitate pecunia mutuo datur, quam alibi. 3. Ibidem in ædibus publicis fœnebres menſæ habentur; quum Trapezitæ grandi pretio ut plurimum convenientes ædes, aut conducere, aut emere cogantur. 4. Trapezitæ utplurimum annuum quoque canonem Magiſtratui loci ſolvere tenentur. 5. Iidem Trapezitæ, quum conſequi ſoleant ad certos duntaxat annos jus exercendi menſam, iis elapſis de integro Privilegium impetrare, variosque ſumptus facere coguntur. Quæ omnia ſi quis exacte conſideret, & pariter computet mercedem famulorum, quos in familia ſua Trapezitæ alere debent, quo commode omnibus, qui mutuum rogant, proſpici poſſit, liquebit, ab iis vix percipi uſuras, quæ excedant ordinarium uſurarum modulum.

VII. Hiſce pręmiſſis, ordine XII. argumenta proponam, juſtitiam cauſſę Trapeziticę liquido evincentia, quæ, ut defęcata mente diſcutiantur, obteſtor illos, qui hęc forte lecturi ſunt. I. Lubet argumentari à pari. Nam

Digitized by Google

Nam ſi in republ. V. G. piſtores, aromatarii, & caupones, (de his antea egi) ſimilesque, habeantur, & ut putatur, merito, honeſtæ perſonæ, ac boni cives, cur non pariter Trapezitæ quoque, de quibus loquimur? Nam hi uſurarum & lucri ſui modum ſtrictiſſime definitum habent, adeo, ut impune eum violare non poſſint: cum plerique illorum, de quibus loquimur, pro arbitratu pretium ſuarum mercium & augere poſſint, & ſæpe ſic augeant, ſi non mercibus adulteratis quoque, ut breviſſimo temporis ſpatio rem maximam faciant. Nec eſt, quod quis dicat per uſuras Trapezitarum pauperes magis premi. Certe, ſi luberet omnia ad vivum reſecare, pateret, in Belgio nullos eſſe æque graves pauperibus atque Piſtores, (ut ut ſæpe membra fiant Senatus & Conſiſtorii) maxime in iis locis, (obſervatur hoc in Hollandia) ubi inquilinis non eſt permiſſum proprium panem domi coquere. Ego, qui vivo Groningæ, ubi civibus omnibus jus eſt ſui panis coquendi, teſtari poſſum de mea familia, (quam ex Dei benedictione numeroſam habeo, octonis hoc tempore, & antea novenis & denis, duntaxat liberis in illa occurrentibus) quod ſi forte, per impedimenta molendinaria, è piſtrino compellar panem ſecundarium petere, tantum panis dalero ſimplici mihi comparare non poſſe, quantum alias floreno mihi ex mea farina adornare ſoleo. Ne dicam, illum panem (omnium civium calculo) multo deteriorem eſſe eo, quem in uſum ſuarum familiarum, illarum ſive patres, ſive matres adornari curant. Cur virorum Reverendorum zelus non fertur æque contra piſtores, ſane inexcuſabiles, atque contra innoxios Trapezitas? Non credo iis parci, quod haberi debeant homines illuſtres. In ordinem vilium & ſordidorum artificum à Julio Firmico lib. 3. Aſtr. cap. 12. rediguntúr. II. Iterum à pari ſic argumentor: Publicani non ſunt meliores Trapezitis, & ad ſummum hiſce æquales cenſeri debent: & tamen eorum vocationem, modo ſtricte ipſi inter muneris ſui limites maneant, probavit Joannes Baptiſta Luc. 3. v. 13. ſiquidem authoritate publica cogunt tributa, quę fas eſt Magiſtratui ſolvere, Rom. 13. v. 7. Sed quid aliud faciunt Trapezitæ, qui pariter authoritate publica multis proſunt, & quotidie, mutuum dando, plurimos præſentaneo exitio eripiunt: quum tributa, quæ Publicanis ſolvuntur, ſemper onerum rationem habeant. Parcatur ergo illis à Viris, quibus ineſt πικρὸς ζῆλος, quandiu munere ſuo legitime funguntur, & Publicanorum exemplo, *amplius non exigunt, quam conſtitutum eſt.* III. Porro à pari

ita argumentor, ut componi velim contractum cambii, cum uſura Trapezitica. Nullus hactenus in dubium vocavit Collybiſtarum vocationem, aut arguere, nedum cœna Domini arcere illos ſuſtinuit, qui pecuniam Collybo curant: quod ſine collybo ſalva vix eſſe queat mercatura. At, quis uſque adeo rerum imperitus, ut ignoret lucrum quod collybiſtæ percipiunt, longe excedere uſuras Trapeziticas, atque ſæpe eo uſque ſurgere, ut non quidem intra annum, ſed intra menſem, (quid menſem dico? unam, alteramve hebdomadam) ſortis quintam partem, ſi non amplius quoque, excedat. Cedo rationem, cur flagella promeriti ſint Trapezitæ, qui multis modis utiles ſunt, & ſcutica Collybiſtis ne quidem intentetur? IV. Iterum à pari lubet argumentari, producto fœnore nautico, cui reſpondere *Bodemeriam*, inter Mercatores Belgas receptiſſimam, recte vidit ὁ πάνυ Dn. Salmaſius Diſſert. de Fœn. Trapez. pag. 95. quam immane illud ſæpe non creſcit, impatiens legum & modi omnis? & tamen nulli unquam vitio datum fuit, quod fœnus hoc exercuerit. Quæ ergo ratio, quod Trapezitæ noſtrates magis vapulare debeant, quam hujuſce fœnoris exercitores? V. Simili modo adhuc progrediendo, cum Trapezitis noſtris contendo Mercatores omnes. Inſolens alicui videatur, quod hęc occurrant in indice ſubjecto Diſſert. Dn. Salmaſii de Fœnore Trapez. *Mercatores ſequiores Trapezitis*: interim hoc effatum eſt veriſſimum. Siquidem mercatores quarumcunque mercium intendunt unum lucrum, nullis legibus definitum, & pro animo ab avaritia ſubacto, ut plurimum immane; cum Trapezitæ, quia à Magiſtratu conſtituuntur, ut publice proſint, legum vinculis ſubſint, & amplius neque exigere neque lucrari poſſint, quam leges permittunt. Ne dicam jam, pro dolor! nimis quam verum eſſe, quod Salvianus ſcriptor Chriſtianus dixit lib. 3. de Gubern. *Quid aliud eſt cunctorum negotiantium vita, quam fraus atque perjurium?* Quis tamen ex Dnn. Theologis inſtituit hactenus turbare mercatorum conſcientias, eoſque æque inquietare, uſque ad excluſionem à cœna Domini, atque bonos, nullique graves Trapezitas? Quid vero dicent Adverſarii Noſtri, præ aliis pręter rationem fervidiores, ſi in ſocietate Eccleſiæ ſuæ, pariter habuerint Nobiles, qui exercitio Mercaturæ vacent? Nota lex. 3. Cod. de Comm. & Mercator. qua Impp. Honorius & Theodoſius ita decernunt: *Nobiliores natalibus, & honorum luce conſpicuos, & patrimonio ditiores, perniciosum urbibus mercimonium exercere prohibemus.* Quam legem, ne, pro

pro inſtituti præſentis ratione, videar fruſtra adduxiſſe, conſuli velim Gothofredum in Notis. VI. Omiſſo loco à pari, deinceps argumentor ab inſigni commodo, quod cujuſcunquè ordinis homines, maxime pauperiores, è commoditate menſarum Trapeziticarum percipiunt, ſi certo quo caſu (ſæpe vero hoc contingit) pecuniæ inopia laborent. Ex pluribus, qui in mundo ſunt, unum duntaxat caſum notaſſe ſuffecerit. Ergo, conſideretur V. C. Civitas Ultrajectina, ubi duntaxat ſemel quaque hebdomada, feria nempe ſeptima, aut die Saturni, agitatur mercatus; ſumatur quoque tenuis conditionis civis, cui licet oneroſa ſit familia, hebdomadatim tamen ſenos florenos lucrari poſſit; eos vero duntaxat, à mercatoribus, quibus inſervit, accipiat die Saturni circa veſperam; velit vero hic ipſe, qui præſumitur eſſe frugi, tempeſtive familiæ ſuæ proſpicere de neceſſariis; non poſſit autem, quod pecuniam ſuam nondum acceperit: ut vero commodis ſuis conſulat, à Trapezita, oblato pignore, accipiat quinque florenos, quibus die mercatus ea comparet, quæ ſi poſtea à propolis petere debeat, ſex floreni non ſuffecerint: &c. pignus vero ſuum, die Lunæ, ſolutis paucis duntaxat obolis, repetat. Cedò, an non menſæ Trapeziticæ ſubſidio, admodum conſulatur huic patrifamilias, qui paulatim ad mendicitatem neceſſario adigi debebit, ſi non illi in tempore ſuccurrerit menſa Trapezitica? Utique verum eſt, quòd dicit Dn. Salmaſius de Fœn. Trapez. pag. 601. *Tenues*, inquit, *& inopes, quia ſæpius pecuniam in numerato non habent, nec præſentem mercatori poſſunt ſolvere, ſi quæ in diem differtur ſolutio, ea pretio impenſiore ſolita eſt compenſari. Et ſic uſuras ille mercator, qui expectat à paupere emptore, exigit interdum haut leviores, quam quas Trapezitis accipere Magiſtratus permittit.* Eoque, longe præſtat, per ſubſidium menſarum Trapeziticarum, præſenti pecunia, ea, quæ πρὸς τὸν βίον, emere. Nam licet Trapezitis uſuræ quoque ſolvi debeant, ratione tamen temporis diminui poſſunt, ubi acceſſerit pecunia; quum propolis omnino illud pretium ſolvi debeat, quòd initio promiſſum erat, iis per anticipatam ſolutionem, nihil de rigore ſtipulati pretii remittentibus. VII. Quum contingat haut raro, ipſis quoque opulentioribus, ut pecuniæ inopia laborent, eam autem ad uſuras ordinarias accipere non poſſint, & tamen eadem pro tempore neceſſario indigeant, ſi non occurrat menſæ fœnebris facultas, quæ pignori alias offerri poſſent, magno damno dominorum, vendi debebunt; quod ſemper neque emptores inveniant, neque emptores quoque

Digitized by Google

ordinarii pecuniam habeant. Contingit ergo, minoris diſtrahi illa, quæ, in pignus ſi oblata fuiſſent Trapezitæ, ampliorem pecuniæ ſummam domino ſuo tam certò procuraſſent; quam in ipſius dominio manſiſſent, reditura per commodam occaſionem in ejuſdem domum. VIII. Si Trapezitæ tabernas fœnebres claudere cogantur, næ tenujoris conditionis hominibus ad laqueum res redierit, iiſque cum fame atque extrema rerum omnium inopia miſere luctandum fuerit. Nam; cum ſecundum vaticinium Chriſti, ultimis hiſce temporibus, jam diu *refriguerit charitas*, Matth. 24. 12. atque unuſquisque ſibi, ſuisque commodis duntaxat ſtudeat, ſi in menſa fœnebri tenujoris ſortis homines ſolatium per oblata pignora non inveniant, nullibi id invenient: quum, prę verecundia æque erubeſcant mendicare, quam propinquis quoque ſuis neceſſitatem, qua pro tempore premuntur, exponere; & vix auſint in loco publico, pro neceſſario ſubſidio frontem ponere, eum adeundo per alios, quibus, mutatis ſępe nominibus, pignora ſua committunt. IX. Qui intempeſtivus pudor per alios adeundi Trapezitæ domum, quæ tamen ſola præſentaneum ſubſidium, & ſolatium, ſuppeditare & poteſt & debet, novum nobis argumentum ſuppeditat. Homines ſiquidem prępoſtere verecundi operam aliorum in offerendis Trapezitæ pignoribus, ut plurimum duplo carius redimunt, quam gratiam Trapezitæ, ad cujuſcunque ſervitium & ſolatium omni tempore paratiſſimi: ſiquidem, ut pignus modicum ad paucas ſolum hebdomadas apud hunc relinquunt, ſolvendo uſuræ nomine unum alterumve ſtuferum; ita, qui frequentando Trapezitæ domum aliis vicariam operam præſtant, pro oblatione cujusque pignoris, ab ejuſdem dominis ex conſuetudine binos ſtuferos accipere ſolent, atque tantundem quando id luunt. Etenim, ſi per Dnn. Theologos, quorum officium eſt promovendis honeſtis proximi commodis invigilare, commendarentur menſæ fœnebres, nullus eas accedere erubeſceret, minorique damno afficerentur, qui ſæpe earundem ſubſidio nulla ratione carere poſſunt. X. Quod hujuſce vitæ ratio uſurarum ſubſidio nullatenus carere poſſit, plurimorumque civium hic ſtatus ſit, ut non niſi oblatis pignoribus pecuniam accipere poſſint: omnino præſtat, ibi exhiberi pignora, ubi eorum & ſecuritati conſultum eſt, atque credentium cupiditas in ordinem per leges redacta, metu Cenſuræ perpetuo caſtigari poteſt. Certe experientiâ conſtat, in iis urbibus, ubi publicæ fœnebres menſæ non notantur, per privatorum avaritiam, con-

tra

tra omnem charitatem, cives magis exedi, atque ubi hujus ordinis menſæ per Magiſtratum publica authoritate & conſtitutæ & ordinatæ ſunt. XI. Tantum abeſt, ut Trapezitæ traduci mereantur ob ea, quę jam notata ſunt, honorari cum maxime deberent, atque contra quorumcunque injurias per Magiſtratum defendi. Juſtiniano ipſo Imp. teſte, qui ut Novella 136. agit de argentariorum (quibus per omnia reſpondent noſtri Trapezitæ) contractibus, ita inter alia hæc habet de illis cap. 3. *Neque enim juſtum eſt, ut qui tam largiter pecunias ſuas profundunt, non item primum & extra omnem controverſiam poſitum ordinem in rebus pecunia ſua comparatis teneant.* & cap. 4. ſub finem: *Nam qui omnibus propemodum indigentibus opem ferre parati ſunt, hos itaque per ejuſmodi minutias injuriam perpeti juſtum non fuerit.* XII. Sed, argumentum ad hominem (ut loquuntur) cauſſę Trapeziticæ patrocinatur maniſeſtiſſime. Scilicet, quia Theologi, (qui Trapezitis bellum perpetuum indixerunt, eos pro re nata traducendo,) non modo parcunt Magiſtratibus, qui per ſe menſas exercent, verum etiam utroque pollice probant eorundem inſtitutum, quo hac ratione conſulant ſuis civibus; omnino liberant Trapezitas ab omni culpa, atque eorundem cauſſam, ut ut vulgo odioſa habeatur, per omnia juſtificant. Cur enim hic locum habeat, quod de ſeculo, quo vivebat, queritur Juvenalis Sat. 3.

Nam quod turpe bonis, Titio, Sejoque, decebat Criſpinum.

Et non potius valeat illud, quod habet antiqua formula: *Idem Accii, quod Titii.* Sane, quod Magiſtratus per leges juris Divini & Naturalis facere poteſt, aliquis facere quoque poteſt nomine ipſius Magiſtratus, ſi ab hoc, ad illud faciendum, legitime conſtitutus fuerit. Quoniam Magiſtratui licet tributa irrogare, licet ei quoque Publicanos conſtituere, qui tributa cogant: nec hactenus cenſuræ obnoxia eſſe poteſt Publicanorum profeſſio, qua talis. Magiſtratum vero non peccare, ſi quaſi fiduciariam operam præſtet Trapezitis, atque per ſe in uſum civium menſam exerceat, fateri cogitur ipſe Dn. Cloppenburgius Tract. ſępius citato cap. XI. pag. 72. *ita loquens:* In quo quia pręſumitur Magiſtratus liberaturus bona fide ſuam conſcientiam; non debet pius & laudabilis conatus, ex ſiniſtra pręſumptione aliqua odioſus aut injuſtus cenſeri. Ex his autem liquet, piam poſſe eſſe pauperum ſublevationem, etiam cum negotiatione verę & formalis uſuræ, quando onus illud ſentiunt in ſuum emolumentum: Ac conſequenter nullam

Digitized by Google

dari poſſe juſtam cauſam, quare tantum ſit toleranda & non probanda negotiatio illa, ſaltem ut actus civilis licitus & honeſtus. *Hactenus Cloppenburgius.* Imo nec diſſentit ipſe Dn. Voetius, dum in jam adductum Dn. Cloppenburgii judicium, publica quaſi Synodi authoritate munitum, illud approbando, digitum intendit, *Parte 2. Diſp. de Uſur. Th. ult. & in Notis ad ſupplicem Menſariorum Trajectenſium libellum, Rei judicatæ inſertis, pag.* 32. Præiverat utrique Excellentiſſimus Dn. Maccovius, qui ut jam anno undetrigeſimo hujus ſeculi, ſingulari occaſione invitante, pro ſolita facilitate inſtituit Trapeziticum negotium excutere, ita, ſi res exigeret, oſtendere poſſem, Theologum vere egregium & accuratiſſimum, atque Præceptorem meum jucundiſſimæ memoriæ, ſæpius poſtea faſſum fuiſſe, ſe, per Reſpondentis ſingularem præcipitantiam, ad Theſium Antitrapeziticarum propoſitionem publicam acceſſiſſe. Interim Viro ſummo & præceptori fautorique plurimum honorando d. Diſp. qu. 2. Th. 8. hæc exciderunt: *Illud remedium, quale Amſtelodamenſes adhibuerunt, legitimum & laudabile eſſe concedimus.* Quæ hactenus nobis & inſtituto noſtro abunde ſufficiunt. At, ne valeat Majoris Propoſitionis conſequentia, Dn. Cloppenburgius l. d. pag. 73. *ita loquitur*: Verum enim vero, his non obſtantibus juſtę ſunt cauſæ non tolerandi, ut privati menſas erigant, in quibus promiſcue cuivis petenti mutuum dent, ſub uſura: nam etſi forte hodie conſtet de privati alicujus daniſtę bona fide & benigna tractatione debitorum; non tamen debitores ſemper eſſe poſſunt in tuto: quia frequenter uſu venit, privatos aliis acerbioribus cedere, vel hęredibus avidis relinquere, vel mores & affectus mutare. Deinde menſæ illæ erigi non poſſunt abſque ędium conductione & operarum ac ſervorum ſtipendiis; quæ gratis præſtare non aucta eo nomine uſurę quantitate, non eſt privati. Eo autem onere gravari pauperes privato arbitrio, non decet, & Reip. intereſt, ne privato daniſtę liceat, qui quamdiu id fieri poterit, in privatum emolumentum, ſumptus neceſſarios non verebitur multiplicare, & ſub leviori uſura multum æris alieni conflare, ut de graviori uſura à pauperibus ſolvenda ipſe diteſcat, & ſuper lucretur. *Hæc ille.* Reſpondeo 1. Dolere me, quod ſcapham ſcapham vocare debeam: hæc Graviſſimi Dn. Theologi enſtaſis tribus hellebori jugeris expiari non poteſt. Nam quorſum confunditur hypotheſis cum Theſi? Non eſt quæſtio quid aut faciant, aut facere præſumpſerint, aut ratione ſuorum heredum perpeti poſſint, hi, illive Trapezitæ:

ſed

ſed quid exiſtimandum ſit de eorum vocatione, & vitæ genere, in quo verſantur? Hypotheſis deinceps, infra, Sectionibus tribus poſtremis hujus Exercitationis tam moderate à nobis excutietur, ut nulli leviſſimus quoque ſcrupulus ſupereſſe queat. 2. Etiamſi onera centuplo graviora ſubire forte hi illive Trapezitæ debeant, legibus tamen, à Magiſtratu ſibi præſcriptis, ſubeſſe debent, uſque adeo, ut ne latum quidem unguem ab illis poſſint diſcedere, quin Cenſuram, & mulctam, ſi non ſæpe infamiam quoque, incurrant. Cum Trapezita, quem hic format Vir alias doctus, componatur Publicanus, qui & legere & ſcribere neſciat: etenim is pluribus miniſtris & adjutoribus indigebit atque ille, qui & notare & literas didicerit; ſed, an ille propterea poterit plus exigere, quam publice à Magiſtratu fuerit conſtitutum? Nemo ſanus dixerit, nec ratione hujuſce publicam, ullus, ſanæ modo mentis fuerit, inſtituerit traducere Publicanorum ſtationem. 3. Caſus facti & juris, ut toto cælo diſtant, ita neutiquam attendendum, quid fiat à Trapezitis, ſed quid fieri debeat. Ergo hactenus contra verba Dn. Cloppenburgii, in ſtatu manet hoc duodecimum noſtrum argumentum. Inſtantiæ, ab aliis, adverſus illud vulgo adferri ſolitę, convenientius à nobis infra examinari poterunt Sectionibus proximis.

Ut hactenus ergo conſtat, Trapezitas noſtros, ratione vocationis ſuę conſideratos, ſeu potius Trapeziticam negotiationem inculpabilem eſſe, nec dignam, quę tam acerbe, ut hactenus fuit factum, per ipſos quoque Theologos traducatur; ita proxime conſiderare convenit Montes pietatis, menſis Trapeziticis analogos, atque primitus in medio regno Papano, ſeu in Italia erectos, ad hoc ut poſſent inſervire uſibus tenuioris conditionis hominum. Quum enim Papæ ſatellites viderent eam eſſe conditionem hominum in hoc mundo degentium, ut non poſſent ſocietatem ſuam abſque uſurarum ſubſidio ſalvam incolumemque præſtare, nec tamen uſuras auderent permittere, ne quid exiſtimationi Juris Canonici & Domini Papæ diſcederet, excogitarunt Montes pietatis, ad quos pro accipiendo mutuo indigentiores confugerent, nec tamen uſuras ſolverent pro uſu ipſius pecunię, ſed pro opera eorum, qui Montes curant. Quod ut liquidius pateat, lubet adducere Cajetanum, ad quem ut & antiquiores Scholaſticos, ne quidem moderni Jeſuitæ ſolent diverti, nedum ut à noſtris negligantur. Inter illius Opuſcula, Tom. 2. Tractatus Sextus inſcribitur *de Monte Pietatis*: atque cap. 1. *hunc in modum res & nomine* VIII.

&

& inventione admiranda deſcribitur: Mons Pietatis (*inquit*) in multis jam Italiæ populis erectus, &c. vocatur ſumma quædam pecuniæ ad perpetuum uſum pauperum deputata, hoc modo: Compatientes divini verbi prædicatores aliqui inopiæ multorum pauperum, quorum facultates (quia non ſemper in promptu habere contingit unde ſuis provideant neceſſitatibus) ab Hæbræorum uſuris vorantur, induxerunt populum, ut pietatis intuitu oblatione voluntaria quiſquis quod ſibi placeret, offerret, quatenus ex multis oblatis una quædam fieret nummorum ſumma, conſervanda integre ad hoc, ut pauperi cuique mutuari poſſit, unde ſibi provideat. Et quoniam charitate plena res eſt hæc, fructuoſa fuit prædicatio, adunataque eſt pecunia multa ſub communibus cuſtodibus repoſita, quæ Mons pietatis dicitur. Quumque modum convenientem & perpetuum, &c. rectores civitatis ſtatuere vellent, ſtatuerunt bonos cives ad hoc exequendum cum his capitulis. Primò, quod cuſtodiant dictam pecuniam, & ſtent parati ad mutuandum egentibus tot aureos (puta tres ad ſummum) & intra tantum non plus temporis (puta annum) reſtituendo, & hoc ut bonum poſſit eſſe communius. Secundò, quod pignora ab accipientibus mutuum ſumant, & ſuo periculo cuſtodiant in domo ad hoc conducta, & reſtituentibus intra annum reddant, non reſtituentium vero publice vendant, & ex venditione pecuniam exigerent reddendam domino venditi pignoris deducto prius eo, quod Monti debet, & horum omnium & totalis ſuæ adminiſtrationis rationes ſcriberent, & redderent. Et hoc totum fit, ut perpetuus poſſit eſſe Mons, & futuris pauperibus prodeſſe. Tertiò, quod ultra pecuniam mutuatam exigant ſecundum numerum librarum ſingulis menſibus tot denarios à prędictis debitoribus, ita quotquot libras aliquis mutuo ſuſceperit à Monte, tot denarios ſingulis menſibus, quibus illas retinet, dare teneatur. Et hoc non ut aliquid ultra ſortem Monti accedat, ſed pro recompenſatione operarum, cuſtodum, & miniſtrorum qui publico pauperum bono in ſupradictis cum ſuo periculo, & labore deſerviunt, & expenſarum quæ pro penſione domus & emptione librorum & cæteris ab eiſdem fiunt, Hęc ſunt capitula Montis pietatis. *Hactenus Cajetanus*. Originem Montium horum tangit Dominicus Sotus lib. 6. de Juſtitia & Jure qu. 1. art. 6. fol. 192. *ita ſcribens*: Inſtitutum hoc Montis Pietatis in Italia centum ab hinc annis ortum eſt. Nam Pius II. primus ejus refertur adprobator. Et poſtea à Lateranenſi Concilio ſub Leone X. iterum

Digitized by Google

iterum fuit receptus: cujus utique extat approbationis bulla. *Hæc Sotus*. An vero hi Montes probari debeant, non convenit inter ipſos Doctores Pontificios, qui non modo diſſentiunt ratione quorundam accidentium & circumſtantiarum, circa hos ipſos Montes occurrentium, verum etiam totius inſtituti ratione. Certe, Cajetanus offenſus maxime eo, quod pro uſu pecuniæ mutuæ, quaſi pro opera Curatorum pecuniam illam elocantium, neceſſario quid ſolvi debeat, ſuum Tractatum hiſce verbis obſignat: *Ex rationibus ergo propriis juſtitiæ commutativa, & juſtitiæ diſtributivæ, clarum jam cuilibet patet, non ſolum quod nullo prædictorum modorum injuſtitiæ macula abeſt à capitulis Montis hujus, ſed etiam quod quocumque alio modo caſus formetur, juſtitiæ æqualitas non ſervatur*. Cajetanum ſequuntur Sotus l. d. & Sylveſter in ſumm. de *Uſura* 5. qu. 4. Vice verſa montes hoſce propugnant acerrime Azorius part. 3. Inſt. Mor. lib. 5. cap. 8. Toletus lib. 5. Inſtit. Sacerd. cap. 38. Gregorius de Valentia Tom. 3. Diſ. 5. qu. 23. punct. 3. Medina de Uſuris, qu. 10. Navarrus Tract. de Uſuris, num. 53. Atque præ omnibus aliis Leſſius qui Apologiam pro his Montibus ſcripſit, *Appendicem ſcil. ad dub.* 23. *cap.* 20. *lib.* 2. *de Iuſt. & Iure.* Inter Reformatos non una quoque de hiſce Montibus eſt ſententia: minime illos probandos cenſet Meiſnerus, Auguſtanæ Confeſſ. Theologus in Philoſ. Sobr. Sect. 1. Quæſt. Ethic. cap. 6. pag. 409. & ſeqq. Viceverſa eos commendat D. Rivetus in Comment. ad Decal. Tr. de Uſuris: poſtquam enim expoſuiſſet conflictum Pontificiorum Doctorum circa hoſce Montes, tandem pag. 387. ſic concludit: *Tale quid* (inquit) *ſi publica cura & privatis beneficiis in Rebuſpub. conſtitueretur, non exiſtimaremus miniſtros à republ. & communitate delectos, quibus aſſignarentur pro ratione laboris ſui, neceſſaria ſtipendia, vel contra conſcientiam ſuam peccare, vel contra æquitatem & honeſtatem: proinde aliquam infamiam incurrere, qui publico inſervientes, publica autoritate acciperent, quod eis aſſignaretur ab æquis æſtimatoribus, quorum ſtatuta non tranſgrederentur.* Diſtinctius mentem ſuam expreſſit D. Cloppenburgius, qui Inſtit. de Uſuris, cap. 11. poſtquam è Pontificiis Doctoribus Montes hoſce delineaſſet, & pariter eorundem conflictum notaſſet, pag. 70. *hæc ſubjicit*: Non tamen cenſemus tolerabilem tantum, ſed etiam juſtam & licitam, I. Quia non fit ad mordendum, ſed efficaciter ad benefaciendum non ſolum ſolventi pro ea vice, ſed etiam eidem cum alias indiguerit, vel aliis pariter egentibus. II. Quia nec pecunia illa ſeu Sors,

Ooo ex

ex qua mutuum datur, eſt privati alicujus daniſtæ, nec amplius eorum, qui eam legarunt vel donarunt: ſed mutuatarii ad eam jus acquiſiverunt; quorum eſt propterea, tanquam jus habentium ad Montem illum, eam ſuis expenſis conſervare. *Hactenus iterum D. Cloppenburgius.* Duumviris his aſſentiri credo Celeberr. D. Voetium in Diſp. de Uſuris, quam, dum hęc ſcribo, ad manum non habeo, alias, more mihi conſueto, verba exhibuiſſem. At, ſi Montes Pietatis, eorumque curatores cenſuram non merentur, imo multis modis calculo trium Celebrium Theologiæ Doctorum, probari merentur, cur inclementer dicitur menſis fœnebribus, atque Cœna Domini arceantur Daniſtæ qua tales? Certe, à Montibus Pietatis nullus pecuniam mutuam accipere poteſt, niſi oblato pignore, atque hoc hactenus probavit ipſe Cajetanus; deinde pro uſu mutuæ pecuniæ uſuræ ſatis grandes ab omnibus promiſcue ſolvuntur. Ne enim ea exſcribam, quæ ab aliis jam ſunt exhibita, non ibo extra Belgium Hiſpanicum, cui gratulatur Zypæus, quando l. d. Juris Pontificii Novi pag. 489. *ſic ſcribit:* Enimvero exercitium Menſariorum, & graves populo uſuras, propellere cœperunt Montes pietatis, qui in his ditionibus inſtituuntur. Quamvis enim non gratis omnino mutuentur, quia nondum ex donativis & eleëmoſynis acervus aliquis pecuniæ (id eſt mons) conflatus ſit, qui mutuu m petentibus gratis omnino erogari poſſit, ut alibi accidit, atque in aliquibus Belgicæ locis: gratis tamen eatenus mutuantur, ut nullum iis lucrum ex mutuo poſſit accedere, ſed ſolæ impenſæ, ſumptuſque ab iis repeti, qui commodum percipiunt ex mutuo Montium, quos æquum omnino eſt indemnes ſervari: quod ipſum anno 1617. Archiepiſcopi Mechlinienſis, & Cameracenſis, & omnes Epiſcopi Provinciæ Mechlinienſis probaverunt. *Hæc* Zypæus, qui tamen in Notitia Juris Belgici, Tit. de Uſuris, fatetur, quod per Montes Pietatis in Belgio, tantum adhuc onus debitoribus incumbat, *ut debeant quotannis decem in centum ſolvere.* Cum primitus erigerentur per Belgium, quotannis quindecim floreni ſolvebantur, quos hodie in Brabantia uſuræ nomine adhuc ſolvi debere affirmant, qui à Montibus hiſce ſubſidium implorarunt. Sane, quocunque ſe verterint viri Reverendi, ſi licite erigi queant Montes Pietatis, licite quoque erigi poſſunt Menſæ Fœnebres.

IX. At tandem deſpiciamus, quænam Menſis fœnebribus & Daniſtis earundem Curatoribus objici ſoleant? Omnia ordine colligam. I. Dicitur,

citur, & acerbe exaggeratur, *quod Trapezitæ, promiſcue ab omnibus uſuras exigant, non diſtinguendo pauperes*, quorum tamen ratio haberi debeat. Sic enim loquitur D. Spanhemius Tom. 3. Dub. Euang. 127. pag. 671. *Si tales, à quibus exigitur fœnus, egeni ſint & pauperes, uſura iſta eſt Neſcech, illius ſtipulatio injuſta, illius exactio iniqua, illius exactores prædones.* Sed pathetica hac oratione viri Eximii, nos parum, qui cauſſæ juſtitiæ confidimus, commoveri poſſumus. Nam 1. reſpondeo: Cur ergo Theologi Orthodoxi, D. Rivetus, D. Cloppenburgius, & D. Voetius probant Montes pietatis, in quibus, citra reſpectum, pauperiores pro mutuæ pecuniæ ſecuritate & uſu, æque pignus offerre, ac uſuras ſolvere debent, atque opulentiores? 2. Cur D. Maccovius, D. Cloppenburgius, & D. Voetius multique alii per omnia probant inſtitutum Magiſtratuum Belgicorum, per ſe menſas fœnebres curantium, cum ibi quoque nulla ratio pauperum habeatur? 3. Cur viri zelotæ zelum ſuum non convertunt in piſtorum gentem? quam ut conſtat nimium quantum lucrari, ita eodem pretio vendunt panes ſuos pauperioribus & ditioribus: nec quærit piſtor ex eo, cui vendit panem ſuum, quantum poſſideat? licet ſæpe pecuniam, qua eum ſub veſperam emit, de die mendicando collegerit. 4. Imo, cur iidem DD. Theologi melius non informant ſupremas Poteſtates, quibus irrogandi tributi jus competit? illud enim pauperrimos quosque cives maxime premit. Atque pro dolor! hoc quoque tempore, inter nos quoque nimis quam verum eſt, quod habet Salvianus ſcriptor Chriſtianus & diſertus lib. 5. de Gubernat. *ita loquens*: Sicut in onere novarum indictionum pauperes gravant, ita novorum remediorum opitulatione ſuſtentant. Sicut tributis novis minores maxime deprimuntur: ſic remediis novis maxime ſublevantur. Imo par eſt iniquitas in utroque. Nam ſicut ſunt in aggravatione primi pauperes, ita in relevatione poſtremi. Si quando enim defectis urbibus minuendas in aliquo tributarias functiones, Poteſtates ſummæ exiſtimaverunt: illico remedium cunctis datum, ſoli inter ſe divites partiuntur. Quis tunc pauperum meminit? quis ad communionem beneficii humiles & egeſtuoſos vocat? quis eum qui primus eſt ſemper in ſarcina, vel ultimo eſſe loco patitur in medela? Et quid plura? Tributarii omnino pauperes non putantur, niſi cum his tributi cumulus imponitur. Extra numerum autem tributariorum ſunt, cum remedia dividuntur. *Hactenus Salvianus Maſſilienſis*, 5. Uſura mordet non modo pauperes, ſed etiam divi-

Ooo 2 tes,

tes; ſiquidem ei applicari poteſt Pœnorum proverbium, qui ratione tributorum, apud Procopium dicunt, *Non minus moleſtum eſſe comatis, quam calvis, velli.* Cæterum cum ea comparare convenit infinita commoda, quæ ſors, cujus ratione uſuræ ſolvuntur, procurat mutuum accipienti. Tenuis conditionis homo, cum per Daniſtam abducatur à ponte, prope quem alias cava manu ſtipem accipere deberet, eum obſtringit ad gratitudinem, quam præſtat, quando, ubi è luto emerſerit, ſortem reſtituit, & paululum amplius uſurarum nomine exſolvit. Ergo cum morſu hoc uſurario qui identidem urgetur, comparari debet multiplex illud commodum, quod ſors à Daniſta accepta procurat debitori. Alias per omnia nobis placet, quod dicit Paulus Ic. *l.* 6. *ff. de Uſuris & fructibus*: Nempe, *Iniquum eſſe uſuras ab eo exigi, qui fructus non percepit.* 6. Moleſtiam, in exſolvenda ſorte ſæpe vergentem ad quandam quaſi impotentiam, illis, quibus pecunia fuit credita, in memoriam revocare deberet id, quod à Davide jam olim fuit dictum Pſal. 37. 21. *Mutuo accipit improbus, ſed non poteſt reddere.* Scilicet, multi, qui fortunis propter incuriam & quotidianum luxum elapſi ferme ſunt, adire ſolent Daniſtam, & omnia, ſæpe non ſua quoque, oppignerare, quæ, dum tempeſtive non poſſunt redimere, extremam fingunt pauperiem, iraſcuntur, & inclementer dicunt Daniſtæ, cum Ambroſio quaſi declamando *lib. de Tobia* cap. 9. in innoxium Daniſtam, & ſæpe ingeminando: *Hic veneni pocula melle illevit, ut ſub grato odore mors lateat, atque illita calicis ora vim fraudis abſcondat.* Sed, hi homines, qui ſoliti ſunt ipſos Theologos circumvenire, (ut perſuaſiſſimum habeo, ab iiſdem deceptum fuiſſe ſuo jam ævo Ambroſium) ſibimetipſis imputare debent, quod beneficium ſibi videatur maleficium, quodque ſibi, propria culpa applicare debeant illud Columellæ ex Præf. libri de R. R. *Fæneratio etiam his inviſa, quibus ſuccurrere videtur.* 7. Nec obſtat lex Dei Exod. 22. 23. & Levit. 25. verſ. 35. 36. 37. Siquidem uterque locus interpretationem accipere debet ex loco Deuter. 23. 20. atque ſic explicari, quod non licuerit Iſraëlitis, ſecundum ſpecialem rationem politiæ ſuæ, fratri attenuato & pauperi pecuniam ad uſuras dare, quum tamen permiſſum eſſet extraneis fœnerari; adeo ut hæ leges inter ſe collatæ referri debeant ad jus Politicum Iſraëlitarum. Aſtipulatur Dn. Hoornbeeck, licet cauſſæ Trapeziticæ infeſtiorem antehac ſe præbuerit, nam lib. 7. contra Jud. cap. 7. poſtquam tria hæc loca inter ſe compoſuiſſet, pag. 527. hæc ſubjicit: *Non in hac aut illa ſolum.*

Digitized by Google

lum te, ſed quacunque fratri fœnerari illicitum fuit: non ita gentili. Illi mutuo dandum ſine fœnore fuit; huic non item. Namque alia & plura quidem illi debebant, quæ non huic. Alias, per ſpecialem legem Politicam, permiſſum fuit Iſraëlitis fratrem obæratum ſervitio mancipare. Nota ipſa Dei ſanctio Lev. 25. 39. *Quum facultatibus attenuatus frater tuus ſe vendiderit tibi, ne exerceto eum ſervitute ſervili. Tanquam mercenarius, tanquam inquilinus eſto apud te; uſque ad annum jubilei ſerviet apud te.* 8. *Neſcech*, quācunque uſuram notans, æque ac *Tharbith*, non ſpeciali qua ratione mordet, ſed eo modo, quo quæcunque uſura morſum exercet. Unde R. Salomon ad Exod. 22. 25. rationem hujus nominis reddens, interprete Chriſtophoro Cartvvrighto ita commentatur: *Quod ſit inſtar morſus ſerpentis, qui morſu ſuo infert livorem parvum pedi alicujus, ita ut non ſentiat; ſtatim autem diffundit ſe uſque ad verticem ejus. Ita etiam uſura neque ſentitur, neque cognoſcitur, donec ita aſcendat, ut magnas alicujus facultates diminuat.* 9. Pauperes, quos de noſtro, nihil ab illis aut exſpectando, aut ſtipulando, ſublevare debemus, ſunt aut mendici, aut mendicis proximi, (hoc eſt, in tali ſtatu, ut niſi eos ſublevaverimus, mendicare cogantur) quorum egeſtati quando per liberalitatem noſtram ſuccurrimus, cenſemur eleëmoſynas dare: ad quas ut conſtringit nos Chriſtiana charitas, ita quilibet noſtrum, ut cenſetur profeſſione Chriſtianus, cogitare debet quod dicitur, 1. Joh. 3. 17. *Qui habuerit mundanum victum, & viderit fratrem ſuum cui aliquo ſit opus, & clauſerit viſcera ſua coram eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Atque, niſi hoc factum quoque fuerit à Trapezita, næ graviſſime delinquet contra charitatem Chriſtianam. Interim tamen, ſi mendicus ad menſam veniat, non quidem petens eleëmoſynam, ſed offerens pignus, atque ſuper eo mutuum rogans, haut magis tenetur Trapezita ei gratuito dare, atque panes ſuos piſtor dare eidem mendico, quando, ut eroget diurnam ſtipem, ingreditur ipſius domum. Ut enim illi, qui mendico ſtipem pecuniariam dederunt, cenſentur, illam eum in finem dediſſe, non ut eam arcæ includeret, ſed ut illius ſubſidio, quę ad victum neceſſaria, ſibi compararet; ita, qui mendico ſive veſtem, ſive aliud quid, quod pignoris rationem habere poſſit, dederit, non videtur impediiſſe, ut pignus illud Daniſtæ offerret, ſed potius eum in finem dediſſe, ut ſi eadem re non indigeat, ad tegendum corpus, poſſit Trapezitę offerre, quo pecuniâ, quam ab illo mutuam acceperit, ſibi panem comparet. 11. Contra Trapezitas, eorumque publicas fœnebres

menſas hoc vulgo urgetur: *Quod promiſcue ab omnibus, pauperrimis quoque pignus accipiant, ſæpe veſtes, quibus corpus contra aëris injurias muniendum ſit*, tantum ut ſecuritati crediti caveatur: hoc vero iniquiſſimum eſſe. Reſpondeo autem 1. Sed cur boni viri ergo admittunt Montes pietatis? ſiquidem nullius indigentię ſuccurrunt, quam qui in ſecuritatem crediti pignus offerre poſſit, quod hactenus probatum quoque fuit ab ipſo Cajetano. 2. Cur iidem approbant Menſas fœnebres, quarum curatores ſunt ipſi Magiſtratus? haut clementius ibi agitur cum pauperibus, atque apud Daniſtam. 3. Qui veſtibus neceſſariis ſe exuunt, ut mutuam pecuniam ad menſam accipiant, ea, ut plurimum ſibi non comparant panem, ſed ſæpe (ut experientia conſtat) cerviſiam aut tabacum. Quare vero Trapezita ejuſmodi pignus oculis miſericordiæ reſpiciat? 4. In ipſo Iſraëlitico populo uſitata fuit pignoris exactio etiam uſque ad cubilis ſubductionem Prov. 22. 26. 27. *Ne ſis inter percutientes manum fidejubendo, neque inter fidejubentes pro debitis. Si non ſit tibi ad reddendum, ut quid tollet creditor lectum tuum, qui eſt ſubter te?* Ad quæ poſteriora verba ſic [illegible] Doctiſſimus Mercerus: *Cur tua culpa committas, ut ſi ſolvendo non ſis, tibi lectus tuus, ſi nihil aliud habeas, unde id pro quo te vadem & ſponſorem interpoſuiſti, exolvatur, ſubtrahatur cum ſummo damno & ignominia, ut jam non habeas, ubi cubes?* Dicit quidem Thomas Cartvvrightus ad hunc locum, *arctius eſt vinculum debiti, quam depoſiti.* Sed, hoc facilius dicitur, quam probatur: ſufficit nobis pignus pro debito extorqueri potuiſſe, uſque ad *ſubductionem lecti.* Quid ni enim accipiatur quoque lectus tanquam pignus in ſecuritatem crediti? Nam ſimul ac mutuam pecuniam accepero, fio debitor. Deinde honorificum magis mihi eſt, ultro pignus offerre, quam cum ignominia id mihi extorqueri. 5. Leges Dei de pignore, Exod. 22. verſ. 26. 27. Deut. 24. verſ. 10. 11. 12. & ſeqq. non abſolute prohibent pignoris captionem, ſed ratione fratrum Iſraëlitarum, certi duntaxat pignoris, illius ſcil. quo tam neceſſario indiget, ut eo nulla ratione carere queat: V. C. talis veſtis quam quis ſolam habeat, ut ſi ea careret, ſe non poſſet contegere, qualis ſolet eſſe veſtis viduæ, Deut. 24. verſ. 17. quę & reſpicitur, Amoſ. 2. verſ. 8. Deinde *meta & catillus*, Deut. 24. 6. Sic vero, ratione partis ſuperioris & inferioris circumſcribitur mola, quam in pignus cedere non potuiſſe, quod illius ſubſidio panem ſibi adornarent, ex Flav. Joſepho poſt plures alios obſervavit D. Salmaſius de Fœnore Trapez. pag. 716. Ex

Job.

Digitized by Google

Job. cap. 24. verſ. 3. addi poteſt: *Aſinus*, quo orphanus utitur ad colendum agrum ſuum, & *vacca*, è cujus lacte victum ſibi comparat vidua. Recte vero D. Salmaſius de Fœnore Trapez. pag. 715. obſervavit, in captione pignoris hanc differentiam obſervari ſolum debuiſſe, non vero in ſpontanea ejuſdem oblatione, verba *illius hac ſunt*: At non licet cuivis ea pignora capere de ſuo debitore quæ ablata ipſum in magnum incommodum aut damnum conjiciant, aut ſine quibus forſitan victum non poſſit quærere. Qui enim capit pignus ut debitorem ſuum ad ſolutionem adigat, nec tempora reſpicit debitoris, nec utilitatem, nec commoditatem, omnium ſecurus dum pecuniam ab illo ſuam extundat. *Hac Salmaſius*. 6. Præterea hæ leges, quæ (ut jam dictum) reſpiciunt pignoris captionem, non vero ſpontaneam ejuſdem pro mutuo oblationem, ſolummodo ratione Iſraëlitarum, non vero extraneorum attendi debebant. Pro quibus ſi Iſraëlita quoque fidejuſſiſſet, valebat illud Salomonis, Prov. 20. 16. *Cape veſtem ejus, qui ſpopondit pro extraneo*: nec diſcernebatur inter veſtem neceſſariam, & quaſcunque res alias. Eoque hic agnoſci quoque debet aliquid Politici. 7. Quomodo & Politici quid occurrit in lege Dei, ratione reſtitutionis veſtis neceſſariæ oppigneratæ, Exod. 22. 27. per quam ut convenientiſſime, cum Doctiſſimo Fagio, intelligitur tegumentum nocturnum, ante ſolis occaſum domino ſuo reſtituendum, ita valde placent ea, quæ habet in Annotat. ad cap. 24. Deut. verſ. 13. Eximius Theologus Ebræus, Sebaſtianus Munſterus. *Verba hac ſunt*: Non dormies. Hoc eſt priuſquam dormitum vades, reſtituas illi pignus: ut ſit pulvinar ſuper quo caput reclinare ſolet. Et ſi quæris: quid igitur prodeſt tunc auferre pignus, quando ille eo opus habet? Reſpondent Hebræi, quod propter pignus illud, debitum in anno ſeptimo non remittitur. *Hac Dn. Munſterus*. 8. Valde convenienter Dn. Salmaſius, toties à nobis in hac controverſia citatus, urget locum Deut. xv. 7. & 8. ubi ita legit Munſterus: *Si fuerit in te pauper unus ex fratribus, intra unam portarum tuarum, in terra tua, quam Dominus Deus tuus dat tibi: non obſirmabis cor tuum, neque contrahes manum tuam à fratre tuo paupere. Sed aperiendo aperies illi manum tuam, & mutuum dabis pro penuria ejus, qua ille laborat*. Cæterum Pagninus vertit: *Accepto pignore mutuo dabis*. Quomodo & verſ. 6. ejuſdem Capitis vertit: *Accepto pignore mutuo dabis gentibus*. Franzius, Auguſtanę Confeſſionis Theologus non indoctus, lib. de Interpretat. Script. ut notat quędam

Sphal-

Sphalmata verſionis Pagninianæ, ita pag. 31. reſpiciendo hęc tria hujus capitis commata, dicit: *In Hebræo non extat accepto pignore.* Sed, (ut recte obſervavit Excellentiſſimus D. Salmaſius de Fœnore Trapezit. pag. 729.) aliud evincit verbum *ghnabat*, quod in Hiphil ut notas, *ſub pignore mutuo* dare, ita ter hic recurrit. Notarat hoc jam antea in Lexico ſuo Cl. Buxtorfius, & Schindlerus in Lex. Pentaglotto: atque manifeſto idem evincit vox, quę à radice derivata cenſetur *gnabot*, nam citra ullius contradictionem pignus ſignificat, ipſo Munſtero, in ſuo Lexico, fatente. Et cur non ſub pignore Iſraëlita opulentior pauperiori mutuo dare potuerit? quum pignus illud, ſi eſſet veſtis neceſſaria aut ſimile aliquid, ante Solem occaſum debuerit reſtitui: &, ut jam antea ex Munſtero nitente authoritate Rabbinorum audivimus, aliam in finem neque captum, neque oblatum fuerit, quam, ne annus Jubilæus cujuſcumque ęris alieni abolitionem ſpondens, hujuſce crediti, proprie dicti, abolitionem offerre videretur. III. Contra Trapezitas, velut fluctus, aut aries decumanus *urgetur ratio uſurarum, quæ ſolita grandiores Trapezita*, quam ordinario ſolvi videantur. At Reſpondeo 1. Interim tamen Trapezita, qui agnoſcendus ut perſona publica, non poteſt pro arbitratu uſuras intendere, ſed componere ſeſe debet ad leges, à Magiſtratu, qui jus habet eum conſtituendi, latas. Magiſtratus autem officium eſt, ut antea ſolide fuit evictum, arbitrari de modo & quantitate uſurarum. 2. Sed, in Montibus Pietatis quoque, eo uſque ordinarius uſurarum modulus exceditur, ut hodie in Brabantia adhuc annuatim dena quina (prout ſupra notatum fuit) in centena, uſurarum nomine pendantur. 3. An non Magiſtratus quoque, qui fœnebres menſas exercent, excedunt ordinarium modulum? 4. Cur admittitur fœnus Nauticum, in quo modus nullus ſervatur, quodque, quando videtur maxime contractum, ſi non excedat Uſuras Trapeziticas, iis ſaltem ęquale agnoſci debet? 5. Cur cum fœnore, quod Trapezitę facere videntur, non componuntur ſumptus, quos non poſſunt non ſubire, quo omnibus è Menſa, quam habent quaſi redemptam, poſſint inſervire? 6. Cur non exagitatur pariter Piſtorum, aromatariorum, atque ſimilium Inſtitorum, lucrum? longe enim excedit lucrum, à Trapezitis ordinario percipi ſolitum. Nec volo cavillationi alicujus ſervire, quod ſupra videar innuiſſe, Piſtores quoque circa panum ſuorum diſtractionem excedere pretium publice definitum: quum certum ſit, hoc ab iis fieri, etiam tum, quando aut definitum pondus diminuunt,

min uunt,

minuunt, aut furfures, ſimilemve heterogeneam ſubſtantiam nimis largiter pani, qui integer eſſe deberet, admiſcent. Quod an non fiat, illi inquirant, qui ſeſe gerunt pro Conſcientiarum non minus Turbatoribus, quam Tranquillatoribus. IV. Objicitur Trapezitis, *quod menſa ſubſidio, atque mutuum dando, nimium quantum lucrentur*. Reſp. 1. Sed plus lucrari non poſſunt, quam Magiſtratus illi qui fœnebres menſas exercent: de quorum lucro cum ſollicitus eſſet D. Cloppenburgius, Inſtitutione de Uſuris cap. 11. pag. 71. & ſeqq. ita commentari inſtituit: *De catero* (inquit) *dicendum videtur, quemadmodum privati debent etiam labore manuum ſortem ſuam augere, in illum finem, ut habeant unde impertiantur indigentibus: ſic Magiſtratum augendo Fiſcum præſertim ex uſura illa mutuatitia, curare ut habeat quod liberalius, ingruente aliqua annona charitate, vel alia publica calamitate, impertiatur indigentibus, non dato tantum mutuo, ſed etiam eleëmoſyna*. 2. Gollybiſtæ, atque qui nauticum fœnus exercent, multo plus ſæpe lucrantur. Nec refert quod ſpem eorum mare & venti ſæpe evertant, quum Vulcanus haut raro infeſtus fuerit Trapezitarum menſis. 3. Cur eadem ratione non exagitantur à viris zelotis Piſtores, quos antea conſideravimus; imo mercatores omnes, & quotquot ſubitaneis divitiis affluere notantur? Notum illud Salomonis Prov. 28. 20. *Præceps ad diteſcendum non erit impunis*. 4. Contigit haut raro quoque, ad ultimas paupertatis lineas redigi Trapezitas, adeo, ut cenſeri non poſſit Trapezitis quarto modo proprium eſſe, diteſcere atque rem maximam facere. Æque illi benedictioni Divinæ ſociare debent laborem & ſedulam ſuam induſtriam, atque quilibet alii mercatores. Nam ratione horum quoque, non valet modo, quod Salomon habet Prov. 10. 4. *Manus ſedulorum ditat*: ſed, conjungi quoque debet quod idem habet comm. vigeſimo ſecundo Capitis ejuſdem: *Benedictio Iehova ipſa ditat*. V. Jactatur identidem, *per Trapezitas admodum premi pauperes, & ad extremam egeſtatem deduci*. Reſp. 1. Sed, cur hoc ſolis Trapezitis exprobratur, & non pariter quoque Magiſtratibus, Trapezitarum vicariam operam, (prout antea patuit) variis in urbibus Hollandiæ & Zelandiæ exhibentibus? 2. Imo, cur non objicitur hoc quoque Piſtoribus? à quibus ſæpius panes emi, quum nunquam hactenus, ex Dei benedictione, à Trapezita vel mutuam pecuniam rogarim. 3. Quod multi tempeſtive pecuniam mutuam Trapezitis reſtituere non poſſint, atque ſic pignora ſua recipere, imo ne quidem uſuras ſolvere, non imputari debet Trape-

Digitized by Google

zitis, nihil amplius, quam conſtitutum eſt, exigentibus; ſed propriæ eorum malitię, occultoque Dei judicio, eandem caſtiganti. Notum illud Davidis ſupra adductum, Pſal. 37. 21. *Mutuo accipit improbus, ſed non poteſt reddere.* Quum vice verſa ratione juſtorum, eorumque qui Deum timent, verum utplurimum ſit, quod promittit Deus Deut. 15. verſ. 5. 6. *Si diligenter auſcultaveris voci Iehovæ Dei tui, obſervans ut facias totum præceptum hoc, quod ego præcipio tibi hodie. Nam Iehova Deus tuus benedicit tibi, quemadmodum locutus fuerat tibi: adeo ut mutuare poſſis gentibus multis, & tu non habebis opus mutuari.* 3. Etenim, cum plurimi, quemadmodum jam antea patuit, per Trapezitas, ſubſidii plurimum conſequantur, (quod tamen diſſimulatur à juratis eorundem adverſariis) næ, extremam ſapit iniquitatem quod incommoda, per accidens duntaxat obvenientia, in præjudicium tot commodorum, identidem objiciantur. VI. Menſæ Trapeziticæ notantur *ut furum atque prodigorum quorumcunque aſyla*: ſcil. quod illi res furtivas apud Daniſtam ut plurimum oppignerare conſueverint, hi vero oblato pignore, Menſarum ſubſidio ſemper gulæ ſuę fomenta invenire queant. Reſp. 1. Atqui, idem objici poſſet menſis, quas ipſi Magiſtratus exercent. 2. Pari jure aurifabris inclementer dicas, atque republ. exterminandos proclames, ſiquidem ſæpe tum anulos furtivos haut juſto pretio emerunt, ſcyphosque argenteos, quos decoctor quis, uxoris ſuæ abaco ſubduxerat. 3. Certe ſubſidio menſarum Trapeziticarum multoties non minus fures detecti fuerunt, quam res furtivæ legitimis ſuis dominis reſtitutæ: ſiquidem curatores earum, (modo indicium fuerit factum) tantum abeſt, ut rem furtivam in pignus recipiant, eam detinent, quo domino ſuo reſtitui poſſit, ſimulque notant perſonas, quæ rem ejuſmodi oblatum veniunt, quo Prætor rerum capitalium in eas inquirere poſſit. 4. Porro, quod ad decoctores, & ganeones, lubet amplius hic exhibere illa, quæ occurrunt apud Excellentiſſimum D. Salmaſium Diſſert. de Fœn. Trapez. pag. 731. At mihi (*inquit*) compertum eſt, non plures eſſe ex illa hominum opificum fæce ganeones & popinones, in illis locis, quæ trapezitas habent, quam in illis civitatibus ubi nulli ſunt. Si qui pecuniam non habent ex iſtis lurconibus quam conſumant, veſtes ſuas, aut uxorum, ipſi tabernario & cauponi oppignerant, aut etiam vili vendunt. Oppigneratas iidem caupones pro minimo pretio retinent, aut aliis addicuntur viliſſimo, auctoritate judicis. Nunquam deeſt occaſio & facultas profundere ſua volentibus, etiam

Digitized by Google

etiamſi Trapezitarum commoditas eis non preſto ſit. Tametſi hęc menſa impelleret proclives ad tuburcinandum, aut eos adjutaret, non propterea tamen ſubtrahenda eſſet, bene illa utentibus. Propter abuſum paucorum, non debet tolli uſus plurium. Latro æque enſe accingitur ac viator: hic ad tutelam ſui, ille ad perniciem viatorum. Non idcirco tamen gladius adimendus viatori, quod eo abutitur latro. *Hactenus D. Salmaſius.* VII. Tanquam ingens crimen Trapezitis objicitur, quod diſtractis, poſt juſtum detentionis tempus, pignoribus, *ſi quid reſidui fuerit, ſibi retinere conſueverint, nec Dominis pignorum reſtituere.* Reſp. 1. Palmarium id antehac fuit argumentum Celeberrimi D. Voetii; at, qui omnium quam gnari ſunt, eum præſidium à mendaciorum Daniſta accepiſſe, à pluribus annis docuerunt: cumque Nob. Paulus Voet patri ſuccurrere laboraſſet, adducta, pro puerili ſua ſapientia, muliercula Heuſdana (quales, licet quotidianæ eſſę conſueverint in quorundam Paſtorum ædibus, vivis tamen coloribus delineantur ab Apoſtolo 1. Tim. 5. verſ. 13.) anno 1652. à Conſtante Alethino usque adeo proſtitutus eſt, ut niſi filio æque atque patri à multis jam annis frons periiſſet, utrumque pudere deberet, Ultrajecti in circulis honeſtorum virorum conſpici. 2. Qua vero ratione ſecundum ordinariam Belgii praxin in Pignorum diſtractione procedi conſueverit, jam anno quadrageſimo hujus ſeculi, ex rei veritate expoſuit idem D. Salmaſius in Diſſert. de Fœn. Trapez. pag. 746. & ſeq. *ſic loquens:* Auctio publice habetur ad pignora menſæ diſtrahenda quater in anno. Ei præeſt non Trapezita ipſe, ſed ille qui publicum hoc munus habet in urbe & officium, ut auctiones curet, iisque præſit. Haſtæ quaſi magiſter eſt, & vocatur Belgice, *Boelhuys-meeſter.* Pignora menſæ diſtrahenda curat, ut & alia bona quęcunque in civitate publice haſtę ſubjiciuntur. Ex redacta ſumma pignorum divenditorum ſolvit Trapezitę ſortem & uſuras. Si quid ὑπερέχει, proprietario, ſi quando adeſt, redditur. Si nullus eſt, qui ſuum ex hyperocha pignoris venditi vindicet, auctionis pręfectus id tradit alii publico munere fungenti, qui ab Eleëmoſynis dicitur, & Eleëmoſynarię rei præfectus eſt. Belgæ vocant *Huyſsitten-meeſter.* In aliis quibuſdam civitatibus hæc ſumma, quæ redit ex hyperocha pignorum diſtractorum, traditur in manus perſonæ ęque publicæ, cui nomen eſt *Rentmeeſter.* Hęc iterum idem *D. Salmaſius.* Quibus hoc ſolum addi debet, quod Ultrajecti & alibi, circa hyperocham idem facere conſueverit ipſe Menſarius, quod Ley-

dæ ordinario fieri ſolet ab auctionum præfecto. VIII. Urgetur [illegible] dum, atque plebi potiſſimum inculcatur, quod Liturgia Eccleſi[illegible] *pezitas cœna Domini arceat, dum excludit fœneratores*. Reſp. 1. S[illegible] nonnullis ſollicitatas eſſe varias editiones Pſalteriorum Galli[illegible] in quibus ſubjecta Liturgia, Gallicis Eccleſiis cum Belgicis co[illegible] nis, nullam mentionem *fœneratorum* faciat: Sed, cum eorunde[illegible] minerint & vetuſtiores & meliores Editiones, non poteſt quis [illegible] ſponſione niti. 2. Eoque, quæro quis viris Reverendis, qui T[illegible] tarum ordini infeſtiſſimi ſunt, dixerit per *fœneratores* intelligend[illegible] Trapezitas? 3. Fœnerari (ut prolixe docuit D. Salmaſius in D[illegible] de Fœn. Trapez.) eſt vocabulum *μέσον*, prout vox Tyranni q[illegible] Et fœneratores, iis, qui uſuram omnem putarunt illicitam eſſe, [illegible] omnes illi, qui pecuniam ad uſuras dant. Inde Auguſtinus in P[illegible] *Si fœneraveris* (inquit) *hominem, id eſt, ſi mutuo dederis pecuniam tuam*, [illegible] *quo plus quam dediſti exſpectes, non pecuniam ſolum, ſed aliquid plus quam dediſti, ſive illud triticum ſit, ſive vinum, ſive oleum, ſive quodlibet aliud, ſi plus quam dediſti, exſpectes accipere, fœneratores*. 4. Similiter Belgica noſtra vox *VVoecker*, ut & *VVoeckenaer* per ſe eſt vox indifferens, licet exemplo vocis *Tyranni*, in malam partem jam olim accipi conſueverit, ſed, citra omne præjudicium Trapezitarum. Inſpiciantur notæ accuratiſſimæ Interpretum Belgarum ad Matth. 25, 27. 5. Eoque, per *fœneratores* Liturgia non intelligit alios, quam qui in exigendis uſuris excedunt modum, per leges Magiſtratuum definitum; quod cum non fiat à Trapezitis noſtris, næ iniquiſſimum eſt, Liturgiam de illis interpretari. 6. Videntur vero Theologi, qua Galli qua Belgæ, in Liturgia ſpeciatim magis *fœneratorum*, quam *mendacium loquentium* voluiſſe meminiſſe, (licet expreſſe hi regno cœlorum exterminentur Apoc. 21. 27.) quod Eccleſiæ Reformatæ, non minus apud Lutheranos, quam apud Pontificios eo nomine male audirent, quaſi cuique pro arbitratu fœnus exercere permitterent. IX. A *Belgii Synodis particularibus* aries magis minax Trapezitis intentatur: quaſi haut paucæ ex illis Trapezitarum cauſſam condemnarint. At Reſpondeo 1. Nolle me ſollicitare majorem propoſitionem, atque oſtendere, quantum auctoritatis Theologi Reformati conſueverint deferre venerabilibus ejuſmodi Conventibus. Ego, ut conſcientia & veritate fretus, haſce Exercitationes evulgavi, ita non minus hanc ipſam, quam reliquas præcedentes ſubjicio lubens judicio Synodorum è Reformatis Theologis, iiſque

Digitized by Google

iiſque piis & eruditis, collectarum, modo agatur ex ordine, nec antea ſive condemner ſive abſolvar, (prout antehac mihi per ſeculi artes contigit) niſi prius auditus fuero. 2. Putem, hactenus à venerandis ejuſmodi Conſeſſibus non tam conſideratam fuiſſe Theſin, quam hypotheſin, atque rationem magis habitam fuiſſe horum illorumve Trapezitarum, quam Profeſſionis Trapeziticæ in communi. Nam fere diſquiſitum ſolummodo fuit de admiſſione Trapezitarum ad menſam Domini: non poteſt vero ad quæſtionem talem convenienter reſponderi, quin, (uti poſtea liquebit) ſimul attendantur varia requiſita, concernentia magis conditionem perſonarum, quæ petant admitti ad ſacrum Epulum, quam Theſin principaliter atque abſolute conſideratam. Quod, ut in timore Domini atque ἀπροσωπολήπτως aliquando fiat, ſummopere optandum. Quid quod Ven. Claſſes, & Synodi particulares expenſis omnibus, ſpeciatim habita ratione Decreti, quod 30. Martii 1658. ab Illuſtr. ac Præpot. D D. Hollandiæ & Weſt-Friſiæ Ordd. factum, Artic. VI. Synodi Leydenſis, eodem anno habitę, eſt inſertum, Menſam fœnebrem tenentes Arnhemii, Leydæ, Hagæ-comitis, Brielæ, Wourdæ, Vianæ, Zvvollis, & alibi, ad S. Domini menſam admiſerint. Videantur Acta Synodi Noort-Holland. habitæ 1656. Alckmariæ, Artic. L. item Zuyd-Holland. anno 1659. Goudæ Artic. XI. Rotterodami anno 1660. Artic. VII. Gallo-Belgicæ, anno anno 1659. Noviomagi, Artic. XXVI. X. Jactatur, *Trapezitas à Magiſtratu Reformato non aliter admitti, quam maleficos neceſſarios, atque eorundem menſas eodem loco habendas eſſe cum lupanaribus*, quæ Romano Pontifici ſint vectigalia, ſi non ab eodem elocentur. Reſp. 1. Qualiter Romanus Papa Lupanaria admittat, quibus nonnemo ex Jeſuitis patrocinari inſtituit, noſtra non refert: eorum tolerantiam pluribus ex ipſis Pontificiis diſplicuiſſe, oſtenderunt jam dudum viri ſummi, *D. Rivetus ad Decal. & in Ieſuita Vapulante cap. 16. D. Molinæus in Hyperaſpiſte lib. 1. cap. 15.* quos exſcribere non lubet, quod eorum ſcripta omnium manibus terantur. 2. Sed, ſi menſæ Trapezitarum ſimiles lupanaribus, cur Magiſtratus non arguuntur, ut lenones, quod per ſe haſce menſas exerceant? Imo, quod invitent Trapezitas per diplomata, Typis quoque exſcripta (& in hebdomadariis Novellis, extra Belgium excurrere ſolitis, ſummatim relata) ad condictum diem adeſſe velint, atque jus menſæ redimere, ut ſæpius factum fuiſſe, ipſis il-

lis Diplomatibus exhibitis oſtendi poſſet. Certe præ ipſo Romano Pontifice fuerint Magiſtratus noſtri deteſtabiles: nam quamvis ille toleret lupanaria, eaque vectigalia ſibi reddat, nunquam tamen auditum, quod ea elocet, aut lenones invitet ad ea conducenda. 3. Si Magiſtratus aliquid in ſe illicitum, atque adverſarium Dei legi, pronunciet eſſe licitum, (quod tamen nolim applicari pręſenti caſui) illiusque ratione cum aliis contrahere velit, næ in duplici culpa hęret, tum quod illicitum pronunciet eſſe licitum, tum etiam, quod viros bonos ſimplicesque hac ratione laboret circumvenire. 4. Atque multo magis hoc in caſu argui merentur ipſi Verbi Divini miniſtri, ſi ad hoc ipſum, quod fit à Magiſtratu, conniveant, converſoque zeli ſui impetu in eos, quos Magiſtratus pelliciendo decepit, ſe ſimiles exhibeant illis, quibus Propheta Ezechiel cap. 13. verſ. 18. dirum illud væ pronunciat, quod *conſuerent pulvillos pro omnibus axillis brachiorum.* 5. Fateor lubentiſſime quædam Magiſtratum ſubinde permittere, quæ contra animi ipſius ſententiam ſint; nam licet præſumatur Chriſtianus Magiſtratus nullo delectari vitio, nihilominus varia permittit, hoc eſt, modo certa quadam ratione fiant, non punit: neque vero eo fit ut probet illa, etiam certa illa ratione facta, ſed quia aliter malo obviam iri non queat. Sed, hoc non poteſt dici de menſis Trapeziticis: ſiquidem primo probari deberet, iis vitii aliquid ineſſe, quod hactenus evinci non potuit. Præterea, quę Magiſtratus hac ratione in aliis quaſi tolerare compellitur, ipſe nulla ratione deſignat. Minime vero Miniſtri verbi Divini hęc ipſa in Magiſtratu tolerare deberent, atque interim deteſtari uſque ad infernalem condemnationem in iis, qui talia fere fecerint ex Magiſtratus permiſſione. Quicunque autem hoc ex Miniſtris faciunt, quicquid etiam prętexant, ſunt προσωπολήπται contra admonitionem Apoſtoli Jacobi cap. 2. verſ. 9. *Si perſonam reſpicitis, peccatum committitis, & redarguimini à Lege veluti tranſgreſſores.* Atque hæc ſunt illa, quæ ordinario Trapezitis ſolent objici. Arbitramini vos, qui hæc legitis, an hæc talia & tanta ſint, ut eoſdem Celeberrimus D. Voetius debuerit (ſequor hic fidem Conſtantis Alethini, viri optimi, quod caream ad præſens tempus tam celebris Theologi Theſibus de Uſuris) ideo tam acerbe *inſectari*, dicendo: Nefarias ipſorum menſas, aſyla, & allicia furum, filiorũ prodigorũ, Apiciorum qui delitiis, cupediis, nec non crapula, ebrietate &c. ſua quavis occaſione abliguriunt; quamvis inter abuſus hæc referri poſſe, qui in Montes pietatis etiam

optime

Digitized by Google

optime conſtitutos poſſint cadere, fateatur: Trapezitas, pignoribus ad præſtitutum tempus divenditis & ſorte cum lucro ſibi inde reſtituto, reſiduum, ſi quod ſit, poſſeſſoribus non reſtituere, ſive ipſi illud in ſuo lucro deputent, ſive fiſco aut ærario pauperum impertiant; qua injuſtitia & crudelitate nihil cogitari poſſe crudelius: Illos ergo proprie & κατ' ἐξοχὴν uſurarios manifeſtos, infames, fures, coram Deo ſcil. & in foro conſcientiæ: Eoſdem jure canonico ab eccleſiaſtica ſepultura excludi: Iis nullas domos à Chriſtianis locandas, nec permittendum ut conductas inhabitent, &c. Sanguiſugas, qui magnam ſi non maximam partem pauperum exſucto ſanguine, tam ſplendide vivunt: Peregrinas Harpyas, quibus innoxii cives miſere expoſiti: Incudem & ſentinam omnium peccatorum, quæ hic concurrunt: Genuinos φιλαργύρους, qui abſolute volunt diteſcere, contra 1. Timoth. 6. & cum putent ſe ab aliis ſpoliari non deſinunt proximum tamen ſpoliare: Conſcientiam Trapezitarum inſtar Sodomę elata manu & coram ſole peccatum ſuum cum menſa omnibus proſtituere, & non obſcure in eo gloriari. *Hæc D. Voetius*, teſte Authore libelli, qui inſcribitur, *Theologi cujuſpiam Paradoxi filius, denuo retuſus*, qui excuſus eſt Ultrajecti, Anno 1652. Voetianis hiſce floſculis, petitis è loco communi Ignorantię & calumniæ, oppono ea, quę habet Theologus, Voetio non inferior, ac quondam Academię Leydenſis Profeſſor Lambertus Danæus lib. 4. Polit. Chriſt. cap. 2. pag. 297. ubi *ſequentia offendo*: Propter pravum artificis abuſum (*inquit*) legitimus artis uſus damnandus aut prohibendus non eſt Lev. 19. verſ. 13. Deut. 24. verſ. 14. Matth. 10. verſ. 11. Jac. 5. verſ. 4. Ex quo fit, ut nummulariorum, argentariorum, item & Collybiſtarum (qui & *Trapezitæ* dicuntur) *ars in rep. etiam pia poſſit exerceri*, ſive nummos duntaxat commutent, quod faciunt Collybiſtæ, ſive *pecuniam dent mutuam ſub fœnore*, ſeu acceſſione (quæ *uſura* dicitur) quapiam, quæ *publico Magiſtratus edicto conſtituta* ſit. Neque vero nos movet, quod Trapezitæ ſunt à Chriſto ex templo Dei ejecti, Matth. 21. verſ. 12. Neque enim illic ſuam artem exercere debent. Verum propterea non ſunt iidem juſſi à Chriſto totis Hieroſolymis, vel è Republ. vel urbe faceſſere, & excedere. Eadem enim ratione nulli mortales ementes & vendentes eſſent in Rep. pia tolerandi. Nam eos quoque ex Templo ejecit Chriſtus, Joan. 2. verſ. 14. Quod autem Ariſtoteles eas Trapezitarum artes improbat, quas idem vocat χρηματιστικὰς, quia non putat eam eſſe naturalem victus quærendi, aut

quæſtus

quæſtus faciendi rationem, fruſtra eſt. Tam enim cenſenda eſt hæc *Trapezitarum ars legitima(modo ſit moderata Magiſtratuum edictis)* victus quęrendi & quæſtus faciendi ratio, quam ex opera quavis, & induſtria à nobis præſtita, Nehem. 5. *Hæc Danæus.*

X. Ut ergo conſtat Trapezitarum ordinem, qua talem vitio carere; ita dubium nullum eſt, quin Trapezitæ, ſi alias expleant partes hominis vere Chriſtiani, atque in ſuo munere fideliter verſentur, non tantum admitti queant ad ſacram Synaxin, verum etiam invitari, &, ſi forte hac in parte fuerint negligentiores, moneri, meminiſſe velint, Dominum mandando dixiſſe, *Hoc facite ad mei commemorationem*, 1. Cor. 11. 24. Nulla eſt ratio, cur illi magis arceantur, quam Publicani, Piſtores, Collybiſtæ, & Mercatores omnes, imo, quam ipſi Magiſtratus; quum conſtet plurimos ex his non modo hoc agere, quod Trapezitæ faciunt, verum etiam Trapezitas invitare, in commodum ſuorum civium menſas velint tum redimere tum exercere. In honeſtiſſima quoque vocatione, aliquis ſubtiliter ſic ſe gerere poteſt, ut multis modis impingat in octavum Præceptum. Quæ latentia peccata in ſuis ovibus ſcrutari & arguere deberent DD. Theologi, nec genuinos frangere in Profeſſionem Trapeziticam, per ſe, ut ex antecedentibus patet, innoxiam per omnia. Præit viris Reverendis Andreas *Hyperius*, Theologus quantivis pretii, in libello aureo, jam antea quoque citato, *de Probatione ſui ipſius, occaſione octavi Præcepti pag.* 364. ſic ſcribens: *Mercator.* Num mercaturam exerceat magis avaritia ductus, & ut opes immenſas corradat, quam ut mediocres facultates ad vitę uſus neceſſarias ſibi paret, aut publice ſuccurrat civium ſocietati? Num pactus fuerit cum aliis eaſdem merces vendentibus de certo & magno pretio, quo ſinguli vendere debeant? unde neceſſario caritas in publico ſequitur. Num cum aliis ſocietatem, ut vocant, injens, lucrum aliquantum retinuerit ſibi, illos hac in parte fraudans? Num vendens ei qui non poteſt in numerato pecuniam vel merces rependere, ſed, petit ſibi credi ad certum tempus, ſive, ut loquitur, terminum, nomine crediti ac dilationis merces ſuas pluris, quàm par eſt, æſtimaverit? Num præſenti pecunia triticum vel vinum, poſt aliquantum tempus tibi tradendum emeris, ſed minori pretio, quam æſtimabantur tunc, cum facta eſt emptio, vel, etiam probabile erat poſtea æſtimanda? veluti ſi pro decem aureis emeris, quod certum eſt paulo poſt divendendum aureis duodecim, aut quatuordecim. Num commutando

mer-

Digitized by Google

merces pro mercibus, ab altero merces exegerit, quas compertũ habuit pluris omnino conſtare, quam illæ quas ipſe dedit? Num emerit merces vitiatas exiguo pretio, ea ſpe, ut revendat pro non vitiatis, & quidem eo pretio, quo non vitiatæ venderentur: vel, num vitiatas ſciens & conſulto permiſcuerit aliis non vitiatis? Num emerit res furto aut raptu ablatas, ſciens vel ſuſpicans tales eſſe? Num dolum aliquem malum verbis vel factis adhibuerit, quo & facilius & pluris divenderet? Num vectigalia, quæque ejus generis ſunt, ubi & quomodo debuit exolverit? Num in commutatione de pretio, & quidem inuſitato pactus ſit? Num alia quadam forma commutationis fuerit uſus, quam quæ publice recepta eſt, & inter commutantes plurimum uſurpata. *Proxeneta, id eſt, conciliator.* Num mediator fuerit in contractibus, quos ſciret eſſe iniquos, nempe cum uſura (*ſcil. excedente modum à Magiſtratu definitum*) conjunctos, vel quovis pacto propter latentem dolum damnoſos? Num alterum contrahentium callidis verbis induxerit ad id perficiendum, cujus eum poſtea, ubi damnum ſenſerit, debeat pœnitere? Spectant nimirum proxenetæ frequenter alterius tantum è contrahentibus & ſuum privatum commodum. *Theſaurarius, Quæſtor, Tutor.* Num pecuniam publicam vel principis, apud ſe depoſitam, ad ſuum privatum lucrum aliquando expenderit, negociando videlicet, & mutuo dando, &c. *Uxor.* Num partum non ſuum ſuppoſuerit, vel adulterio conceptum mariti ſui legitimum filium nominarit? Hæ proles aliis partem hæreditatis, ſubinde & totam hæreditatem abjurant. Quare multo graviſſimum peccatum hic deſignatur. Num quid inſcio & invito marito donarit, alienarit, vel abligurrierit? *Opifices.* Num artem exerceant, in qua adulterantur & vitiantur plerumque res, aut facile aliquid aufertur, ut qui fieri quippiam mandat, animadvertere minus poſſit? In quo genere ſunt ſartores, &c. Num conducti ad aliquid operis faciendum, fideliter & quantum debebat laborarint? *Agricola.* Num decimas, ſervitia, ceteraque id genus, bona fide dependerit? Num in pratis vel agris vicinorum, deducendo eo pecora, abducendo rivos aquarum, vel alio quovis modo damnum intulerit? Num paſſus ſit ſua negligentia vel malitia fundum aliqua in parte vitiari, aut boves, equos, ædificia, cæteraque lædi, unde damnum redit ad fundi dominum? *Argentarius.* Num miſcuerit metalla artificio alchymiæ, vel alia ratione, atque ignobile ſpuriumque vendiderit pro nobili & vero? *Qui lanifi-*

Digitized by Google

cium exercet. Num vendiderit pannos è viliori lana contextos, tanquam ex pręſtantiore? Num in tinctura panni ſciens ineſſe vitium, ſtudioſe id diſſimularit? Num pannum, non plene paratum, vendiderit tanquam plene paratum? Num operis ſuis, ut pectentibus, nentibus, texentibus, fullonibus, cęteriſque, quos ſemper habere multos oportet, perſolverit juxta conventa & pacta? *Oenopola.* Num vinum aut quemcunque potum talem vendiderit, qualem acceperit, id eſt, ſine ulla admixtione aquæ vel aliarum rerum: deinde num juſta menſura, &c. *Lanius.* Num carnes morbidi animantis vendiderit pro carnibus ſani animantis? Item, num pondere juſto, &c. Item, num hircinas pro arietinis expoſuerit? &c. *Piſtor.* Num arte ac ſtudio effecerit, ut panis graviore eſſet pondere? Num farinam ab aliis allatam permutarit, deteriorem exponens in locum præſtantioris? Num furfuris plus quam par eſt, in farina reliquerit? *Hæc Hyperius.* Cur viri Reverendi, quos remotiſſimos eſſe convenit ab omni πολυπραγμοσύνῃ, ęque ſolliciti non ſunt de conſcientiis Mercatorum, Proxenetarum, Theſaurariorum, Quæſtorum, Piſtorum &c. atque Trapezitarum? quorum vocationem exagitant, quoniam cum eam non noverint, atque ſepoſitis affectibus examinare non poſſint, ſufficere putant, ad excuſandam maledicentiam, quod Trapezitæ publice ſint exoſi; atque apud plebeculam male audiant. Inter omnis generis Mercatores, & Opifices, imo inter ipſos Theologos, pro dolor! quidam inveniuntur, qui *ingenioſe* ſint *nequam*, ut de Curione loquitur Vellejus Paterculus: atque ſi cuncta diligentius luberet excutere, inter eos, quos nominavi, invenirentur haut pauci, qui aſperius & intolerabilius fœnus exerceant, quam ulli per Belgium argentarii aut Trapezitæ. Ego in patria urbe novi N. N. qui (ut ut ſit *præciſiſſimus* exemplo Phariſæorum circa illa, quæ in hominum oculos incurrunt) per multos annos tam ingenioſe & ſubtiliter ſcivit exercere fœnus ſumptuarium, ut uxor ipſius, clam eo, intra annos ſeptem tot millia florenorum ſeponere ſciverit, quæ ſufficerent emendis ſpecioſis ædibus. Si quis quęrat, quænam fuerit hæc fœnerandi ratio? paucis expediam. Aliquam-multi pueri Triviales, & ſubinde juniores quoque ſtudioſi in convictum recipiebantur, qui, quod putarentur admitti in domum ſanctam, quæ officina audiret pietatis & omnigenę virtutis, pretium ſolito majus annuatim promittebant, atque inter conditiones contractus hæc erat, quod per ferias,

Digitized by Google

rias, ultra quintam anni partem ſibi vindicantes, ſinguli domi apud parentes, aut amicos vivere deberent. Et tamen currebat annus, nec de convictu illiusque lautitiis quiſquam erat ſollicitus, quod ipſius domus præſumpta ſanctitas, atque patris familias rigor non crederentur alias dapes exigere, quam quæ quondam Curiis atque Fabriciis apponi ſolent. Præterea prandii literati hæc erat lex Philoſophica; *Plenus venter non ſtudet libenter*. Cœna vero exigebatur ad hanc regulam Medicorum; *Ut ſis mane levis, ſit tibi cœna brevis*. Interim meus hic homo æque feliciter rei ſuæ Ultrajecti conſuluit, atque haut alius intra viginti annos. Et ne quis exiſtimet eum ipſum amplam hæreditatem, à majoribus relictam, ſecum Ultrajectum detuliſſe; aſſevero ſatis laceram fuiſſe rei domeſticæ carinam, cum primum in illam, ſibi ſuiſque filiis vere beatam, urbem appelleret; atque ad plures annos ita vitam & ſtudia inſtituiſſe, ut annuatim milleni floreni non ſuffecerint locupletandæ Bibliothecæ, & inſtruendis conviviis, quæ plura uno anno domi ſuæ adornare ſolet, atque ego intra decennium. Si quis exſpectet, ut ſubtilis hujus fœneratoris nomen prodam, fruſtra eſt: quamvis certum ſit, eundem Ultrajecti ſic notum eſſe, ut, quo inveniri poſſit, opus non ſit Diogenis laterna. Non ideo adduco hoc exemplum, quaſi exiſtimem fas non eſſe ex Convictoribus lucrum facere; ſed, quod neque commutativę neque diſtributivę juſtitiæ conſentaneum ſit, ut quis ſtipuletur precium pro octo decemve hebdomadis, quibus victum daturus non ſit, cum cæteroquin pluſquam abunde pro convictu accipiat. Et tamen qui hæc faciunt, abſque ullo ſcrupulo aut Eccleſię aut conſcientiæ ſuę, non modo ad ſacram cęnam admittuntur, verum etiam in vulgus Sancti habentur. Soli Trapezitæ, qui & multo minus lucrantur, & tot millibus hominum publice proſunt, nihilque faciunt præter id, quod à Magiſtratu pręſcriptum eſt, indigni per quoſdam obſtinatos, indociles que homines habentur, qui percipiant Chriſtianorum teſſeram. Quis non exclamet cum Poëta?

O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca!

Ut non admiſerim (quemadmodum antea ex Hyperio patuit) quoſcunque Mercatores ad cœnam Dominicam; ita neque quoſcunque Trapezitas, (quis enim non fateatur inter eos quoſdam quoque occurrere, qui mereantur haberi probra ſui Ordinis) ſed eos ſolummodo, qui fideles fuerint in vocatione ſua. Circa quos, exemplo Hyperii, ſpeciatim conſideraverim ſequentia. 1. Uſurarum nomine amplius

non exigant, quam à Magiſtratu eſt conſtitutum. 2. Juſto pretio pignora ſibi obnoxia reddant, nec, oblato minori pretio, lucrum ex pignorum diſtractione intendant. 3. Offerentibus pignora non perſuadeant, ea in continenti ſibi potius vendant, quam ſub uſuris oppignerent. 4. Juſto tempore pignora detineant, nec ea antea diſtrahi curent. 5. Non colludant cum illis, qui res furtivas pignoris loco offerunt. 6. Quod pignore diſtracto præter ſortem & uſuras ſupereſt, bona fide dominis pignoris reſtitui curent. 7. Nimis ambitioſos ſe non exhibeant circa menſarum redemptionem, nec animum habendi avidum prodant, ad redimendum jus menſæ ſive ad annos plurimos, (niſi gravis cauſſa,quę publicè improbari non poſſit,urſerit) ſive etiam annis privilegii nondum elapſis, de ſubſequentibus ſint ſolliciti. 8. Si ipſis largiter à Deo ſit benedictum, & de ſuo agitare poſſint, tenuioris conditionis hominibus menſam potius relinquant, quam in illius affectatione avaritiam ſuam prodant. 9. Quod plurimum lucrari credantur, præ aliis, liberalitatem Chriſtianamque charitatem manifeſtam reddant in diſtribuendis eleëmoſynis. Qui ex Trapezitis hæc quam diligenter attenderint, ſuamque vocationem (omninò in ſe honeſtam) in timore Dei Opt. Max. vita inculpata exornaverint, quicquid clametur quoque, merentur, ubi rationem reddiderint fidei ſuę, ad cœnam Domini admitti. Atque, ſi Eccleſiæ aliquo tempore ſeſe probaverint, cœperintque agnoſci digna illius membra, pariter adoptari in ordinem Seniorum & Diaconorum: in quo enim agnoſcuntur omnia requiſita vivi Eccleſiæ Chriſtianæ membri, ſi modo inſtructus fuerit ſufficienti cognitione Myſteriorum Divinorum, convenienter ſuſtinere poteſt perſonam, ſive Senioris Eccleſiæ, ſive Diaconi. Scio obmurmuraturum eſſe vulgus Belgarum, atque opinionem inveteratam, cæterum hauſtam ex iniquo decreto Caroli V. oppoſiturum eſſe huic ſententiæ, ſolidiſſimis rationibus ſuffultæ; nec vulgus modo, verum quoſdam quoque pertinaces atque indociles Theologos, quorum quaſi nomine D. Doctor Voetius parte 2. Conſ. Theol. pag. 180. pronunciat, eos, qui patrocinantur Trapezitarum, ſeu Argentariorum vocationi, velut honeſtæ, *Dat ſy verſetten de oudé palen van d'algemeyne Leere ende Kerckelijcke practijcke*; hoc eſt, *Quod dimoveant antiquos limites Catholicæ doctrinæ, & Praxios Eccleſiaſticæ.* Sed idem omnino crepant Canoniſtę & Caſuiſtæ ratione Uſuræ in communi conſideratæ: cujus exercitio ut omnibus interdici queat (veſtigiis eorundem inſiſtentibus.

bus quibuſdam, ut antea patuit, non modo Auguſtanæ Confeſſionis Theologis, verum etiam noſtræ quoque Profeſſionis) jactant quoque, & forte quam ſpecioſe, Concilia, Patres, & Univerſalem Eccleſiæ conſenſum. Celeberrimus Theologus alias docere & clamare ſolet, omnes, minimas quoque, reliquias fermenti Papani extirpandas eſſe, atque nihildum relinquendum, quod redoleat Papiſmum, ſeu, Antichriſtianiſmum. Sed, cur hac in parte veteres quoque avias non laborat de pulmone revellere? Certe, quicquid aut ipſe dixerit, aut alius pro illo, hoc certum, ideo Trapezitas, tot modis publice utiles, in vulgus haberi quaſi ſacros & abominabiles, quod jam olim hoc crediderint majores noſtri, ſub Papatu, eaque ſententia propagata ſit ad poſteros, Theologis quibuſdam, ut quidem oportuit, (Deus novit cauſſas) eam non eximentibus, at, ſibi interim plaudentibus Papanis, eandem potius confirmantibus. Sed, cur Domini mei, antecedens hujus doctrinæ pariter non inculcant, nempe, omnes in univerſum uſuras eſſe illicitas? Hoc enim docet jus Canonicum, & hæc eſt communis illa doctrina, à Papatu ſcil. derivata, cujus partem licet ſolum crepant, totam tamen docere deberent. At, ſi bene noverim quoſdam ex hoc ordine, ſemiſſes potius quam quincunces uſuras hoc ipſo tempore accipere maluerint. Quod vero ad Edictum Caroli V. ſupra illud ex parte expendimus, atque periniquum eſſe obiter oſtendimus. Deinde (ſunt verba Excellentiſſimi D. Salmaſii de Fœnore Trapez. pag. 404.) *quid Carolus ille ſua ſanctione decrevit, quod non prius jure Pontificio ſancitum fuerit? Immo ideo id ita ſanxit Carolina conſtitutio, quia idem jam Pontificum decretis pridem fuit ſtatutum, quibus derogare hodie nefas habent Imperatores ac principes Chriſtiani, qui Eccleſiæ Romanæ addicti ſunt.* Et deinde pag. 405. & ſeq. *idem ſic loquitur:* Si infames trapezitæ quia contra vetitum Juris Canonici faciunt fœnus exercendo, qui minus infamia notandi privati, & in his maxime Paſtores, qui ſimiliter contra juris ejuſdem regulas pecuniam ſuam dant fœnori? Si vetus jus Canonicum, quale Conciliorum provincialium & Oecumenicorum decretis ſtabilitum eſt, in uſum revocaretur, quod novo & Pontificio canonico longe antiſtare credendum eſt, vereor, ne magis infames ex eo habendi ſint miniſtri altaris, qui fœnore Laicis licito locant pecuniam, quam ipſi Trapezitæ, etiamſi in fœnore exercendo præſcripta legum non obſervent. Eo jure nemini plebejo vetitum legitur fœnus. Ergo ne Trapeziticum quidem. Ne cenſuræ quidem Eccle-

ſiaſticæ obnoxii facti, qui modum in eo excederent & improbum fœnus exercerent. At miniſtris altaris, & omnibus in ordinem Eccleſiaſticum allectis, argentum ad uſuram dare prohibetur, & cum pœna etiam depoſitionis: *Hactenus D. Salmaſius*, qui, quod dixerat, etiam probat initio ducto à Canonibus Apoſtolicis, Clementi vulgo tribui ſolitis. Atque utinam hęc tandem ſerio attendere vellent illi ex Theologis, qui, ut in auditorum ſuorum animis confirment errorem ſub Papatu à majoribus jam hauſtum, haut aliter crepant Conſenſum Catholicum & praxin Eccleſię univerſę, (ſed ſic Papanę Eccleſię imprudenter vindicant titulum Catholiciſmi, quem alias oppugnant) atque ſuam Magnam Dianam quondam Epheſii.

XI. At bonum factum, quod alicubi à pluribus quoque annis Theologi & Paſtores Belgici ſapere cœperint, atque tranſire ad meliorem mentem, Trapezitas, menſarumque fœnebrium exercitores, de quorum vita inculpata liquebat, admittendo ad cœnam Dominicam. Quæ aliquoties typis ſunt exſcripta, atque tranſcripta quoque ab aliis, non lubet hoc tempore iterum exhibere. Utinam aliquando in Synodis per doctos & veritatis ſtudioſos Theologos non modo hęc de Trapezitis quæſtio, ſed etiam alia, de quibus diſputo, plenius in timore Dei diſcuterentur. Hoc ſcio, talibus rationibus tum ſingulas, tum in univerſum omnes meas determinationes circumdatas atque munitas eſſe, ut certum mihi ſit, nullos iis adverſaturos eſſe, exceptis ſolummodo, quibus propoſitum fuerit pertinacia atque animo adverſus veritatem obfirmato ſententias ſemel arreptas tutari, nec Deo, qui eſt ipſa veritas, atque veritatis antiſtes & promotor, gloriam dare. Nec tamen pro eo me gero, qui poſſit tranquillare ſive Trapezitarum, ſive Canonicorum, aut quorumcunque aliorum conſcientias. Hoc eſt ſolius Dei, de quo dicere licet cum Elihu apud Jobum cap. 34. 29. *Quum ipſe tranquillat, quis inquietabit?* Theologi poſſunt duntaxat conſilia ſuggerere, & media, quibus poſſit domeſticus hic teſtis placari. Quæ ſtatio nobilior Paſtoratu in Eccleſia? Si tamen quis eo ſua ſtudia deſtinet, ut tanquam Paſtor ab hominibus æſtimari poſſit, & otioſam tranſigere vitam, optimum hoc vitæ genus non tranquillabit ipſius conſcientiam, ſed eidem cedet in laqueum ſive tendiculam. Pietatis ipſius exercitiis ſi admixta fuerit hypocriſis, conſcientiæ non ſanandæ ſed vulnerandæ ſerviunt. Atque, ut verbo quid moneam de Trapezitis, quamvis vitæ genus, quod profitentur, nihil habeat adverſarium legi Dei,

Digitized by Google

Dei, ſi ipſi tamen ſolum intenderint divitias, conſcientiam lædunt, atque, ſi hoc in vulgus conſtet, haut magis merentur ad cœnam Dominicam admitti, quam manifeſtarii avari. Verum ſiquidem illud Apoſtoli verbum 1. Tim. 6. 9. 10. *Qui volunt diteſcere, incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas amentes & damnoſas, quæ demergunt hominem in exitium & perniciem. Siquidem radix omnium malorum eſt amor pecuniæ: quam quidam dum appetunt, aberrarunt à fide, & ſeipſos undiquaque transfixerunt doloribus multis.*

Poſſem hic ſubſiſtere,& pariter huic de Trapezitis Tractatui finem XII. imponere, niſi quædam adhuc monenda eſſe dictaret conſcientia. Initio vero hoc obſervari velim, licet Trapezitarum profeſſio in ſe ſit honeſta, non tamen pariter omnes honeſte æquè ac licite eidem poſſe nomen dare. Publicanorum Profeſſio in ſe eſt honeſta, nihilque vitii continet, non tamen permitti quibuſcunque atque cujuſcunque profeſſionis viris poteſt, ut in locatione vectigalium digitum tollant. Romæ præeſſe publicæ officinæ vile & abjectum perpetuo eſt habitum, ut liquido patet ex lege Conſtantini Imper. ſive princ. l. 1. Cod. de natural. liber. Atque ibidem longe alienum fuiſſe habitum à dignitate militię, mercimonia exercere, innuit l. 12. Cohortalis in fine C. de Cohort. lib. 12. Unde Ambroſ. lib. 1. de Off. cap. 36. *Si quis Imperatori militat,* (inquit) *à ſuſceptionibus litium, actu negotiorum forenſium, venditione mercium, prohibetur humanis legibus: quanto magis, qui fidei exercet militiam, ab omni uſu negotiationis abſtinere debet?* Sidonius Apollinaris lib. 1. ep. 8. plures rerum abſurdarum ἀντιθέσεις colligens, *Negotiatores* (inquit) *militant, milites negotiantur, ſtudent pilæ ſenes, alea juvenes.* Vice verſa mercatoribus militia interdicitur l. 12. Cod. tit. 35. imo gladium geſtare prohibentur, niſi cum peregre abeunt, cumque ſellæ alligatum lib. 2. de Feud. tit. 27. §. Si quis ruſticus. Solis militibus uſus armorum relictus, paganis non permittitur, Nov. 8. in fine, præter cultellos breveis, quos nemo in uſum belli aſſumpſerit, Nov. 85. in fin. Erant quippe exarmatores, quos Juſtinianus Nov. 8. ἀφοπλίστας vocat, id eſt, qui privatis hominibus arma habere non permitterent, interprete Juliano, Nov. 15. §. 60. Sed ne aberremus à mercatoribus, minutarii & propolæ addicti lucro viles cenſentur, arcenturque à dignitatibus, l. 6. De dignit. lib. 12. atque Thebani neminem, qui mercaturam exercuiſſet, ſinebant ad remp. capeſſendam accedere, niſi decem anni interceſſiſſent, teſte Ariſt. lib. 3. Pol. cap. 3.

Qui-

Digitized by Google

Quibus omnibus conſideratis, atque diligenter expenſis, aliquis non ſine ratione procedere poſſet à Mercatoribus ad Trapezitas, atque ita inferre: Si aliquibus ex conſuetudine loci probroſa eſt Mercatura, aliquibus quoque ex ratione ejuſdem conſuetudinis, cui ne lex Principis quidem cum efficacia obniti poteſt, videtur interdicendum eſſe menſę exercitio. Sed, hoc argumento nolumus in pręſens tempus inhærere; verum argumentari potius ab Authoritate Spiritus Sancti, ita proloquentis per Apoſtolum Paulum 1. Cor. 7. verſ. 24. *Unuſquiſque in quo vocatus fuit, fratres, in hoc maneat apud Deum.* Supra quem locum hunc in modum commentatur *Theologorum Orthodoxorum princeps Calvinus*: Hoc caput eſt, (*inquit*) unde reliqua ducuntur, ut quiſque vocatione ſua contentus, eam ſequatur, neque alio transvolare appetat. Vocatio in Scripturis eſt, legitima vivendi ratio: habet enim relationem ad Deum vocantem, nequis hac ſententia abutatur, ad ſtabilienda vivendi genera, quæ impia aut vitioſa eſſe conſtat. Sed hic quæritur, an Paulus ſtatuere aliquam obligationem velit? hoc enim ſonant verba in ſpeciem, ſuæ quemque vocationi devinctum eſſe, ut ab ea deſciſcere non debeat. Atqui id nimis durum eſſet, ſartori non licere aliud opificium diſcere, mercatori non licere tranſire ad agriculturam. Reſpondeo, hanc non eſſe intentionem Apoſtoli: vult enim tantum corrigere inconſultam cupiditatem, quæ nonnullos ſollicitat ad mutandum ſtatum ſine juſta cauſſa; ſive id ſuperſtitione, ſive alio impulſu faciant. *Hæc Calvinus.* Quę hactenus ſufficiunt nobis, qui laboramus quam circumſpectiſſime procedere in quæſtione practica, variorum judiciis diſcuſſa. Nam licet cenſeamus, Profeſſionem Trapeziticam (ut ex præcedentibus patet) quam honeſtam eſſe; non tamen putamus aliquem V. C. Juris aut Medicinæ Doctorem, ſimilemve, qui alias de ſuo commode agitare poſſit, nec privata quædam ratio, (quam certum eſt intervenire poſſe) eundem ſtimulet, haut magis ad hoc noſtrum, idemque controverſum vitæ genus provolare poſſe, atque ad vectigalium redemptionem: pro qua obtinenda, ſi ſimilis aliqua perſona digitum tolleret, ut caput ſuum objiceret variis calumniis, crederetur que rei faciendę nimium quam ſtudere; ita putamus quoque idem eventurum, haut abſque juſta ſuſpicione, ſi ſimilis pariter pręſumpſerit menſæ aſſidere, atque argentariam facere. Novi alias, in Belgio quam controverſum fuiſſe, uſque ad defatigationem Conſiſtoriorum, poſſitne Diaconus, imo Æditimus,

mus, eſſe Publicanus? imo alicubi quoque arriſiſſe negativam ſententiam. Non quod crederetur Publicanorum ſtatio eſſe incompatibilis (prę hoc Scholaſtico vocabulo non occurrit commodius) cum functione ſive Diaconi, ſive Æditumi; ſed quod tales (quum poſſent commode de ſuo agitare) præſumerentur inter Publicanos nomen quoque ſuum profiteri voluiſſe, nullam aliam ob cauſſam, quam ut poſſint lucrum quam maximum facere: quum tamen expreſſe Apoſtolus 1. Tim. 3. 3. & 8. Presbyteris atque Diaconis præcipiat, *ne turpem quæſtum faciant*; qui talis evadit non modo ratione objecti, verum etiam à parte ſubjecti, conſiderati ſecundùm ſuam eamque propriam vocationem. Licitum equidem eſt, vendendo ſive ſinapium, ſive ſulphurata, per urbem diſcurrere, (abſit tamen ut argentarios, quorum ordinem multis Privilegiis Juſtiniani ſeculo auctum fuiſſe docet D. Salmaſius p. 587. hiſce ſcrutariis adęquare velim) atq; clamoſa voce ad haſce merces emptores quoſcumque invitare; at, ſi apud nos hoc faceret per ſuos filios, filiaſve, ſive verbi Divini Miniſter, ſive Conſul, ſive Juris, Medicinæve Doctor, næ putaretur grande ſcandalum dare, multosque graviter offenderet: nam veriſſimum illud Pauli effatum, *Non omnia, quæ licent, conducunt, aut ædificant*, 1. Cor. 6. 12. & 10. 23. Multo magis vero offenderet Chriſtianam ſocietatem aliquis, ex iis, qui jam nominati ſunt, ſi intenderet per conceſſionem publicam monopolium exercere ſive ſinapii, ſive ſulphuratorum: quæ quanquam vilia ſint, & putentur non admittere ſpectabiles viros, ut mercatores, talia tamen ſunt, quibus Societas humana, ſecundum Belgium conſiderata, haut magis carere poteſt, atque ſubſidio menſarum Trapeziticarum deſtitui illi ex tenuibus non modo civibus, verum etiam mediocribus, quibus perpetuo præſens pecunia non ſuppetit. Atque, ut hoc in caſu Monopolium probroſum magis videtur (& quidem merito) quam ipſa vilium mercium diſtractio; ita ſecundo loco putem ſerio deſpiciendum, an ſemper conducat quoque reipub. ut privilegium concedatur exercendi monopolium Trapeziticum? Certe, quandiu illud placet Magiſtratibus, uſque adeo ut aliquos ad redimendum hoc privilegium invitent, non peccant illi ipſi, qui privilegium hoc inſtar Publicanorum redimunt, modo quam diligenter attenderint ad illa ipſa, quæ antea definivi pro Trapezitarum munere. Sed, quum hoc tempore, quo Deus tam clementer adhuc Belgio benedicit, nomine reip. multis in locis ipſis viduis & Orphanis am-

Rrr plius

Digitized by Google

plius loco uſurarum annuatim non ſolvantur, quam quaterni [illegible] ni in centuriam; atque leves hæ uſuræ valde incommode accidant iis, quibus præter ſuos reditus haut admodum amplos, alia commode [illegible] citra alicujus onus, vivendi media non ſuppetunt: Deliberationi ſubjicio, an non Magiſtratus in majoribus urbibus, ubi hactenus menſæ Trapeziticæ receptæ fuerunt, ſerio deliberare debeant, an non, ſive per elocationem, ſive per adminiſtrationem ordinatam, hæc ratio iniri poſſit, ut tum afflictis & pecuniæ inopia laborantibus civibus conſulatur, per menſas, ad moderatum uſurarum modum redactas, tum etiam viduis, orphanis, ſimilibusque ita, ut dum menſæ ex eorundem pecuniis ſuſtentantur in commune commodum, ipſi minimum uſuras quincunces, ſi non ſemiſſes, accipiant? Interim nihil definio, contentus hæc, pro liberatione conſcientiæ, ad deliberandum propoſuiſſe. Adverſus hæc fungus noſter Reyneſſius nihil reponere ſcivit, quam argumenta jam antea exarmata. Quod vero fatum fuerit hujus de Trapezitis controverſiæ, & pariter ipſius Reyneſſii, occaſione illius, plene ediſſeritur in Priori Præfatione.

EXERCITATIO XXIX.
DE
Comicis & Tragicis Spectaculis.

1. *Præmiſſo generali Proloquio, probatur Antiquorum Patrum inſtitutum, adeo ſeverè Ludos Scenicos, & hiſtriones arguentium.*
2. *Haut meliora cenſeri debent ſpectacula à vulgo hiſtrionum certo pretio edi ſolita.*
3. *Ejuſmodi hiſtriones, olim, merito infames habiti fuerunt.*
4. *Quare & nemo Chriſtianorum talibus ſpectaculis intereſſe poteſt.*
5. *Non tamen ſimpliciter omnia in univerſum ſpectacula ſunt improbanda; ſed quadam, ſub certa conditione, admitti poſſunt.*
6. *Quæ conditiones accurate tum penſitantur, tum limitantur. Speciatim ratione materiæ.*
7. *Dein ratione modi.*
8. *Enumeratis omnibus conditionibus, concluditur.*
9. *An poßit Magiſtratus in Urbe ſua ordinarium Theatrum erigere?*

I. Si

SI quis mortalium, monente Apoſtolo, 2. Corint. 4. 2. I.
execror τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης; atque, quicquid etiam deme
ſentiant homines, (quorum calumniis à primis vitæ annis
velut pila fui, ex ſingulari Dei directione) audeo cum
eodem Apoſtolo, ead. ep. cap. 8. com. 21. dicere, quod
annitar *procurare honeſta non ſolum in conſpectu Domini, ſed etiam in conſpectu hominum.* Nec tamen ea cenſeo mox inhoneſta, quæ talia pronunciat zelus Phariſaicus, aut etiam pro honeſtis habeo, quæ idem ille, pro applauſu populari procurando, quam impotenter & importune urget. Regula honeſti, ut & juſti, infallibilis Lex Dei eſt; quę ſola meretur haberi norma caſtigatiſſima, neutiquam vero hominum, ſuis ſępe affectibus indulgentium, judicium. Proloquio hoc utor, imo hic uti debeo, quod ſciam multis ægre fore quod ſcribere ſuſtineam de Comicis & Tragicis ſpectaculis, quædam ex illis, ut licita propugnando. Circumſpecte vero hic mihi progrediendum eſt. Eoque initio pronuncio, jure merito antiquos Patres ſuos auditores interdixiſſe Scena, atque compuliſſe in baptiſmo ei, ut & reliquę pompę renunciare. Quo pertinet illud Tertulliani de Spectac. cap. 4. *Cum aquam* (inquit) *ingreſſi, Chriſtianam fidem in legis ſua verba profitemur, renuntiaſſe nos diabolo, & pompa, & angelis ejus, ore noſtro conteſtamur.* Et clarius adhuc Salvianus lib. 5. de Provident. *In ſpectaculis quadam apoſtatatio fidei eſt à ſymbolis ipſius, & cœleſtibus ſacramentis lethalis prævaricatio. Quæ eſt enim in Baptiſmo ſalutari Chriſtianorum prima confeſſio? Quæ ſcilicet, niſi ut renunciare ſe diabolo, ac pompis ejus atque ſpectaculis & operibus proteſtentur? Nam ſpectacula & pompæ etiam juxta noſtram profeſſionem opera ſunt diaboli.* Nec præter rationem ita cenſuerunt primitivi Doctores. Siquidem *primo* erant palæſtræ abominandę idololatrię. Inde ſic Cyprianus lib. de Spectaculis: *Scriptura* (inquit) *omnia ſpectaculorum genera damnavit, quando idololatriam ſuſtulit, ludorum omnium matrem, unde hæc vanitatis & levitatis monſtra venerunt. Quod enim ſpectaculum ſine idolo? quis ludus ſine ſacrificio? quod certamen non conſecratum mortuo? Quid inter hæc Chriſtianus fidelis facit, ſi idololatriam fugit? quid loquitur qui jam ſanctus, ſi de rebus criminoſis voluptatem capit? Quis contra Deum ſuperſtitiones probat, quas amat, dum ſpectat? Cæterum ſciat hæc omnia inventa Dæmoniorum eſſe, non Dei.* Præterea *ſecundo* erant officinæ quarumcunque libidinum. Patheticè præ aliis Salvianus lib. 6. de Dei

Provid. *Quicquid immundiciarum eſt hoc exercetur in Theatris, quicquid luxuriarum, in palæſtris. Quicquid immoderationis in Circis. Quicquid furoris, in caveis. Alibi eſt impudicitia, alibi laſcivia, alibi intemperantia, alibi inſania. Ubique dæmon, imo per ſingula ludorum loca univerſa dæmonum monſtra.* Gnarum erat ipſi Senecæ Gentili licet, ſic enim ep. 7. ad ſuum ſcribit Licinium: *Nihil* (inquit) *eſt tam damnoſum bonis moribus, quam in aliquo ſpectaculo deſidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia ſurrepunt.* Hinc apud Ciceronem *mimicum* idem eſt, quod obſcœnum. Locus occurrit notiſſimus lib. 2. de Orat. *Vitandum eſt* (inquit) *oratori utrumque, ne aut ſcurrilis jocus ſit, aut mimicus.* Nec falluntur admodũ qui Etymologiã vocis *obſcœni* ad *ſcenam* referunt. Argumenta habent, pręter eos qui ex Patribus citati modo ſunt: A. Gellius Noct. Att. lib. 20. cap. 3. Juſtinianus Imp. Nov. 51. non longe à principio; atque qui hos ſimilesque Authores integris manipulis adducit Albericus Gentilis Tract. de Spectac. fabul. Hæ duæ palmariæ rationes, plures alias primitivę Eccleſię Doctoribus ſuggeſſerunt, ut non modo inſtituerint detonare atque integros libros ſcribere in illos, qui præſumerent ludis Scenicis intereſſe; ſed eoſdem monuerunt quoq; decretis Synodicis, iiſque ſeveris, maxime Clericos, in partes ſimul venientibus Principibus *Chriſtianis*, ferendo leges civiles, quę eodem facerent. Quod ab aliis ſępius factum fuerit, ſuperſedeo tum in loca Patrum huc ſpectantia, tum in decreta Conciliorum, tum etiam Principum leges Civiles digitum intendere.

II. Sed, non modo abominanda fuerunt ſcenica ſpectacula, quæ adeo ſevere antiqui Patres arguerunt, verum talia quoque putanda ſunt, quę vulgus hiſtrionum, lucri colligendi ergo, adhuc hodie exhibere ſolitum eſt. Nam præterquam, quod 1. Actores ipſi, ut plurimum homines viles, bonarumq; artium ignari ſint, qui exoſi laborem, hoc vitæ genus ſectando, publice probant, quod φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι ſint, *voluptatum magis quam Dei amantes*, contra admonitionem Apoſtoli, 2. Tim. 3. 4. Amplius (2.) quodcunque argumentum tractare inſtituerint, hoc faciunt ad oblectandum, & exhilarandum ſuos ſpectatores: quum tamen Chriſtiani, qui gaudebunt poſt hoc ſeculum, quandiu in mundo ſunt, magis invitentur ad luctum. Unde Tertullianus de Spectac. cap. 18. *Vicibus* (inquit) *diſpoſita res eſt: nunc illi* (Gentiles) *lætantur, nos conflictamur. Seculum, inquit Chriſtus, gaudebit, vos triſtes eritis. Lugeamus ergo, dum Ethnici gaudent, ut, cum lugere cœperint, gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus. Delica-*

tus

Digitized by Google

tus es, Chriſtiane, ſi & in ſeculo voluptatem concupiſcis. Aut, ſi Chriſtianus gaudere velit, *in Domino gaudeat*, juxta admonitionem Apoſtoli Phil. 3. 1. Quod gaudium quale & quotuplex ſit, poſtea ex Patribus plenius explicabitur. 3. Luxuriant Hiſtriones ſi non verbis ſpurcis, probroſis, & contumelioſis, ſaltem otioſis. Ut olim, teſte Scalig. lib. 1. de Re Poët. cap. 6. ita & hodie, familiare eſt huic hominum generi, aculeatis dicteriis, quos libet lædere, contra Dei interdictum, qui ſic ſancit Levit. 19. 6. *Non eris criminator, nec ſuſurro in populo.* Deinde orationem ſuam niſi ſpurcis verbis condierint, non exiſtimant ſe decore perſonam ſuſtinuiſſe. Et tamen aliud monet Apoſtolus Coloſſ. 3. 8. *Deponite verborũ obſcœnitatẽ (αἰσχρολογίαν) ab ore veſtro.* Eph. 4. 29. *Nullus ſermo putris (λόγος σαπρὸς) ex ore veſtro egreditor.* & c. 5. 4. μωρολογία, ἢ εὐτραπελία operibus carnis accenſetur. Dato vero hæc abeſſe, diffiteri tamen non licet, plurima otioſa verba profundi. Chriſti tamen noſtri Salvatoris verbũ eſt, Matth. 12. 36. *Dico vobis quoniam omne verbũ otioſũ, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* 4. Ordinario horrendis dejerationibus, & juramentis è gentiliſmo petitis totum Theatrũ perſonat, quod execrandum eſſe, quis non videt? 5. Geſtibus ſi non impudicis, ſaltem mollibus, & cinędo dignis ornare ſimilem orationem geſtiunt. At, ſecundũ Clementem Alexandrinum lib. 2. Pæd. c. 5. æque culpandi ſunt, qui *ridiculam corporis figuram induunt*, atque *qui verbis ſtudẽt eſſe ridiculi.* 6. Hujuſmodi ſpectacula avertunt homines, ad deteriora ſemper proclives, à rebus ſeriis, atq; multum temporis ſuffurantur, quũ tamen *dies noſtri palmares ſint*, Pſ. 39. 6. &, ut dicitur Job. 14. 2. 3. *homo inſtar floris, ſimul ac egreſſus eſt, ſuccidatur, &, velut umbra, fugiat.* Quod applicare licet ipſis actoribus: quibus & dictum eſt, ab Apoſtolo 1. Cor. 7. 29. *oportunum tempus eſt anguſtum in poſterum.* 7. Ut quotidiana docet experientia, hæc ſpectacula ſunt loculorum flagella, atq; qui illa pretio edunt, everricula pecunię, quam tenuioris ſortis homines in uſus lõge meliores erogare poſſent. 8. Ob has & ſimiles rationes, ne quidem ſaniores ex Gentilibus in repub. ſua ſpectacula hujus ordinis admittere voluerũt. Sic Maſſilienſes, teſte Val. Maximo lib. 2. c. 6. nullũ aditum Mimis in ſcenam dabant, ne, cũ eorũ argumenta majori ex parte ſtuprorum continerent actus, *talia ſpectandi conſuetudo, etiam imitandi licentiam ſumeret.* Lacedęmonii quoq; neq; comœdias ſpectabant, neq; tragœdias, ne, quemadmodũ Plutarchus ait in Apoph. Lacon. neq; ſerio, neq; joco audirent eos, qui legibus adverſa dicerent. Nec alia mens fuit

priſcorum Romanorum. Teſtis eſt Corn. Nepos, ſcriptor gravis in Præf. ſic loquens: *Magnis in laudibus tota fuit Græcia, victorem Olympia citari. In ſcenam vero prodire & populo eſſe ſpectaculo, nemini in eiſdem gentibus fuit turpitudini: Quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honeſtate remota, ponuntur.*

III. Ex iis, quæ jam dicta ſunt, facile patet, quid de Fabularũ actoribus ſit exiſtimandum? Vocantur hiſtriones: ſic dicti, ſive quod ab Hiſtria id genus ſit adductum, vel, quod dicti fuerint, quaſi Hiſtoriones, quod ſoliti eſſent fabulas hiſtoriæ perplexas exhibere. Eos Roma Tiberius exturbavit, teſte Dione Caſſio lib. 57. Idem reſpiciens Tacitus, ſic loquitur lib. 4. Annal. *Poſtremo Cæſar de immodeſtia hiſtrionum retulit; multa ab iis in publicum ſeditioſe, fœda per domos tentari.* Et mox: *Pulſi tum hiſtriones Italia.* Eodem Principe decretum, teſte hoc ipſo Tacito lib. 1. Annal. cap. 77. *Ne domos pantomimorum Senator introiret.* Amplius jam olim Hiſtriones inhoneſti haberi ſolent. Egregie Tertullianus lib. de Spectaculis: *Manifeſte* (inquit) *damnant ignominia & capitis minutione, arcentes, curia, roſtris, ſenatu, equite, cæteriſque honoribus ſimul ac ornamentis. Quibus quanta perverſitas? Amant quos mulctant, depretiant quos probant. Artem magnificant; artificem notant. Quale judicium eſt, ut ob ea quis offuſcetur, per quæ promeretur? Imo quanta confeſſio eſt malæ rei, quarum actores, cum acceptiſſimi ſint, ſine nota non ſunt? Quum etiam humana recordatio etiam obſtrepente gratia voluptatis, damnandos eos cenſeat ademptis bonis dignitatum in quendam ſcopulum famoſitatis, quanto magis Divina juſtitia in ejuſmodi artifices animadvertit?* Et Auguſt. l. 2. de Civ. Dei, cap. 13. *Romani hominibus ſcenicis nec plebeiam tribum, quanto minus ſenatoriam curiam dehoneſtari ſinunt?* Imo tales habiti fuerunt infames. Verba ſunt Ulpiani l. 2. §. 5. ff. de his qui not. inf. *Eos enim, qui quæſtus cauſſa in certamina deſcendunt, & omnes propter præmium in ſcenam prodeuntes, famoſos eſſe Pegaſus & Nerva filius reſponderunt.* Eoque rarum eſt elogium, quo Roſcium Amerinum condecorat Cicero, quem *hiſtrionem ita peritum dicit, ut ſolus eſſet dignus, qui in ſcenam deberet intrare: ita virum bonum, ut ſolus eſſet dignus, qui eo non deberet accedere.* Quem locum, turpitudinem ſcenę arguendo, ſic profert Auguſtinus lib. 1. de Conſ. Euangeliſt. *Nonne cum Roſcium quendam laudaret hiſtrionem, ita peritum dixit, ut ſolus eſſet dignus, qui in ſcenam deberet intrare: ita virum bonum, ut ſolus eſſet dignus, qui eo non deberet accedere: quid aliud apertiſſime oſtendens, niſi illam ſcenam eſſe tam turpem, ut tanto minus ibi homo*

eſſe

Digitized by Google

eſſe debeat, quanto magis fuerit vir bonus? Dubito quoque an alterum detur exemplum hiſtrionis ultima ętate reſipiſcentis, atque habet Jonſtonus lib. 16. rer. Britannicarum ad annum 1614. *Ricardus Alanus,* (inquit) *Archimimus, omnium perſonarum imitator effictorque peritiſſimus, ludos in ſcena miſcere ſolitus eſt, delectationis cauſſa. Is perſonam Regis ferens, imitanſque compoſito geſtu corporis, motuque, Artifex ejuſinodi fuit, ut ſolus dignus videretur, qui in Scena ſpectetur; ac publicis Spectaculis magnas opes comparavit. Provecta ætate ſcenicas artes, & indecora Senectuti ſtudia, damnavit. Et ut Scenæ maculam elueret, proripuit ſe Spectaculis, & Ptochodochium Dulvici inſtituit; quod ipſe regendum præcipua cura ſuſcepit; Reditibusque ampliavit, ac* XXIV. *Pauperum numero, ex utroque ſexu.* Addit mox idem Author. *Quis præter hunc, facile inveniri poteſt, qui Reip. profuit? Reliqui Libidinum exemplis, non modo Scenam, ſed vitam, etiam communem, infecerunt; ac ſpectaculorũ varietate civium animos corruperunt; eaque res conciliavit vulgi favorem; bonorum omnium Invidiam concitavit.* Inde Jus Canonicnm tales non admittit ad ſacros Ordines *c. maritum.* d. 33. imo ne quidem ad ſacram Synaxin, *de conſecr. diſt.* 2. Huc pertinet Ep. 61. Cypriani, quæ inſcripta eſt Eugratio, ſeu, ut alii legunt, Euchratio: *Conſulendum* (inquit) *me exiſtimaſti, quid mihi videatur de hiſtrione quodam; qui, apud vos conſtitutus, in ejuſdem adhuc artis ſuæ dedecore perſeverat; & magiſter, & doctor, non erudiendorum, ſed perdendorum puerorum, id quod male didicit, cæteris quoque inſinuat; an talis debeat communicare nobiſcum? Puto, nec Majeſtati divinæ, nec euangelicæ diſciplinæ congruere, ut pudor, & honor Eccleſiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur.* Huc facit quoque canon. 62. Concilii Illiberitani, qui ita habet: *Si auriga, aut pantomimi, credere voluerint, placuit, ut prius artibus ſuis renuncient; & tunc demum ſuſcipiantur, ita ut ulterius ad eas non revertantur. Quod ſi facere contra interdictum tentaverint, projiciantur ab Eccleſia.* Hiſtrionibus adhuc nequiores erant, quæ in Novel. 51. ſeu in Authent. audiunt *ſcenicæ.* Per eas enim intelligere convenit meretrices poſt peractas fabulas, in theatro promiſcue proſtitui ſolitas. Iſidorus lib. 18. Orig. cap. 29. *Idem,* inquit, *Theatrum, idem & proſtibulum, eo, quod poſt ludos exactos, meretrices ibi proſternerentur.* Tertull. de Spect. c. 17. *Ipſa etiam proſtibula* (inquit) *publicæ libidinis hoſtia in ſcena proferũtur, plus miſera in præſentia fœminarum, quibus ſolis latebant, perque omnis ætatis, omnis dignitatis ora tranſducuntur, locus, ſtipes, elogium, etiam quibus opus non eſt, prædicatur.* Sedebant vero, dum recitabatur in ſcena, ut Tertullianus,

Digitized by Google

tullianus ibid. innuit. Cum traducerentur, tum earum, ſtipes, locus, genus, & ſimilia prædicabantur. Plautus in Prol. Pœnuli: *Scortum exoletum ne quis in proſcenio ſedeat.*

IV. Talibus vero ſpectaculis, editis ab ejuſmodi hiſtrionibus, extra ſeculum quoque Paganicum conſideratis, nemo intereſſe poteſt ſalva conſcientia, qui modo religioſus atq; Dei timens haberi cupit. Nam I. quamvis Ariſtoteles lib. 3. Eth. cap. 10. non videatur admittere ἀκολασίαν aliquam, circa voluptates viſus & auditus; eò quod convenientem temperantiæ materiam non inveniat circa hos duos ſenſus: hoc tamen, (in conſilium advocata Scriptura) non niſi comparative intelligi poteſt. Ea ſiquidem per Apoſtolum Petrum taxat illos, qui *oculos plenos habent adulterii*, 2. Petr. 2. 14. item, *qui auribus pruriunt*, 2. Tim. 4. 3. atque amplius docet, *avertere oculos, ne videant vanitatem*, Pſ. 119. 37. & exemplo Jobi *fœdus pangere cum oculis*, Job. 31. 1. qui & cap. 12. verſ. 11 docet, quod *auris* debeat *verba probare, prout palatum cibi guſtum.* Nos Chriſtiani vero (ut verbis utar Tertulliani lib. de Spect. cap. 17.) *impudicitiam omnem amoliri jubemur. Hoc igitur modo etiam à Theatro ſeparamur, quod eſt privatum conſiſtorium impudicitiæ, ubi nihil probatur, quam quod alibi non probatur.* Et paulo poſt idem Tertullianus: *Quod ſi nobis omnis impudicitia execranda eſt, an liceat audire, quæ loqui non licet? Cum etiam ſcurrilitatem & omne vanum verbum judicatum à Deo ſciamus, cur æque liceat videre, quæ indicare flagitium eſt? cur quæ ore prolata communicant hominem, ea per oculos & aures admiſſa non videantur hominem communicare? cum ſpiritui appareant aures & oculi, ne poſſit mundus præſtari, cujus apparitores inquinantur?* Nec eſt quod, quis dicat ſe ad hujus ordinis ſpectacula eadem ratione acceſſurum eſſe, ut Cato ad Floralia, qui venit, ut diſcederet. Audiat enim Chryſoſtomum ita proloquentem per Interpretem Hom. 1. in Pſal. 50. *Audiant* (inquit) *curioſi, qui pulchritudines conſiderant alienas, qui ſpectaculis inſaniunt in Theatris, ad excuſanda peccata dicunt: Spectamus quidem, ſed nihil nocemur. David talis & tantus læſus eſt, & tu te putas non poſſe lædi? ille nocumentum paſſus eſt, qui tantam habebat ſpiritus gratiã & te quomodo credere potero ſine vulnere evaſiſſe? & ille quidem in ſolario domus ſuæ, tu autem in theatro, ubi & locus condemnat animam ſapientis, in quo cum tanta ſint præcipitia, tanta corruptela, quomodo poſſum tibi credere quod à talibus beſtiis vulneratus non ſis? Nunquid lapideus es, aut ferreus? Igni conjungeris & non ardebis?* Exemplum obſervatu dignum habemus apud Auguſtinum lib. 1. Confeſſ. cap. 8.

Digitized by Google

cap. 8. de Alipio ejus contubernali, qui licet abhorreret à ſpectaculis, ac invitus à familiaribus ſemel duntaxat ad ludum gladiatorium pertractus eſſet, ita tamen faſcinatus fuit, ut poſtea abſque ſpectaculis vitam ſibi acerbam putaret. *Spectavit*, (inquit) *clamavit, exarſit, abſtulit inde ſecum inſaniam, quæ ſimularetur videre non tantum cum illis, ſed etiam præ illis, à quibus erat adductus.* 2. Quod non provenit ſcandalum, ſi homines, profeſſione Orthodoxi, adhoc dignitate conſpicui, ſpectatores & applauſores ſint talium actuum. Quam vero grave ſit infirmis offendiculum præbere, docet Chriſtus Matth. 18. verſ. 7. Certe Tertullianus lib. de Spectac. cap. 24. inde probat manifeſtum eſſe ſcandalum, quod ſuo ævo ex repudio ſpectaculorum agnoſcerentur Chriſtiani. *Illi* (dicit) *jam nobis renuncient, an liceat Chriſtianis ſpectaculo uti? At quin hinc vel maxime intelligunt factum Chriſtianum, de repudio ſpectaculorum. Itaque negat manifeſte, qui, per quæ agnoſcitur, tollit. Quid autem ſpei ſupereſt in hujuſmodi homine? Nemo in caſtra hoſtium tranſit, niſi projectis armis ſuis, niſi deſtitutus ſignis & ſacramentis principis ſui, niſi pactus ſimul perire.* 3. Quot & quanti non fiunt ſumptus? & quantum pecuniæ non erogatur in hanc fæcem hominum, qui theatrales ludos exhibent? quę tamen aut in pauperes erogari, aut aliis rebus tum neceſſariis, tum utilibus, bono publico impendi potuiſſet. Inde Auguſtinus ad cap. 16. Johannis: *Donare* (dicit) *res ſuas hiſtrionibus, vitium eſt immane, non virtus. Qui enim venatori* (hiſtrioni) *non homini donat*, inquit idem in Pſal. 102. *ſed arti nequiſſimæ. Nam ſi homo tantum eſſet, & venator non eſſet, non donares: honoras in eo vitium, non naturam.*

Nec tamen ſimpliciter improbari merentur ſpectacula, quę in ſe cum ſint adiaphora, ſub certis conditionibus, à graviſſimis Theologis admittuntur. Inſtar omnium ſit ὁ πάνυ Dn. Rivetus, qui poſtquam in Quæſt. ad Decal. prolixe diſputaſſet adverſus vulgaria ſpectacula, à quæſtuariis hiſtrionibus exhiberi ſolita, tandem *hæc ſubjicit:* Quę tamen ita volumus intelligi, non ut plane definiamus nulla ratione licere, ſub ulla conditione, Drama aliquod inſtituere, aut aliquando honeſtæ oblectationis cauſſa, & exercitii gratia, adoleſcentes aliquos producere, qui argumentum, quod bonis moribus conveniat, arte aliqua elaboratum, pluribus ſpectantibus, inter ſe tractent, & hac ratione ſe ad dicendum informent: ſcimus enim viros graves aliquando in talibus argumentis V.

verſatos fuiſſe; non quæ mimis, hiſtrionibus, & quæſtuariis iſtis nebulonibus, qui omnia etiam ſacra profanant, actitanda darent; ſed quę pueri ingenui, exercitii honeſti gratia, peragerent. Qua de re in diſciplina Eccleſiaſtica Eccleſiarum Reformatarum Galliæ conſtitutio habetur, quam hic apponemus, & quæſtionem hanc finiemus. Sic autem habet. *Non licebit fidelibus, intereſſe Comœdiis, Tragœdiis, mimis, moralitatibus aut ſimilibus ludis, actis publice vel privatim; cum omni tempore id inter Chriſtianos probibitum fuerit, tanquam bonis moribus noxium. In primis vero cum profanatur ſcriptura. Si tamen aliquando in collegio aliquo utile judicetur, ut juventus aliquam hiſtoriam repræſentet, tolerari poterit; dummodo ex Scriptura non deſumatur, quæ non ludis ſed prædicatione inculcari debet; ea etiam conditione, ut id raro fiat, & adhibito conſilio claſſis Eccleſiaſtica, cui primum compoſitio communicabitur.* In his, quæ aliquando cum aliis conſtitui & probavi, nunc acquieſco. *Hactenus Rivetus,* cujus ſententię ut & decreto Eccleſiarum Gallicarum, ita hactenus accedo, ut putem fas mihi eſſe, allatis ſolidis rationibus, reſpectu quorundam, in alia omnia diſcedere. Ut vero pateat, fas non eſſe ulli, ſimpliciter quæcunque ſpectacula, in ſe ſane Adiaphora, condemnare, quadruplici genere argumentorum illud comprobandum venit. *Primum* deſumptum eſt à materia, quæ eſt honeſta atque gravis, ſimul decora atque loco & tempori conveniens, quæ ſic tractatur, ut ſerviat honeſtati morali tum excitandæ tum fovendæ. *Secundum*, reſpicit finem, qui non eſt alius, quam honeſta oblectatio, quæ oritur ex viva repræſentatione eorum, quæ ſerviunt concitandis affectibus, ad amorem rerum honeſtarum, & ſerium odium omnium eorum, quæ turpia ſunt. Nam cum ratione dictum eſt à Dionyſio Halicarnaſſæo: *Comœdiam ſub ludicra larva philoſophari.* Inde recte monet Ariſtoteles lib. 7. Polit. cap. 17. quod *ludi tales eſſe debeant, ut ſint imitationes eorum, quæ poſtea ſerio ſunt facienda.* Et Cicero Orat. pro Sex. Roſcio: *Hæc conficta à Poëtis arbitror eſſe, ut effictos noſtros mores in alienis perſonis, expreſſamque imaginem noſtram vitæ quotidianæ videremus.* Quicquid aliis videatur, ego non video, cur, cum liceat repræſentationes rerum vere geſtarum legere, pariter non liceat, repræſentationes earundem vivas videre atque audire? *Tertium* concernit multiplices fructus, qui redundant in actores, modo perſonam ſuam convenienter ſuſtinere ſciverint: comparare ſiquidem ſibi poſſunt, non modo notitiam rerum variarum atque experientiam, verum etiam ſingularem tum memoriæ tum elo-

quii:

quii in publico promptitudinem, adhæc geſtus moresque comptiores atque magis decoros. Quod poſtremum ignoraſſe non videtur Tertullianus lib. de anima, cum liberale & decore compoſitum corporis filum *ſcenam corporis* dixit. Nam elegantem & convenienter compoſitam convenit eſſe hominis faciem in Theatro, utpote omnium oculis propoſitam. Sic & Philoſtratus lib. de vit. Sophiſt. in Polemone notat σκηνὴν, ᾗ ἐς τὰς μελέτας ἐχρῆτο: per ſcenam intelligendo corporis modum & compoſitionem. *Quartum*, ſeu poſtremum complectitur multiplices uſus, qui redundare poſſunt in ipſos ſpectatores & auditores, qui, ſi modo animo fuerint attento, unius alteriusve horæ ſpatio plura cognoſcere poſſunt, altiusque animo imprimere, quam privatim longo tempore atque multo labore. Quod neque ignarum fuitImperatori Juſtiniano, §. 9. Inſtit. de grad. cognat. *Magis veritas* (inquit) *oculata fide, quam per aures animis hominum infigitur*. Præterea ſæpe actores quam artificioſe perſtringunt vitia inveterata publiceq; graſſantia, quod alii certe vix tanta cum παῤῥησίᾳ auderent. Nec absque fructu: prout contigit circa Reformationis initia in Anglia, uti obſervavit vir pietate atque doctrina conſpicuus Johannes Foxus in Hiſtoria Eccleſiæ Anglicanæ. Similiter in Belgio comœdiæ, à viris doctis ſcriptæ, cum exhiberent quam graphice in Theatro Babylonis turpitudinem, haut parum ſub initium Reformationis quam plurimos commoverunt, nec minus cum fructu ſpectatorum proſtituerunt Antichriſtianam doctrinam, quam Orthodoxam veritatem eidem oppoſitam aſſeruerunt. Ita Guilielmus Gnapheus vir doctus, & conſtantiſſimus Confeſſor, ſcripſit Acolaſtum, ſive, de filio prodigo Comœdiam, item Hypocriſin, quæ Tragi-comœdiæ rationem habet. Inſtitutum illius multi poſtea ſecuti fuerunt. Non omnibus tamen æque ſucceſſit. Exemplo ſit Antonius Scorus Antverpianus, de cujus comœdia, ſub Frederico II. Electore Palatino exhibita in Academia Heidelbergenſi, ex re eſt audire Hubertum Leodium lib. 13. Annal. *ſic loquentem*: Compoſuerat comœdiam Antonius Scorus Antverpienſis, qui in Heidelbergenſi Gymnaſio bonas literas profitebatur, & ſuis pueris, quos privatim docebat, domi inter paucos & in privato conclavi recitandam dederat. In ea erat Euſebia, ſive Religio, quæ hoſpitium querens apud Magnates, nuſquam admittebatur, ſed prætexente quolibet negotium, repudiabatur: tandem ad ruſticos & pauperem plebeculam diverteus, gratum invenit domicilium. Facinus ingens adмiſſum

miſſum illico perfertur ad Cæſarem, & piaculum ſanguine diluendum proclamatur. Quare poſtpoſita omni mora, ad Principem Palatinum ſcribi mandat, ut graviſſime non ſolum in auctores, ſed in omnes, qui vel facto vel dicto id ludicrum juviſſent, animadverteret, vel ipſe Cæſar ad ſuum officium pertinere arbitraretur, curare, ne ſcelera remaneant impunita. Quo enim loco futuros Magnates, ſi fugere & proſcribere Religionem in ſcenis decantarentur? Moverant prima ſtatim facie non parum literæ Principem, qui omnium prorſus inſcius erat. Facta autem diligenti inquiſitione, deprehendit rem, eo, quo dixi modo, ſe habere: aufugit Scorus, aliquot pueri majuſculi ab Academiæ Rectore carceribus coërciti: reliquæ innocenti turbæ quid faceret? *Huc uſque Leodius.*

VI. Sed quanquam ſpectacula, ut Adiaphora, hactenus κατά τι probanda eſſe, ſufficienter eviciſſe videor; ſic conditiones, ſub quibus admitti poſſint, aliquanto diligentius definiendę eſſe videntur. Atque, initio ratione materiæ occurrit difficultas non levis, an ſcil. ea poſſit eſſe hiſtoria ſacra, aut ſuppeditari à Scriptura? Supra ex Riveto exhibitum fuit decretum Eccleſiarum Gallicarum, quo illud per omnia improbatur: ei accedunt plurimi ex Orthodoxis, qui exiſtimant ſacra cum devotione eſſe exhibenda, minime vero repræſentari ad excitandam hilaritatem, prout in Theatro ſolitum eſt. Quorum rationi hactenus non obloquor. Sed, quis ita in Scriptura hoſpes, qui ignoret, præter mere Theologica, in ea doceri quoque Moralia, & ſpeciatim Politica: variaſque, quę in illa occurrunt, hiſtorias, ſi ad vivum exhibeantur, mirum quam ſervire poſſe componendo homini ſive ad honeſtatem moralem, ſive etiam, ad vitam in Republ. commode & inculpate tranſigendam? Quæ hiſtorię, quando convenienter exhibentur, neutiquam ad ludum transferuntur, aut profanantur, ſed ad vivum ſic ſpectatoribus repræſentantur, ut non poſſint non ſpectatores tum amore honeſti accendi, tum etiam odio rerum turpium inflammari: quod illius non minus jucundi fructus, quam harum Tragici exitus vivis quaſi coloribus delineentur. Atque ſi ipſe Spiritus Sanctus Proverb. 7. ut deterreat hominem à ſcortando, mores mulieris adulteræ cum omnibus turpitudinis circumſtantiis voluit repræſentare; cur non pariter quoque in eundem finem hiſtoria ſacra exhiberi & quaſi delineari penicillo poſſit? Si enim licet pictoribus, ratione uſus ſeu Oeconomici ſeu Politici.

litici illas in tabula delineare; cur non pariter quoque liceat eas per vivos homines convenienti elocutione & actione repræſentare? Quicquid aliis videatur, à me nunquam impetrabo, ut ſimpliciter nefas eſſe pronunciem, argumentum ſacrum artificioſe in Comœdiam aut Tragœdiam redigere. Probatur mihi, ratione ſacrarum hiſtoriarum, non vero ulterius, quod habet Cornelius Schonæus, quondam Gymnaſiarcha Goudanus, author Terentii Chriſtiani, in Prologo ſui Nehemiæ, ubi comparans actores ſuarum fabularum cum verbi Divini præconibus, non inconcinne dicit:

Quod hi in ſacris ædibus è ſuggeſtu docent,
Hoc nos ſpectandum proferemus plenius.
Magis, ni fallor, mens vobis movebitur,
Cum rem, uti geſta eſt, cernetis exhiberier.

Schonęi exemplum, qui varias ſacras Hiſtorias ſeu ſocco, ſeu cothurno induit, imitati ſunt plurimi. Buchananus Jephthen, & Joannem Baptiſten ſcripſit. Nicodemus Friſchlinus Rebeccam. Georgius Macropedius, Lazarum Mendicum, Aſotum, Suſannam. Rochus Honardus. Thamaram Tragœdiam, & Moſen Nomoclaſten. Hugo Grotius Adamum Exulem. Daniel Heinſius Herodem Infanticidam: aliique plures (quos commemorare longum foret) alias Hiſtorias ſacras ſimili ratione tractarunt. Quæ abſque piaculo ſcribi poſſunt, ut per homines in Theatro exhibeantur, cur quoque exhiberi non poſſent? Audio quidem dici, Actores ſæpe orantes introduci, preces hiſtrionicas non debere eſſe, quod veri adoratores *in ſpiritu & veritate* orare debeant, Johan. 4. verſ. 23. Sed, quis iis dixit, actores pios & graves non poſſe cum devotione in ipſo Theatro Deum invocare, ex mente perſonarum ſacrarum, quas pro tempore ſuſtinent? In quam multos, qui tamen membra Eccleſiæ habentur, non quadrat illud Apoſtoli Jacobi cap. 4. 3. *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, ut in voluptates veſtras inſumatis.* Cor precantis intuetur ſolus Deus: atque, ut pro concione Sacra (ſpero ſemper devote) Verbi Divini miniſter ſępe precatur (addita ſua quoque Paraphraſi) ſive ex mente Davidis, ſive Danielis, ſive alterius Sancti, (imo ipſius quoque Chriſti) cur non pariter pius actor, ſuſtinens perſonam hujus illiuſve Sancti, devote

 precari.

precari poſſet in Theatro, è quo ſuos ſpectatores laborat erudire non modo, ſed & meliores dimittere? Miror vero illos, quibus hujus ordinis argumenta uſque adeo diſplicent, ferre non modo poſſe ut pueris teneris in Schola Terentius prælegatur, ſed ut integras quoque ejuſdem fabulas memoriæ, pro illa ætate tenaciſſimæ inſcribant. Audiatur de iis Auguſtinus lib. 1. Confeſſ. cap. 16. quod caput ut habet hanc inſcriptionem *in laſcivas Fabulas*, ita ibidem inter alia *hæc habet*: Hinc verba diſcuntur, hinc acquiritur eloquentia rebus perſuadendis ſententiisque explicandis maxime neceſſaria. Ita vero non cognoſceremus verba hæc, imbrem aureum & gremium, & fucum & templa cœli, & alia verba quæ in eo loco ſcripta ſunt, niſi *Terentius* induceret nequam adoleſcentem, proponentem ſibi Jovem ad exemplum ſtupri, dum ſpectat tabulam quandam pictam in pariete, ubi inerat pictura hæc: Jovem quo pacto Danaæ miſiſſe ajunt in gremium quondam imbrem aureum fucum factum mulieri. Et vide quemadmodum ſe concitat ad libidinem, quaſi cœleſti magiſterio. At quem Deum (inquit) qui templa cœlo ſummo ſonitu concutit, ego homuncio id non facerem? Ego vero illud feci, ac libens. Non omnino per hanc turpitudinem verba iſta commodius diſcuntur, ſed per hæc verba turpitudo iſta confidentius perpetratur. Non accuſo verba quaſi vaſa electa atque pretioſa: ſed vinum erroris quod in eis nobis propinatur ab ebriis doctoribus, & niſi biberemus, cędebamur, nec appellare ad aliquem judicem ſobrium licebat. *Hactenus Auguſtinus:* cujus exemplo Chryſoſtomus Hom. 1. in Pſalmum quinquageſimum invehitur quoque in Terentium, dum ejuſdem Chæream inſectatur. Eoque in ipſa primitiva Eccleſia loco Paganicarum Fabularum, Chriſtianæ Comœdiæ pueris prælegi cæperunt. Ex re eſt audire Sozomenum lib. 6. Hiſtor. Tripart. cap. 37. *Apollinaris* (inquit) *cum eſſet doctus & ſimul ingenioſus, pro Homeri poëmate, verſibus Heroicis Hebraicam conſcripſit antiquitatem uſque ad Imperium Saul, & viginti quatuor libris opus omne diviſit, unicuique libro nomen literæ ponens, ſecundum Homericam lectionem. Fecit autem & aliud opus ſecundum Mænandri fabulas, Comœdiæ ſimilitudine comparatas, imitatus etiam Euripidis Tragœdias, & Lyram Pindari. Et (ut abſolute dicam) ex divinis ſcripturis argumenta ſumens, omnes Encyclias lectiones tempore parvo compoſuit, numero, virtute, moribus, conſcriptione, charactere, & diſpoſitione, Græcis valde pares.* Interim circa ea, quæ hacte-

Digitized by Google

hactenus videor ſufficienter probaſſe, cautelæ quædam obſervandæ ſunt. I. Myſteria & dogmata mere Theologica neutiquam numeris Comicis comprehendenda: auguſta quippe nimis ſunt nec æque atque Hiſtorica argumenta repręſentari poſſunt. II. Nihil heterodoxi admiſceri debet, ut vulgo fit à Jeſuitis, qui per fabulas (iis exhibendis aſſuefaciunt ſuos diſcipulos) virus Antichriſtianę doctrinæ ſpectatoribus quam amabile reddere laborant. III. Deus, qui eſt inviſibilis & omnipotens, neutiquam eſt exhibendus, nec opera ipſius arguentia infinitam potentiam ſunt repręſentanda. IV. Chriſtus quoque temere producendus non eſt: nam licet induerit hominem, atque ut homo in terra fuerit converſatus, tamen humanæ ejuſdem naturę inſeparabiliter perpetuo Divina fuit conjuncta; nefas vero eſt, ejuſdem miracula, quę edidit per Dei digitum, ſibi natura competentem, velle æmulari. V. Angelos quoque non exhiberem: licet enim ſint creaturæ, ſunt tamen πνεύματα, Hebr. 1. & corpora, in quibus ſubinde comparuerunt, fuerunt duntaxat externæ exuviæ, ad eorundem naturam nullatenus pertinentes. Amplius ratione materiæ quæritur, an argumentum fictum, ſive, fabula, aut parabola poſſit eſſe argumentum Theatri? Teſte Plutarcho in Laconicis Inſtit. Lacedęmonii comœdias & tragœdias non audiebant, *ne, vel ſerio, vel joco contra leges dicentibus aures praberent.* Tali argumento minus ęquus quoque eſt Scriptor cæteroquin graviſſimus Dionyſius Halicarnaſſęus, ita enim per Interpretem lib. 2. Antiq. Rom. cap. 20. *Græcorum fabulis exigua inſunt bona, nec multis proſunt, niſi qui ſcopum earum accurato examine cognoverit: quaquidem ſapientia paucis contigit.* Item Seneca lib. 1. de Benef. cap. 4. *Iſta ineptia Poëtarum relinquantur, quibus aures oblectare propoſitum eſt, & dulcem fabulam nectere.* Cæterum cum placuerit Deo ipſi, ſub Veteri quoque fœdere populum ſuum de ſtatu regiminis edocere per Apologum de arboribus Regem eligere volentibus, Jud. 19. Davidem ad reſipiſcentiam adducere per argumentum fictum de divite cui multæ oves, & paupere cui unica erat agna, 2. Sam. 12. appoſite quoque proponatur fabula de carduo & cedro, 2. Reg. 14. verſ. 9. Chriſtus vero Doctor Novi Teſtamenti per parabolas auditores ſuos, alias quam rudes, ut plurimum erudire, atque è tenebris ad lucem Euangelii perducere inſtituerit: omnino ſtatuendum, ficta quoq; argumenta exhiberi poſſe, modo per ea obtineri convenienter queat ſcopus fabularum, quarum publicam exhibitionem permittimus.

Quod

Digitized by Google

Quod enim de fabulis Æſopi dicit Max. Tyrius Diſſert. 33. hic uſurpari poteſt: Καταμέμικται ἐν τοῖς λόγοις τούτοις νοῦς βραχὺς, αἰνιττόμενός τι τῶν ἀληθῶν. *Breviter moralem ſenſum continent hæ fabulæ, occulteque quaſi innuunt veritatem.*

VII. Ratione modi agendi quęri quoque ſolet, an actores fabularum ſexus dignioris, induere queant habitum fœmineum? Negativa ſententia placet multis, quos movit Lex Dei Deut. 22. 5. At quæ illius mens ſit, fuſe expendimus ſupra Exercit. XXV. nec putem eam obſtare quicquam receptæ conſuetudini. Tantum vero abeſt, ut hac ratione immineat periculum ab abominanda illa turpitudine, quam tangit verecunde Apoſtolus Rom. 1. verſ. 27. grandius longe periculum imminet, ſi puellę aut virgines (quod ſæpe actio perſonam fœmineam exigat) Juvenibus in Theatro permiſceantur. Certe flamma fumo eſt proxima. Exemplum habet Jeſuita Mariana in libro de Spectaculis; quum enim in Hiſpania eſſet hiſtrio concinne Chriſtum exhibere ſolitus, & fœmina quæ ordinario Magdalenam pœnitentem repręſentabat, tam arcta inter eos coaluit amicitia, ut aliquando in adulterio deprehenſi fuerint. Ne jam dicam à talibus virginibus, ſi pulchriores & comptiores fuerint, non leve quoque periculum imminere ſpectatoribus. Recte Sirachides cap. 9. 5. *Virginem ne ſtudeas habere notam, ne quando offenſionem ſubeas.*

VIII. Hiſce prętmiſſis, ordine proponi debent conditiones, ſub quibus quædam ſpectacula, ut licita, putem admitti poſſe. Ergo I. Materia, ſive ſacra, ſive profana, ſive vera, ſive ficta, ſerviat non corrumpendis, ſed emendandis Spectatoribus. II. Ea tractetur caſte, verecunde, decore, & graviter. III. Abſint turpiloquia, execrationes, juramenta temeraria, multo magis repræſentationes rerum obſcœnarum. IV. Actores neque ore, neque oculis, neque ullo geſtu exhibeant quid laſcivi. V. Exhibeantur tempore oportuno, hic ſiquidem cum maxime cogitandum eſt illud Salomonis Eccleſ. 3. 4. *Tempus eſt flendi, & tempus ridendi: tempus plangendi, & tempus ſaltandi.* Ut enim ſecundum Horatium lib. 4. Od. 12.

Dulce eſt (adde, *honeſtum*) *deſipere in loco.*

Ita ex admonitione Apoſtoli Rom. 12. 15. convenit *gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus.* VI. Exhibeantur quoque raro: nam præterquam quod rarior uſus magnas voluptates commendat, non convenit, homines à negotiis vitę quotidianę avocare ad Theatrum, ne

ne ſimiles reddantur populo Romano, qui dulcedine ſpectaculorum quotidianorum pellectus, ſecundum Satyricum, pręter *Panem & Circenſes* nihil cœpit optare. 7. Actores fabulis ediſcendis, & compoſitione actionis nimis non diſtrahantur. 8. Non adhibeantur ſub finem ludii laſcivientes, aut mimi mordaces, qui excitando effuſum riſum, ſuffocent virtutis fomitem, quem fabulæ exhibitio poſt ſe relinquere debet. Minime comptiores virgines, aut Pſaltriæ. Notum eſt illud Sirachidis Eccleſ. 9. 4. *Cum Pſaltria ne ſis aſſiduus, ne capiaris inſtitutis illius.*

Ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, facile reſpondere licet ad quæſtio- IX.
nem, qua quęritur, an probandum ſit inſtitutum alicujus Magiſtratus, qui in magna ſua urbe conſtituit Theatrum, in quo quaque hebdomada binæ ternæve exhibeantur fabulę, pro quarum ſpectaculo, qui admitti velint, ſolvant certum pretium, ceſſurum uſibus pauperum? Quicquid quidam hic jactant, neutiquam à viro pio probari poteſt, ac deplorandum eſt, quod Magiſtratus, cæteroquin prudens, inſtitutum non mutet. Ne repetam ea, quę dicta ſunt, Quatuor amplius cogitari velim. 1. Non video, quo colore, in urbe ubi vicinus vicino laborandi exemplum dat, cives, maxime Juvenes invitari poſſint ad ea, quæ non niſi hominum otioſorum laxamenta ſunt. 2. Quum à tot annis paſſim orbis Chriſtianus tam graviter à Deo caſtigetur, imo illi ipſi urbi judicium Dei incubuerit, (ſi non incumbat adhuc) plurimis quotidie ex ejuſdem inquilinis, ſub manu Dei ingemiſcentibus, quis (in quo modo mica pietatis fuerit) non ſtomachetur, quod de anno in annum, abſque ulla intermiſſione, pateat Theatrum? Gravis eſt comminatio illius Dei, (*qui eſt ignis conſumens* Heb. 12. verſ. ult. *quique non irridetur*, Gal. 6. 7.) quæ occurrit apud Amoſum cap. 6. verſ. 3. & ſeqq. *Va longe repellentibus diem mali, &c. modulantibus ad præſcriptum nablii, qui ſicut David, excogitant ſibi inſtrumenta Muſica, &c. neque afficiuntur ægritudine propter confractionem Ioſephi. Idcirco migrabunt inter primos migraturos: tunc ceſſabit amovebiturque deſignatio redundantium.* 3. Inſpiciantur quoq; Actores, &, qui Moderatores audiũt Scenę. Sintne ſufficienter cõpoſiti ad illas lineas, quæ definitæ cum ratione ſunt? qui ad eos connivent, eoſdemque fovent, etiam explorare debent, quę ab iis fiunt, nam rationem ſuo tempore Deo reddent tum ſuę vitę, tum regiminis, tum etiam horũ, circa quę nimiũ quã indulgent. Homines vita profani, atq; ſcenæ lucelli ergo (quod ut dimenſum accipiunt) addicti, eoq; ſpectaculorũ frequentiam optantes, neutiquam idonei Actores

propter illa, quę antea ſunt dicta) haberi poſſunt. 4. Utinam obſervarentur quoque illa, quæ in Theatro repræſentant? Similes ſeſe exhibent circumforaneis hiſtrionibus, quos ſupra notavimus; ſimul exiſtimant ſibi conceſſum eſſe privilegium, ut non modo inferioris ordinis hominum, ſed Superiorum qnoque errata & *ἁμαρτήματα* impune poſſint *θεατρίζειν*, atque ante ora ſpectatorum cum fermento ſcurrilium facetiarum traducere. Non proponerem hæc, niſi publice nimis quam nota forent. Vellem animadverterent illi, qui & poteſtatem habent coërcendi, & ad quorum probrum pertinet tolerantia talis Theatri. Ambigunt viri prudentes, unde foveatur ejuſmodi tolerantia, nimis quam Spartana. Qui exiſtimant ſe omnia pertimari poſſe, eam imputant putide obſequioſæ adulationi eorum, quorum venter per Theatrum ſuſtentatur. Sed, eſtne Magiſtratuum prudentium attendere ad præconia Hiſtrionica? Alia mens erat Trajano Cæſari, de quo ita Plinius in Panegyrico, quem ei dixit: *Et quis* (inquit) *jam locus miſeræ adulationis manebat, cum laudes Imperatorum ludis etiam, & comeſſationibus celebrarentur, ſaltarenturque, atque in omne ludibrium effœminatis vocibus, modis, geſtibus frangerentur? Sed illud indignius, quod eodem tempore, in Senatu, & in Scena, ab hiſtrione, & à conſule, laudabantur. Tu procul à tui cultu ludicras artes removiſti. Seria ergo te carmina, honorque æternus Annalium, non hæc brevis, & pudenda prædicatio, colit. Quin etiam tanto majore conſenſu in venerationem tui theatra ipſa conſurgent, quanto magis de te ſcena ſilebunt.* Nero ob animum efferatum, monſtrum habetur jure merito: & tamen, ſub ejus imperio, ipſi Hiſtrionum fautores in carcerem fuere deducti. Teſtis Tacitus lib. 13. Annal. cap. 28. ita ſcribens: *Inter Vibullium prætorem, & plebis tribunum Antiſtium, ortum certamen, quod immodeſtos fautores hiſtrionum, & à prætore in vincula ductos, tribunus omitti juſſiſſet. Comprobavere Patres, incuſata Antiſtii licentia.* En! Senatus Rom. alias circumſcriptus, non improbante Nerone, qui cæteroquin ſcenæ erat addictior, cenſuit hiſtrionum fautores carceri mancipandos eſſe. Utinam cogitent viri Summates! Nec ſententiam muto, quod ejuſmodi hiſtriones cenſeantur prodeſſe pauperibus. Generalis eſt Apoſtoli regula: *non ſunt facienda mala, ut veniant bona*, Rom. 3. verſ. 8. Atque, væ pauperibus, imo curatoribus eorum præ cæteris, ſi egeſtati aliter ſuccurri non queat, quam per peccatorum vectigalia. Providit Deus, cujus hæc Lex occurrit Deut. 23. verſ. 18. *Ne inferto mercedem*

ſcor ti.

Digitized by Google

ſcorti aut pretium canis in domum Iehovæ Dei tui, pro ullo voto. Ille idem Deus hoc perſuadeat Unctis ſuis!

EXERCITATIO XXX.

DE

Muſica organica in Templis.

1. *Occaſio hujus controverſiæ in Belgio notatur. Priuſquam Controverſiæ ſtatus formatur, oſtenditur quam infeliciter D. Voetius, qui hic diſſentit, Authores aliquos citaverit.*
2. *Muſica inſtrumentaria in V. T. inſtituta & ordinata fuit à Davide, ex præſcripto Prophetarum ipſius.*
3. *Quomodo cantus publice in Eccleſiis N. T. fuerit receptus?*
4. *Inquiritur, quando Muſica inſtrumentalis recepta fuerit in Eccleſiis N. T. quid ſit ψάλλειν?*
5. *Non videtur Organum in Occidentalibus Eccleſiis receptum fuiſſe, ante annum Chriſti 760.*
6. *Pontificii multa nobiſcum deſiderant circa cantum quoque vocalem.*
7. *Diſtinctius exponitur, quænam circa cantum Eccleſiaſticum debeant attendi.*
8. *Organum Muſicum, Phonaſci vicem in Eccleſia ſupplere poſſe.*
9. *Quod tamen non eſt ſimpliciter neceſſarium.*
10. *Reſpondetur ad argumenta D. Voetii, quæ ipſe directa vocat.*
11. *Occurritur indirectis D. Voetii rationibus.*
12. *Exarmantur D. Voetii rationes, ſecundum ipſum, ad hominem.*
13. *Quatenus D. Voetio faveant, decreta quarundam Synodorum Belgicarū?*

NEmo uſque adeo in Belgio peregrinus eſt, qui neſciat Eccleſias Orthodoxas in felici illa regione, ab anno quadrageſimo primo hujus ſeculi inquietari cœpiſſe per illos, qui cum ſint ἰδιογνώμονες, rerum in ſe Adiaphorarum alium uſum non permittunt, niſi qui examuſſim reſpondeat præconceptæ ſuæ opinioni, pro qua retinenda vadimonium quoque deſerere vellent. Eo anno Belgico idiomate libellum de Uſu atque abuſu Organorum ediderat Vir vere Nobilis D. Conſtantinus I.

Hugens, Toparcha in Zulichem, tum temporis Illuſtriſſimo Principi
Auraico HENRICO FREDERICO à Secretis & conſiliis. Quo cum
notaſſet varios abuſus Organi Pneumatici, in variis Belgii Eccleſiis
pulſari ſoliti; erudite contendit, (ſi modo ſtatuatur retinendum eſſe)
debere moderari Pſalmodiam, per imperitiam vulgi, ſæpe quam in-
ordinatam. Libellus hic ut à Magnifico Authore miſſus fuit ad varios,
ita ex Theologis Belgis eum approbarunt ὁ πάνυ D. Johannes Polyan-
der, Theologus Primarius in Academia Leydenſi, Ludovicus de Dieu,
& Abrahamus Heidanus, viri ſummi & celeberrimi, ibidem tum
verbi Divini miniſtri: atque ex reliquis Profeſſoribus, viri toto orbe
inclyti, Daniel Heinſius, Adolphus Vorſtius, & Jacobus Golius, præ-
ter alios plurimos viros, vere egregios, qua Eccleſiaſticos, qua Politi-
cos, quorum reſponſa ſimul edita ſunt eodem anno. Conſultus quoque
erat D. Gilbertus Voetius, Theologus Ultrajectinus; at judicium
ſuum pro tempore ſuſpendit, contentus ſic reſcripſiſſe 8. Eid. Martias
1641. *Iudicium meum voluiſſem nunc quidem perſcribere, niſi impedirent alia*
quædam meditationes, quarum editio nunc urgetur; & accuratiori diatribæ
aliquando publicandæ, totum hoc, quicquid eſt, reſervarem. Quod promi-
ſerat, præſtitit quoque vir Rev. eodem anno proponendo duas Diſpu-
tationes, habitas d. 3. & 10. Julii *de Organis & cantu Organico in ſacris*
Reſp. *Ioanne Heimenbergio*, hoc tempore ibidem paſtore Reverendo.
Statum vero controverſię Th. 3. ſic format: *Quæritur an Muſica inſtru-*
mentalis, ſeu cantus organicus, ſive ſeorſim, ſive Muſica vocali immixtus, ſit
aut neceſſaria, aut ſaltem utilis pars cultus publici in Eccleſia: ſeu, an ſit aut
pars, aut actus religionis; ſaltem conditio, requiſitum, medium, adminiculum
religionis publice aut communiter in Eccleſia N. T. exercendæ, idque ex jure
Divino? Ut vero ipſe negative reſpondet; ita, pro ſtatuminanda ſua
ſententia, more & fide ſolita (hoc eſt Voetio-Punica) adducit varios
Theologos, Orthodoxos quaſi, qui ſibi hic ſint ὁμόψηφοι. Priuſquam
vero ipſum controverſiæ ſtatum definimus, ex re fuerit quoſdam ex his
Theologis adduxiſſe, quo tum pateat, qua fide Vir Rev. eos adduxerit,
tum etiam ut ſtatus controverſiæ ſecundũ illos convenienter conſtitui
queat. Inciperẽ à Calvino, niſi ipſe Nobil. D. Hugenius libelli ſui p. 73.
& ſeq. oſtẽdiſſet, eũ non ſimpliciter infeſtũ eſſe organis, ſed ſub hac ſolũ
hypotheſi, quatenus non faciũt ad ędificationem. Eoq; accedo proxime
ad Muſculum, qui ut à viro Rev. laudatur ex Comment. ad c. 14. ep. 1.
Pauli ad Corinthios, ſic ſequẽtia ſolummodo offendo ad verſ. 7. *Quo in*
uſu.

Digitized by Google

uſu tempore Pauli fuerint apud Corinthios tibia & cithara, non conſtat, ut opinor: notas tamen & uſitatas vulgo fuiſſe, ſatis ex illo patet, quod ab illis argumentatur hoc loco Apoſtolus. &c. (tuto hæc omitti poſſunt, quod reſpiciant varios uſus inſtrumentorũ Muſicorum inter diverſas gentes) *Non eſt autẽ ut hoc Apoſtoli loco defendamus delicias organorum muſicorum, templis Papiſtarum ſubintroductas, quas ſane nunquam probaſſent, ne Ethnici quidem, ſeverioris diſciplinæ ſtudioſi.* Danęus dein adductus ex Iſagog. part. 4. cap. 26. nihil, quod favere poſſit, habet, quam ſubſequentibus verbis continetur: *Apparet certe jam inde ab ipſis Apoſtolorum temporibus morem conſuetudinemque cantandi in Eccleſia fuiſſe publice receptum, non qualis quidem hodie eſt in Eccleſiis Papiſticis.* Beza in Theſibus quas propoſuit Lutheranis in Colloquio Monpelgardenſi, habito anno 1586. hæc habet: *Quod attinet ad Organa Muſica, Muſicen minime damnamus: ſed ubi cantatur harmonice quod mente non intelligitur, res ipſa oſtendit, quid inde conſequatur: nempe ut paulatim magna pars cultus Dei in cantiunculas mutetur, & non Dei verbo mentes paſcantur, ſed inanibus ſonis aures mulceantur.* Et deinde in Annotationibus ad notas Marginales Jacobi Andreæ: *Muſices abſit ut legitimum uſum, tum ad honeſtam oblectationem, tum inprimis ad canendas Deo laudes comparatum, reprehendamus. Sed neque talis oblectationis cauſſa ſacros habent conventus Chriſtiani, neque nobis unquam perſuaſerit, D. Andreas, ut ipſius monitis potius obſequamur, quam Apoſtolum audiamus, qui, ſi merito peregrinarum linguarum uſum abſque interprete in Eccleſiaſtico cætu prohibuit, multo minus ſonos illos Muſices Harmonicos, quibus aures ſolæ, iis quæ cantantur nullo modo, ne ab iis quidem qui cantant plerumq; intellectis feriuntur, in Eccleſia toleraſſet.* Perkinſus pariter productus in Probl. Theol. pag. 365. hęc ſolummodo habet: *Inſtrumenta Pneumatica ortum habuerunt circa ann. Dom.* DCLX. *Platina in Vitaliano. vel anno* DCCCXX. *Aimonus de geſtis Franc. lib. 4. cap. 114. Navarrus in lib. de Oration. & Horis Canon. cap. 16. ait, temporibus Aquinatis uſum Organorum nondum receptum fuiſſe. Cantus modulatio improbata eſt à Gregorio lib. 4. epiſt. 44. de geſtis Synodi habita in Urbe.* Piſcatoris verba in Obſervationibus ad Pſalmum XXXIII. ſunt *quæ ſequuntur:* In congregatione Eccleſiaſtica decet Deum laudare cantu. Sed quęritur, an in Novo Teſtamento ad cantum Eccleſiaſticum adhibenda etiam ſint inſtrumenta Muſica, ut adhibebantur tempore Davidis, & deinceps in Veteri Teſtamento? Ratio dubitandi eſt, quod ille canendi modus videtur fuiſſe pars pædagogiæ Moſaicæ. Reſpon-

deo: Quum talis canendi modus nuſquam à Deo præceptus ſit, nec vetitus, apparet natura ſua ἀδιάφορον eſſe. Sed interim videtur, Novo Teſtamento magis convenire cantus ſimplex vocalis: quippe ad quem ſolum Paulus hortatur fideles Epheſios, Epheſ. 5. verſ. 19. Item fideles Coloſſenſes, Coloſ. 3. verſ. 16. Nam etſi in dicto ad Epheſios utitur verbo ψάλλειν, quod ſignificat canere fidibus: tamen videtur & ſignificare cantum, quo Pſalmi ſacri canuntur ore. *Hactenus Piſcator.* Rivetus autem in Prolegomenis ad Pſalmos, ſic *commentatur*: Uſum Organorum pro re adiaphora habemus; quamvis ex Eccleſiis omnino ſublatum magis probarem, ne *veniant ad templa nonnulli, non tam religionis gratia, quam ut videant & audiant quod oblectet.* Quo nomine taxat gentes Lactantius Inſtit. lib. 2. cap. 7. & Eraſmus, magnum Bataviæ ornamentum, in annot. ad cap. 14. 1. ad Cor. conqueritur, operoſam quandam & theatricam muſicam in ſacras ædes fuiſſe inductam, qualem non opinatur in Græcorum aut Romanorum Theatris auditam unquam fuiſſe. Omnia tubis, lituis, fiſtulis, & ſambucis perſtrepere. Tolerari poteſt, quod in quibuſdam Eccleſiis Belgii Reformati, organa cantum communem populi dirigunt, ne ex multorum ignorantia oriatur diſſonantia. Cavendum tamen, ne, tali prætextu, iterum abuſus redeat. *Hæc quoque Rivetus.* Pareum, & Coppenium Theologos Palatinos, pariter à D. Voetio citatos, Organico cantui infeſtiores fuiſſe, nemo mirabitur, ſi obſervaverit eos membra fuiſſe illius Eccleſiæ, quæ Organa in univerſum è templis proſcripſerat. Idem exiſtimandum eſt de τοῦ ἐν ἁγίοις D. Altingio, quondam Collega, qui veſtigiis eorum utpote Collegarum ſuorum in Academia Heidelbergenſi inſiſtit, in Exegeſi Confeſſionis Auguſtanę: interim nunquam audivi, quod hic vir Reverendus, qui per plures annos fuit Senior Eccleſiæ Groninganæ, hujus praxin fuerit inſectatus: nam hic, à quo tempore publice recepta fuit Orthodoxa religio, Organum perpetuo direxit & ordinavit cantum Eccleſiaſticum. Ita viri prudentes pro diverſo loco & tempore de iis, quæ in ſe ſunt Adiaphora, diverſas opiniones fovere ſolent. Idem exiſtimandum eſt de Zeppero, in hac controverſia prę aliis ad ſuffragium vocato ab Authore Altaris Damaſceni, D. Voetii Hyperaſpiſte. Tilenum minus moror, quod cum ſcriberet illa, quæ non minus D. Voetio quam Authori Altaris Damaſceni arrident, ad ſtatum ſuæ vocationis in Academia Sedanenſi eadem compoſuerit; nullus autem dubito, quin Organorum,

norum, quæ antea improbaverat, cœperit eſſe fautor maximus, ex quo fermentatam Paræneſin ſcribere ſuſtinuit pro Hierarchico in Anglia regimine: mirandum autem ſummopere, quod D. Voetius huic Ecebolii ſocio aliquid tribuere ſuſtineat, quum virulentum ejuſdem ſcriptum contra Quinquarticulanos Synodi Dordracenæ articulos, uſq; ad opprobrium Authoris, ſatyrice, adhuc Eccleſiæ Heuſdanę duntaxat Miniſter, exagitaverit. Interim, ex ipſis hiſce Theologis, laudatis à D. Voetio, quatuor hæc conſectaria colligere licet. 1. Quod Organorum in concione ſacra uſus ſit Adiaphorus. 2. Quod iis non liceat uti ad aurium delicias, quemadmodum fieri ſolet in templis Papiſticis. 3. Quod horum Organorum uſus non ſit inſtitutus ab ipſo Chriſto, aut Apoſtolis ipſius: aut etiam receptus fuerit in primitiva Eccleſia. 4. Quod organa legitime poſſint tolerari ad moderandum cantum Eccleſiaſtici cœtus, futurum alias diſſonum. Principalis vero quæſtio eſt hæc: *An in Eccleſiis Reformatis Organa Pneumatica, graviter & convenienter ordinata, ſervire poſſint moderando cantui cætus Eccleſiaſtici, alias diſſonos modulos exhibere ſoliti?* Ad quam Quæſtionem ut affirmative reſpondeo; ita reſponſionem noſtram tam ſolide (præmiſſis tamen nonnullis) cum bono Deo aſtruam, ut ſimul omnibus D. Voetii argumentis æque ſolide reſponſurus ſim.

Nolo vero hic differere de laudibus Muſicæ tum vocalis, tum inſtrumentalis, ab aliis hoc ſæpius factum fuit, & minus ſcopo meo convenit. Qua occaſione Muſica inſtrumentalis in ſacris ipſius Veteris Teſtamenti recepta fuerit, ante omnia expendere convenit. Atque, ut Deus per Moſen ordinavit cultum Cæremonialem, ita tubas argenteas dedit ſacerdotibus, Num. 10. 1, 2. quibus convocabatur plebs ad concionem, principes ad conſultandum de Republ. ſimul iis ſignum dabatur ad movenda caſtra. Plebem convocantes utraque clangebant, Principes una: ſi vero eſſent movenda caſtra, clangebant cum vociferatione. Præterea in uſum anni Jubilæi Levit. 25. 9. ſonabat יובל *Iobel*, qui ſive fuerit tuba, ſive cornu arietis, ſive ſonus cujuſcunque cornu productior, ſive etiam productior tubæ clangor, noſtra non refert: interim videri poteſt conſultiſſimus linguarum Orientalium Fullenius lib. 4. Miſcell. cap. 8. Hoc certum eſt, ex ordinatione Dei per Moſen, qui integre cultum cæremonialem ordinavit, nullum uſum fuiſſe inſtrumentorum Muſicorum in ſacris populi Iſraëlitici. Primus David Rex, ſub finem regni ſui (ſeu, ut non male obſervat II.

Uſſerius

Uſſerius in Chronol. anno illius quadrageſimo) eum inſtituit. Quum enim eſſet *amœnus Pſalmis inter Iſraëlitas*, 2. Sam. 23. verſ. 1. conſtituit quoſdam *ad miniſterium muſicum in domo Dei*, 1. Chronic. 6. 31. qui *prophetarent*, (hoc eſt, omnia in Muſicis peragerent, ex præſcripto Davidis, qui iis, ut Propheta, Pſalmos præſcripſerat: ita enim hæc vox quoque accipitur Eſd. 3. verſ. 10. 11. 2. Chron. 29. verſ. 25.) *citharis, nabliis, & cymbalis*, 1. Chron. 25. verſ. 1. atque adeo *incumberent Muſica in domo Dei cum cymbalis, nabliis, & citharis ad miniſterium Dei*, verſ. 6. Ut vero hęc ordinatio uni Davidi eſt attribuenda, quare & dicitur Nehem. 12. verſ. 24. de Levitis cantoribus, quod *laudarent & celebrarent ex præſcripto Davidis, viri Dei*; ita ſimul audio Theologum, alias ſummum, Rainoldum Lect. 187. ad Apocryph. libb. quod David hoc fecerit ex ſingulari *præſcripto Domini & Prophetarum ejus*. Nam quanquam in confeſſo eſt, Davidem fuiſſe regem, atque ad illius officium ſpectaſſe, ut *in domo Dei omnia decenter & ordine fierent*, 1. Cor. 14. verſ. 40. atque ipſe de ſe ipſo ſic loquatur, Pſal. 119. verſ. 99. 100. *Omnibus doctoribus meis intelligentior fio, quia teſtimonia tua meditatio mea ſunt: ſenibus prudentior ſum, quia mandata tua cuſtodio*: ac proinde pro ſua experientia ſacra, canendi vices potuerit diſtribuere inter Levitas, quod judicaret hoc ſerviturum non minus ordini, quam Dei gloriæ; ex ſpeciali tamen revelatione, quæ facta fuerat ſuis Prophetis; hoc fecit, prout patet luce meridiana clarius ex 2. Chron. 29. verſ. 25. ubi de Ezechia loquitur Scriptura: *Reſtituerat autem Levitas in domo Iehovæ cum cymbalis, cum nabliis, & cum citharis ex præcepto Davidis, & Gadis videntis regii, & Nathanis Prophetæ: nam à Iehova præceptum illud erat per Prophetas ejus*. Nec tamen hoc nobis obeſſe, poſtea patebit, quod Muſica hæc inſtrumentaria haut magis typi rationem habuerit, atque ipſe ordo, quem inter Levitas Regius vates conſtituit. An vero hæc Muſica ſervierit ruditati populi Iſraëlitici, deinceps ſuo loco expendendum quoque erit.

III. Accedendo ad N. T. in eo non niſi pro exercitio privato fidelibus cantus injungitur. Patet ex omnibus locis, in quibus cantus fit mentio. 1. Cor. 14. verſ. 15. Apoſtolus de ſeipſo loquens dicit: *Pſallam ſpiritu, pſallam etiam intelligentia*. & Epheſ. 5. verſ. 18. 19. ita fideles, qui erant Epheſi, alloquitur: *Ne inebriamini vino, in quo luxus eſt, ſed implemini ſpiritu: loquentes inter vos* (ἑαυτοῖς) *pſalmis & hymnis & cantionibus ſpiritualibus, canentes ac pſallentes in corde veſtro, Domino*.

Simi-

Digitized by Google

Similiter ad Coloſſenſes loquitur cap. 3. 16. *Sermo Chriſti inhabitet in vobis copioſe cum omni ſapientia, docendo & admonendo vos* (ἑαυτὺς) *pſalmis, & hymnis, & cantionibus ſpiritualibus, cum gratia canendo in veſtro corde Domino.* Nec non Apoſtolus Jacobus cap. 5. 13. *Bono animo eſt aliquis pſallat.* Hæc omnia reſpiciunt Chriſtianorum exercitia privata, neutiquam vero illa, quæ peragenda erant in conventu Eccleſiaſtico. Prout recte vidit Petrus Martyr in Comment. ad cap. 14. Epiſt. 1. ad Corinth. diſputans enim de cantu Eccleſiaſtico, poſtquam adduxiſſet præcedentia Pauli verba ex Epiſtola ad Epheſios, hæc ſubjicit: *Ubi videas, Chriſtianos admoneri, ut ſibi ipſis & in cordibus ſuis canant. Ideo quoad ſacros cœtus, nihil inde evincitur.* Nec audio Bezam qui Eph. 5. ἑαυτοῖς, explicat, per ἀλλήλοις, ut ſenſus ſit inter vos mutuo, & reſpiciatur cantus in cœtu: quomodo & fallitur circa locum ad Coloſſenſes. Eoque cantus ſimplex in Eccleſia non quidem præſcriptus fuit ab Apoſtolo, ſed invaluit ex conſuetudine. Ut gnarum quoque erat Auguſtino. Inde apud eum legas lib. 10. Confeſſ. cap. 33. *Adducor cantandi conſuetudinem approbare in Eccleſia.* Receptus autem primitus fuit in Eccleſiis Orientalibus, ex Occidentalibus Mediolani ſecundum antiphonas cum primitus uſurpante Ambroſio. Teſtis eſt idem Auguſtinus lib. 9. Confeſſ. cap. 7. quo ut refert, quæ viderit Mediolani, ita hæc inter alia habet: *Tunc hymni & pſalmi ut canerentur ſecundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt: & ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac pene omnibus gregibus tuis, & per cætera orbis imitantibus.* Mos autem in Orientalibus Eccleſiis invaluit non diu poſt tempora Apoſtolorum. Teſtis eſt Plinius Junior, Bithyniæ & Ponti Pro-conſul, in famoſa illa epiſtola ad Trajanum, quæ eſt 97. lib. 10. quam reſpiciens Tertullianus in Apolog. cap. 2. ſic loquitur: *Plinius ſecundus, cum provinciam regeret, damnatis quibuſdam Chriſtianis, quibuſdam gradu pulſis, ita tamen multitudine perturbatus, quid de cætero ageret, conſuluit tunc Trajanum Imperatorem, allegans, præter obſtinationem non ſacrificandi, nihil aliud ſe de ſacris eorum comperiſſe, quam cœtus antelucanos, ad canendum Chriſto & Deo, & ad confederandam diſciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera ſcelera prohibentes.* En! ut mentionem faciat cantus, in antelucanis cœtibus frequentari ſoliti. Eodem reſpicit Hieronymus in Chronico Euſebii, quando ſic ſcribit ad annum MMCXXIII, qui decimus eſt Trajani: *Plinius Secundus quæſivit de*

Trajano, quid facto opus eſſet, nuncians ei præter obſtinationem non ſacrificandi, & antelucanos cœtus ad canendum carmen Chriſto ut Deo, nihil apud eos reperiri. Ita vero canebant, ut ſe invicem canendo provocarent. Unde Tertullianus in Apologet. cap. 39. poſtquam de Agapis dixerat, ſubjungit: *Poſt aquam manualem, & lumina, ut quiſque de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere.* Ac ſimiliter ſcribit in ſecundo ad Uxorem libro: Quod non modo faciebant in Agapis, ſed & ordinariis conviviis. Teſtis eſt Cyprianus lib. 2. epiſt. 2. (hæc eſt ad Donatum Epiſtola, è qua utpote culta & pexa Auguſtinus lib. 4. de Doctr. Chriſt. cap. 14. petit exemplum ſplendidæ & jucundæ dictionis) quando ita loquitur: *Sonet pſalmus convivium ſobrium: ut tibi tenax memoria eſt, vox canora, aggredere hoc munus ex more. Magis chariſſimos paſces, ſi ſit nobis ſpiritalis auditio, prolectet aures religioſa mulcedo.* Serius recepti fuerunt Pſalmiſtæ: quod eorum officium fuerit, refert Iſidorus, quando dicit lib. 2. de Eccleſ. Offic. cap. 13. *Ad Pſalmiſtam pertinet officium canendi, dicere benedictiones, pſalmos, laudes, ſacrificii reſponſoria, & quicquid pertinet ad cantandi peritiam.* & cap. ſuperiori illos refert ad antiquos illos Pſalmiſtas, qui *ſoli continuis diebus in templo canebant candidis induti ſtolis, ad vocem reſpondente choro.* Plurimi illi erant in Eccleſia, maxime Conſtantinopolitana, quorum præcipuus à Juſtiniano Novel. 3. vocatur πρωτοψάλτης, à Latinis *primicerius cantorum*, ut à pluribus jam notatum eſt.

IV. An, præter ſimplicem cantum, inſtrumentalis quoque in Eccleſia primitiva ex conſuetudine (prout alter quoque) receptus fuerit, inter viros doctos contenditur. Exulaſſe è templis vulgo contendunt probare ex Juſtino Martyre, qui quæſt. 107. à Gentib. propoſita ita loquitur interprete Perionio: *Canere non omnino pueros decet, ſed canere cum inanimis inſtrumentis, & cum ſaltatione & crotalis. Itaque ex templis exploſus eſt & ſublatus uſus inſtrumentorum ejus generis, aliorumque quæ pueris digna ſunt.* Ne jam dicam cum Poſſevino, non videri hoc opus centum & quadraginta ſex quæſtionum ad Juſtinum ut Authorem referendum eſſe: amplius, non ſimpliciter cantum Organicum in templis Juſtinus condemnat, ſed levem, laſcivum, atque ſuperſtitioſum; ideo dicit μετὰ ὀρχήσεως καὶ κροτάλων. Nam ad inſtrumenta Muſica veteres quoque Chriſtianos Dei laudes celebraſſe, teſtis locupletiſſimus eſt Prudentius, poëta Chriſtianus, in Apotheoſi verſ. 454. & ſeqq.

Quie-

Digitized by Google

Quicquid in ære cavo reboans tuba curva remugit;
Quicquid ab arcano vomit ingens ſpiritus hauſtu;
Quicquid caſta chelys, quicquid teſtudo reſultat;
Organa diſparibus calamis quod conſona miſcent;
Æmula paſtorum quod reddunt vocibus antra;
Chriſtum concelebrat, Chriſtum ſonat, omnia Chriſtum,
Muta etiam, fidibus ſanctis animata, loquuntur.

Imo perſuaſiſſimum habeo, hoc docuiſſe ipſum Apoſtolum Paulum ad Epheſios l. d. ſiquidem non modo dicit ἄδοντες, ſed addit ψάλλοντες, quæ ſane Synonyma haberi non poſſunt. Ita & Coloſſ. 3. meminit diſtincte ψαλμῶν, ὕμνων, καὶ ᾠδῶν. De quorum differentia ex antiquis conſulantur Hieronymus ad Eph. 5. & Chryſoſtomus ad Coloſſ. 3. ex recentioribus Beza ad poſteriorem. Quanquam vero Syrus Eph. 5. pro eodem habuit ᾄδειν καὶ ψάλλειν: differunt tamen, & Apoſtolus aliquid per ψάλλειν voluit innuere, quod non eſt ἐν τῷ ᾄδειν. Quid vero ψάλλειν ſit docebit tum ejus Etymologia, tum Gloſſarium, illud explicans. De illa ita Author Etymologici Magni: ψάλλειν, ἐπὶ τῶν χορδῶν τῆς λύρας, παρὰ τὸ ψῶ τὸ προσεγγίζω, ἢ παράγωγον ψαύω. Ubi expreſſe innuit, ψάλλειν idem eſſe, atque chordas Lyræ, aut alterius inſtrumenti Muſici pulſando leviter tangere. In Gloſſario vero hæc occurrunt: ψάλλω, *Nablizo*, *Pſalmizo*. ψαλτήριον, *Sambucum*. ψάλτης, *Nablio*, *Pſalta*. quæ abunde confirmandæ meæ opinioni ſerviunt.

Nec tamen in Eccleſia Chriſtiana, pro publico quaſi uſu, primis ſeculis recepta eſt Muſica organica. Fatentur ipſi Pontificii, titulo antiquitatis alias nimium quam addicti. Alios ne producam, unus Bellarminus inſtar plurium aliorum fuerit. Qui lib. 1. de bon. operib. cap. 17. ſub finem his verbis ſuam de Organis quaſi Eccleſiaſticis ſententiam *proponit*: Nos fatemur uſum inſtrumentorum muſicorum non ita convenire perfectis & imperfectis, & ideo in Eccleſia ſero admitti cœpiſſe: primum enim tempore Vitaliani Pontificis circa annnm Domini DC LX. Organorum uſus in Eccleſia eſſe cœpit, ſi Platinæ credimus; ſi vero fidem habere volumus Aimonio lib. 4. de geſtis Francorum, cap. 114. non ante Ludovici Pii tempora, id eſt, poſt annum Domini DCCCXX. Organa in Eccleſiis audita ſunt. *Hac Bellarminus*. Baronius σύγχρονος Bellarmino, atque ſi quis alius in Antiquitatibus Eccleſiaſticis verſatiſſimus, Organum ex Oriente in V.

Vuu 2 Occi-

Occidentem advectum fuiſſe teſtatur ad annum à C. N. 766. per legatos Conſtantini Copronymi, quo tempore in Gallia Synodum agitabat Pipinus. Hæc nos admittimus, atque ut admiſſa deprehendantur ſcopo noſtro ſervire, deinceps per diſtinctas aſſertiones convenit proponere, quod circa cantum non minus ſimplicem, quam Organicum, prout in cœtibus Eccleſiaſticis frequentatur, eadem ipſi Pontificii arguere ſoleant.

VI. Ergo, referente Bochello lib. i. Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ, Concilium Bituricenſe, celebratum in Galliis anno 1584. ita ſtatuerat: *Creſcente Eccleſia canendi & pſallendi ritus publice, primum in Orientalibus, demum in Occidentalibus Eccleſiis, receptus eſt, & obſervatus: ad movendum & excitandum præſertim languentium & torpentium animorum affectum.* Atque Concilium Senonenſe jam anno 1528. ſic decreverat: *In Eccleſiis, prætextu Muſici cantus, non ſunt audiendæ publicæ cantilenæ, & laſcivæ.* Et iterum in Concilio Burdegalenſi anni 1582. *Ab organis, & omni Eccleſiaſtico cantu, quavis Muſica, laſcivum quippiam & vulgares cantilenas, aut levitatem, ſimileſque ineptias referens, omnino arceatur: ſed gravis ubique ſit, & divinis laudibus accommodata; ut ea circumſtantium fidelium animi, ad majorem pietatem, devotionem, ac religionem inardeſcant.* Synodicis hiſce decretis aſtipulantur ipſi Pontificii Doctores, illi ſaltem in quibus vel mica ingenui pudoris ſuperfuit. D. Rivetus Cathol. Orthod. tom. 2. qu. 36. præter Cajetanum produxit Lindanum, Ruremundanum Epiſcopum lib. 4. Panopl. cap. 78. graviter hæc inſectantem, atque ſerio deplorantem, inter alia hęc proloquendo: *Unde illarum* (ait) *magis admiror conſtantiam Eccleſiarum, quæ iſtum prævidentes divini cultus abuſum, ſemel muſicam illam choro maluerunt excludere, uti Trajectenſis & quod audio Lugdunenſis: quam illarum* (reſpicit alias Eccleſias) *veneror magnificam, quam ipſi putant & jactant adeo majeſtatem, qua Dei chorum omni phonaſcorum ſyntagmate, vocum omnis generis diſcrimine, imo & tubarum clangore, cornutorum ſtridore, alioque ſtrepitu vario, ne quid prætermittere videantur, quod cantici verba ſemel obſcuret, ſenſumque ſepeliat & obruat, ſibi præclare videantur impleſſe.* Aſtipulatur ipſe Bellarminus: ſcribens enim in Pſal. 46. hęc inter alia ſubjicit: *Significatur per vocem, Sapienter, ut Auguſtinus & Chryſoſtomus admonent, ut qui Pſalmos canit, intelligat quod canit, & ex intelligentia myſteriorum moveatur affectus pietatis in Deum: in qua re videtur hoc tempore non leviter peccari ab iis, qui officium canendi in Eccleſia ſuſceperunt.*

runt. Et clarius adhuc, circa Titulum ejuſdem Pſalmi, mentem ſuam explicat quando dicit: *Titulus admonet filios Core, quibus dabatur Pſalmus cantandus, ut intelligant quæ canunt, & ut auditores intelligere faciant. Quæ Admonitio cantoribus Eccleſiaſticis memoriæ commendanda eſt. Cantus enim in Eccleſia ſpiritui deſervire debet, & non ſoli aurium oblectationi. Nam ſicut qui intelligenter & devote canunt, animos audientium rapiunt, ita qui Theatrales modulos in Eccleſiam invehunt, de domo Dei, ſcenam mundi faciunt.* Hæc vero admonitio non minus concernit Muſicam vocalem, quam Inſtrumentalem: ratione cujus ſi ipſi Pontificii culpent omne illud, quod ſcenam redolet, næ pariter quoq; idem multo magis Reformatis diſplicere debet. Nam, ſuo jam ſeculo, recte Hieronymus, commentans in cap. 5. ad Epheſ. ſcripſit: *Audiant* (inquit) *adoleſcentuli, audiant quibus officium eſt in Eccleſia pſallendi, ne in morem Tragœdorum dulci medicamento fauces & guttur illinant, & ne theatrales moduli audiantur in Eccleſia.*

Ipſius autem Muſicę vocalis ratione plura adhuc alia pręcavenda ſunt, quę pręaliis tangit Martyr ad cap. 14. ep. 1. ad Corinth. *ſic ſcribens*: Fuit antiquitus in Eccleſia munus infimum, plebi, pſalmiſtæ, & lectori delegatum: nunc vero ſupremas videtur partes obtinere. Alterum præterea cavendum eſt vitium, ne (*cantus ſcil.*) majores & meliores partes divini cultus occupet. Quod fit, ubi nimius habetur, ita ut doctrinæ ac inſtitutioni jam quodammodo locus non pateat. Nam hodie ſæpe videmus fieri in magnis ſolemnitatibus, ut propter multas cæremonias & prolixam muſicam, conciones differre oporteat in meridiem, ubi homines ſomniculoſi ſunt, & parum attenti. Adhæc videndum, ut cantus non ſit adeo fractus & confragoſus, ut perceptionem ſententiarum impediat. Neque etiam committendum eſt, ut cantoribus tanta ſtipendia dentur, ut opes exhauriantur, quas & miniſteriis utilioribus, & pauperibus, impendere oporteret. *Hæc Martyr.* Ut hæc autem præcaveri debent; ita alia, à parte cantus, (de objecto illius nolo jam dicere) ut legitime inſtituendi, monente ipſa quoque Scriptura, obſervari debent. 1. Præcipuum cantus inſtrumentum debet eſſe cor, prout patet ex locis Epheſ. 5. & Coloſſ. 3. ſuperius jam productis. Non quaſi lingua muta eſſe debeat; ſed quod cordis præparatio præcedere debeat linguam, in Divinum aliquod Canticum erumpentem. Inde regius Pſalmiſta, quotieſcunque ſe ad canendum accingit, non ſolum vocem parat, aut lyram; ſed

VII.

cor præ iſtis, & ante iſtas. Inde dicit Pſal. 57. verſ. 8. 9. *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; cantabo, & pſalmum dicam Domino: Exurge pſalterium, & cithara*, &c. & Pſal. 71. verſ. 22. 23. *Celebrabo te inſtrumento Nablii, pſallam te cithara, ô Sancte Iſraëlis, cantabunt labia mea, quando pſallam tibi, & anima mea, quam redemeris.* Sic ſimul corde canebat beata Virgo, quum in hæc verba prorumperet: *Magnificat anima mea Dominum, & exultat Spiritus meus in Deo ſervatore meo.* Convenienter Bernardus ſerm. 52. de modo bene vivendi: *Cum in conſpectu Dei* (inquit) *cantas pſalmos & hymnos, hoc tracta in mente quod cantas in voce; non aliud cogites, aliud cantes. Si aliud cantas in mente, & aliud cantas in voce, perdis fructum laboris tui. Si corpus tuum ſtat in Eccleſia, & foris vagatur mens tua, perdis mercedem tuam. Unde dicitur: populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Sicut enim ait Apoſtolus: Pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Cantabo ore & corde. Bonum eſt etiam cum ſono vocis, & hymnis, & pſalmis, & canticis ſpiritualibus glorificare Deum. Sicut orationibus juvamur; ita Pſalmorum modulationibus delectamur.* 2. Ut autem quis corde cantare queat, cor ante omnia expurgatum eſſe debet. Qui enim corde impuro Deo canere præſumunt, in illos quadrat illud Bernardi, de interiori domo, cap. 50. *Cantas, ut placeas populo magis quam Deo; frangis vocem, frange voluntatem; ſervas conſonantiam vocum, ſerva & concordiam morum.* 3. Si quis corde ſic compoſito cantet, aliter fieri non poteſt, quin pariter affectus ejuſdem ad cantum componantur, atque per eum mirifice aliquando afficiantur. Teſtis de ſemetipſo Auguſtinus, ita loquens lib. 9. Confeſſ. cap. 6. *Quantum flevi in hymnis & canticis tuis, ſuave ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter? Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabant affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Obſervatu quoque dignum eſt, quod refertur de Thoma à Kempis in vita illius: *Dum pſalleret* (dicitur) *vultu ſemper in cœlum ſublato, ſacro Enthuſiaſmo afflatus, dulcedine nimirum Pſalmorum incredibili captus, & extra ſe raptus advertebatur: ſic ut nonnunquam calcibus non terræ hæreret infixus, ſed ſummis duntaxat pedum digitis ſolum contingens, reliquo corpore in cœlum ſubvolare, ubi animo & deſiderio agebat, meditaretur*, &c. 4. Quo commovendis affectibus cantus ſerviat, illud, quod canitur, debet intelligi ab illo, qui canit: atque hoc eſt *canere intelligentia*, prout ſupra vidimus ex Apoſtolo 1. Cor. 14. in Græco eſt ψάλλειν τῷ νοΐ. Reſpice-

re

re videtur Apoſtolus ad Pſalmum, 47. verſ. 8. Ubi dicitur *Pſallite* מַשְׂכִּיל, quod licet aliter accipiant, recte tamen expoſuiſſe videntur LXX. ſenes, per συνετῶς, ſive *intelligenter*: quaſi innuere voluerit Pſalmiſta, ita canendum eſſe, ut cantus intelligentiam adferat tum canenti, tum audientibus. 5. Providendum cum primis ne precationes, quas ſubinde David ut Propheta, dirigente eum Dei Spiritu, in Dei inimicos vibravit (nominatim Pſalm. 35. 69. 109.) applicemus inter canendum, ex animi malignitate noſtris inimicis. Hic ſiquidem valet Chriſti dictum, Luc. 9. verſ. 55. *Neſcitis cujus ſpiritus ſitis.* 6. Cantus debet fieri ἐν χάριτι, ut loquitur Apoſtolus ad Coloſſ. 3. Quanquam vero hoc quidam ſic intelligunt, ut cantus fieri debeat cum gratiarum actione, atque ſic Apoſtolus idem voluerit dicere, quod dixerat Epheſ. 5. verſ. 19. Rectius tamen cum Theophylacto hoc ſic expoſueris, quod *in gratia*, idem ſit atque *cum gratia & venuſtate.* & ſic χάρις ἀντὶ χαρᾶς accipitur, hac eadem Epiſtola cap. 4. 6. 2. Corint. 1. verſ. 15. Epheſ. 4. verſ. 29. 2. Theſſ. 2. verſ. 16. Atque, ut publicus in Eccleſia cantus gratioſus foret, in primitiva quoque Eccleſia, conſtitutis ad hoc choris, proviſum fuit. Originem primam tangit Suidas, ita loquens: χορὸς τὸ σύστημα τῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ᾀδόντων. διῃρέθησαν δὲ οἱ χόροι τῶν ἐκκλησιῶν εἰς δύο μέρη ἐπὶ Κωνσταντίου τοῦ υἱοῦ Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου, καὶ Φλαβιανοῦ ἐπισκόπου Ἀντιοχείας, διχῆ τοὺς Δαβιδικοὺς ψαλμοὺς ᾄδοντες. ὅπερ ἐν Ἀντιοχείᾳ πρῶτον ἀρξάμενον, εἰς πάντα περιῆλθε τῆς οἰκουμένης τὰ πέρατα. *Chori, ſive cœtus canentium in Eccleſiis, in binas partes diſtincti ſunt, ſub Conſtantio Conſtantini M. filio, & Flaviano Epiſcopo Antiocheno, biſariam Davidicos Pſalmos canentes: quod Antiochiæ primum cœptum, poſtea in omnes mundi fines exivit.* Inde Patres ſæpe choros pſallentium nominant. Speciatim Chryſoſtomus Hom. 14. ad 1. Timoth. ubi etiam nocturnorum hymnorum meminit, in Monaſteriis cantari ſolitorum à Monachis, qui à Præſide ſuo excitati è ſomno conſiſterent in templo τὸν ἅγιον συστάμενοι χορόν. Qui cantus licet publice fuerit receptus, pluſculum tamen artificii habet. Eoque mihi placeret cum primis quod de Athanaſio Epiſcopo Alexandrino refert Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. cap. 33. *his verbis*: Tutius (*inquit*) mihi videtur, quod de Alexandrino Epiſcopo Athanaſio ſæpe mihi dictum commemini, qui tam modico vocis flexu, Lectorem Pſalmiſonare faciebat, ut pronuncianti vicinior eſſet, quam canenti. Verum tamen, quum reminiſcor lachrimas

meas,

meas, quas fudi ad cantus Eccleſiæ tuæ, in primordio recuperatæ fidei meæ, & nunc ipſo eo commoveor, non cantu, ſed rebus quæ cantantur, cum liquida voce & convenientiſſima modulatione cantantur, magnam inſtituti hujus utilitatem rurſus agnoſco. Ita fluctuo inter periculum voluptatis, & ſalubritatis experimentum, magiſque adducor, non quidem irretractabilem ſententiam proferens, cantandi conſuetudinem in Eccleſia probare, ut per aurium oblectamenta infirmior animus in affectum pietatis aſſurgat: quum tamen mihi accidat, ut me amplius cantus, quam res, quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem. *Hac Auguſtinus.* Quo tamen gratia cantui Eccleſiaſtico, atque ſi ita loqui liceat, Veneres procurari poſſent, conſtituit primitiva Eccleſia Pſalmiſtam, de quo jam antea egimus. Illius officium erat, operam dare, ut cantus harmonicè & convenienter procederet. Non improbandum eſt, quod habet Baronius Tom. I. Annal. ad annum LX. *Sed quoniam* (inquit) *imperitia canentium ſæpius accidebat, ut harmonicum* &c. *Eccleſiaſticæ dignitati congruentem cantum incompoſito vocum ſono corrumperent; (in quos jure Chryſoſtomus declamat;) neceſſariò Eccleſiaſticis legibus proviſum eſt, ne præter cantores, ad hoc opus aſſcriptos, quique pulpitum aſcendunt, & de Codice legunt, quis in Eccleſia legeret.*

VIII. Si ergo cantus modulatus in Eccleſia receptus fuerit, atque ἐν χάριτι inſtitui debeat, moderante illum Phonaſco, ſeu Præcentore, atque is, in majoribus maxime templis, ſecundum modulationem quam inſtituit, ab omnibus exaudiri non poſſit, quo idem finis obtineatur, neutiquam peccabitur, ſi Organum Muſicum grave atque minime voluptuoſum, pro eodem fine conſequendo, adhibitum fuerit. Tale cenſetur eſſe Organum Pneumaticum, in Reformatorum multorum templis pulſari quoque ſolitum. Cui non admodum diſſimile fuiſſe videtur, quod deſcribit Hieronymus Tom. 9. epiſt. 18. ad Dardanum ſic de illo loquens: *Ex duabus* (inquit) *elephantorum pellibus concavum conjungitur, & per duodecim fabrorum ſufflatoria comprenſantur, per quindecim cicutas æreas, in ſonitum nimium, quem in modum tonitrui concitat: ita ut per mille paſſuum ſpatia ſine dubio, ſenſibiliter utique, & amplius audiatur. Sic apud Hebræos de Organis, quæ ab Ieruſalem, uſque ad montem Oliveti, & amplius ſonitu audiuntur, comprobatur.* Falſi ſunt, qui exiſtimant Juvenalem Sat. 6. hujus ordinis Organa reſpicere. Hæc quidem apud eum lego:

Si

Si gaudet cantu: nullius fibula durat,
Vocem vendentem Prætoribus: organa ſemper
In manibus: denſi radiant teſtudine tota.

At neutiquam hęc conſentiunt cum Hieronymi Organo: multo minus cum noſtro. Non inconvenienter enim vetus Scholiaſtes, quiſquis fuerit: *Organa dicit citharas eorum, quos amant.* Ut enim in præcedentibus Poëta egerat de Cithara, ita huic Organi nomen aptare potuit. Iſidorus lib. 3. Origin. *Organum*, (inquit) *vocabulum eſt generale vaſorum omnium muſicorum. Hoc autem cui folles adhibentur, alio Græci nomine appellant. Ut autem Organum dicatur: magis ea eſt vulgaris conſuetudo Græcorum.* Nec putarim, Veteribus inſtrumentum Muſicum, per omnia Organo moderno reſpondens, cognitum fuiſſe: ut hactenus non male judicat D. Voetius Th. I. Ut ut ſit interim, nulla ratio obſtat, cur Organum modernum in grandioribus maxime templis non poſſit ſervire moderando cantui, futuro alias diſſono, maxime ſi auditores ſono illius aſſueverint, atque abſque illo confuſe canant. Si enim Muſica Eccleſiaſtica putatur ad ædificationem convenienter inſtitui, ſecundum modulos Muſicæ artificialis, eoſque varios, & ſæpe nimium quam difficiles, atque monente ipſa Scriptura canere oporteat ſecundum gratiam: rationi equidem conſonum per omnia eſt, ut inſtrumentum Muſicum nihil habens laſcivi (quale eſt Organum noſtrum) illud agat, quod minus convenienter & decore præſtari poſſit à Phonaſco. Atque hic genuinus Organorum in templis uſus eſt, ut recte notavit Nob. D Hugenius, qui multiplicē eorum abuſum, in Eccleſiis maxime Belgicis receptum, admodum pathetice exagitat. Inter Reformatos Theologos, idē antea egerat vir ſuo ſeculo ſummus Martinus Bucerus, in ſuo Cōmentario ad Pſalmos, edito ſub nomine Aretii Felini; commentans enim in Pſalm. xxxiii. *hac inter alia habet*: Recepit ante paucos annos Eccleſia, ad ſacros hymnos varia Muſices Organa, ſed utinam ita ut David omnes uterentur, nimirum non ad inanem oblectationem aurium, ſed, &c. ad ſedandum quod animæ harmoniam turbat, ad excitandum ipſam, quo expeditior & ferventior beneficia Dei conſideret, religioſis affectibus accenſa. Hoc ſi ſtuderetur, verborum oportebat primam curam haberi, & horū tantum gratia ut vocum, ita & organorū modos, nēpe, quo & penitius expenderentur, & majore ardore cū audirentur, tū dicerentur, adtemperari. Jam partem ſacrarum cantionū omittimus, auſcultantes modulis Organorum: quod tamen

Xxx ferri

ferri poterat, eo quod interim ſacra verba, mens modulatione illa excitata, apud ſevolvere poſſit, ſi ea modulatio ſic inſtitueretur, ut verborum perpenſionem acueret, & intenderet. Sed quod dictu horrendum, paſſim obtinuit, ut Eccleſiarum muſici, pro ſacris hymnis, ſpurciſſimarũ cantionum melos in organis modulentur, quibus non ſolum inani, ſed pernitioſa ſimul, voluptate lenones & lenę oblectantur, & integriores adhuc animi ad libidinem proliciuntur. O impia ſupinitas, ad hæc non ſummopere conſternari & perterreſieri, quicunq; Chriſto nomen dederunt, nedum Eccleſiarum proceres! Sub nomine enim Jeſu Chriſti crucifixi, in loco illi ſacro, in cœtu illorum, quos ille ſanguine ſuo redemit, pro ſalario, quod pro ipſius cultu perſolvitur, nihil aliud quam Veneri ſacrificari, caſtas ſanctorum aures ac mentes prophanari, titillari quoſque perditiſſimos. *Hactenus Bucerus.*

IX. Nec tamen contendero neceſſarium eſſe, ut in Templis ſint Organa. Ubi enim aſſuevit populus abſque illis canere, nec infeliciter, parci poteſt ſumtibus, qui plus quam ordinarii requiruntur, tum in ipſum Inſtrumentum Muſicum erogandi, tum eum, qui illud pulſat. Abſonum vero mihi videtur, ut majori ſalario conducatur opera alicujus Muſici, eô, quod ſcite Organum pulſare queat, quam verbi Divini miniſtri, cæteroquin docti & pii. Uſum Organi adiaphorum reliquero, ſecutus judicium venerandæ Synodi Zuyt-Hollandiæ habitæ Delphis anno 1638. art. 50. Cæterum ubi Organum in templo jam conſtitutum, nefas omnino eſt, eo abuti. Abuſus varios, eoſque enormes notavit Nobiliſſ. D. Hugenius in ſuo libello, aliquoties laudato. Probroſum autem modulos profanos, carnalique voluptati excitandæ duntaxat ſervientes, exprimere. Nec ferendum, ut demum pulſetur, quando concio ſacra dimittitur, ob uſum politicum. Indignatur eo nomine ipſe Zepperus lib. 4. de Lege Moſaica cap. 9. adductus quoque ab Authore Altaris Damaſceni pag. 494. *In quibuſdam* (inquit) *Eccleſiis reformatis Organa illa retinentur, non autem niſi omnibus cultus divini partibus peractis, & demiſſo cœtu Eccleſiaſtico, pulſantur ad finem Politicum, propter illos, qui ex hoc ſono & numeris oblectationem quandam quærunt, quibuſque huic inſtrumentali Muſica intereſſe libet.* Fateor quidem, templis noſtris nullam per ſe competere ſanctimoniam; interim tamen, cum ſint uſui ſacro deſtinata, & Chriſtiani in iis compareant, ut rationabili ſuo cultu defungantur, non ſunt deſtinanda uſibus profanis, nec etiam, niſi forte neceſſitas urgeat, uſibus civilibus.

Probo

Probo hactenus quod habet Bernardus ſerm. 1. in Dedic. Eccleſ. adductus quoque à D. Hugenio: *Quid lapides iſti (inquit) ſanctitatis habent? habent utique ſanctitatem, ſed propter corpora veſtra. An vero corpora veſtra ſancta eſſe quis dubitet, quæ Templum Sancti Spiritus ſunt, ut ſciat unuſquiſque vas ſuum poſsidere in ſanctificatione? Itaque ſancta ſunt animæ propter inhabitantem Spiritum Dei in vobis: ſancta ſunt corpora propter animas; ſancta eſt etiam propter corpora domus.* Eoque minime ferendum, ut templum transformetur in λέσχην, (ſic Græci vocare ſolent locum, in quem confabulandi gratia homines otioſi veniebant) atque congerronibus, ſi non pejora agentibus, delitiæ Organi exhibeantur, non ſonantis cantiones quidem ſacras, ſed ſæpe profanas, ſi non verniles quoque. Si templum habeat Organum, ſimul illi præfectus ſit peritus moderator, & certe uſui commodiori deſtinari non poteſt, quam ut moderetur cœtus Eccleſiaſtici cantum. Eoque non improbandum inſtitutum Eccleſiæ Leydenſis, quæ ante annos non ita multos, Organa, abrogato uſu minus ſacro, pſalmos & Dei laudes ſonare compulit. Nec tamen (ubi populus ſcite canere ſolitus eſt) ſuaſerim, ut Organum introducatur: ne putetur canentium attentio & devotio alia non eſſe, quam quatenus ab inanimato Inſtrumento Muſico dirigitur. Quod ipſum iteratò repeto, atros invidię dentes veritus. Hanc noſtram ſententiam hactenus ſic deductam, tam æquam & moderatam eſſe exiſtimo, ut, ratione rei in ſe adiaphoræ, commodior ne quidem excogitari poſſit.

Cæterum nihil hactenus egerimus, niſi pariter reſponderimus ad ar- X.
gumenta D. Voetii. Ea vero non admetitur ſolū Lectori credulo, manipulo, ſed modio, imo trimodio: atque, ut videātur magis terribilia eſſe, diſtributa quaſi per legiones, in aciē producit. Numero enim argumenta directa, rationes indirectas, & ab abſurdo, item argumēta indirecta, κατ' ἄνθρωπον, & Authoritates. Singulas claſſes luſtrabo, imo & ſingula argumenta, in quaque claſſe occurrentia. Ergo. I. *Argum.* directum occurrens Th. IV. hoc eſt: *Chriſtus & Apoſtoli, aut Apoſtolica Eccleſia, tali Muſica non ſunt uſi, nec docuerunt ea uti, ad majorem devotionem, aut perfectionem aliquam cultui Eccleſiaſtico adferendam.* Reſp. Sed pari ratione concludat vir Rever. Eccleſiam non debere habere templa, minime quæ ritu Papano ſunt ordinata: iis ſiquidem non modo caruit Eccleſia tempore Apoſtolorum, ſed aliquot quoq; ſeculis poſt. Adhoc certum eſt, Chriſtianos ſincera devotione, & infucata pietate magis

Digitized by Google

conſpicuos fuiſſe, quo tempore conventus ſuos agitabant, ſive in privatorum ædibus, ſive etiam in ſpeluncis. Ratione externorum Eccleſiæ rituum, reliquit nobis Chriſtus, per Apoſtolum Paulum, hanc generalem regulam, 1. Cor. 14. verſ. ult. *Omnia decenter & ordine fiant.* Conveniens autem judicarunt quædam Eccleſiæ Orthodoxę, ut cantum moderetur Organum Pneumaticum. Quid hic peccatum? II. *Argum.* his verbis proponitur: *Quia non tantum non excitat, auget, & confirmat ſpiritualem & rationalem animi devotionem ac cultum; ſed contra ea impedit, frangit, diſpargit, emollit & infirmat; dum animi vires & intentionem, per inſenſibilia illa, ad ſenſibiles & inferiores delectationes abducit.* Reſp. Conceditur de Muſica illa molli, & nimis quam artificioſa, quæ in Papatu, adhibitis variis inſtrumentis Muſicis exercetur, neutiquam vero de illa, quam ſecundum cantum gravi modulatione exhibet Organum. De illa ſolummodo locutus fuit Cajetanus, cujus authoritatem deinde vir Rever. oſtentat. III. *Arg.* eſt hoc: *Quicquid in cultu publico nec ædificat, nec aptum eſt ædificare Eccleſiam, illud non eſt adhibendum: quamvis in ſe eſſet præſtantiſſimum: ſed talis eſt Muſica organica; Ergo. Probatur Major ex* 1.Cor.14.12.16.17.19.26. *Probatur minor, quia dum organum aut ſolum aut per antiphonas canit, non intelligit Eccleſia aut moderationem* πολύφωνον *aut verba ſacra, quibus modulatio illa dicitur aptata, & conſequenter non poteſt dicere Amen.* Reſp. Majorem concedimus abſolute. Non æque tamen minorem: quæ licet militet adverſus Papanos, nimis quam delicatum cantum per choros canentium in Templis ſuis exhibentes, dum plebs interim conticeſcit: non tamen Organo, pro quo hic dicimus, applicari poteſt: hoc enim moderatur vocem canentium. Eoque ſi licitum eſt in cœtu fidelium ſecundum artem pſalmos canere, cur non Organum in gratiam rudiorum & Muſicæ imperitorum, poſſit præformare modulos, inter canendum obſervandos? Atque ut ſtatuitur non turbari aſſa voce canentium devotio, ſi inter canendum ad modulos Muſicos ex artis præſcripto attendant: ſic pariter exiſtimandum eſt, neutiquam promiſcuæ turbæ devotionem turbari, quando Organum præeundo illi oſtendit, quomodo cantum rite ſecundum leges inſtrumentalis Muſicę componere debeat. Si debeat ſimpliciter admitti quod pro ſua Minori vir Rev. adducit, cantus per Davidem ab ipſo Deo præſcriptus adhiberi non debuiſſet. Quicquid etiam vir Rev. exiſtimet, haud falſum Bernardum fuiſſe cenſeo, quum lib. de modo bene viv. ſic ſcriberet: *Quamvis dura ſunt corda ſecularium homi-*

Digitized by Google

hominum, ſtatim ut dulcedinem Pſalmorum audierint, ad amorem pietatis convertuntur. Sunt multi, qui ſuavitate Pſalmorum compuncti, peccata ſua lugent. IV. *Argum.* ſic proponitur: *Quicquid fertilis occaſio eſt multorum malorum, & obnoxium multis abuſibus; illud in cultu publico non eſt adhibendum, ſiquidem ſit adiaphorum, aut ſaltem per ſe non neceſſarium aut ita utile: Sed tali eſt Muſica Organica.* Reſp. At, cur ergo connivetur ad tam enormes Organi abuſus? ſiquidem apud ipſos reformatos, in templo ſacris exercitiis deſtinato, fere ſervire ſolet oblectandis hominibus hujus ſeculi, interea aut obambulantibus, aut ſimul etiam de rebus hujus ſeculi ſecure confabulantibus. Abuſus qui facile præcaveri poſſunt, nulla ratione uſui rei alicujus legitimo quicquam derogare poſſunt.

Succedit ſecunda acies viri Reverendi, complectens rationes indirectas, petitas ab abſurdis conſequentibus, inter quas hęc I. *Quia redolet Iudaiſmum, ſeu cultum peculiarem infantilem, & OEconomicum V.T. & pari jure poſſet in Eccleſias N.T. introduci tintinnabula Aaronis,* Exod. 28. 34. 35. *tubæ argentea ſacerdotum,* Num. 10. 2. 3. *cornua Iobel,* Lev. 25. 9. *cythara, nablia, cymbala, cum Levitis cantoribus,* 1. Paral. 25. 1. 6. *atque adeo univerſus cultus œconomicus.* Reſp. 1. Notandũ probe eſt, neutiquam Deum per Moſen, qui tamen legem Cæremonialem tulit, præſcripſiſſe uſum Muſicæ inſtrumentalis: ſed eum introduxiſſe Davidem ex ſpeciali Dei mandato, prout ſupra vidimus. 2. Certe, ego putarim, Iſraëliticum populum tempore Moſis magis egiſſe ætatem infantilem, atq; tempore Davidis: adeo ut fruſtra ſit vir egregius, quando commentatur de Iſraëlitarum cultu infantili. 3. Quæcunque obſervata fuerunt circa cultum ſacrum, ab Iſraëlitis, non pariter ſunt abrogata: ſed eatenus duntaxat, quatenus fuerunt Typica. Alias pariter intuleris Chriſtianis haut fas eſſe, habere templa, aut candelabra penſilia pro uſu nocturnorum ſacrorum. Quæ ſerviunt commoditati exercitii ſacri, cenſenda ſunt communia eſſe Iſraëlitis & Chriſtianis. II. Ratio his verbis comprehenſa eſt: *Quia eſt κακοζηλία Ethnica & cũ eorum cultu convenit. Quod abſurdũ. Gentiles enim ut ludos & ſpectacula, ſic & Muſicã immiſcebant ſuis ſolẽnitatibus & ſacris.* Reſp. 1. Idẽ Davidi quoq; objici potuiſſet. 2. Ut diabolus amat eſſe Dei ſimius, ſic Gentilibus varios ritus, in ſacris quaſi ab iis obſervandos, cũ ridiculo ſæpe auctario præſcripſit, quod ordinati eſſent ab ipſo Deo, quẽ ſperabat ſe hac ratione poſſe proſtituere. 3. Non omnia quæ Gentiles fecerunt, mox ſunt improbanda: ſiquidem multa fecerunt ex legis Naturalis prȩſcripto, quȩ bonũ donũ Dei eſt. 4. At ea XI.

exemplo Gentilium fieri non debent, quæ aut conjuncta ſunt cum Dei profanatione, aut cum carnis laſcivia. Quod & Petrus docet, quando priori epiſtola cap. 4. verſ. 3. ſic loquitur: *Sufficit vobis præterito vitæ tempore, quæ libent Gentibus, perpetraſſe, incedendo in laſciviis, cupiditatibus, vinolentiis, comeſſationibus, compotationibus, & nefariis illis ſimulacrorum cultibus.* III. Sic pergit vir Rever. *Sequeretur, & multa alia ſenſibilia & carnalia, in gratiam aliquorum carnalium aut rudium, qui illis afficerentur, in publicum cultum introducenda; tripudia ſcil. theatra, ludos, & quæcunque aurium, ac oculorum, oblectamenta.* Reſp. 1. Non ſequitur: atque jam antea cavimus accurate, ne cantus ulla ratione ſerviat demulcendis auribus. 2. Quod ſi, ratione habita modulorum Muſicorum, (eſt notiſſimum) multi pſalmi in Eccleſiis Belgicis decantantur ſecundum modulos cantilenarum alias profanarum, cur pariter modulos illos (ne cantus evadat diſſonus) Organum moderari non poteſt? Aut enim moduli artificiales à Pſalmis abeſſe debent, (maximè tales) aut etiam Organum tales modulos ordinare poteſt. IV. *Sequeretur* (dicit) *Eccleſiam & Apoſtolicam & antiquam per tot ſecula fuiſſe minus devotam, aut ſaltem minus attentam ad excitandam auditorum ſuorum, præſertim rudiorum & infirmiorum, devotionem.* Reſp. 1. Cogitandum fuiſſet, primitivam Eccleſiam Apoſtolicam longo tempore ſub cruce ingemuiſſe, nec omnia, propter perſecutiones, potuiſſe circa exercitium cultus publici uſurpare. Quare longo tempore templis quoque caruit, quæ ſubſequentibus ſeculis ut rite atque ordine ſunt extructa, ita illa, hoc adhuc tempore, convenienti Eccleſiarum, Orthodoxarum quoque, uſui ſerviunt. 2. Pari ratione vir Rev. contendat Eccleſiam Latinam deformatam fuiſſe per Ambroſium, quando in eam introduxit cantum alternum, innuente ipſo Auguſt. lib. 9. Confeſſ. cap. 7. atque multo ante Eccleſiarum Græcarum devotionem obtorpuiſſe, ab iis ſiquidem Ambroſius cantum hunc, cujus & meminit Baſilius Magnus Epiſt. 63. accepit. 3. Exiſtimem vero Organum, ſerviens moderando ſimplici cantui cœtus Eccleſiaſtici, potius recipiendum eſſe, quam Antiphonas. V. Ita vir Rev. progreditur: *Sequeretur exercitia pietatis publica ſeu Eccleſiaſtica (inter quæ eſt doxologia, ſeu laudatio Dei per pſalmos & hymnos) poſſe fieri ſine Eccleſia, & reſtringi ad certas quaſdam perſonas, ad id peculiariter quaſi deputatas & conſecratas, Organiſtas ſcil. & illis ſubinde adjunctos cornicines, & Muſicos, ſeu pueros chorales.*

Digitized by Google

chorales. Reſp. 1. Mirum, ſerium Theologum uſque adeo ineptire circa conſequentias. Pari ratione concludat, poſſe exercitia pietatis publica, reſtringi ad Lectores & Cantores, quos ipſe hactenus Eccleſia exterminare nondum inſtituit. 2. Organiſta cum ſuo Organo, ex noſtra hypotheſi, (quæ pariter eſt Nobiliſſimi D. Hugenii) exercitiis ſacris, iiſque publicis deſtinatur, ad hoc ut Præcentori ſuccurrat in moderando cantu totius cœtus Eccleſiaſtici. Si ad cantum moderandum legitime Præcentor adhibetur, næ adhiberi quoque commode poteſt Organiſta. VI. Ita argumentatur ab abſurdo quaſi D. Voetius: *Sequeretur, univerſam Eccleſiam, propter carnales & rudiores quoſdam, eſſe privandam tanto temporis ſpatio nobiliſſima & præſtantiſſima ratione adducendi homines ad Deum, quæ eſt per prædicationem, lectionem, orationem, intelligibilem & communem pſalmodiam: Sed abſurdum pretioſas conventuum publicorum horas iis dilapidari, & animas famelicas meris furfuribus ſeu follibus & vento inflatas potius, quam paſtas dimitti.* Reſp. 1. Mirum, Virum doctum abuſum Organi eodem loco habere cum uſu legitimo, pro quo nos duntaxat ſcribimus & diſputamus. 2. Quæ Eraſmus, & alii, à viro Rever. ad ſuffragium vocati, in Papanis culparunt, nos jure ſummo arguimus. 3. Si Organum, ſerviens ordinarii cantus moderationi, ea ratione, quam jam antea delineavimus, adhibeatur, ne ipſe quidem Momus, quid invenerit, quod cum ratione arguat.

Sequitur apud virum Reverendum tertia claſſis rationum, complectens argumenta indirecta, aut, ut illa vocat, κατ' ἄνθρωπον, ſeu ad hominem. Eam quoque luſtrare convenit; ut vero vir Rev. hic velites collocavit, ita deſpiciendum an plus, quam triarii ipſius, jam repulſi, poſſint. Ergo ſic I. progreditur: *Figuratio iſta & πολυποικιλία cantus inſtrumentalis repugnat ſimplicitati, introverſioni ſpirituali, abſtractioni, & mentis nuditati, atque elevationi ab externis & corporeis, quam tantopere devotis commendant varii.* Reſp. 1. Sed pari ratione vir Rev. argumentetur adverſus illos, qui aſſa voce canunt, noſtrumque Pſalterium modulis Muſicis exuat. Si hi legitime adhibeantur, atque qui in Eccleſia canunt, ad vitandam confuſionem, vocem ſuam ſecundum illos, ad præcavendam confuſionem, componere debeant; rite atque ordine quoque Organum adhiberi poteſt: illius ſiquidem ſubſidio ſuccurritur plebi, iiſque qui Muſicæ imperiti ſunt, ad hoc, ut citra confuſionem canere queant. 2. Quod artem (V. C. Rhetoricam, XII.

toricam,

toricam, aut Muſicam) redolet, mox quoque non ſervit attentioni & mentis devotioni turbandæ: mentem piam cum arte componere poſſe devotionem ipſe Spiritus Sanctus oſtendit, per Jobum & varios Prophetas paſſim allegorice, & oratione admodum figurata, loquendo. II. Argumentum indirectum eſt hoc: *Repugnat ſimplicitati, & cautæ moderationi antiquæ Eccleſiæ in uſurpando cantu vocali & intelligibili: quæ tanta fuit, ut etiam tempore Auguſtini Epiſcopi Occidentales eſſent, qui nullum cantum reciperent.* Reſp. 1. Quæ de temporibus quaſi Auguſtini vir Reverend. jactat, dubito, an ex Auguſtino, aut ex alio quo antiquo Scriptore probare poſſit. Provocat vir Reverend. ad Pichium: ſed is ad manum non eſt, atque vereor ne impoſuerit. 2. Sed dato, quaſdam Eccleſias publicum cantum rejeciſſe, atque adhuc rejicere, (neque enim ad uſum publicum in Nov. Teſt. commendari, abunde probavimus ſupra ſect. 3.) quid inde evincetur? Neque enim putem virum Reverend. inde inferre velle, cantum in Eccleſiis aboleri debere. 3. Atque ſi admittit uſum cantus, ſuo modo artificioſi, cur non pariter admittat Organum, quod in rudiorum gratiam artificioſos modulos moderetur? III. *Repugnat* (inquit) *ſimplicitati cantus; quem nec fractione, nec harmonica vocum multiplicatione figurari, atque ita homines ab attentione abduci voluerunt tam antiqui, quam ipſi pontificii.* Reſp. 1. Nullus ex antiquis ſimpliciter improbavit cantum artificioſum, ſed eum qui (ut ſupra vidimus, nec aliud docentibus authoribus, quos vir Reverend. pro ſe citat) reſponderet Muſicæ Theatrali. 2. Si valere debeat hoc viri egregii argumentum, ſimul tollat modulos artificioſos à Pſalterio, atque quemque in cœtu Eccleſiaſtico jubeat ſuo more, atque ſecundum proprios modulos canere. IV. *Quia* (inquit) *alia inſtrumenta Muſica non ſunt uſurpanda in Eccleſia, ut ſancit Cæremoniale Epiſcopor. lib. 1. cap. 23. Ergo à pari nec organa, nedum confragoſa Muſica Organica.* Reſp. 1. At conſequentia hæc à pari nullo modo procedit. Nam Organum nihil ut laſcivi circa ſe habet, ita eodem loco cenſeri non poteſt cum reliquis inſtrumentis Muſicis. 2. Ut in cantu ſacro nihil laſcivi eſſet, ejectis aliis inſtrumentis Muſicis, frequentari cœpit Organum: quod æque Papani commendant, atque pleræque Eccleſiæ noſtræ frequentant. V. Et poſtremo ſuos adverſarios ſic inceſſit D. Voetius: *Quia non inhærent venerandæ antiquitati, quod unice tamen affectare ſe ubique prætexunt, ſed manifeſte novitates, & levitates Græcorum, antiqua & gravi*

gravi devotioni hac in parte præferunt. & deinde prolixe diſquirit circa primam Organi originem. Reſp. 1. Non invitus conceſſero, Organum eſſe inventum Græcorum: ſed cur proinde ipſi Levitatis arguuntur? Pari ratione omnem Philoſophiam rejicias, velut εὕρημα Græculorum. 2. Ne quid levitatis in cantu Eccleſiaſtico notaretur, prudenter excogitatum fuit Organum. 3. Templa ſerius à Chriſtianis ædificari cœperunt: Ergo Dominus Voetius concludat, ea evertenda eſſe. 4. Quod ad illa, quæ ad modum ſupellectilis, uſui Eccleſiaſtico inſerviunt, per novitatem procurare ſæpe poſſunt commoditatem. Quod ſpeciatim circa Organum notandum. 5. Eoque dato, à Vitaliano demum, circa annum à C. N. 770. Eccleſiis Occidentalibus procuratum fuiſſe uſum Organi, quid inde aliud evicerit vir Reverend. quam ſerius humanam induſtriam Muſicum inſtrumentum excogitaſſe, quod convenienter ſervire poſſit moderando cantui Eccleſiaſtico. Balthaſar Lydius ſenior, dum viveret Eccleſiæ Dordracenæ miniſter, vir doctus, atque inſtructiſſimæ Bibliothecæ poſſeſſor, Belgice cum notis edidit tractatum Franciſci Alaers de Traditionibus Eccleſiæ Romanæ, atque occaſione Organorum, à Vitaliano quaſi introductorum hęc annotat: *Belangende de Orgelen in de Kercke, vvy bekennen geerne, dat op Muſicale Inſtrumenten Godt oock kan gedanckt vvorden, volgens ontallijcke plaetſen der H. Schriſture: maer dit behoort daer in vvaergenomen te vvorden, dat geen andere dingen als geeſtelijcke lof-geſangen daer op geſpeelt vverden, ende dat met een ſtatige Muſijcke, ende niet met ſulck een lichtveerdige trippel en dans Muſijcke, dat de voeten daer licht van vvorden, daer nochtans de Geeſt in Godt, met een Godſalige vreughde, behoorde opgetrocken te vvorden.* Quid æque ex mente noſtra dici poſſet? Atque hic Lydius, quandiu per fata licuit, arctiſſimam cum D. Voetio familiaritatem coluit. Nulla ergo eſt ratio, cur ejuſdem authoritas apud hunc ipſum quoque non admittatur.

Poſtremo Rev. vir, more ſibi conſueto, argumentatur ab authoritate. XIII. At, quantopere ei faveant authores, quos produxit, in anteceſſum jam expendimus. Pręſidii plus habere videtur in quibuſdam decretis Synodorum Belgicarum, pręcęteris can. 50. Syn. Dordr. an. 1574. & Synodi Medioburgenſis an. 1581. habitę reſponſo ad qu. 34. At his parum moveor: ſiquidē *primo* reſpondeo, in dictis Synodis quædam eſſe decreta, quę unanimiter à pleriſq; Eccleſiis in Fœderato Belgio hodie improbantur.

tur. Ut Eccleſia erat novitia, nondum ſtabilita, multis calumniis atque adverſariorum inſidiis obnoxia, plurima pro tempore diſplicuerunt, quæ poſtea utiliter atque ad ædificationem recepta fuerunt. Speciatim Synodus Dordracena can. 24. improbat manuum impoſitionem circa confirmationem novorum miniſtrorum, can. 42. preces miniſtrorum recedentes à ſolita liturgia, can. 51. conciones veſpertinas, can. 55. viſitatores ægrorum, qui non fuerint Eccleſiæ miniſtri, can. 64. trinam aſperſionem in Baptiſmo; atque can. 75. ſtando potius cœnam Domini communicandam, quam ſedendo, contendit. Idem exiſtimandum eſt de Organis, quæ, ut pro illa temporis circumſtantia placuit templis ejicere, ita poſtea aliæ in Belgio Synodi, (quemadmodum ſupra vidimus) conſenſerunt in ea, utpote adiaphora. 2. Si omnia diligenter expendantur, liquebit, placuiſſe Organa propter abuſum abrogare. Ita enim habet canon 50. dictæ Synodi: *Aengaende het ſpelen der Orgelen in de Gemeenten, houdmen dat het gantſch behoord afgeſet te vveſen, volgens de leere Pauli* 1. Cor. 14. verſ 19. *Ende al hoe vvel men het alſnoch in ſommige deſer Kercken, alleen in 't eynde der predicatien gebruyckt, op 't ſcheyden van den volcke, ſoo dienet nochtans meeſt om te vergeten vvatmen te voren gehoort heeft: ende is te beſorgen, dat het hiernaer tot ſuperſtitie ſal gebruyckt vvorden, gelijck het nu tot lichtvaerdigheydt dient; d'vvelck ſoo 't afgeſchaft vvare, men ſoude de Aelmoeſſen bequamelijcker aen de deuren in 't uytgaen des volckx, verſamelen, dan datmen ſulckx in 't midden der Predicatie, tot groote hinderniſſe des Dienſtes, doen moet.* Quæ hic improbat Synodus, nos pariter improbamus, & ante nos D. Hugenius. Si Synodo conſtitiſſet de commodiori Organorum uſu, dubio procul eundem commendaſſet. Interim dies diem docet. 3. Cogitare aliquis poſſet, nonnullos, ut conderetur hic Canon quinquageſimus adverſus Organa, ſuffragiis in Conſeſſu Synodico adverſus Symmiſtas prævaluiſſe, ſimul in templis ſuis Organis caruiſſe, & forte (Deus novit!) reliquis ſuis Symmiſtis eorum uſum invidiſſe: Paſtores ſiquidem ipſi (in veneranda licet Synodo compareant) homines ſunt. Bremæ agnitus fuit Paſtorum Senior Johannes Capito, vir cæteroquin doctus, Zelotes, & pius. Brugis in Flandria Eccleſiam Orthodoxam paverat eo ipſo tempore, quo caninam ſuam eloquentiam, celebratiſſimi nominis Franciſcanus, Cornelius

nelius Adriani, domo Dordracenus, exercebat. Hic ipſe autem Capito, cum in ſuo templo, Martino ſacrato (in quo ordinario docebat) Organum non haberet, quotidiano convitio illud ſolitus erat inceſſere, uſque adeo, ut vocaret Utriculariam fiſtulam diaboli: at cum munificentia Senatus in ſuo quoque templo Organum eſſet conſtitutum, ipſe non invenire condigna elogia, vocare modo melodiam Angelorum, promulſidem gaudii cœleſtis, & quæ non alia? Ita variant ſæpe hominum judicia pro temporis varietate. Nec tamen eum in finem hoc propono, quaſi volupe mihi ſit venerandi ſenis Manes inquietare: ſed, quod narrationem hanc, quam ſcio veriſſimam eſſe, à ſcopo alienam haud fore exiſtimarem. Et tantum quoque de Organis.

EXERCITATIO XXXI.

DE

Reformatione quaſi Intenſiva.

1. *Quid intelligi debeat per Reformationem Eccleſiæ? qua quatenus Magiſtratui conveniat, oſtenditur.*
2. *Quomodo proceſſerit reformatio Eccleſiarum Belgicarum?*
3. *Primi Reformatores, fermentum Papanum expurgantes, multa falſa dogmata defalcare debuerunt.*
4. *Ut in Dogmaticis, ratione Eccleſiarum Belgicarum, non eſt opus ulteriori Reformatione; ſic accurate expenditur, quid de Reformatione rituum ſit ſtatuendum.*
5. *Diſtinctiones Reyneſſii, de Reformatione intenſiva, expenduntur.*
6. *Falſum eſt, quod ad Theoriam doctrinæ, multa adhuc in Eccleſiis Belgicis reformanda eſſe.*
7. *Qui intenſive cupiunt reformare, an inquirere non debeant, quo uſque anteceſſores ſui proceſſerint?*
8. *An liceat ubique ulterius Eccleſiam reformare, quam ab anteceſſoribus eſt factum?*

9. *Examinantur capita intenſiva Reformationis D. Voetii.*
10. *Quid monſtri D. Voetius alat prætextu intenſiva Reformationis?*

I. PAſſim non modo ſuperioribus Exercitationibus notare debui Præciſianorum præpoſterum zelum, in promovenda (ut loquuntur) Reformatione intenſiva; verum eo nomine vapulare quoque debui à Reyneſſio, qui, ut pro ingenii male compoſiti petulantia mihi inſultare poſſet, ſuſtinuit ſuo more, ſive quam inepte, peculiari Diatriba agere *de Reformatione intenſive adaugenda*. Quod ex re ſit, de ea quoque conceptus meos proponere debeo, ſimulque occurrere iis, quę meo homini, ſecundum ſuam conſuetudinem, per ſubmiſſas ſchedulas Doctor Giſbertus Voetius ſuppeditaſſe videtur. Ergo ante omnia expendere convenit, quidnam illud ipſum ſit, de cujus diſtinctione quęritur. Illud ergo nomen fert Reformationis: quæ vox, quando circa ſacra, ſeu Eccleſiaſtica uſurpatur, accipi debet pro reſtauratione doctrinæ & cultus ſacri ſecundum Dei verbum, procurata ab illis, quorum intereſt. Convenienter vero D. Voetius lib. 3. Deſper. Cauſſæ Papatus Sect. 3. pag. 753. hic duos actus diſtingui vult, atque priorem ſtatuit eſſe, *judicare errores, detegere veritatem apud hominum conſcientiam, eoſque inſtruere de neceſſitate emendationis, tum in vita privata, tum etiam in publico cultu.* Alterum, *ſeu ſuccedaneum eſſe, ipſum corpus & ſpeciem Eccleſiæ, ad modulum emendati cultus, aliter ac denuo transformare, atque architectari, adhibita juriſdictione & diſciplina neceſſaria.* Ut vero facile viro Rever. accedo, contendenti priorem inſtitui poſſe, non modo à quovis miniſtro, verum etiam à quocunque privato; ita, eodem non admodum refragante, alterum pertinere contendo ad officium ſolius Magiſtratus. Laudabile exemplum occurrit in Rege Joſia, qui 2. Chron. 34. 30. & ſeqq. cultum Dei collapſum inſtauraturus, templumque & regnum ab idololatria repurgaturus, *aſcendit in domum Iehovæ, omneſque viri Iehuda, & habitatores Ieruſchalaïmorum, cum Sacerdotes & Levitæ, tum totus populus à maximo uſque ad minimum: & legit ipſis audientibus omnia verba libri federis, qui inventus fuerat in domo Iehovæ. Deinde ſtans Rex in ſtatione ſua, pepigit fedus ipſum coram Iehova; ſe ſequuturum Iehovam, & obſervaturum præcepta ejus, teſtimoniaque ejus & ſtatuta ejus ex toto corde ſuo, & ex toto animo ſuo, præſtando verba federis ipſius,*

Digitized by Google

ipſius, quæ ſcripta ſunt in libro illo. Sane hæc inſignis eſt legitimæ Reformationis idea, vivumque pii Reformatoris ſpeculum, ad præſcriptum verbi Divini, tam ſe, quam cultum Dei reformantis, neque dextrorſum neque ſiniſtrorſum deflectentis. Similiter Joſaphatus Rex, regno confirmato, Eccleſias purgari & inſtitui curavit, *miſſis præfectis ſuis, cum Levitis & Sacerdotibus, qui docuerunt in Iehuda, habentes ſecum librum legis Iehovæ; & obiverunt omnes civitates Iehudæ, docentes populum,* 2. Chron. 17. verſ. 7. 8. 9. Ut viri Principes hoc officio ſuo defunguntur inſtare debent Miniſtri verbi Divini: atque ſi hi ſimiles forte ſe exhibuerint mutis canibus, nihilominus tamen illi, quod muneris ſui eſt, exequi debent; exemplo regis Joas, qui cunctantes ſacerdotes non ſolum increpat dicens: *Quare non reſtauratis domum Dei?* 2. Reg. 12. 7. verum ejuſdem quoq; reſtaurandę curam in ſeipſum recepit. Atque hoc pertinere ad officium Magiſtratuum, docent Patres, agnoſcunt plerique quotquot ante Lutherum quoque ad opus Reformationis anhelarunt. Quod ad illos verbum Auguſtini eſt tract. 11. in Johan: *Mirantur* (inquit) *quia commoventur poteſtates contra diſſipatores Eccleſiæ deteſtandos: ſed ſi non commoverentur, quomodo rationem redderent de imperio ſuo Deo? Intendat charitas veſtra quid dicam, quia hoc ad reges ſeculi pertinet, ſcilicet Chriſtianos, ut temporibus ſuis ſemper velint pacatam Eccleſiam matrē ſuam habere, unde ſpiritualiter nati ſunt.* Item Leo Epiſcopus epiſt. 75. ad Leonem Imperatorem: *Debes* (inquit) *Imperator incunctanter advertere, regiam poteſtatem non ſolum ad mundi regimen, ſed maxime ad Eccleſiæ præſidium tibi collatam.* Similiter Iſidorus lib. 3. de ſummo bono, cap. 53. *Cognoſcent principes ſeculi, Deo debere ſe rationem reddere, propter Eccleſiam, quam à Deo tuendā ſuſcipiunt. Nam ſive augeatur pax & diſciplina Eccleſiæ, ſive ſolvatur: ille rationem ab eis exiget, qui eorum poteſtati Eccleſiam ſuam credidit.* Illorum vero votum huic doctrinæ fuiſſe conſonum, abunde conſtat ex Catalogo Teſtium veritatis. Nam & Theodoricus à Nyem ad Status Eccleſiaſtici reformationem Imperatorem advocavit: ut Franciſcus Zabarella ſcripſit Imperatoris eſſe Concilium contra Papam cogere, ne Eccleſia periclitaretur: & Johannes Picus denique Maximilianum Imperatorem cohortatus eſt, ut pro impoſito ſibi munere, curam Eccleſiæ reformandæ ſuſciperet.

Quorſum hęc tam alte acceſſantur, haud abſq; ratione aliquis quęret? Plurimum vero refert, quo pateat, quid cenſendum ſit, circa Refor- § I.

Digitized by Google

mationem, per totam paſſim Europam, à tempore Lutheri, circa annum 1517. inſtitui cœptam? Eccleſiæ facies tum temporis deformatiſſima erat, atque non modo doctrina erat corruptiſſima, verum & ritus in ſacris publicis recepti: ne quid dicam de moribus Cleri, quorum pudebat moderatiores in ipſo Papatu. Qua ratione proceſſerit Reformatio, otioſum eſt hoc loco exponere. Centies millies hoc factum eſt ab aliis: atque nos aliquando, ſi modo annuerit Deus, occaſione hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Belgicæ, confidimus nos plurima diſtinctius, quam hactenus factum fuit, explicaturos eſſe. Hoc ſolum obſervari velim, Pontificiorum, qui ipſo Papa conſentiente, videbantur in Reformationem qualemcunque conſentire, aliam intentionem fuiſſe, quam eorum, quos ſingulariter excitatos Deus peculiari ſui Sp. Sancti dimenſo bearat. Nam illi, ut ut viderentur Reformationem urgere, non tamen ultra mores, atque rituum quorundam appendices progredi volebant. Quæ tamen convenienter emendari non poterant, niſi emendata antea legitime ipſa doctrina. Clamabat quidem in ipſo Concilio Tridentino, (videatur Paulus Servita lib. 7. Hiſtor. Trident.) Cardinalis Lotharingus, *neceſſariam eſſe ut Reformatio inſtituatur ab Alpha uſque ad Omega; & ex re publica fore, ſi auferrentur è Concilio Epiſcopi ad Quinquaginta, quod ſe ſemper opponerent recte conſultis.* Quam fervide quoque pro Reformatione inſtiterit Carolus V. Imperator, & poſt eum Ferdinandus I. ex Sleidano atque Thuano notum: plurimis interim viris doctis, moderatis, ac prudentibus conſilia ſua communicantibus. At, quam parum ipſorum Imperatorum molimina & vota valuerint, conſtat ex eventu Concilii Tridentini. Circa doctrinam nihil immutatum fuit, atque circa ritus quam pauciſſima. Cauſſam ſi quis quærat, reddet ut Propheta (vixit ſiquidem longo tempore ante Lutherum) Theodoricus Niemenſis de Unione Eccleſiæ Tract. 6. cap. 33. *Sicut* (inquit) *ſacerdotes Iudæorum ad eam devenerunt dementiam, ut dicerent, regem non habemus niſi Cæſarem: eodem modo jam diu timui & timeo, quod noſtri ſacerdotes dicere poſſint, regem non habemus, niſi Pontificem.* Interim, Deo benedicente, feliciter proceſſit opus Reformationis, conſiderandum pro inſtituto præſenti, duntaxat ratione doctrinę, & rituum. Mores enim reformandi erant per cooperationem Spiritus Sancti, juxta doctrinam à quovis privatim, non tam Theoretice,

quam

Digitized by Google

quam practice perceptam: quum ipſa Magiſtratuum Edicta, ſanguine licet ſcripta, exemplo legum Draconis, nihil hic poſſint, niſi cum efficaci ἐνεργείᾳ Spiritus Sancti ipſe homo operetur.

Quod ad Reformationem doctrinæ, ut Eccleſia depurganda erat III.
à fermento Papano, quo corrupta erat univerſa doctrina Apoſtolica; ita non tam quid addere debebant primi Reformatores, quam multum, quod ſuperfluum erat, reſecare. Peccat ſiquidem in Exceſſu Romana Synagoga. Non diffitendum quidem eam confiteri Chriſtum humani generis Mediatorem, Eccleſiæ Sacerdotem, & Caput ſupremum. Sed interim, præter hunc, Sanctos quoque cœlites pro mediatoribus, Preſbyteros ſuos pro Sacerdotibus, Papam pro Eccleſiæ capite & ſponſo habet, & ab omnibus haberi jubet. Præter ſacrificium crucis cruentum, ſemel peractum, altarium quoque ſuorum oblationes, & quotidiana ſacrificia Miſſatica, eademque incruenta, obtrudit. Præter Domini Jeſu ſanguinem, peccatorum ἱλαστήριον, expiationem pariter peccatorum, Martyrum quoque ſangunine & perpeſſionibus, adhoc vi ignis cujuſdam ſubterranei (qui fabuloſus per omnia eſt) perfici docet. Præter Baptiſmi lavacrum, Euchariſtiæque alimentum, ſui quoque olei, balſamique unctionem, & auricularis confeſſionis myſterium, neceſſario à fidelibus expeti atque adhiberi imperat. Summum Deum ſic adorat & precatur, ut Euchariſtiæ ſacramentum una quoque adorari, Angelos, & ſanctorum hominum ſuperſtites ſpiritus invocari, ab omnibus velit. Fide hominem peccatorem ſic juſtificari docet, ut in partes quoque vocet bona opera. Corruptum quidem per labem Originalem fatetur eſſe hominem, ut tamen pariter ei ſupereſſe velit vires, æque ad faciendum bonum atque malum. Cultum Euangelicum ita probat, ut multiplices inſuper cæremonias, quorundam ciborum abſtinentiam, dierum ac temporum obſervationem, aliaque hujus generis non pauca, ſuorum conſcientiis imponat, & pro veris Dei cultibus venditet. Præter ſacras Scripturas, quas cum Orthodoxis in Canone cenſet, eadem quoque fide varios libros Apocryphos, multaſque traditiones ἀγράφυς admiſit. Præter cœleſtis regni requiem, quam piis promittit, aliam neſcio quam infantibus, abſque ſacro baptiſmo mortuis, in limbo vitam conſtituit. Denique pręter paratum improbis in Gehennæ cruciatum, ipſos quoque pios, & fideles, ſimiles & congeneres

pœnas

pœnas in Purgatorio luere, affirmat. Hęc & alia ejuſdem farinæ dogmata, veræ, certæque antiqui Chriſtianiſmi fidei, ab hominibus perperam adjecta, primi Reformatores falce verbi Divini feliciter reſecuerunt. Et quamvis ubique locorum eadem ratione Reformatio non proceſſerit, atque arte diaboli inter eos ipſos, qui hoc præ aliis agebant, etiam quid ſimultatum excitatum fuerit; conſenſerunt tamen in iis, quæ extirpanda erant, atque retinendis illis, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ut evincunt eorum publicæ confeſſiones: quæ licet diverſo tempore & occaſione à variis ſint conſcriptæ, inter illas tamen amicus conſenſus intercedit, prout docet Syntagma Confeſſionum, quod Genevæ editum eſt anno 1612. Anabaptiſtæ, quos pæne eodem cum Luthero tempore produxit ex Orco diabolus, itemque Antitrinitarii, quorum anteſignani ſunt Sociniani, geſſerunt ſe quoque pro Reformatoribus, atque ejicere laborarunt fermenmentum Papanum, ſed, ut ſe pariter ſimiles eſſe probarent Thracio illi agricolæ, qui cum vidiſſet vicinum extrema vitium amputare, eas ad radicem uſque reſecuit. Neque enim ea ſolum, quæ addiderant Papani ſanæ doctrinæ, verum neceſſaria etiam ejuſdem capita everterunt. Evincunt dogmata quæ negant: Speciatim de Trinitate, de attributis Dei infinite perfectis, de æterna Deitate Chriſti, de perſonalitate Spiritus Sancti ut veri Dei, de vera Chriſti humanitate, de ſacrificio illius expiatorio, de Originali peccato, de obſignatione ſacramentorum, de pædobaptiſmo, de officio Magiſtratus, de reſurrectione eorundem numero corporum, & ſimilibus aliis: quibus Sociniani, ut negativam ſuam Theologiam quam plauſibilem redderent hominibus hujus ſeculi, hunc colophonem impoſuerunt: *Sceleratiſſimos quoſque ſecuros eſſe poſſe æternarum Inferni pœnarum, quod non ens ſint, quum improbi ſint annihilandi.* Quæ dogmata ut omnes in orbe Chriſtiano Reformati æque atque Pontificii deteſtantur; ita Reformati Theologi ſubſcribere ſolent formulis publici in doctrina conſenſus, Belgę ſpeciatim Confeſſioni Belgicę, Catecheſi Heidelbergenſi, & Canonibus Synodi Dordracenæ; quibus ut Eccleſia Belgica, velut Reformata, diſtinguitur ab Eccleſia Pontificia, ita illi, qui ſubſcribunt hiſce conſenſus formulis, (niſi perjuri velint haberi) non poſſunt urgere ulteriorem Reformationem, quod ad dogmatica.

Ex

Digitized by Google

Ex his liquere evidenter credo, fruſtra illos eſſe ex Theologis Belgis, qui jactant quod ad Dogmatica, ulteriorem Reformationem, ſeu, ut habet eorundem formula, Reformationem intenſivam requiri. An, ratione rituum Eccleſiaſticorum, convenienter talem Reformationem urgeant, ulterius dein examinandum eſt. Neutiquam quidem diffitendum eſt, quoſdam ex Reformatoribus primis, circa eorundem ſive abrogationem, ſive emendationem nimis quam largos fuiſſe. Adeo, ut forte recte dixerit Adr. Saravia in Præf. ſuorum operum: *Dico* (inquit) *primis Eccleſiarum Reformatoribus accidiſſe, quod caducas ades reſarcituris ſolet: qui cum undique pleraque putrida & vitiata conſpiciant, quamvis intra ades, pulchra conclavia & plures neceſſario partes ſint, quas ſervatas vellent, tamen quia cohærent putridis & labantibus, qua emendatione habent opus, dirui & emendari poſſe diffidunt, niſi ſimul omnia demoliantur.* In quos, ſive Reformatores, ſive Eccleſias ab iis reformatas, hæc quadrent, examinare jam nolo. Circa ritus & Eccleſiæ regimen illud à viris prudentibus cum ratione cogitari ſolet, quod habet Socrates lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 21. ita per Interpretem loquens: *Cujuſque Religionis & ſecta varii ſunt ritus, licet eadem de illis habeatur opinio. Etenim qui in eadem fide conſentiunt, iidem in ritibus & caremoniis inter ipſos diſcrepant.* Quod, ut convenienter attenderunt Theologi Helvetii in ſua Confeſſione c. 27. ita, ibidem ad ſuffragium vocato hoc ipſo Socrate, hunc Canonem Theologicum exſtruunt: *Quod ſi in Eccleſiis diſpares inveniuntur ritus, nemo Eccleſias exiſtimet ex eo eſſe diſſidentes.* Æquum vero eſt ut Eccleſię, riti bus à ſe invicem diſſidentes, ſe mutuo etiam tolerent: atque quę videntur firmiores eſſe, imbecillioribus ſuccurrant. Quomodo Paulus Rom. 14. 1. jubet nos *eum aſſumere, qui in fide infirmus eſt.* Atque pręivit hic ſuo exemplo, nonnullos ſumma lenitate ferens, tametſi aliter in quibuſdam ſentientes: *Quicunq;* (inquit Phil. 3. 13.) *perfecti ſumus hoc ſentiamus; & ſiquid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus revelabit.* Dubitandum non eſt, quin error aliquis fuerit tum illa *fidei infirmitas*, tum hęc *ſentiendi*, ſive *ſapiendi* diverſitas; quam utramque tamen Paulus ferri vult. Quanto non magis vero tolerandi ſunt, qui circa ritus diſſentiunt. Præterea cæremoniæ in Eccleſia receptæ, vel conſenſu Eccleſię univerſalis à longo tempore ſunt receptæ, vel à particulari aliqua Eccleſia frequentantur. Hæc eſt ipſius Auguſtini diſtinctio Epiſtol. 118. ad Januarium: *Alia toto terrarum orbe obſervantur, qua* (inquit) *dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis commen-*

 data

data atque ſtatuta retineri, ſecuti quod Domini paſſio, & reſurrectio, & aſcenſio in cœlum anniverſaria ſolemnitate celebratur. Alia per loca terrarum regioneſque variantur. Utraque vero inviolabiliter obſervare fas eſt, ut prudenter eodem loco idem Auguſtinus monet. Sic enim de priori genere, *ſi quid*, inquit, *horum tota per orbem frequentat Eccleſia, hoc quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſima inſania eſt.* Recte quoque de poſteriori. *Totum hoc genus liberas habet obſervationes, nec diſciplina ulla eſt in his melior gravi prudentiſſimoque Chriſtiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quamcunque forte devenerit: quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, ſocietate ſervandum.* Quin & prudentiſſime hoc monet. *Ipſa mutatio conſuetudinis, etiam qua adjuvat utilitate, novitate perturbat.* Utinam obſervarent noſtri homines! qui quoniam ſubſcriptione manuum ſuarum conſenſum promittunt in obſervationem rituum, ſeu cæremoniarum Eccleſiaſticarum; non video qua ratione, ſe hic auſint gerere pro novis Reformatoribus. Certe quod monet Apoſtolus 1. Cor. 14. verſ. 40. non eſt inſuper habendum. Vult vero ille, *ut omnia fiant* πρὸς οἰκοδομὴν, εὐσχημόνως, καὶ κατὰ τάξιν. Notatu quoque digniſſima eſt admonitio Hieronymi in Epiſtola ad Licinium: *Ego* (inquit) *te illud breviter admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas, quæ fidei non officiant, ita ſervandas, ut à majoribus tradita ſunt, nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubverti.*

V. Hiſce prælibatis, expendi proxime debet, quid Reyneſſius, atque ſub ejuſdem perſona D. Voetius monſtri alat, ſub titulo *Reformationis intenſivæ.* Nolo hic hiſtoriam contexere, atque pandere illa omnia, (σχήματι πολιτικῷ ſecundum fatum Metellorum favente) quæ tanto ſcil. Theologo, velut alteri (ſed Heuſdano-Ultrajectino) Calvino incrementum, non minus privatim quam publice, procurarunt, quod ab anno 1634. ſe oſtentare ſuſtinuerit pro Reformatore intenſivo. Satis mihi eſt, quod hanc ſuam intenſivam Reformationem (neque ratione dogmatum, neque rituum, valentem titivillitio) proſtituat per hominem ineptiſſimum. Ne vero conqueri poſſit quicquam neglectum eſſe, omnia minutatim & exſcribam, & ſimul, quæ exſcripta fuerint, examinabo. Atque ut initio homo meus, à ſuo Pythagora edoctus, præmittit quatuor diſtinctiones, priuſquam ex illis concluſiones eliciat, illas in anteceſſum & propone-

Digitized by Google

ponere & expendere convenit. Ita ergo loquitur pag. 77. lepidi ſui Judicii: *Ante omnia vero prenotandum eſt. 1. Reformationem intendi poſſe, vel ſupra quam docuere Doctores & Paſtores: Vel ſupra quam retinuit & didicit vulgus. 2. Vel ſupra quam vere illi docuerunt; vel ſupra quam nos ſcire poſſumus eos docuiſſe. 3. Vel ut cognitio intenſive augeatur: Vel ut praxis pietatis. 4. Vel ut intenſio fiat in uno loco: Vel ut in omnibus & ſingulis.* Ad quæ ſic ordine reſpondeo. 1. Inepte confundit ipſam intenſivam Reformationem cum ejuſdem ſucceſſu & applicatione. Certe tempore Pauli non omnes crediderunt Euangelio: ita enim ipſe teſtatur Rom. 10. verſ. 16. *Sed non omnes* (inquit) *auſcultarunt Euangelio. Eſaias enim dicit, Domine quis credidit ſermoni noſtro?* Et tamen perpetuo verum manſit hoc ejuſdem dictum: *Etiamſi nos aut Angelus è cœlo euangelizet vobis, præter id, quod euangelizavimus, anathema eſto.* Atque ne quis forte ex Pſeudo-Apoſtolis, qui jam tum plurimi erant, ſibi ad Reformationem intenſivam aliquid ſupereſſe opinaretur, expreſſe dicit, 1. Cor. 3. verſ. 10. 11. *Secundum gratiam Dei qua data eſt mihi, ut peritus Architectus fundamentum ſtatui: alius autem ſuperædificat. Porro quiſque videat quomodo ſuperædificet. Nam fundamentum aliud nemo poteſt ſtatuere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus.* Quo in loco ut Apoſtolus diſtinguit inter ſe, utpote fundatorem, alioſque qui ſuper illud fundamentum ædificabant; ita manifeſto oſtendit, fundamentum, bene ſi poſitum fuerit, intenſionem non admittere, etiamſi (ut innuit verſ. 12.) quidam *ſuperædificent aurum, argentum, lapides pretioſos*; alii vero *ligna, fœnum, ſtipulam.* 2. Vulgi diverſa ſuperædificantis fundamento, ſeu doctrinæ Euangelicæ per Reformationem depurgatę, in Reformatione nulla eſt habenda ratio, prout patet ex Eſaiæ cap. 53. cujus verba prædicationis ſuæ ſucceſſui applicuit ipſe Chriſtus Johan. 12. (3.) Reformatis hoc tempore conſtat, quænam doctrina fuerit primorum Reformatorum, eorumque qui proxime eos inſecuti fuerunt, partim ex publicis Confeſſionibus, partim ex privatis eorum ſcriptis. Eoque faſtum ſuum produnt, quicunque prętexentes ignorantiam doctrinę, à primis Reformatoribus traditæ, intenſive ex ſuo ſenſu reformare Eccleſias hoc tempore præſumunt. 4. Quando intenditur praxis pietatis, non mox intenditur Reformatio. Homines è præſcripto verbi Dei inſtituere poſſunt publicam Reformationem tum doctrinæ, tum rituum: non pariter vero in eorum poteſtate eſt reformare mores, atque

intendere praxin pietatis. Suadere hoc quidem poſſunt ſecundum doctrinā, argumentis quoq; ex ipſa doctrina deductis, non tamen actualem vitę emendationem procurare: ſed neceſſum eſt adſit ſpecialis *ἐνέργεια* Spritus Sancti, ſiquidem hic valet, quod dicit idem Apoſtolus, 1. Cor. 3. 6. *Ego plantavi, Apollos rigavit: ſed Deus dedit creſcendi vim.*

5. Mirum admodum, hominem hunc, qui præſumpſerat agere de Reformatione intenſiva, meminiſſe locorum, quorum ratione, non quidem intenſive, ſed extenſive Reformatio inſtituitur.

VI. Proxime deſpiciendum eſt, quaſnam concluſiones ex lepidis hiſce diſtinctionibus Reyneſſius eliciat. *Primam* pag. 78. hiſce verbis proponit: *Certum Eccleſiam in omni loco amplius reformari debere quam receptum eſt, non modo quod ad Theoriam, ſed & quod ad praxin.* De Reformatione quod ad praxin, jam dictum eſt: ſed, ſi quod ad Theoriam ipſa pariter intendi debeat, da, mi homo, exemplum. Niſi forte (ut ex ſubſequentibus videor colligere) per Theoriam intelligas cognitionem Theoreticam, qua inſtructi eſſe debeant futuri vitę ęternę heredes. Atq; ſic confundis ipſam reformatam doctrinam cum applicatione ejuſdem per miniſterium Euangelii, inſtrumentaliter hic conſiderandum. Ne vero Noſter videatur rationibus deſtitui, quatuor ex ordine proponit, quæ expendi pariter merentur. 1. Hiſce verbis concipitur: *Tot defectus, & imperfectiones, videmus, ut intenſio Reformationis ſumme ſit neceſſaria. Non enim multi duntaxat* infirmi, valetudinarii & dormientes, *ſed &, velut Cretenſes,* Mendaces, malæ beſtię, ventres pigri, *quos ut moribūdos ſanari, ut deformes intenſive reformari neceſſe eſt.* At, quid hęc πρὸς ἔπος? An ergo Cretenſes, qui doctrinam Euangelicam practice in vita ſua plene & perfecte non exprimebant, eā pariter ſemiplene edocti fuerant? Quum Apoſtolus ex Epimenide hoc iis applicuiſſet, Tito ſic præcipit: *Eos redarguito præciſe*, (ἀποτόμως) hoc eſt, acriter reprehendito eorū inveterata vitia, quo extirpari queant. Simul addit: *Ut ſani ſint in fide,* Tit. 1. 13. illa ſcil. fide, quam per ſanam doctrinam acceperant. Mores ſcil. ſecundum doctrinam fidei per acrem redargutionem Paulus emendari vult, doctrinæ vero Euangelicæ, per quam fides ingenerata erat, ſolummodo ſanitatem urget: ne ſcil. *per Iudaicas fabulas, & præcepta hominum* adulteraretur. Eoq; non ſuadet hic intenſivam ejuſdem Reformationem, verum vindicias duntaxat. Alias valet illud, quod idem Apoſtolus dicit ſuo Timotheo, 1. Tim. 4. 16. *Permane in iſtis.* Si Ultrajectini Reformatores intenſivi probaverint, ſe doctri-

nam

Digitized by Google

nam Orthodoxam in illa Eccleſia adulteratam inveniſſe, forte titulum Reformatorum tulerint. 2. Ita argutatur Reyneſſius: *Scimus etiam non omnia recepta eſſe, quæ à Doctoribus propoſita ſunt. Multis non* manentibus in iis, quæ audierunt. Multis è prima charitate excidentibus. *Quos cum revocari neceſſe ſit, reformatio intenſive augebitur, etiamſi nihil doceatur extra ea, quæ antea propoſita ſunt.* Rèſp. 1. Ratione dogmaticorum hoc accidiſſe Ultrajecti, antequam illam ſibi & ſuis beatam urbem ingrederetur intenſivus Reformator Voetius, ſi probaverit Reyneſſius, pariter evicerit apoſtaſiam ſex verbi Divini miniſtrorum, quos ibi Calvinus (ſcil. Heuſdanus) invenit. 2. Ex Apoſtolo cap. 1. ad Titum jam probavimus (admiſſo quoque tali caſu) non opus fore nova Reformatione intenſiva, ceterum ſolummodo vindiciis Reformationis ſemel feliciter inſtitutæ. Alias in infinitum poſſet procedere hæc intenſiva Reformatio, & tandem deveniretur ad falcem agricolę Thracii quam antea Socinianis vindicavi. 3. Sic progreditur: *Ipſi etiam Reformandi intenſionem Reformationis deſiderant, dum ſe ſanctorum minimos, peccatorum maximos fatentur, qui juſtitiam eſuriunt, atque ad perfectionem tendunt, ut ſint perfecti, ſicut pater ipſorum in cœlis eſt.* Concedo totum: ſiquidem hæc nihil ad rem faciunt. Quiſque fidelis ſecundum Reformatam doctrinam (quæ efficaciſſima eſt ad veræ pietatis praxin) magis atque magis vitam ſuam reformare debet juxta illud, qui *ſanctus eſt ſanctificetur adhuc,* Apoc. 22. 11. Sed hæc ſanctificationis intenſio nihil commune habet cum Reformatione intenſiva de qua agimus: atque ad hanc verbi Divini miniſtri aliud conferre non poſſunt, quam ut Reformatam doctrinam, quæ eſt *agnitio veritatis ſecundum pietatem,* Tit. 1. 1. prudenter & efficaciter applicent. 4. Sic intendit ſuum argumentum: *Idque exinde, quod* omnia hic ex parte *tantum eſſe ſciunt. Sed fruſtra hoc evincere laboro, ad quod efficiendum integra biblia data ſunt.* Ut homo Dei perfectus ſit. *Ad quod promovendum totum miniſterium inſtitutum,* Eph. 4. 11. 12. Reſp. At hic merus eſt κοκκυσμὸς. Sanctificationē ſecundum doctrinam concedo ex parte ſe habere, non æq; vero doctrinam Reformatā, ad promotionē & intenſionem ſanctificationis facientem. Nam ſi doctrina Reformata examuſſim cōſentit cū doctrina Apoſtolica, quod in ea amplius intēſive reformetur, nō occurrit, niſi quis pariter imperfectionis voluerit arguere πρωτότυπον ipſū. Si in doctrina ut Reformata (hęc agnoſci debet velut quid ἔκτυπον) quis adhuc hiatus, aut nęvus occurrat, ex Scriptura corrigendus eſſet, & eum novi hi Reformatores intenſivi indicare deberent.

Nec favere poteſt Reyneſſio Apoſtoli Pauli authoritas. Agnoſco hæc illius verba, *Ex parte cognoſcimus, ex parte prophetamus*, 1. Cor. 13. 9. ſed inſtituto noſtri hominis non cõducunt. Nam illud ἐκ μέρους referri debet, ut ex ſubſequentibus commatibus illius capitis patet, ad futurum ſtatum gloriæ. Nec confertur (vellent hoc hi Reformatores) ſtatus initialis Reformationis, cum progreſſivo ſeu ulteriori: ſed eſt collatio præſentis & futuri ſtatus circa cognitionem Dei & rerum divinarum. 2. Quæ garrit de promotione Miniſterii, concedimus ſi ſano ſenſu intelligantur. Miniſtri moderni debent promovere reformationem extenſive, & ſimul quoque omnibus modis operam dare, ut doctrina Reformata efficaciter per vitæ ſeriam emendationem exprimatur. Sed hoc dum agunt, non poſſunt agnoſci intenſivi Reformatores. Si deformata fuerit doctrina, poteſt verbi Divini Miniſter eam reformare, quod facit dum eam ex Scriptura emendat: ſimul ipſe adjutus à Magiſtratu, poteſt reformare cæremonias, ſeu ritus Eccleſiaſticos. Nihil vero poteſt per ſe (quanquam ejus miniſterium neceſſarium agnoſci poteſt) circa applicationem doctrinę Reformatę pro reformatione morum ſuorum auditorum. Quando enim omnia etiam egerit, ſæpe exclamare tamen debebit cum Eſaia: *Quis credit prædicationi noſtra: & brachium Iehovæ in quo revelatur?* Quam Eſaiæ exclamationem non modo Paulus, ſed & ipſe Chriſtus ſuæ concioni applicuit, prout ſupra annotavimus.

VII. Sequitur ſecunda Reyneſſii noſtri concluſio, propoſita pag. 79. hiſce verbis: *Nemo aliquod officium è verbo Dei populo propoſiturus, tenetur inquirere utrum prædeceſſores ejus idem docuerint*: ne alioqui ipſorum limites incautus tranſeat. *Reſp.* 1. Hoc axioma Voętianum δὶς διὰ πασῶν recedit à regula Apoſtoli Pauli, cujus hoc eſt verbum Heb. 13. 7. *Memores eſtote ductorum veſtrorum, qui loquuti ſunt vobis ſermonem Dei; quorum imitamini fidem, contemplantes quis fuerit exitus converſationis ipſorum.* Obſervandum vero eſt, quod non dicat, qui *loquuntur vobis ſermonem Dei*, reſpiciendo tempus præſens; ſed, *qui locuti ſunt vobis ſermonem Dei*; (ἐλάλησαν ὑμῖν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ) habendo ſcil. rationem anteceſſorum præteritorum. Nec falluntur admodum, qui exiſtimant ſpeciatim Apoſtolum reſpicere primos N. T. Martyres. 2. Imo hoc ſuadet prudentia Politica; nedum magis idem ſuadere deberet prudentia Eccleſiaſtica. Quęcunque in Societate humana velut nova occurrunt, ob corruptum hominum hujuſce ſeculi ingenium, pariter eos excitare

atque

atque commovere ſolent ad turbas, ſeditioneſque, per quas ordinario tranquillitas publica admodum periculoſe turbari ſolet. 3. Eoque quiſquis ex Reformatis verbi Divini miniſtris voluerit cenſeri prudens, nec haberi turbo, ante omnia, contra quam D. Voetius, cum ſuo Reyneſſio, docet, diligenter inquiret, quo uſque ſui anteceſſores fuerint progreſſi. Si attendatur Reformationis hiſtoria, ex ea nimis quam manifeſto patet, propterea eos quam maximas difficultates (ſi non perſecutiones quoque) incurriſſe, quod viderentur novam doctrinam proponere atque urgere. 4. Atque hanc ob cauſſam Chriſtus, ejuſque Apoſtoli (præ omnibus aliis vero Paulus) ſuam quoq; doctrinam paſſim per teſtimonia V.T.cōfirmant. At,ne videaturReyneſſius ſine ratione loqui, quatuor proponit argumenta, è quibus hoc *primum*: *Non enim Apoſtoli* (inquit) *in concionibus Ethnicorum, neque in Synagogis Iudæorum, primo inquirebant, quid Sacerdotes, quid ſcribæ ante eos docuiſſent. Sed ſimpliciter Divinam proponebant veritatem, atque addebant, ut ſibi* à vana converſatione à patribus tradita, *caverent*. Reſp. 1. Alia ratio concionum ab Apoſtolis habitarum ad Gentiles, & alia earundem ad Judæos. Illis ſimpliciter veritatem annunciabant,his vero, in teſtimonium advocatis Moſe & Prophetis, eandem aſtruebant. Unde de ſemetipſo Paulus teſtatur, quod *teſtificatus fuerit tum parvis tum magnis,nec quicquam dixerit extra ea,quæ Prophetæ ac Moſes futura prædixerunt*, Act.26.22. 2. Apoſtoli ita Judæos laborarunt abducere à vana converſatione, tradita à patribus, ut ſimul eoſdem deduxerint ad Moſen & Prophetas, velut anteceſſores ſuos, qui eandem doctrinam Euangelicam,licet obſcurius docuiſſent. 3. Similiter ſi forte alicubi in orbe Reformato populus deſciviſſet à primorum Reformatorum doctrina, monendus ante omnia eſſet, cogitare velit, unde deſciverit. *Secundo* ita inſtat Reyneſſius: *Nam veritas divina propter ſe, & mandatum Dei doceri debet, ſive eam docuerint prædeceſſores, ſive non.* Ite, docete. *Et væ illis qui non fecerint.* Reſp. Concedo hoc lubens, ſi prædeceſſores aut corrupte, aut non integre doctrinam veritatis propoſuerint: at ſi illam docuerint complete & pure, ut comprehenſa eſt certâ conſenſus formulâ, ſcil. Confeſſione, aut Catecheſi, aut etiam utraque, illi,qui formulæ tali ſubſcripſerunt, attendere debent ad illud quod Timotheo ſuo præcipit Paulus: *Permane in iſtis*. Eo ipſo enim pręſumuntur tali conſenſus formulæ ſubſcribere, quod nolint ab ea recedere. *Tertio* ſic procedit: *Sæpiſſime cæteroqui tacendum foret, imo toties, quoties prædeceſſores, quæ docuiſſent, ſcripta non* reli-

reliquiſſent, &c. Reſp. At vanus hic tuus metus eſt: quid enim anteceſſores, ab evulgandis quoque propriis ſcriptis alieniores, docuerint, conſtare poteſt ex publicis Conſenſus formulis, quas quidam eorum condiderunt, alii vero, iiſdem ſubſcribendo, approbarunt. *Quartum*, & ſimul poſtremum argumentum, pro cruda hac aſſertione, ſic proponitur: ***Cum tamen id nobis, hac in re, juris videatur, quod prædeceſſoribus: Illi potuere veritatem, quam propoſitam ignorabant, docere, quid ni & nos?*** Reſp. Hic proponuntur demum arcana fraudulenti cordis. Scil. meus D. Voetius, illiuſque pulli, & male educati imberbeſque adoleſcentes, (ſed caput ***Spiritu Podagrico*** turgidum habentes) æque, apud poſteritatem cuperent æſtimari, atque primi Reformatores. Tantundem quippe ſe pręſtare poſſe confidunt, ſi non amplius. Sed an putat Noſter, eos, qui proxime inſecuti fuerunt primos Reformatores, cum iiſdem paria feciſſe? Aut an ipſe hoc de ſe, & ſuis, ſpondere ſuſtinet? Convenienter uſurpavero verba Apoſtoli, Heb. 12. 4. ***Nondum ad ſanguinem uſque reſtitiſtis.*** Ego certo perſuaſum habeo, hos intenſivæ Reformationis clamoſos patronos, haut quaquam mereri vel cum primis Reformatoribus componi: prout certum quoque eſt, vel ipſos proximos eorundem ſucceſſores paulatim deſciviſſe.

VIII. Occaſione horum argumentorum, uſque adeo lepide aptatorum ſecundæ concluſioni, meus homo (at præmonente Voetio) audet hanc tertiam Concluſionem pag. 80. tam impetuoſe inferre, atque ſi promotionem Doctoralem conſecutus eſſet in Academia, quæ Ultrajecti notatur prope Nicolai. Formula illius hæc eſt: ***Eccleſiam quovis in loco amplius reformare licet, quam ſcire poſſumus active docuiſſe alios.*** Simul mox hanc quaſi primam rationem ſubjicit: ***Atque ita quidem quarumvis ſcientiarum & artium Doctores columnas ſibi Herculis erigi non patiuntur, ſed tendunt quouſque poſſunt.*** Papæ! Antequam reſpondeam, compellor exclamare: adeſte lorarii, & hunc Herculem furioſum vincite probe, ne poſtquam effregerit feneſtellas ſui ſacelli in quo, quando clamoſus maxime eſt, cum Diogene vix numerat novem Muſas, ſe præcipitet in Leccam. Cæterum, ut jam cavi meo homini, quid ſibi volunt hæc aliud, quam quod animal illud πάνσοφον Voetius cum ſuis filiis, illiuſque dilectiores diſcipuli debeant & novam Confeſſionem, & novam Catecheſin, & novam Liturgiam Belgis præſcribere? ut audiant ſcil. Reformatorum abſolutiſſimi, referantque præmium decimi tertii laboris Herculis. Quis non obſtupeſcat ad hunc meorum Dominorum

faſtum!

Digitized by Google

faſtum! At uſque adeo eos excæcavit Diva Præciſitas,ut ignorent illud Spiritus Sancti effatum: *Deus ſuperbis reſiſtit, ſubmiſſis autem dat gratiam,* Jacob. 4. 6. & Petr. 5. 5. Invectivæ Reyneſſii proxime ſequentem & me quaſi concernentes, &, ut videtur, vice condimenti ſuperadditæ haut magis movent, atque aut voces phreneticorum, aut hominum præ ſupercilio Campano inſanientium. Deum modo rogo, homini meo, ſuiſque adjutoribus ſaniorem mentem largiatur. Accedo interim ad alteram rationem, aptatam Herculeæ aſſertioni. Ita vero noſtrum ἔρνος Διός. *Non etiam* (inquit) *omnia poſſumus omnes. Neque verbum Dei exhauſtum eſt. Non nego fundamenta ſatis ampla poſita, neceſſariaque propoſita eſſe. Sed pernego in iis ſubſiſtendum, atque ea quæ utilia ſunt, & ad bene eſſe faciunt, proponenda non eſſe.* Ne amplius pueri ſimus, *& pueri maneamus,* omiſſis elementis eloquiorum Dei, *laborandum ut* prorſus adoleſcamus *in Chriſto, & viri fiamus* ad menſuram plenæ ſtaturæ Chriſti. *Omne ergo non tantum conſilium, ſed & verbum Dei proponere licet, ut intenſive augeatur Reformatio.* Reſp. Quis Hercules (exceptos interim velim illos, quos Noſter, cum ſuis adjutoribus, Genealogiæ ſuæ inſeruit) hoc turpitudinis ſtabulum, longè ſordidius ſane quam Augiæ fuit, expurget? Pauca ſolum notabo, ut meus homo cum ſuo Voetio, ſi modo frontem retinuerint, erubeſcat. 1. Injurius ſummopere eſt in primos Reformatores, qui formulas Conſenſus, ſub capitis ſui periculo condiderunt, (quibus tamen & Voetius & ipſe ſubſcripſerunt) quaſi non omnia fuerint complexi, quæ Reformanda erant. 2. Abſolvit Remonſtrantes, quibus meus Voetius in tot ſuis ſcriptis vitio vertit, quod voluerint circa Confeſſionem Belgicam, & Catecheſin Heidelbergenſem, aliquid mutari. 3. Injurius eſt in omnes Eccleſias Belgicas, quas (ſi homini huic credimus) paverint miniſtri pueri, antequam ſcil. ille δὶς παῖς Voetius, ex miniſtro Eccleſiæ Heuſdanæ factus Ultrajectinæ Academiæ Profeſſor, inciperet inſolentes Theſes proponere. 4. Cruda hominis oratio officit potiſſimum Ultrajectinæ Eccleſiæ paſtoribus: quaſi ſcil. illi ante adventum novi Reformatoris Voetii, auditoribus ſuis non propoſuerint omne Dei conſilium. Quod homo hic apertis tibiis canit, credunt iſtius cæci admiratores, ex quibus nuper quis (ſed præ omnibus aliis ποδομανής) hic Groningæ profiteri non erubuit, ſcotomate eos percuſſos eſſe, qui non probent omnia, quæ facta fuerint à Reformatore Voetio. Pergit tertio: *Nemo quoque eſt*

Aaaa (in-

(inquit) *qui ignoret, tempora mutari & nos in illis; cum tempore vero, caſus particulares naſcuntur infiniti. Quum autem inſtitutiones, adhortationes, reprehenſiones, præſenti Eccleſiæ ſtatui accommodanda ſint, fieri non poteſt, ut ſemper intra prædeceſſorum terminos hæreamus, illi ſe ſuo rerum ſtatui accommodarunt, nos noſtro.* Quid agitas homo? An intendis auditores tuos transformare in Ecebolios? Aliud eſt applicatio doctrinæ, aliud ejuſdem reformatio. Pro differentia temporum & perſonarum licet prudens Eccleſiæ doctor doctrinam diverſimode applicet, non cenſetur tamen eandem intenſive reformare. Poſtremo ſic triguttit eadem pag. *Plerunque etiam ſcire non poſſumus, aliud in particulari propoſitum eſſe, quam receptum videmus. Vix enim milleſimus quiſque ſcripta relinquit, quæ vivus docuit. Imo forſan ne milleſima quidem pars, eorum quæ dicta ſunt, ſcriptis mandata. Multa, ſcio, ſcripta exſtant, tam in theoria quam in praxi. Sed num unus Paſtor ea omnia ad unguem habere poteſt, & attendere ne quidquam iis ſuperaddat? Quin imo ſi omnia illa in particulari quavis Eccleſia urgenda ſint, an ulla erit quæ intenſive non reformabitur?* Ineptiæ pueriles. 1. Quid anteceſſores docuerint, conſtat ex publicis Confeſſionibus: quas ut ſapiens verbi Divini Miniſter longe præferre debet quorumcunque quoque Doctorum ſcriptis, ita illas, non vero hæc ſibi ut Cynoſuram proponere debet. At, quid accidit? quod dicit Gaſpar Laurentius Theologus Genevenſis in Præfatione præfixa Harmoniæ Confeſſionum: *Quamvis Confeſſiones fidei Eccleſiarum Reformatarum tanta auctoritate fuerint inſtituta, ut ad eas tanquam ad tabulas authenticas recurrendum fuerit, quo priſca primævaque dignoſceretur fides: nihilominus à paucis leguntur: Vix apud bibliopolas inveniuntur: quævis privatorum ſcripta parantur: ex quibusvis aliis potius, quam ex his publicis teſtificationibus, de Religione dijudicatur.* 2. Si quis accuratius voluerit explorare, quod homo noſter intendit, publicæ fidei Confeſſiones, maturo conſilio à pluribus Theologis elaboratæ, rebus reſiculis & nihili accenſeri poſthac debebunt. 3. Imo, neglectis publicis Confeſſionibus, quiſque ſomnium ſui ingenii (ſæpe nimium quam petulantis!) velut muſteum intenſive Reformationis dogma, Eccleſiis Orthodoxis obtrudere impune poterit.

IX. Propoſitis atque deductis hiſce concluſionibus, Noſter pag. 82. & ſeq. ſeptem deinceps proponit capita, circa quæ quaſi intenſiva ſua Reformatio occupari debeat, ſed quæ pariter ei confundendo cum maxi-

Digitized by Google

maxime ſerviunt. Ergo hoc *primum* caput: *Ut cognitio ſit amplior, magna etiamnum hodie multorum ignorantia*. Reſp. 1. Concedo hoc lubens: ſed an propterea opus eſt intenſiva Reformatione? An vero potiùs extenſiva, ſimulque prudenti applicatione Reformatæ doctrinæ? Ut Eccleſiæ cognitio ſit amplior, pendet poſt Deum partim à Doctoribus & Anteceſſoribus ejuſdem, partim quoque ab ipſis Auditoribus: qui niſi ruminati fuerint, quæ audiunt, ſimulque ſe ſimiles exhibuerint Berœenſibus Actor. 17. verſ. 11. perfluent, Hebr. 2. verſ. 1. Paulus hac quidem invectiva inceſſit Hebræos: *Quos oportuit pro temporis ratione doctores eſſe, rurſum opus eſt doceri, quæ ſint elementa initii eloquiorum Dei*, Hebr. 5. verſ. 12. Non tamen de novo opus Reformationis aggreditur, contentus negligentes ſuos auditores ſic monuiſſe: *Omiſſo qui in Chriſto rudes inchoat ſermone, ad perfectionem feramur*, &c. Hebr. 6. verſ. 1. Quo loco perfectio non debet accipi de Reformatione intenſiva, ſed profectu cognitionis in doctrina jam antea Reformata & ab Apoſtolo prædicata. 2. Ut cognitio non modo plebis, ſed multorum quoque miniſtrorum foret amplior, optandum eſſet. Interim haud abſque ratione dixit Apoſtolus, *Cognitio inflat, charitas vero ædificat*, 1. Cor. 8. verſ. 1. Circa quem locum ex re fuerit conſuluiſſe Irenæum lib. 2. de Hæreſ. cap. 45. Cognitio ampla rerum Theologicarum ſępe numero nimium quam ſecuros genuinæ praxios pietatis, non modo reddere ſolet vulgus, ſed & ipſos pro dolor! Theologiæ Profeſſores. Accedo ad *ſecundum* caput intenſivæ Reformationis: *Ut* (inquit) *cognitio certiori nitatur fundamento, videmus homines ex crebro auditu compagem quandam cognitionis conſervare, cujus ſæpe nullam partem ex Scr. S. demonſtrare poſſent*. Reſp. 1. Quod vovet noſter homo, pariter votum noſtrum eſt. Sed quid hoc ad intenſivam Reformationem? Doctrinam Reformatam, prout proponitur in formulis conſenſus, ſi quis legitimè ſibi applicuerit, ulteriori Reformatione non fuerit opus. 2. Ut hunc in finem Exercitia Catechetica inſtituantur, omnibus modis probo. Cæterum vereor admodum, an quæ quotidie Ultrajecti inſtituuntur ad hunc pariter ſcopum vergant. Certe quęſtiones extravagantes, privatæ Catechizantium opinioni & ſcopo utplurimum ſervientes, tantum abeſt ut ſerviant confirmandæ fundamentalium articulorum doctrinæ, in animis vulgi, per eas intricantur ipſi Theologię ſtudioſi. Ex iis, qui talibus ſolum doctoribus operam dederunt, pauciſſimi notantur, qui-

Digitized by Google

bus competat elogium, quod per Spiritum Sanctum Apollos acce-
cepit, qui licet ſolum catechumenus eſſet, dicitur tamen [illegible] *in Scripturis*, Actor. 18. verſ. 24. Sequitur *tertium* caput hujus Reformationis: *Ut cognitio* (inquit) *ſit magis ſenſitiva*, *experimentalis*; *ut ſcil. ſentiant rem ſic eſſe, quomodo eſſe in verbo Dei dicitur: ſic fide purificari corda, ſic fidem per charitatem efficacem, ſic fideles ſuæ ſalutis participes eſſe.* &c. Reſp. Hęc rurſum plane ſunt ἀπροσδιόνυσα. Senſitiva, ſimulque experimentalis cognitio, quam fingit, pendet, poſt Deum, (à quo exſpectanda eſt hęc πληροφορία fidei) à diligenti obſervatione cujuſque fidelis, attendentis non modo ad motus Spiritus Sancti, (quos utplurimum multi negligere ſolent) cordiſque ſui ſecundum illos diſpoſitionem; verum etiam ad efficacem applicationem doctrinę Reformatę, quam prudens verbi Miniſter modo hac, modo illa ratione inſtituit, pro auditorum differentia, ex admonitione Apoſtoli Judę verſ. 22. 23. *alios quidem habito delectu commiſerantes: alios vero metu ſervando.* *Quartum* caput hoc eſt: *Ut cognitio* (dicit) *ſit magis effectiva: calumnias horrenda peccata eſſe ſatis norunt omnes, ſatis norat Schoockius, quam ſterilis tamen ſit hac cognitio, quivis Schoockii libellus docere poteſt.* Reſp. Nihil hic occurrit, quod non aliquoties jam notatum fuerit: ut cognitio magis ſit effectiva, non pendet ab intenſiva Reformatione Eccleſię, ſed ab applicatione ejuſdem, prout aliquoties jam notatum eſt. Quę mihi per calumniam applicare laborat, dijudicanda Deo relinquo. Ei uni conſtat, egone ovicula aquas calumniatorias turbarim, an vero Voetius cum ſuis filiis & adjutoribus, qui hoc adhuc tempore mihi inſidiantur ut lupi veſpertini. Nihil ſcripſi unquam, quod non ſimul & defendere poſſim, & paratus ſim. *Quintum* caput hiſce verbis profertur: *Ut ne charitas quid mali* (inquit) *ſuſpicetur, dubia benignius interpretetur, atque optima quaque de piis credat. Hodie quoties quis ſe ad placitum noſtrum, & mores aliorum non componit, ille hypocrita, legis prato, præciſiſta audit, & neſcio quid moliri creditur.* Reſp. 1. Hęc eodem pertinent, nec quicquam prodeſſe poſſunt. Si vero ex hoc quoque capite intenſiva Reformatio agnoſci debeat, optandum foret, Domini mei eam quam ſcrupuloſe circa ſe exercere inſtituerent: hactenus ſiquidem ſoliti ſunt non modo privas perſonas à ſe diſſentientes condemnare, verum etiam integras Eccleſias. Legantur modo Voetii Theſes adverſus regimen & ritus Eccleſię Anglicanæ, qualis ſub Rege Carolo I. agnoſcebatur.

2. Si

2. Si hoc genuinum foret caput Intenſivę Reformationis, non poſſet non iis quoque placere moderatio: verum per alluſionem ad vocem Belgicam *modder* (vox hæc uvidum lutum notat) ordinario in eorundem Schola vocatur *Modderatio*. Gratulor vero mihi cum maxime, quod hęc aurea virtus nacta fuerit pręconem Cl. D. Hoornbeeck. Ne enim hic ea repręſentem, quę exhibuit ex Ambroſio & Bloſio, ipſe inter alia in Epiſt. Dedicat. præmiſſa Inſtitutionibus Theologicis ſic loquitur: *Uſus* (inquit) *veræ moderationis neceſſarius & ſalutaris. Abſque quo nullum conſtare regimen poteſt, diſciplina ſive in Eccleſia, ſive in Politia nulla.* Utinam obſervarent intenſivi noſtri Reformatores. *Sextum* caput fuerit, quod ſequitur: *Ut patronus malorum nemo ſit. Vix ullus hodie eſt adeo male nequam, quin plures patronos, quam Thebæ portas inveniat. Neque mala adeo eſt cauſa, quam non quiſpiam defendendam ſumat.* Reſp. Quæ ante toties dixi, hic iterum repetita cupio: cum hæc nihil faciant ad Reformationem intenſivam. Optandum foret, Noſtri Reformatores ratione hujus capitis à ſemetipſis inciperent & viderent manticæ, quod in tergo eſt. Sed, pro dolor! ſimiles ſunt Manio Horatiano, qui ita de ſemet: *Egomet mi ignoſco.* Quod vero poëta proxime ſubjicit, illud velim noſter Reyneſſius cum ſuis adjutoribus probe meditetur:

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius?

Deveni Deo dante ad *ultimum* caput intenſivæ quaſi Reformationis, hiſce verbis à Reyneſſio propoſitum: *Ut cupiditates ulterius mortificentur.* Quod cum ejuſdem ſit farinæ cum præcedentibus, verbum non ſuperaddo.

Atque ſic quidem hactenus expendimus noſtri tenebrionis mentem de intenſiva Reformatione Eccleſiæ; cui, ut perſuaſiſſimum habeo, præmanſum cibum à D. Voetio in os ingeſtum eſſe, ita hic ſubdole admodum mentem ſuam de hac intenſiva Reformatione occultavit, prout χευπλὰ τῆς αἰσχύνης latebras quęrere ſolent. In quatuor maxime Intenſivæ Reformationis capitibus viri zelus hactenus occupatus fuit. 1. In reformando Eccleſię regimine, quo excludi optaret Magiſtratum politicum: inde (ut aliquoties publice oſtendi) felices in publica Diſputatione auſus fuit prędicare Eccleſias Gallicas, X.

utpote ad ſupremum apicem Reformationis evectas, quod earum moderamen plane independens eſſet à Poteſtate politica: atque certum eſt, ejus armigerum Teelingium, miniſtrum Eccleſiæ Ultrajectinæ pro concione publica nuper adhuc (innuo annum 1659.) voluiſſe perſuaſum, nefas eſſe ut Delegati politici interſint Synodis; ad Magiſtratum tum demum devolvi negotia Eccleſiaſtica, ſi quando de iis non potuerit inter ipſos miniſtros convenire. Quid anno 1660. adverſus Magiſtratum quoque quidam ex Ultrajectinis Paſtoribus moliti fuerint, poſtquam conſtituti eſſent duo commiſſarii Politici, qui ad iniquitatis molimina, à Voetianis paſtoribus in Conſiſtorio ipſo cudi ſolita, attenderent, publice notum eſt: ut neque poſtera ſecula latebit, quomodo mitiſſimus alias Magiſtratus adactus ſit, ad quoſdam è turbonibus caſtigandos. 2. In extirpandis reliquiis quaſi Papatus; inde adeo fervide diſputatum contra Jus Patronatus, (invito tamen Papa receptum in Eccleſia) contra Canonicos Ultrajectinos, contra Societatem Marianam Sylvæducenſem, denominationes templorum à Sanctis, &c. 3. In componenda quaſi Eccleſia ad ſimplicitatem Apoſtolicam: atque hinc laboratum de abrogandis Feſtis anniverſariis, exterminandis Organis è templis, &c. 4. In ſtrictiori explicatione Decalogi, atque adiaphororum rigida definitione ſecundum præconceptam & cedere neſciam opinionem. Patet ex evulgatis ſcriptis contra uſuram trapeziticam, promiſſiores virorum capillos, &c. ne jam dicam de controverſiis motis de ſanctificatione diei Dominici. Hæc capita noſter Reyneſſius enotare debuiſſet, utpote propius pertinentia ad intenſivam Reformationem, quam ea, quę enotavit. At puduit tum eum, tum ipſius adjutores: quibus cum ratione applicueris illud, quod habet Tertullianus adverſus Hermogenem cap. 1. *Loquacitatem facundiam exiſtimant: impudentiam conſtantiam deputant: & maledicere ſingulis officium bonæ conſcientiæ judicant.* Nec moveor, quod ſectatores multos habeant: nam, ut loquar cum eodem ſcriptore de Præſcript. cap. 2. *De quorundam infirmitatibus habent quod valent, nihil valentes ſi in bene valentem fidem incurrant.*

EXER-

EXERCITATIO XXXII.

QUA

Diſquiritur, an homini jus Naturale dictet, ſacrificandum eſſe?

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

1. *Quinam pro Affirmativa ſententia ſtent?*
2. *Negativa vero probatur, ex primo ſacrificio Abelis & Caini.*
3. *Eadem ſententia placuit antiquis Patribus, nominatim Euſebio: plurimis Theologis Reformatis, imo & Pontificiis.*
4. *Argumenta, è Scriptura in contrarium vulgo adduci ſolita, leve momentum habent.*
5. *Unde Gentiles ſacrificare didicerint, oſtenditur.*
6. *Sapientiſſimi Gentilium viderunt, Deum victimis, quà talibus, placari non poſſe.*

I. Ut non videar ſolis Pedeſtribus controverſiis innutritus eſſe, hac Exercitatione quæſtionem momenti haut tralatitii, quæ Sacrificandi inſtitutum & antiquitatem concernit, in timore Dei, quod ſingularem uſum habeat, excutere decretum eſt. Quæritur autem, an jus ipſum Naturale, ſive illud Jus, quod homini natura inſitum, & cum eo quaſi natum eſt, prævia ratione, ei dictarit, Deo, pro Ipſius propitiatione ἱλαϛικὰ ſacrificia offerenda eſſe? ὁ πάνυ Grotius in Tractatu de Satisfactione, haut uno nomine commendando, poſtquam non per omnia infeliciter communem Chriſtianorum fidem de redemptione peccatorum per ſanguinem Domini Jeſu Chriſti, μεσίτȣ unici, è Scriptura tuitus eſſet cap. 10. in medio fermè ſic loqui inſtituit: *Quanquam autem hæc ſufficere poterant, libet tamen ex communi Gentium notitia, aut potius ex vetuſtiſſima traditione per omnes terras diffuſa, ſacri expiatorii naturam paulo uberius explicare. Quin ante legem Moſis, ſub ſtatu legis naturalis qui dicitur, ſacrificia fuerint, dubitari non poteſt, quorum ritus à Deo traditos hi, qui diluvio ſuperfuere, per terras omnes diſperſi ad poſteros tranſmiſerunt: manſitque aliquandiu non tantum apud Semi, ſed & apud Iapheti, (forte & Chami) poſteros incorrupta religio, donec plurium ideoque falſorum Deorum cultus in ejus locum ſuccreſceret.* Idem docet, digitum intenten-

tendendo in hoc ſuum Scriptum, in Obſervationibus ad cap. IV. Geneſ. Pontificii Doctores ut Miſſę ſacrificium abominandum tutari queant, atque imperitis facilius perſuadere, ſacrificia pertinere quoque ad religionem & cultum Chriſtianorum, præſupponunt velut principium, cultum Sacrificiorum acceptum ferendum eſſe ipſi lumini naturæ, & inſtinctui divinitus ingenito: ut videre eſt apud Gregorium de Valentia lib. 1. de Miſſæ Sacrif. cap. 4. & Bellarminum lib. 1. de Miſſa, cap. 20. Imo, quidam ex Orthodoxis Theologis, diſputantes contra Socinum, quò evincant neceſſariam fuiſſe ſatisfactionem pro peccatis, argumentum petunt ab univerſali omnium hominum conſcientia, dictante quaſi ἱλαςικὰ ſacrificia offerenda eſſe pro peccati, & pœnæ, quæ illi cohæret, expiatione. Adeoque nuper in quadam Inaugurali Diſputatione Candidati Doctoratus Theologici, quæ inſcribebatur, de Satisfactionis Chriſti neceſſitate & veritate, offendi ſequentia: *Nonne Conſcientiæ naturalis naturali rationis luce colluſtrata dictamen, non fieri peccatorum expiationem niſi interveniente aliqua ſatisfactione; quam cum à pecudibus pro delictis hominum præſtare non poſſe viderent, humana potius vita exhibere deſtinarunt?* Quæ cum mihi crudiora eſſe videantur, atque minus exaſciata, operæ pretium fuerit, in timore Domini aliquanto diſtinctius excutere.

II. Cum conſtet vero duplicia fuiſſe ſacrificia, εὐχαριςικὰ & ἱλαςικὰ; ſub ipſa mundi incunabula, utraque Adami filii Cain & Abel obtulerunt. Sic enim legitur Geneſ. 4. verſ. 3. 4. 5. *Fuit autem poſt dies multos, quum obtulit Kaïin de fructu terræ munus Iehova. Et ipſe quoque Abel obtulit de primogenitis gregis ſui & de adipe eorum: reſpexitque Iehova ad munus ejus. Ad Kaïinum vero & ad munus ejus non reſpexit.* Cujus ſacrificii commentarius peti debet ex Epiſtola ad Hebræos, Apoſtolo cap. 11. verſ. 4. ſic loquente: *Abel per fidem (πίςει) majoris pretii ſacrificium obtulit Deo quam Cain: per quam teſtimonio fuit ornatus, quod eſſet juſtus, teſtimonium Deo perbibente de donis ejus.* Quem locum ſi diligenter conſideraverimus, duo ſuggeret, argumenta non minus perſpicua quam efficacia. 1. Dicitur Abelus *per fidem* obtuliſſe ſacrificium. Quod ſi *per fidem*, habuit ergo revelatum Dei verbum, non modo quod ſacrificandum eſſet, ſed etiam quomodo ſacrificandum eſſet. Nam *fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum Dei*, Rom. 10. verſ. 17. Præterea, ut pro meis adoptem verba τȣ͂ μακαρίτȣ D. Cloppenburgii ex luculento ejus Tractatu, qui inſcribitur Schola Sacrificiorum pag. 58.

Αὐτίκα

Κ'ύϐσαλα ſunt in Religione, Fides & ἐθελοθρήσκεια. Hæc enim habet τὰ ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας τῶν ἀνθρώπων quibus nixa eſt, Coloſſ. 2. verſ. 22. 23. *quarum* παράδοσις *ſeu Traditio irritum facit,* τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ, *mandatum Dei, Matth.* 15. verſ. 3. 6. *Illa autem nititur revelatione Divinæ voluntatis, ut qui cultus Deo ex fide præſtatur, ſit obedientia, qua Deo vocanti paremus, cum* πληροφορίᾳ *promiſsionis, qua remunerationem ſperamus, Hebr.* 11. *verſ.* 1. 6. *Phraſis itaque illo capite frequens* (πίστει) per fidem, *complectitur, & voluntatis & mandati divini cognitionem, qua docet ſe illa λατρείᾳ coli, atque eam remunerare velle, & obedientiam cum fiducia promiſsionum Divinarum. Utrumque explicatius habetur eodem capite verſ.* 7. *ubi de Noacho ſermo eſt;* πίστει χρηματισθεὶς Νῶε, εὐλαβηθεὶς. *Per fidem dicitur Noachus paraſſe Arcam; quomodo?* χρηματισθεὶς, *Oraculo edoctus de voluntate Divina, & ſalutis ſpe; deinde* εὐλαβηθεὶς *pio timore & tremore Deo obediens. Rurſum verſ.* 8. *ubi de Abrahamo ſermo eſt,* πίστει, καλούμενος Ἀβραὰμ ὑπήκουσεν: *Per fidem dicitur Abraham abiiſſe in locum, quem Deus ipſi in hæreditatem deſtinarat: quomodo?* καλούμενος ὑπήκουσεν: *Audiens Deum vocantem, obediit Dei mandato.* 2. Æque firmum argumentum Apoſtolus poſt Moſen exhibet, quando teſtantur uterque, Abelis ſacrificium Deo placuiſſe præ Caini ſacrificio. Deo autem nihil placet, niſi quod ipſe aut præceperit, aut, ſi non præceperit, ſaltem non improbet. Notum illud Eſaiæ cap. 1. verſ. 11. 12. 13. *Quis requiſivit hoc à manu veſtra?* &c. Et Pſal. 106. verſ. 39. *Polluerunt ſe operibus ſuis, & fornicati ſunt in adinventionibus ſuis.* Sapienter & pie Cyprian. de ſingul. Cleric. *Non noſtro, ſed Dei arbitrio, eligenda ſunt juſtitiæ exercitamenta.* Si quis quærat, cur non æque Caini ſacrificium placuerit? arcana Dei me ſcrutari nolle reſpondebo: quanquam hoc ex Apoſtolo reſponderi poſſit, Cainum fide deſtitutum fuiſſe; & hoc, forte non inepte, ratio ſuperaddiderit, eum obtuliſſe ſacrificium Euchariſticum, cum debuiſſet propitiatorium. Amplius, ſi alius quærat, à quo Abelus fuerit edoctus, ut ſacrificaret? Non dubito dicere, eum edoctum fuiſſe ab Adamo parente ſuo. Quæ ipſius Pererii Jeſuitæ ad hunc locum eſt ſententia, ſiquidem expreſſe fatetur, ritum ſacrificandi *Abelem didiciſſe ex Patre Adamo, qui id à Deo doctus, itidem filios ſuos docuerat.* Ad quæ verba hæc ſubjicit Dominus Rivetus

Bbbb Exercit.

Exercit. 42. in Geneſin: *Vera eſt reſponſio, nec aliter placuiſſet Deo ſacrificium Abelis, quandoquidem rejicit omnem* ἐθελοθρησκείαν.

III. Argumentum geminum, ſuggeſtum à Paulo exponente ſacrificium Abelis, inſtar ſexcentarum rationum eſſe poteſt. Quod nos vero urgemus contra Pontificios & Socinianos cum Theologis Orthodoxis accuratioribus, jam olim docuit Euſebius lib. I. Euangel. Demonſtrat: cap. 10. ubi de piis Deoque dilectis Patribus loquitur, qui τὴν διὰ ζώων θυσίαν obtuliſſe memorantur: τοῦτο δὲ τὸν λογισμὸν ἡγοῦμαι εἶναι οὐ τὸν τυχόντα, οὐδ' ἀνθρωπίνως κεκινημένον, κατὰ θυσίαν δ' ἐπίνοιαν ὑποβεβλημένον. *Ad id faciendum* (inquit) *non fortuito conſilio, nec humano motu vel ratiocinatione, ſed divinitus ſuggeſta cogitatione eos inductos fuiſſe, exiſtimo.* Cur vero Deus λύτρον voluerit eſſe ſanguinem animalium, proxime docet: ἐπειδὴ γὰρ ἑώρων, μεγάλης αὐτοῖς θεραπείαις δεῖν εἰς ἀποκάθαρσιν τῶν θνητῶν πλημμελημάτων, λύτρον τῆς αὐτῶν σωτηρίας τῷ καὶ ζωῆς καὶ ψυχῆς χορηγῷ προσοφείλεσθαι ἡγοῦντο· ἐπειδὴ μηδὲν κρεῖττον καὶ τιμιώτερον τῆς οἰκείας ψυχῆς καθιεροῦν ἔχοντες, ἀντὶ ταύτης πως τὴν διὰ τῶν ἀλόγων ζώων προσῆγον θυσίαν, τῆς σφῶν ψυχῆς ἀντίψυχα προσκομίζοντες. *Cum intelligerent* (ex Divina ſcil. revelatione) *ad peccatorum mortalium purgationem maximum obſequium cultumque* (Numinis) *requiri, lytrum pro ſalute impetranda Deo vitæ animæque datori perſolvendum eſſe exiſtimabant. Nihil autem habentes ſua ipſorum anima præſtabilius, aut pretioſius, quod dedicarent, interim animalia rationis expertia ſacrificabant, pro anima ſua vitam animalium Deo offerentes.* Atque hanc ob cauſſam Philippus Melanchthon, mundi illud miraculum in Exam. Theolog. ſacrificia vocat *opera à Deo præcepta.* Atque hoc ſenſiſſe quoſdam ex Gentilibus, abunde conſtat ex Hiſtoria Numæ Pompilii ſacrorum apud Romanos conditoris; (quod ipſe ſacrificaverit, à Pacato Drepanio in Panegyrico poſt Ovidium vocatur *ſacrificus*) ſiquidem non niſi monitu Deæ Egeriæ, cujus aſſiduis congreſſibus fruebatur, ſacra ſe inſtituiſſe finxit, Val. Max. lib. 1. c. 3. Romaniſque perſuaſum erat, ipſum Jovem eum informaſſe, quomodo ſacrificandum eſſet, quod ex Antiatis lib. 2. prolixe recenſet Arnobius lib 5. adv. Gentes. ſub initium. Pertinet huc quoque inſignis locus Platonis, ita loquentis in Epinomide: τούτων πάντων νομοθέτης, ὅστις νοῦν κέκτηται καὶ τὸν βραχύτατον, οὔποτε μὴ τολμήσῃ καινοτομεῖν, ἐπὶ θεοσέβειαν, ἥτις μὴ σαφές ἔχει τι, τρέψαι πόλιν ἑαυτοῦ. καὶ μὴν οὐδ' ὢν ὁ πάτριος νόμος εἴρηκε περὶ θυσιῶν ἀποκωλύσει, μηδὲ τοπαράπαν εἰδὼς ὥσπερ οὐδ' οὖν δυνατὸν εἰδέναι τῇ θνητῇ τῶν τοιούτων πέρι. *Horum omnium legiſlator, qui*

vel

vel minimum mentis habeat, nunquam quicquam in religione audebit innovare, ne ad quoſdam videlicet minus certos commodoſque religionis ritus civitatem ſuam convertat. Nec vero qua patria lege vel conſuetudine de ſacrificiorum ritibus fundata ſunt, movebit aut impediet ſua imperitia conſcius: quum videlicet intelligat rerum tantarum myſteria in naturam humanam cadere non poſſe. Quod urgeo vidit ipſe Jeſuita Suarez (à D. Riveto quoque adductus) part. 3. ſumm. Thomæ, art. 1. diſtinct. 71. ſect. 8. *Nullum* (inquit) *eſt naturale præceptum, ex quo ſufficienter colligi poſſit, determinationem illius, ad talem modum, cultus ſcil. per ſacrificium, eſſe omnino neceſſariam ad morum honeſtatem.*

Nec contrarium ſuadet Propheta Micha, ut nonnemo vult: legitur quidem apud eum cap. 6. verſ. 6. 7. *Quanam re inſtructus veniam ante Iehovam, incurvabo me honorem habens Deo excelſo? veniamne ante eum cum holocauſtis, cum vitulis anniculis? An accepta haberet Iehova millia arietum? myriadas torrentium olei? an darem primogenitum meum pro defectione mea? fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Sed quis hinc exſculpſerit ex inſtinctu naturalis luminis, & meræ rationis, hominem collegiſſe, Deum iratum placari velle per ſacrificiorum & holocauſtorum oblationem? Propheta introducit hic loquentem hypocritam, eumque non Gentilem, ſed Judæum, *cui indicarat verba ſua, ſtatuta ſua, & jura ſua*, Pſal. 147. 19. qui exiſtimabat ſufficere, ſi externum ſolummodo cultum, qui conſiſtebat in oblatione ſacrificiorum, Deo præſtaret, neſcius, potiſſimum requiri rationalem atque internum cultum, abſque quo alter nequaquam Deo probabatur, ut patet ex ſequenti commate octavo: cum quo conferri debent loca Matth. 6. 1. &, 15. 8. 9. Rom. 12. 1. Matth. 23. 23. Nec ad rem facit, quòd Propheta mentionem faciat *primogeniti offerendi*. ſiquidem ἐθελοθρησκεία hoc perſuaſerat Iſraëlitis, qui (ut æmuli quaſi viderentur Patriarchæ Abrahami) videntur primi quoque abominando hoc ſacrificio Deo litaſſe, atque Gentilibus exemplum præbuiſſe, (ut poſtea liquebit) filios ſuos comburendo in valle Hinnomi, Joſ. 15. 8. 2. Reg. 17. 17. & 21. 6. & 23. 10. 2. Chron. 28. 3. & 39. 6. Jeſ. 30. 32. 33. Jerem. 7. 31. & 19. 6. 32. 35. Nec eſt, quod quis dicat, lumen Naturæ, poſt lapſum in homine reliquum, dictare Deum honorandum eſſe ſacrificiis: ei enim ipſe Deus reſpondet Pſalmo L. verſ. 9. & ſeqq. *Non accipiam è domo tua juvencum, è caulis tuis hircos: quum mea ſit omnis beſtia ſilveſtris, jumenta in montibus mille*, &c. *Sacrifica Deo laudem, & redde Excelſo vota tua.* Sacrificia omnia Ty- IV.

Bbbb 2 pica

pica fuiſſe, & adumbraſſe unicum ſacrificium Chriſti, ut agni immaculati, certiſſimum eſt: & licet Deus ante Chriſtum exhibitum requiſiverit ſacrificia, ad præfigurandam redemptionem & reconciliationem per illum peragendã; non tamen hæc ipſa Sacrificia potuerunt facere expiationem proprie dictã, prout diſtincte docet Apoſtolus Heb. 10. 1. & 4.

V. Si quærat aliquis, unde ergo didicerint Gentiles Diis ſuis victimas offerre? Reſpondebo cum Domino Riveto l. d. *Partim ex κακοζηλίᾳ, qua mundus in quibuſdam ſolet imitari Eccleſiam, partim inſtigante Diabolo, varia ſacrificia & varii ritus etiam apud Ethnicos obſervabantur.* Diabolo vero non modo, (qui homicida eſt ab initio, Joh. 8. 44.) verum etiam ipſis Iſraëlitis, qui videntur primitus ab eo ſeducti eſſe, placuit ἀνθρωποθυσία, quod illa ab ipſo Deo videretur præcepta eſſe Abrahamo, cui, ut filium unigenitum Iſaacum offerret, ipſe Deus injunxerat, Geneſ. 22. Exemplum Jephthę pariter laudari poſſet, (Jud. 11.) modo conſtaret filiam eum immolaſſe, & non potius perpetuæ virginitati devoviſſe. Ego hic ἐπέχω, nec etiam convenit inter viros maximos: pro utraque quoq; ſententia plauſibilia argumenta adducuntur. Interim confuſionem utriuſque Hiſtoriæ, qua Abrahami, qua Jephthæ ſapit Gentilium Iphigenia (videatur vel unus Euripides in Iphigenia in Aulide) ea cum eſſet offerenda à patre Agamemnone, juxta oraculũ pro ſalute Græcorum, morti per Dianam, quę ſuſtituebat cervam, (hinc Dianę poſita hęc antiqua Inſcriptio: ΑΡΤΕΜΙΔΙ. ΑΥΛΙΔΙ. ΣΩΤΕΙΡΙ.) erepta fuit. Nomen & ſexus redolent hiſtoriam Jephtæ: Iphigenia enim eſt vera Jephtigenia. Cataſtrophe autem de ſubſtituta pecude pro humana victima, ſapit cataſtrophen Sacrificii Abrahami, qui loco Iſaaci arietem immolavit. Juxta Demarathum & Dorotheum ad ſuffragiũ vocatos à Clemente Alexandrino in Protreptico, Erechteus ſuam filiam Proſerpinæ, Marius vero ſuam quoq; Diis Averruncis immolaſſet. Ut ut ſit vero, videntur primi Iſraëlitæ, κακοζηλίᾳ ſacrificii Abrahami (Iſaacus, ſi immolatus quoque fuiſſet, non potuiſſet vel ſuum peccatũ expiare, quod merus homo eſſet; eoq; ſubſtitui debuit Aries in typum ſacrificii Chriſti) filios ſuos Molocho obtuliſſe. Secuti fuerunt eorum exemplum populi finitimi: & quidem primi ut videntur Tyrii, de quibus ita Curt. lib. 4. cap. 3. *Sacrum quoque, quod quidem Diis minime cordi eſſe crediderim, multis ſeculis intermiſſum, repetendi auctores quidam erant; ut ingenuus puer Saturno immolaretur. quod ſacrilegium verius quam ſacrum, Carthaginenſes à conditoribus traditum, uſque ad excidium urbis ſuæ feciſſe dicuntur.* Tyriorum exemplo idem egerunt Taulantii, Strab. l. 3. Gaditani, Pauſan. lib. 3. Maſſagetæ, teſte

teſte Mela l. 2. c. 1. Tauri, Oroſ. lib. 5. c. 1. pluresq; alii populi, ordine adducti à Tyraquel. ad Alexan. ab Alexand. l. 6. Genial. dier. c. 26. & Ludovico Vive ad Auguſt. de Civ. Dei l. 7. c. 19. item Elmenhorſtio ad Minucium Felicem. Præ cæteris deteſtanda fuit Germanorum crudelitas, de qua ita Cicero Orat. pro Fonteio: *Si quando aliquo metu adducti Deos placandos eſſe arbitrantur, humanis hoſtiis eorum aras ac templa funeſtant, ut ne religionẽ quidẽ colere poſſint, niſi eam ipſam prius ſcelere violarint. Quis enim ignorat, eos, uſq; ad hunc diem, retinere illam immanem ac barbaram conſuetudinem hominum immolandorum?* Eadem de illis perhibet Cæſar lib. 6 de B. G. & Strabo l. 4. Geogr. Adeo vero pertinaces hujus conſuetudinis fuerunt, ut, teſte Procopio l. 9. de Bello Gothico, ne quidẽ, Chriſtiani cum eſſent, eam intermittere potuerint. Horrendum quoq; eſt exemplum, quod Cedrenus in Theodoſio Adramytteno narrat de Pergamenis, ad Chriſtum jam converſis, & à Saracenis obſeſſis: ſiquidẽ *Magi cujuſdam inſtinctu, prægnantem mulierem diſſecuerunt, fœtuque in cacabo elixato, quotquot militare vellent, in exſecranda hoc ſacrificio manicas dextrarum ſuarum intingui re debuerunt.* Adeo verum eſt judicium Polybii lib. 1. c. 81. *nullam inveniri belluam crudeliorem homine.* Et tamen adhuc hodie ἀνθρωποθυσία recepta eſt inter omnes ferme Gentiles, quotquot in Aſia, Africa, & novo orbe Americano notantur, quemadmodũ prolixe oſtendi poſſet, ſi inſtitutum noſtrum pateretur. Primi ex gentibus decreto publico barbarum hunc morem abrogarunt Romani. Ita enim de iis Plinius lib. 30. Natur. Hiſt. c. 1. D. C. LVII. *demum anno Urbis Cn. Cornelio Lentulo & P. Licinio Craſſo Coſſ. Senatuſconſultum factum eſt, ne homo immolaretur, palamque in tempus illud ſacri prodigioſi celebratio, &c. Non ſatis æſtimari poteſt, quantum Romanis debeatur, qui ſuſtulere monſtra: in quibus hominem occidere religioſiſſimum erat.* Atq; ut hoc fieret, monuerat Plato, ita & loquens per interpretem, & ſimul edicens ut Legiſlator in Protagora: *Neque leges noſtræ* (inquit) *homines ſacrificari permittunt,* &c. Sed tamen ipſi Romani, qui præ aliis gentibus ſancti & clementes, imo, & humani ſanguinis parci videri voluerunt, frequenter gladiatorios ludos exhibere ſolent, atq; in Illuſtrium virorum funeribus plura eorum paria committere, ut, Inferias quaſi defunctis perſolverent. Quomodo & hodie Barbaris, qui inter Gentiles adhuc cenſentur, conſuetum eſt, captivorum ab hoſtibus ſanguine placare Manes defunctorum, quando his feralia ſacra perſolvunt. Fateor, hæc ſi attendamus, cum Grotio plauſibiliter in ſpeciem colligi poſſe, Gentes, ſacrificia hæc, abominanda licet, & olim obtuliſſe, &

Digitized by Google

hodie adhuc offerre,ut ſatisfaciant illi Enti,qualecunque etiam fingere voluerint) quod Numen cenſent, in eum finem, ut placatum habeant. Sed, ut neſciunt, & neſciverunt,quodnam ſit fundamentum & fulcrum victimæ ut expiatoriæ (omnes ſi occiderentur homines, minimum hominis alicujus (τοῦ Δεῖνα) peccatum expiare non poſſent) ita hic aliud præceptum non poſſunt adducere, quam vetuſtam, imo immemorialem majorum ſuorum conſuetudinem, quæ deſtituta inſtinctu rationis (ſane hic non ſufficientis) exigi debet ad κανοζηλίαν, de qua jam fuimus locuti.

VI. Quod fundamentum expiationis, quum ignotum eſſet illis, qui inter Gentiles ſapientiſſimi habebantur, ſacrificia, expiatoria licet, animus niſi purus, integer, atque illibatus foret, nulli uſui eſſe exiſtimarunt. Patet vel ex uno Porphyrio lib. 2. de Abſtinentia. Statius lib. 1. Theb.

—— Superoſque in vota fatigant
Inachidæ, quæ cuique domus, ſacrique facultas,
Hi fibris animoque litant, hi ceſpite nudo,
Nec minus auditi, ſi mens accepta meretur.

Seneca lib. 1. de Benef. cap. 6. *Nec in victimis quidem, licet opima ſint, auroque præfulgeant, Deorum eſt honos; ſed pia ac recta voluntate venerantium. Itaque boni etiam farre ac fritilla religioſi ſunt; mali rurſus non effugiunt impietatem, quamvis ſanguine multo cruentaverint.* Quomodo & Ariſtoteles Rhet. ad Alex. cap. 3. teſtatur: *Deos non ſacrificiorum ſumptibus, ſed ſacrificantium pietate potius delectari.* Verba Græca ſunt elegantia: οὐκ εἰκὸς τοὺς Θεοὺς χαίρειν ταῖς δαπάναις τῶν θυομένων, ἀλλὰ ταῖς εὐσεβείαις τῶν θυόντων. Plura ſuperaddi poſſent teſtimonia, niſi pauca hæc inſtar plurium haberi poſſent: Eoque hanc Exercitationem hic finimus.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO XXXIII.

Eſus carnium quando à Deo fuerit conceſſus?

1. *Communis eſt ſententia ipſorum Rabbinorum, homini in ſtatu innocentiæ, ſolos terræ fructus, neutiquam vero carnes animalium pro alimento à Deo conceſſas fuiſſe.*
2. *Dei præceptum de victu hominis in ſtatu innocentiæ, pertinens ad leges poſitivas, examinatur.*
3. *Occurritur argumentis, quibus, Dei præceptum attendendum non eſſe, videtur ſuaderi.*
4. *Ex Dominio quod homini in ſtatu innocentiæ in animalia conceſſum eſt, non licet colligere, ei fas fuiſſe, pariter veſci carnibus illorum animalium.*
5. *An in ſtatu innocentiæ, animalia, quadrupedia quoque, carnibus abſtinuerint?*
6. *An in ſtatu lapſus, hominibus Ante-diluvianis licuerit carnibus veſci? Negativa ſententia, ut communior, jure potior habetur.*
7. *Occurritur argumentis, propoſitis à Curcellæi adverſario.*
8. *De Abelis ſacrificio, ratione eſus carnium, quid exiſtimandum ſit?*
9. *An contrarium ſuadeant pelles hominum, ante diluvium, amictui ſervientes?*
10. *Nec præſidium adverſariæ ſententiæ accedit, à diſtinctione animalium in munda & immunda.*
11. *Periculum quoque non erat metuendum, à nimio incremento animalium mutorum.*

QUod nuper viderim quendam, qui Curcellæi ſententiam de *eſu ſanguinis & ſuffocati* ſibi examinandam propoſuit, multum pulveris voluiſſe concitare, ut probaret virum doctiſſimum & egregium, (dolendum licet ſit, quòd alicubi ab Orthodoxi conſenſus lineis receſſerit) inauſpicato hanc Hypotheſin ſtatuiſſe: *Quod homini fas non fuerit in ſtatu innocentiæ carnibus veſci*; continere haut quaquam me quivi, quin, omiſſis reliquis ex tali principio deductis, (quæ hactenus ſuo authori relinquo) aliquid dicerem, I.

Digitized by Google

dicerem, pro communi ſententia, non rejicienda propterea, quod perſuaſiſſimum habeam, quàm liquido ex Scriptura patere, homini in ſtatu innocentiæ alimenti vice ſolummodo *menſam ſine ſucco & ſanguine,* (Varronis verbo utor) ſive, terræ fructus à Creatore & Conſervatore Univerſi conceſſos fuiſſe. Jure merito videor hanc ſententiam communem vocare poſſe, quod eam amplectantur Rabbini & antiqui Eccleſiæ Doctores omnes, Pontificii ſine numero, atque ex Orthodoxis Theologis plerique. Ut à Patribus incipiam, Tertull. Epiſt. de Cibis Judaicis: *Cibus primus hominibus ſolus arborum fuit fœtus, aut fructus.* Hieronymus lib. 1. adv. Jovianum: *Ab exordio conditionis humanæ nec carnibus veſcebantur.* Baſilius M. Hom. 11. in Hexaëm. (ſi tamen hæc Homilia ad illum referri debeat, ſunt enim qui Gregorio Nyſſeno tribuant, apud quem quoque eſt Orat. 2. concepta quaſi ad hæc verba: *Faciamus hominem.*) Non dixit (*inquit*) dedi vobis piſces in cibum, dedi vobis pecora reptilia, quadrupedia. Neque enim in eum uſum hæc creavi, inquit, verum primaria illa legiſlatio eſum indulſit fructuum: neque dum enim Paradiſi domicilio cenſebamur indigni. *Hæc Niſſenus.* Atque ne plures Authores advocem, audiatur modo Franciſc. Junius in Prælectionibus ad verſ. 29. cap. 1. Geneſ. *Convenit* (inquit) *inter omnes, ſecundum primam illam creationis legem victum hominis fuiſſe ἀναίμακτον, ut circumſcribitur hoc verſu diſerte.* Merito addit illud *diſerte.* verba enim Textus præceptum Dei ipſius complectentia, clariora ſunt, quàm ut cavillandi anſam præbere poſſint. Ita enim habent: *Et dixit Deus, Ecce, dedi vobis omnem herbam ſeminantem ſemen, quæ eſt in ſuperficie totius terræ, & omnem arborem in qua eſt fructus arboris, ſementantem ſemen: vobis futura eſt cibo.* Quod ut pateat, præceptum ipſum, aliquanto diſtinctius, proxime conſiderandum eſt.

II. Atque initio lubens concedo, præceptum hoc eſſe ex ordine illorum, quæ Scholaſtici præcepta *poſitiva* vocare ſolent, oppoſitive ad *moralia:* mutabile enim fuit atque reſpexit duntaxat hominem in ſtatu Integritatis, quum adhuc inquilinus foret Paradiſi; cum præcepta *moralia* habeantur perpetua & immutabilia. Nihil vero hoc prodeſſe illis, qui à communi ſententia in alia omnia abeunt, ſolo ſtudio contradicendi, poſtea liquebit, ubi omnia aliquanto diſtinctius prius expenderimus. Ergo 1. notetur, quòd Deus hominem crearit poſt omnia alia animalia, ut non modo manifeſtum eſt ex cap. 1. Geneſios, ſed & repetitur ſub initium capitis proximi. 2. Homo primus, ſive

Digitized by Google

ſive Adam, ſimulac creatus erat, à Deo collocatus eſt in horto Edenis, ſive in Paradiſo, Geneſ. 2. verſ. 8. In quo ut feliciter agitare poſſet, 3. dicitur verſ. 9. & 10. quòd *ibi germinaret è terra quavis arbor, deſiderabilis ad aſpectum, & bona ad cibum: ſimul procederet fluvius ex Edene ad irrigandum hunc hortum*; qui porro deſcribitur, quòd ſe divideret in quatuor capita. 4. Poſtea, quibus uſibus omnes hę arbores, inter quas etiam *arbor ſcientia boni & mali*, deſtinatæ ſint, Moſes ex ore Dei proponit. Atque initio notari debet, quod Legi, quam Deus fert de futuro hominis cibo, præmittatur Prologus, ſeu Præfatio complectens benignitatem Dei, juxta quam permittitur homini liberrimus uſus omnium herbarum, arborum, & fructuum arboreorum: Ita enim legitur Geneſ. 1. 29. *Ecce dedi vobis omnem herbam ſeminantem ſemen, quæ eſt in ſuperficie totius terræ, & omnem arborem in qua eſt fructus arboris, ſementantem ſemen.* Et Geneſ. 2. 16. *De fructu omnis arboris hujus horti libere comedes.* Præceptum vero ipſum continetur his verbis, in dicto verſu undetriceſimo juxta verſionem Junianam: *Veſtræ ad comedendum erunt.* Vel: *Veſtra erunt in eſcam.* Manaſſes Ben Iſraël in Conciliatore ſuo, Qu. 10. in Geneſin, non ſine ratione monet, attendendum eſſe illud leohla: (in eſcam:) quod cum occurrat quoque proximo verſu, ubi agitur de alimento belluarum, ſingularem videtur vim habere. In locum Manaſſis Curcellæus digitum quoque intenderat: nos tanti illum putamus, ut hic exhiberi integer debeat, *qui ita habet:* R. Selomoh, Aben Ezra, R. Moſes Gerundenſis, R. Bahyd, R. Niſſim, Iſhac Karus, Iſhac Arama, Iſhac Abravanel, & R. Moſeh Alchech, &c. ſequuntur opinionem R. Johanan, & Rab in Gemara Sanhedrin cap. 7. & Rabot cap. 34. in eo conſentiunt, Adamo nefas fuiſſe comedere animalia: ac propterea S. Scripturam hunc in modum interpretantur. Poſtquam Dominus benedixit Adamo, eumque ſupra cuncta animalia conſtituit, addidit continuo, quamvis imperium in ea habiturus eſſet, non tamen id fore domini inſtar, ſic ut pro libitu iis veſceretur; quippe jam cuique viventium aſſignaſſe alimenta ſua. Et ideo dicere illis: *Ecce dedi vobis omnem herbam ſeminantem ſemen, quæ eſt in ſuperficie omnis terra. Et omnis arbor in qua eſt fructus arboris, ſeminans ſemen, vobis erit in eſcam.* Atque hic finem imponi iis, quæ Adamo aſſignantur ad victum. Sequi autem alterum verſum, quo dicitur: *Et omni beſtia terræ, & omni volucri cœli, omnibusque reptantibus ſuper terram, in quibus eſt anima vivens, omnes herbas virides in eſcam.* Ubi videamus, animalibus pro alimento

dari herbas, & olera. Qua in re, ut notat Iſhac Abravanel, demonſtravit Dominus Adamo, etiam quantum ad eſcam, illius conditionem conditione animalium meliorem fore; quandoquidem illi, & ſemina, & arbores concederentur, beſtiis ſolæ herbæ. Favet valde huic opinioni, quod ſub finem cuique horum verſuum ſubjicitur vox *leobla* (*in eſcam*) quod clarè oſtendit agi hic de duobus alimentorum generibus, de quibus jam dictum eſt. Et juxta hanc ſententiam, non licuit Adamo veſci animalibus. *Huc uſque Manaſſes.* Quum ergo occurrat hic diſtinctum præceptum, ut oſtendimus, & juxta illud certum cibi genus homini in domicilio, quod incolebat, præſcribatur; non poteſt non inde quoque colligi interdictum juxta regulam, quam Theologi monere ſolent obſervandam eſſe in explicatione Decalogi: *In affirmatione negatio, & in negatione affirmatio oppoſita comprehenditur.* Cujus hoc eſt principium, quòd Deus non ſolum abſtinentiam à malo, verum etiam efficientiam boni poſtulet. Deus ſapientiſſimus & clementiſſimus, qui nulla ratione cenſeri poteſt Author lapſus primorum parentum, ut norat, quid ratione alimenti, communibus noſtris parentibus, Creatoris ſui imaginem adhuc circumferentibus, conduceret, pro ſua ſapientia cibum definivit, convenientem non minus ipſorum ſtatui, quàm reſpondentem arbori exploratoriæ ſcientiæ boni & mali, ſimulque arbori ſacramentali, quæ à vita nomen habebat. Quod niſi tanti putaſſet, qui ipſa Sapientia eſt, legem non tuliſſet Prologo quoque firmatam.

III. Nec deliquit Curcellæus, hoc cum ſtatueret: nec etiam quæ objiciuntur evertendæ rationi noſtræ, aliquanto uberius deductæ, ſufficere poſſunt. Duo tamen video objici. I. Ita diſſeritur contra Curcellæum: *Carnibus veſci ſua natura neque bonum neque malum eſt, ſed in genere illorum, qua adiaphora vocamus.* Reſp. 1. Ἀδιαφορία quædam, eſt moralis: (Exercitatione prima fuſius à nobis conſiderata) ſed præter illam Phyſica quoque agnoſci debet. De Auguſto, Suetonius lib. 1. cap. 53. judice Oppio teſtis eſt, fuiſſe *circa cibum indifferentem.* quæ ἀδιαφορία ut concedi poteſt homini ſano & ſuæ ſpontis: ita neutiquam permittenda ægro: minime arbitrante Medico: qui ſi V. C. febricitanti carnes bubulas, aut pernas, in diætam præſcripſerit, tantundem fecerit, ac ſi boletos Claudiano præparaſſet. Deus hominis primi creator, imo, juxta phraſin Scripturæ Luc. 3. verſ. ult. *pater*, quid filio ſuo conduceret, norat optime, adeoque ratione alimenti, ei proſpexit ut Medicus. 2. Adiaphora hactenus ſunt talia, & agnoſci debent tamdiu, quàm de illis

Illis Lex non fuerit lata, aut à Deo, aut à Magiſtratu, Dei in hoc mundo vicario. Si Theologus, ita argumentans oculos reflexiſſet ad animalia munda, ab immundis per Legem Cęremonialem diſtincta, omiſſo κρησφυγήτῳ τῆς ἀδιαφορίας, Legem Dei, antea excuſſam, melius intellexiſſet. II. Ita pergit: *In his Teſtimonium negativum S. Scriptura, nullam habet vim perſuaſionis. Atqui hoc Teſtimonium mere eſt negativum.* Non expreſſit Deus hoc verſu jus veſcendarum carnium: Ergo interdixit. *Si hac juſta argumentandi ratio, tum fas mihi fuerit inde concludere: in ſtatu innocentiæ ne quidem vini, aliuſve potus uſum fuiſſe. Nam hac conceſſione Deus ſaltem cibum Protoplaſtis locavit.* Reſp. 1. Teſtimonium negativum Scripturæ, ſimpliciter non eſſe admittendum nullus Chriſtianus, nedum Theologus, dixerit; illi ſiquidem ſua ſtat ratio in illis, quę ad Salutem ſunt neceſſaria: quomodo recte infertur, nullum eſſe Purgatorium, itemque Sanctos non eſſe invocandos; ideo, quòd in Scriptura nullibi hoc dicatur aut præcipiatur. 2. Miror Theologiæ Doctorem putare, Curcellæum negative fuiſſe argumentatum. Tirones Logici hic forte notarent defectum non modo Logicę artificialis, ſed & naturalis. Deus, ut antea patuit, per legem poſitivam, affirmative ſe habentem, definivit victum homini, in ſtatu innocentię incolenti Paradiſum: adeoque homo, ut Dei filius, illi pręcepto pręciſe obedire tenebatur, &, quicquid ſub cibo conceſſo non continebatur, eo omnino abſtinere debebat. Quod ſi Medicus ægro ſuo pręſcribat victum tenuem, an ęger inde collegerit, ſibi non licere veſci pernis, braſſica ſalita, ſimilibusque eo quod definite talibus Medicus non interdixerit? Lex poſitiva, juxta quam, ut antea patuit (nec rationalis homo aliud colligere poteſt) homini pro primævo ſuo ſtatu definita fuit certa victus ratio, præciſe ab illo æque obſervanda fuit, atque abſtinere debuit fructu tum arboris exploratoriæ, tum arboris ſacramentalis. 3. Illatio quaſi abſurda, (cô quòd homo, ſi valeat argumentum Curcellęi, inconcuſſum hactenus, pariter abſtinere debuerit potu, ſpeciatim vini) abſurditatem arguentis manifeſtiſſimè prodit. Quis enim ita in Scriptura rudis, ut ignoret, juxta ſtylum Sp. Sancti, ſub pane comprehendi ordinario illa omnia, quæ homini ad vitæ hujus ſuſtentationem ſint neceſſaria? Adeoque, Deus deſtinando victum, potum in Paradiſo quoque, qui irrigabatur à quatuor fluviis, deſtinaſſe videtur. Ne dicam, fructus arboreos, per ſuccos ſuos, qui mundo recenter creato, in paradiſo erant elegantiſſimi, & fami & ſiti (naturaliter hactenus pro

ſtatu primigenio conſiderari debent) ſedandæ abunde ſuffeciſſe: atque dubio procul exiſtimandum eſt, reliquis arboribus paradiſi ſociatam fuiſſe vitem, cujus fructu certe ſcienter primævi parentes uti frui ſciviſſent, niſi primigenia felicitate excidiſſent. Poſtea Curcellæi adverſarius amplius ſe gerit pro vate, adeo ut & divinare auſit. Ordine omnia examinabimus, quô pateat, quàm temere ſe quidam auſint gerere pro vatibus, cum non ſint vatum filii. Ita autem profatur: *Sed & divinare licet, quamobrem in hac conceſſione nulla facta carnium mentio. Protoplaſti ſoli in Paradiſo agitabant. Plantarum autem proculdubio tanta & varietas, & ex ſuavitate delectatio, & ſalubritas, & præparandarum facilitas, pra his ut carnes fœtere deberent.* Reſp. 1. At hoc argumentum κατὰ τὸ βίαιον ita retorquere licet: Quoniam Deus, qui agnoſci debet ſapientiſſimus, domicilium, primęvis parentibus noſtris deſtinatum, omnigenis plantis & ad neceſſarios uſus & ad honeſtam voluptatem abunde ſufficientibus, inſtruxit, eoſdem iis non minus voluit contentos eſſe, quàm ipſi quoq; non concupiſcendo τὰ ἕτερα, contenti eſſe debuerunt; quòd Deus poſitiva amplius lege definite ſanciverit, hæc (nulla mentione facta aliorum eduliorum) iis à ſe in alimentum aſſignata eſſe. 2. Ut graviter deliquerunt Iſraëlitæ, præter Mannam, qua tandiu paſti fuerant, concupiſcendo carnes, Numer. 11. etiamſi Deus expreſſe non edixerat, eos ſola Manna debere contentos eſſe, quæ uniformis cibi rationem habebat: Ita exiſtimandum eſt, Protoplaſtos, offenſuros fuiſſe Deum, ſi carnes in Paradiſo comediſſent, maxime, quod Deus ſpeciatim illis commendaſſet fructus Paradiſi, non tantum *varios*, ſed etiam (ut fatetur Curcellæi adverſarius) *ſuaves, ſalubres, & præparatu faciles.* Pergit Vates: *Medicum hic,* (inquit) *ita loquar, ſe Deus Protoplaſtis geſſit conſulentem quid potiſſimum tanta in copia affluente ciborum, quæ væ etiam oculis faceret, ſanitati conduceret. Non, quid vel permitteret vel interdiceret, explicavit, ſed quid potiſſimum conduceret.* Reſp. 1. Deus non poteſt, ratione legis, quam urgemus, & à qua progredimur argumentando pro Curcellæi & noſtra ſententia, ſimpliciter agnoſci ut conſulens Medicus, ſed ut Legiſlator, qui cum Adami eſſet dominus, pro ſua poteſtate ei præſcripſit diœtam. 2. Medicus, cui ſerium eſt per diœtam curare ægrum, non debet ſolum ab ægro, qui ad valetudinem priorem anhelat, agnoſci ut conſiliarius, ſed pro domino qui & jus habeat cogendi, ac cui proinde debeat obſequi, ſi non minus ipſe damnari velit voti, quam Medicus exoptat ſuo voto ſatisfieri queat. Norat Seneca,

Epiſt. 25.

Digitized by Google

Epiſt. 25. ita loquens. *Nec deſperaveris* (inquit) *diutinos ægros poſſe ſanari, ſi contra intemperantiam ſteteris, ſi multa invitos & facere coëgeris & pati.* Vetus verbum eſt: *Qui optime conjecerit, vatem perhibebo optimum.* Ergo tertiam quoque conjecturam audiamus, & poſtea examinemus: *Sed & hanc liceat mihi* (inquit) *conjecturam promere. Plantarum ingens erat multitudo, ex fœcunda terra matre ſatarum. Bruta autem animantia vix probabile eſt creata niſi par in qualibet ſpecie. Hæc igitur nondum multiplicata ſub exordium mundi mactanda præbere Deus noluit, cum eſſet abunde ciborum & copia & ſatietas. Placere hoc video etiam Iuſtino Martyri in Reſp. ad quæſt. 49. Orthod. Inde autem religioſum aliquod interdictum fruſtra quiſquam conficere ſatagat.* Reſp. 1. Fallitur ſi putet Juſtino Martyri hanc ſententiam ſediſſe, Adamum ſponte abſtinuiſſe uſu animalium, quòd in quaque ſpecie unum tantum par à Deo creatum eſſet. De Adami abſtinentia οὐδὲ γρὺ apud Juſtinum. Qui ſolummodo exiſtimat, in unaquaque animalium ſpecie unum par creatum fuiſſe. Quęſtio undequinquageſima ita apud Juſtinum proponitur: *Quomodo doceri poteſt, duas tantum beſtias & pecora, marem ac fœminam in mundi ortu prolata eſſe in lucem: quandoquidem nonnulli religionis noſtræ in ea ſunt ſententia, ut hoc confirment, Deum non ex eorum, quæ expertia ſunt rationis, pellibus, tunicas primis hominibus dediſſe.* Cui quæſito ſic reſpondet: *Si in omni genere* (inquit) *ſunt generis principia, & generis principia Dei opera ſunt, quæ autem ſubjecta ſunt generis principiis, opera ſunt naturæ ſemine atque ortu extantia: perſpicuum eſt, Deum uniuscujusque generis non feciſſe niſi par unum maris ac fœminæ: Tunicas autem pelliceas fecit Deus non more hominum, ſed opificis arte. Neq; enim caſis beſtiis, contextisq; & conſutis earum villis ac pellibus tunicas fecit, ſed ut opifex fecit ipſas tunicas pelliceas.* At, hæc non ſervire inſtituto Adverſarii Curcellæi, nec convenienter adducta eſſe, quivis videt. 2. Quod, ſi maximum quoq; candorem voluerimus admittere, illud, quod ſuffragante quaſi Juſtino, ut certum pręſupponitur, è Scriptura nullatenus ut tale admitti poterit. Nam, animalia in unaquaque ſpecie bina duntaxat à Deo creata fuiſſe, gratis, & ἄπερ γραφῆς, ſeu abſque Scriptura, dicitur. Aquarum ſolummodo, quas piſces pro domicilio nacti ſunt, habeatur ratio. Dei hoc effectivum verbum fuit. Geneſ. 1. verſ. 20. *Abunde progignunto aquæ reptilia animalia.* An vero exiſtimabimus Dei Omnipotentis voluntatem executivam in aquis fuiſſe largiorem, quàm in aëre, & terra? Sed, quid tum reſponderimus ad hoc argumentum?: Si animalia terreſtria, bina ſecundum ſpeciem, ab ini-

Digitized by Google

tio à Deo ſolummodo producta fuerint, illa pro domicilio acceperunt aut tantum paradiſum, aut extra paradiſum ſuam quoque manſionem. Hoc ſi admittatur, atque concedatur, extra paradiſum quoque ſuam ſtationem accepiſſe, conjectura præcedens evaneſcit, & fruſtra ſpontanea Adami, abſumpturi aliàs integras animalium ſpecies, abſtinentia commendatur. Sed, ſi bina animalia, ſexu differentia, pro arbitratu Creatoris, ab initio Paradiſo concluſa fuerint, neceſſum fuerit longe majorem Terræ partem ante hominis lapſum caruiſſe inquilinis animatis: atque obveniente hominis ἀποικίᾳ, oportuerit, non modo homines, ſed & animalia terreſtria horto Edenis per Angelos ejici. quod cum nullibi Scriptura dicat, putarim Auguſtini opinionē lib. 12. de Civ. Dei cap. 21. potiorem habendam, juxta quam ſtatuuntur plura animalia, quàm bina juxta ſpeciem, per Orbem terrarum à Deo initio fuiſſe diſtributa. Unde & Gregorius Nyſſenus lib. de hominis Opificio conſiderans mundi faciem, ante hominis quoque exortum: *Atque haud dubie* (inquit) *univerſa tum armenta, quibus nutu ſuo vitam Deus largitus erat, ſingulari voluptate affecta exultabant, gregatimque cum aliis ſui generis per ſylvas obvagabantur.* Verum, ne à lineis recedamus, quemadmodum abunde jam liquere confido, illius conjecturas, qui adeo acriter aggreſſus eſt Curcellæum, non valere titivillitio: ita pariter confido, certum debere ſtatui, illud, quod non minus mihi quàm Curcellæo placet, nempe: Protoplaſtos, propter expreſſum Dei mandatum, cæde animalium abſtinere debuiſſe. Rationem à Moſe productam, quæ & expreſſum Dei mandatum continet, jam propoſuimus & vindicavimus: reliquę Curcellæi rationes nos non tangunt, adeoque neque de Vindiciis ſolliciti ſumus.

IV. Accedimus ad Examen argumenti, quo non modo ſuaderi, ſed & perſuaderi contendunt, homini in ſtatu Innocentię, jus atque fas fuiſſe, animalia mactare, & ventri ſuo deſtinare. Petunt vero illud à dominio, quod homini à Deo conceſſum eſt, & cujus Moſes Geneſ. 1. verſ. 26. hiſce verbis meminit: *Et dixit Deus: Faciamus hominem ſecundum imaginem noſtram, ſecundum ſimilitudinem noſtram, qui dominetur in piſces maris, & in volucres cœli, & in omnes beſtias reptantes ſuper terram.* Huic argumento ut ingens pondus ineſſe probet, miſſis conjecturis variis, quas antea propoſuerat; (dignę non ſunt, quæ vel proponantur, quòd ipſe Author iis diffidat) pag. 19. ita profatur: *Hoc validius, quod non aliud dominium homini integro conceſſum, quàm quod à diluvio repetitum;*

Digitized by Google

ſitum; ſaltem non anguſtius. Aliàs Deum offendendo, meliorem conditionem ſuam reddidiſſent, quàm ante lapſum fuerit. Id quod ipſi Carcellao abſurdum ſatis viſum, pag. 17. *Repetitum autem jus Dominii ita habet Geneſ. 9. verſ.* 2. Timor veſtri terrorque inesto omnibus beſtiis terræ: omnibus volucribus cœli: tum omnia quæ calcant humum: tum omnes piſces maris in manum veſtram traditi ſunt. Omne reptile quod vivum eſt, ad comedendum vobis eſto: ut viridem herbam illis, ſic omnia dedi vobis. *Hic vide. Repetitur dominium olim etiam Protoplaſtis conceſſum: & paulo quidem explicatius. Illius autem dominii pars manifeſte collocatur in uſu conceſſo reptilium & omnis carnis. Ergo etiam in ſtatu innocentiæ ea pars conceſſi dominii fuit, ut, ſi adlubeſceret, carnibus veſcerentur. Quid ultra contendimus?* Reſp. 1. Vetus verbum eſt: *Mendacem oportet eſſe memorem.* Paulo ante noſter Curcellæi adverſarius metuebat animalium ſecundum ſpecies interitui, ſi homo in ſtatu innocentiæ, quod bina tantum creata eſſent, illa comediſſet. At ſecurus hujus incommodi, quod videret utile eſſe, contendit jus primo homini conceſſum fuiſſe, quæcunque animalia occidendi, atque in uſus ſuos convertendi. Hoc certe eſt ex eodem ore calidum & frigidum efflare. 2. Quod eſt τὸ κρινόμενον, & præ cæteris controverſum, velut certum & probatum ſupponitur. Quæritur ſcil. an eadem ratione dominium homini contigerit in animalia poſt Diluvium, quemadmodum hoc illi conceſſum erat in ſtatu innocentiæ? Negat Curcellæus, & nos cum illo. Dominium quod in primævo ſtatu conceſſum homini, in eo conſtitit potiſſimum, quod animalia naturaliter dominium debentia homini, imaginem Dei circumferenti, ad illum ultro acceſſerint, atque proprium ſuum nomen acceperint. Convenienter Chryſoſtomus hom. 14. in Geneſin: *Factum autem hoc eſt*, (inquit) *non ut diſcamus illius ſapientiam ſolum, ſed, ut & ſymbolum dominii per nominum impoſitionem cognoſcatur. Nam & hominibus mos eſt hoc facere in ſignum dominii, ut cum ſervos emerint, ipſorum nomina mutent. Unde & Adamum inſtruit, ut, omnibus brutis tanquam dominus nomina indat.* & poſtea: *Vidiſti conſummatam potentiam? vidiſti dominii auctoritatem? perpende cum aliis etiam hoc, quod & leones, & pardi, & viperæ, & ſcorpii, & ſerpentes, & alia omnia etiam illis truculentiora, ad illum quaſi dominum omni cum ſubjectione acceſſerunt, & nomina acceperunt, nec ullum iſtorum veritus eſt Adam.* Ac, quamquam poſt diluvium, hoc dominium iterum delatum eſt homini, non tamen reſpondit priori. Cum diminutum admodum ſit, quod ad uſum & executio-

cutionem. Præterquam enim quod multa ſint grandia animalia, homini quàm terribilia, ut leones, tigres, pantheræ, lupi, &c. à viliſſimis quoque animàlculis (quod renuant domari) incommodi plurimum perſentiſcit; vel muſcæ, pulices, & culices teſtes eſſe poſſunt: atque plus noxæ & incommodi perciperet, niſi dominium (ſed circumſcriptum) Deus iterũ ſtabiliviſſet poſt diluvium. 3. Fide minus bona citatur Curcellæus, quaſi pag. 17. dixerit, homines poſt peccatùm meliorem reddidiſſe ſuam conditionem: ſi ſtatuatur, per lapſum acquiſiviſſe uſum animalium in cibum. Verba ipſius hæc ſunt: *Abſurdum enim foret exiſtimare, ipſos, Deum offendendo, conditionem ſuam meliorem, quàm ante lapſum fuiſſet, reddidiſſe: ſi tamen, hac carnes edendi licentia, melior conditio dici poteſt, quæ cupiditatem quidem explet, ſed primæva hominis excellentia repugnat.* Quibus poſterioribus verbis (quæ ingenuus diſputator haut quaquam diſſimulare debuiſſet) aperte Curcellæus innuit, non debere referri χρεοφαγίαν ad meliorem hominis conditionem. Quod, ut pateat, paulo uberius declarari debet: maximè quòd homo noſter in hoc videatur conſtituere arcem ſuæ cauſæ. Si ergo illa menſa, merito beata cenſeri debeat, quæ paratu facilis eſt, næ illa, quam fructus arborei exornant, præferri debet illi, quæ laborioſe, utut opipara quoque cenſeatur, ſtructa eſt. Norat Horatius, qui voti ſui ſummam proponens lib. 1. Od. 31. ita fatur:

Premant Calena falce, quibus dedit
Fortuna meſſem: dives & aureis
Mercator exſiccet culullis
Vina Syra reparata merce
Diis charus ipſis: quippe ter & quater
Anno reviſens æquor Atlanticum
Impune: me paſcunt oliva,
Me cichorea, leveſque malva.
Frui paratis, & valido mihi
Latoë dones.

Claudianus lib. 1. in Ruffinum.

—— tibi quærit inanes
Luxuries nocitura cibos: mihi donat inemptas
Terra dapes.

Atque inter vota Martialis lib. 10. ep. 47. occurrit:

Convictus facilis; ſine arte menſa.

Digitized by Google

Hoceſt quod Græci poëtæ dicere ſolent, τὸ ῥεῖα ζῆν: & quo reſpiciens Heſiodus in veſtibulo τῶν ἔργων dicit:

—— Ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.

Præterea, quòd poſt diluvium carnium eſus homini conceſſus fuerit, non arguit hominis felicitatem, ſed potius imbecillitatem. Quum enim initio ſufficerent ipſi alendo ea, quæ terra ſuppeditat, mundo magis conſeneſcente, & hominis ætate quoque decreſcente, validiores cibi, quales ſcil. animalia ſuppeditant, concedi debuerunt. Monuit enim Hippocrates lib. 6. Epid. Comm. tex. 21. τὰ ἀσθενέστερα σιτία, ὀλιγοχρονίαν βιοτὴν ἔχει. *Imbecilles cibi exiguam vitam præſtant.* Quid quod ex eſu carnium, maxime ſi immoderate ſumantur, multi morbi proveniant, atque omnis generis carnes ab omnibus æque commode digeri non poſſint. Exemplo ſit vel ſola ſuilla caro, quæ hominibus urbanis otioſisque quam noxia eſt. Adeoq; quicquid huic Theologiæ Doctori viſum quoq; fuerit, haut fruſtra fuit Curcellęus, cum pag. 10. adducta Ovidii authoritate, poneret in parte felicitatis humanæ, quòd illa ætate, quam Poëtæ auream vocare ſolent, potuerint hominibus ſufficere illa, quæ ex terra naſcebantur. 4. Gratis proinde dicitur, quòd Deus poſt diluvium repetierit dominium, prout conceſſum fuerat in ſtatu integritatis. In iterata legis promulgatione aliquid antea conceſſum repetitur, ſimul, ut mentio fiat rei alterius, quę ut conceſſa non tam arguere poſſit hominis felicitatem, quàm potius miſeriam, prout circa eſum carnium liquido nos jam oſtendiſſe credimus iis, qui ſapiunt. Adeo, ut fruſtra inferatur *quintò*, homini in ſtatu primigenio fas quidem fuiſſe veſci carnibus, ſponte tamen abſtinuiſſe. Nam quare homo ſponte abſtinuerit? Scriptura cauſſam non ſuppeditat: atque delira rationis amuſſis nullatenus attendi poteſt. In Theſi generaliter noſter Theologiæ Doctor ſupponit pag. 19. licuiſſe homini in ſtatu innocentiæ veſci carnibus & quibuſcunque reptilibus; cæterum ſponte abſtinuiſſe, tum quòd præ carnibus homini ſapterent fructus arborei: tum etiam quod, in quaque animalium ſpecie bina ſolummodo creata eſſent. Sed quare fętuerunt carnes animalium? non certe ratione gulæ, quæ in homine primigenio non potuit non fuiſſe ordinatiſſima, quia in illo ipſo, ratione ſtatus, nihildum erat irregulare, ſive anomalum: ſed, quod gnarus eſſet Divinæ legis ſibi propoſitę, abſtinuit. Bina individua in quaq; animalium ſpecie à Doctore Theologo ad ſui confuſionem ſollicitantur. Aut bene aut male

generaliter argumentatur. Si male, ſufficit *ἀπαιδευσία*. Si bene, generale atque non limitatum privilegium, fruſtra per conjecturam non rationabilem circumſcribitur. Vere dicere poſſum, hanc conjecturam non eſſe rationabilem: quod illi adverſetur deſcriptio Paradiſi à Moſe propoſita Geneſ. cap. 2. verſ. 8. quo cum dicatur Deus *ornaſſe hortum plantis*, nulla omnino mentione facta animalium, recte intuleris, plantas ex Dei pariter præcepto, ſecundum quod hactenus argumentando proceſſimus, præ animalibus, homini in cibum conceſſas fuiſſe: adeo, ut hic fruſtra fingatur abſtinentia ultronea, fundamentum nullum omnino habens. Cum illi pariter, qui ab ea argumentantur, ſecum collidi debeant, quandiu hæc non conciliarint: Juxta leges creationis executioni à Deo potenter mandatas, mundum in ſtatu innocentiæ animalium abunde habuiſſe pro nutriendo homine; atque hunc tamen animalibus debuiſſe abſtinere, quòd in unaquaque ſpecie bina ſolummodo occurrerent.

V. Qui exiſtimant, inconvenienter præceptum Dei de fructibus arboreis, homini in cibum conceſſis, à nobis antea adductum eſſe, ſolent, velut *ἀπροσδιόνυσον* ex ſuo ſenſu, urgere, quod pariter concludi debeat, mutas pecudes, eaſdemque quadrupedes ad eandem victus formulam redactas eſſe: quod illud Deus verſ. 30. cap. 1. Geneſios manifeſtò innuere videatur. Verba ex verſione Tremellio-Juniana ſic habent: *Omnibus autem beſtiis terræ, & omnibus volucribus cæli, omnibusque reptantibus ſuper terram, in quibus eſt anima vivens, dedi omnes herbas virides ad comedendum, & fuit ita.* Curcellæus, qui aliquid ad hoc quaſi *ἄτοπον* reſpondiſſe videri poterat, nę prævaleat, ipſius Adverſarius pag. 31. ita profatur: *Quadrupedia, quæ ſilveſtria ſunt, eademque ſerrata dentibus, teſte Philoſopho, carnibus omnia veſcuntur. Herbas tamen tangunt, cum morbo laborant. Canes herba ingeſta evomunt, atque ita purgantur. Lupos etiam terram comedere, cum fament, teſtatur Ariſtot. de hiſt. Anim. lib. 8. cap. 5. quem, ſi libet, conſule. In Arca Noachi fieri poteſt, ut congruos cuique cibos ante Noachus pararit. Certe carnes pro carnivoris à ſapienti Noacho præparatas cenſuêre olim Origines hom. 2. ad cap. 6. Gen. & Buteo de arca Noa. Sed & novimus eſſe fructus quoſdam communes, quibus etiam carnivora paſci queant, ut ficus & caſtaneæ. Ejuſdem generis animalia verum eſt non eodem ſe ubique cibo ſuſtentare. Id vero totum eſt vel à caſu, vel à conſuetudine, quâ immutatum temperamentum, quod hic pæne utramque paginam facit.* Reſp. 1. Author agnoſcit in caſu neceſſitatis animalia fera, victitare poſſe

poſſe herbis, iisque quæ tellus ſuppeditat. Et quanquam negandum non eſt, multarum ferarum proprium cibum eſſe carnes aliorum animalium, quę venando capiunt: quid tamen obſtat, quô minus cum Abulenſi qu. 34. in cap. 1. Geneſ. dicamus: *Divina providentia factum fuiſſe, ut aliquanto tempore ab eſu carnium feræ carnivoræ abſtinerent; ne, alioqui facile, nondum per generationem ſufficienter multiplicatis animalibus, ſpecies aliqua interiret.* 2. Maxime, cum probabile admodum ſit, ita accidiſſe in Arca, tempore Diluvii Noachici. Quicquid viſum fuerit Authori cum Buteone. Noachus, ſi feris animalibus proſpicere debuiſſet, quo tempore in Arca deliteſcebant, de carnibus, utique carnes illæ recentes eſſe debuiſſent, quum conſtet ſalitis carnibus feras omnes abſtinere: at, recentes carnes facile putredinem contrahunt, adeoque intolerabili fœtore arcam univerſam repleviſſent. Nec dici poteſt, viva animalia feris carnivoris in pabulum ceſſura in arcam introducta fuiſse, cum qua mundorum qua immundorum animalium, in arcam deducendorum numerus à Deo præciſe definitus fuerit. Præterea, poſt Diluvium exhibebatur quædam quaſi mundi παλιγγενεσία, atque animalia, quæ arca exibant, juxta ſuas ſpecies ad pauca erant redacta individua, ſeptena ſcil. ſi agnoſcerentur munda: quam facile autem univerſum ovium, caprarum, & boum genus extingui potuiſset, ſi leonibus, lupis, trigribus, pantheris, urſis, &c. Deus capiſtrum non impoſuiſset? Atque, ut frænavit ora famelicorum leonum, ne Danieli nocerent; aliquanto etiam tempore poſt, quàm Noachus arca exiviſset, feras avertit ab animalibus, quibus aliàs inhiant, atque compulit acquieſcere in herbis, quibus ſingulari ratione paſti fuerant in Arca. Sententia mea placuit quoque Baſilio Magno, qui ut hom. 11. prolixe eam deducit; ita haud abs re fuerit, eum per interpretem *Latine loquentem exhibere*: Non dixit, (*inquit*) dedi vobis piſces in cibum aut pecora: neque enim in eum uſum hæc creavi. Primaria enim legiſlatio eſum tantum indulſit fructuum. Etenim nobis in commune cum feris cæteriſque animalibus collatus eſt fructuum eſus: cum tamen nunc paucas ferarum liceat videre, ali fructibus. Nam quo tandem fructu paſci ſe panthera ſuſtineat? quis fructus cedat leoni in cibum? Attamen feræ iſtæ, tantiſper dum jugum legis naturæ paſsæ ſunt, vitam tolerabant eſitatione fructuum. Hominem autem cum prę noſset Deus poſt Diluvium nequaquam ſibi ab inconceſſis cibis temperaturum, conceſſit quovis cibo veſci. Nam de animalibus loquens cum homine: *Omnia hæc*, inquit, *quaſi*

quaſi olera virentia tradidi vobis. Per hanc nobis indultam conceſſionem, & animalia quæque pari libertate donata ſunt quidvis impune edendi. Ex eo tempore crudis Leo veſcitur: vultur hianti roſtro cadavera affectat. Neque enim vultur id habuit ab exordio ſuæ creationis: nullum enim eatenus reperiebatur morticinium, quo ſe nutricarent vultures. At ne id quidem ſinebat natura in ſuo conſiſtens vigore. Neque tunc venatores conficiendis feris operam dabant: neque dum id ſtudio erat hominibus, cum nec feræ ſuam rabiem exertis in homines dentibus exercerent: ut quę necdum eſſent crudivoræ. Inolevit deinde conſuetudo vulturibus victum quærendi ex morticinis cadaveribus: ab initio autem & vulturibus, & aliis, quæ nunc ſunt carnivora, cygnorum in morem indiſcreta erat & eadem omnibus vivendi ratio. Pratenſes tantum herbas animal omne ſibi attondebat & depaſcebatur. Ejus rei inſigne & in canibus liceat videre. Dum enim ſtudent ſibi ipſis mederi, eos videas identidem depaſci gramen: non quòd alendo cani gramen conveniat, ſed quia citra operam humanæ diſplinæ, doctrice tantum natura, ad id bruta confugiunt, quod ſibi naturali inſtinctu ſentiunt uſui futurum. Velim reputes tecum, iſtiuſmodi tum fuiſſe animalia (quæ hodie vides cruda veſci carne) ut vi imaginativa apprehenderint herbam omnem ſibi collatam in cibum, convenientem ſibi & ſalubrem eſſe: atque ob eam cauſſam eo cibo contenta, alia aliorum vitæ non inſidiabantur. *Hæc Baſilius.* Quod dicit de animalibus, quaſi in ſtatu primævo feritatem ſuam non exercuerint in perniciem aliorum animalium, placuit quoque Flavio Joſepho, lib. 1. Antiq. Jud. cap. 2. ubi exiſtimat, in ſtatu innocentiæ nullum inter animalia fuiſſe diſſidiū. Quod quanquam non difficulter conceſſerim circa tempus innocentię, quo onus peccati ut nondum premebat hominem; ita neq; illius ſenſus aliqua ex parte derivatus erat in mutas pecudes, ut contigit poſt lapſum. Interim quædam animalia à prima ſui origine fera agnoſcenda eſſe, negare non licet, alioqui natura illorum debuiſſet immutata fuiſſe. Quanquam vero ſimile eſt, ut oſtendimus quoq; de tempore à Diluvio proximo, Divina virtute aliquamdiu cohibitam fuiſſe efferatam hanc naturam, quo minus ſe in actum exereret, ne infirmiora animalia, juxta totam ſpeciem pręda fierent rapacium ferarum.

VI. Tantum de priori quæſito. Pdtarim vero ex præcedentibus manifeſto liquere, primævos noſtros parentes, in ſtatu Innocentiæ, ob Dei definitum mandatum, quo eſus fructuum præcipiebatur, carnibus ab-

ſtinere

Digitized by Google

ſtinere debuiſſe. Alterum *χρινόμενον* eſt an in ſtatu lapſus ante Diluviū licitum quoque fuerit carnibus veſci? de quo noſter Doctor pariter cum Curcellæo contendit cap. 3. Nos, ut libere ſententiam noſtram dicamus, putamus diſtinguendum eſſe inter illa quæ ſunt facti, & ea, quæ ſunt *juris*. *De facto* (ut loquuntur) homines ante diluvium carnes comediſſe, & quidem inordinate, nos ignorare non patitur conditio illorum, qui vocantur נפילים, quorum crudelitas & abominanda libido cum diſtincte à Moſe deſcribantur Geneſ. 6. ita dubitare non licet, quin hæc carnium uſum in victum ſuaſerit, & illa forte tum ſanguinis, tum carnium crudarum: quum conſtet, & multis exemplis probari poſſit, barbaros, eoſque qui rationi minus parent, non magis abhorrere à carnis crudę uſu, quàm à libamine ſanguinis. Major difficultas eſt, quantum permiſſum fuerit jure Divino. Quum lege poſt Diluvium lata Gen. 9. Carnium uſus demum legatur à Deo ſancitus eſſe, eademque lege prohibeantur, quæ facti inordinati erant, videtur valde probabiliter concludi, tum demū facta fuiſſe licita, quę illicite antea non modo fiebant, verum etiam inordinate & irregulariter. Quanquam vero judico cum Riveto Exerc. 58. in Geneſin, parū referre, an ſtatuatur, fas fuiſſe ante Diluvium quoq; veſci carnibus; negativa tamen ſententia (diſſentiente licet Riveto l. d.) potior mihi videtur, tum ob illa, quæ jam dicta ſunt, tum etiam, quòd argumentis, quibus affirmativa ſententia nititur, tantum momentum non inſit, atque vulgò quidem jactatur. Ad quorum argumentorum examen priuſquam accedo, in anteceſſum notetur, negativam ſententiam communiter placuiſſe Judęorum Doctoribus, quorum ſententia haut levis haberi debet. Verba ſunt Seldeni, à Curcellæo quoq; p. 24. adducta, ex lib. 3. de Jure Naturali, cap. 8. *Primæ ætatis hominibus*, (inquit) *id eſt, qui Noachum præceſſerunt, carnis eſus permiſſus non eſt, ut Ebræi ſtatuunt. Vide Bereſchith Rabba, Paraſh*, 34. *Ioſephum Albo, lib. Ikarim, part.* 3. *cap.* 14. 15. Quibus pleriq; tum Patres, tum Doctores non minus Pontificii, quàm Reformati, paucis exceptis, accedunt. Priuſquam vindico Curcellæi reſponſiones ad argumenta vulgo pro affirmativa ſententia urgeri ſolita, expendendum eſt argumentum τοῦ πάνυ D. Riveti, quod l. d. hiſce verbis proponitur: *Poſtquam* (inquit) *homo è Paradiſo ejectus, terram cum ſudore colere coactus fuit, & greges paſcere, neque licentiam edendi, neque ejuſdem eſum actualem, homini denegari debere, videtur nobis magis probabile; etſi non dubitemus non adeo large uſum fuiſſe, ut poſtea factum eſt.* Reſp. 1. probabile videri poſſet, niſi

 niſi

niſi ipſe Deus homini formulam dictæ præſcripſiſſet, in qua cum illa ſolummodo, quæ è terra naſcuntur, occurrunt, multò probabilius eſt uſque ad ſeculum Noachi, ſeu, ſeculum novum, carnium eſum non fuiſſe licitum. 2. Quum Deus homini, jam lapſo, terræ cultum ſolummodo committeret, edicendo Gen. 3. verſ. 17. *Maledicta eſto terra propter te, cum dolore comedito proventum ejus omnibus diebus vitæ tuæ*; longe convenientius colligitur, voluiſſe Deum, ut homo, qui jam paradiſo exulabat, veſceretur duntaxat illis, quæ è terra naſcuntur. Apud Theologum celeberrimum videri poſſet adhuc aliud argumentum his verbis proponi: *Certe non videtur* (inquit) *homini poſt diluvium plus datum fuiſſe poteſtatis in animalia, ratione uſus, quàm initio mundi. Cum plena enim dominatio ipſi conceſſa fuiſſet, videtur etiam concedendum, potuiſſe hominem veſci carnibus.* Procederet hoc, niſi Deus ſpecialem legem de hominis victu tuliſſet. In quo conſtiterit ratio dominii ante diluvium, ſupra declaravimus plene. Nec dici poſſe, hominis conditionem meliorem fuiſſe poſt diluvium, quàm in ipſo ſtatu innocentiæ, convenienter videmur diluiſſe. Niſi aliquis putet, ægri conditionem ideo cenſendam eſſe meliorem, quod fas ipſi ſit è pharmacopolio comparare medicamenta. Carnibus poſt diluvium homo veſci debuit, quò ſuccurreretur hac ratione imbecillitati corporis magis atq; magis fatiſcentis: æque ac homo valetudinarius, ne mortis imperio ſuccumbat citius, conſiderato non tam decreto Dei, quàm ordinaria Naturæ periodo, præſcribente medico (Deum ad modum quaſi Medici conſiderandum hic eſſe, jam antea diximus) ea comedit, quę ſibi pro conditione dubię valetudinis maxime conducunt.

VII. Reliqua argumenta, adduci ſolita, pro permiſſa ante Diluvium κρεωφαγία, quàm ſint ſolida, & quàm auſpicato à Curcellæo expenſa, patebit ex comparatione reſponſionum à Curcellæi adverſario excogitatarum. Non neceſſum vero eſt, iterum ſollicitare argumentum Ἀνεξαγώνιον (hac loquendi formula hic ipſe pag. 34. utitur) quod deſumptum eſt à dominio conceſſo ante Diluvium in omnia animalia: Dominii ſiquidem permiſſio non opponi, ſed componi debet cum lege poſitiva de victu definito in ipſo innocentiæ ſtatu lata. Quę lex ut reſtricta duntaxat fuit ad illa, quæ è terra naſcuntur; ita non licet illius interpretationem acceſſere à Dominio homini in animalia conceſſo, quòd in formula ipſius nulla prorſus mentio fiat, comedendorum animalium. Nec favere poteſt repetita Dominii formula Geneſ. 9. verſ. 2. nam

ipſa

ipſa Lex tali quaſi formula ſancita, non debet cenſeri tam renovata, quàm nova. Utraque manu largimur, poſt diluvium ulterius laterculum diœtæ humanæ (ab oleribus ſcil. ad animalia) extenſum fuiſſe; ſed quis inde cum ratione poſſit inferre, ante diluvium, integra manente altera lege, de comedendis ſolummodo illis, quæ terra ſuppeditabat, pariter jus faſque fuiſſe, in uſum menſę, animalia mactare? Quiſquis, cui contraria ſententia tanti momenti videri poſſet, hæc verſet ut voluerit: ſi modo juxta rationem progredi voluerit, fateri debebit, ante diluvium perpetuo debere conſtare rationem Legi, cujus aliquoties jam fecimus mentionem, nec à Decreto Poſt-Diluviano, quo ulterius Diœta fuit dilatata, quicquam in illius præjudicium decerni poteſt. Argumentum *ſecundum*, valide urgeri ſolitum, deſumptum eſt à ſacrificiis, quorum uſus fuit ante diluvium, ſpeciatim à ſacrificio Abelis. Cumque ex victimis oblatis partes quędam cedere conſueverint Miniſtris ſacrorum, contendunt, negari non poſſe, ante Diluvium uſum carnium fuiſſe receptum. Ad ea, quæ argumentum in Theſi complectitur, ita reſponſum fuit à Curcellæo: *Male conſequentiam duci à ſeculis Diluvium conſecutis, ad ea, quæ anteceſſerunt. Mores perpetuis mutationum viciſſitudinibus fuiſſe obnoxios.* Quę reſponſio ne valeat, ita illam premit Adverſarius. *Atqui primo Apoſtolus, cum dicit, eos, qui altari adſident, de altari participare, non quid hoc vel illo tempore factum ſit, explicat, ſed reſpicit ad* τὸ ἐπιεικὲς καὶ πρέπον, *ad illud, quod juſtum & ęquum fuit. Sacerdotes jugulabant, excoriabant, ſecabant, coquebant. Quod operoſum eſt. Æquum igitur fuit ut pro mercede portionem ſibi decerperent. Hinc Apoſtolus infert, non eſſe ſtipendiis præcones Euangelii fraudandos.* Doleo, oculo fugiente inſpectum fuiſſe Apoſtolum. Ut variis argumentis 1. Cor. 9. probare laborat, æquum eſſe, ut miniſtris Eccleſiæ ſtipendia ſolvantur; ita alloquens Corinthios, ut Scripturę filios, ac proinde non ignaros eorum quę in Lege Moſis pręcipiebantur com. 13. dicit: *An neſcitis eos, qui ſacris operantur, ea, quæ ex ſacrario ſunt, edere? & qui altari aſſident, cum altari participare? Ita etiam Dominus conſtituit iis, qui Euangelium annunciant, ut ex Euangelio vivant.* Apoſtolo propoſitum eſſe, probare, non inferiorem eſſe conditionem miniſtrorum Euangelii, quàm V. T. quivis videt. Miniſtris vero V. T. non κατὰ τὸ ἐπιεικὲς ſubſidia vitæ conceſſa fuiſſe; ſed juxta expreſſum Dei mandatum, innuit idem Apoſtolus, manifeſto reſpiciens Legem Deut. 18. verſ. 1. ubi ita Deus pręcepit ratione Levitarum: *Ex igne abſumendis Iehova, & de poſſeſſione ejus come-*

comedunto. Quam legem non eſſe referendam ad jus naturale, ſed mere poſitivam eſſe habendam, innuit ratio ibid. ad modum Præfationis addita: *Ne eſto ſacerdotibus Leviticis, toti tribui Levitica pars & poſſeſſio cum reliquo Iſraële.* Quam Legem quoque conſiderans Franciſ. Junius in Analyſi, occaſione Quæſtionis, quam movet, an ergo ſacerdotibus fuerit interdictũ omni poſſeſſione? *Primo* reſpondet, inſtitutum *ceremoniale fuiſſe.* Quod hactenus nobis ſufficit, & non minus ſervit firmandæ Curcellæi reſponſioni, quam diluendæ huic Inſtantiæ: nam, ſi hoc inſtitutũ fuit Cæremoniale, nequaquam urgeri poteſt circa tempus Ante-Diluvianum: quo cum non eſſent certi & definiti Sacerdotes inſtituti; ita neq; opus fuit, ut ſacrificantes aliquas partes ex victimis ſibi reſervarent, quæ in victum cederent. Nec, ante latam legem Cæremonialem, aliud obſervatum fuiſſe, unquam probabitur: (ſacrificium Abelis, cum pertineat ad argumenti hypotheſin, aliàs conſiderabimus.) Ingeminatur quidem, ab Adverſario Curcellæi, factum Patriarchæ Jacobi Gen. 3. verſ. 54. ſed inconvenienter. Lego quidem hæc pag. 39. *Imo cum ante Moſaicam legem convivium ex ſacrificio celebravit Patriarcha Iacob Geneſ. 31.54. non potuit ille ritus non manare ab antiquiſſima traditione.* Ceterum haut quaquam me movere poſſunt: ſiquidem verbum זבח, quod ibi occurrit, teſte ipſo Buxtorfio in Lexico, promiſcue ſignificat & *ſacrificare*, & *mactare.* D. Piſcator, quem Belgæ Interpretes ſequuntur, vertit, *Mactavit animalia.* & porro in Notis hæc adjicit: *Videlicet ad convivium* συνηδυστικὸν. *Nam hac ad ſacrificia referri primum nihil opus eſt: ſecundo vero abſurdum eſt, quum bona fide Iacob Labanem ad ſacrum epulum cum omnibus cognatis invitare & admittere non potuerit. Nam etſi Moſes ſocerum ſuum admiſit Exod. 18. fecit, quia jam converſum ad Deum eſſe, ex ſermonibus & ratione ipſius intellexerat. Hebræa autem vox non habet ſolam ſacrificandi, ſed & mactandi ſignificationem, ut 1. Sam. 28. 24 & 1. Reg. 19. 21. & alibi paſſim. quemadmodum accipitur* τὸ θύειν *Græcorum, Matt. 22.4. & Ioann. 10. 10.* quæ hactenus nobis ſufficiunt, ſimulque confirmant Curcellæi Reſponſionem.

VIII. Hypotheſi argumenti, examinari jam cœpti, cenſetur ſervire ſacrificium Abelis, quaſi ille pinguiores partes ſuarum victimarum Deo obtulerit, reliquas vero comederit. At, meras conjecturas hęc eſſe poſtea liquebit. *Abelis ſacrificium pertinuiſſe ad holocauſta, quæ tota igni abſumebantur,* cenſuit Curcellæus: nec admodum prima fronte refragari videtur Adverſarius, licet pag. 41. in hæc verba erumpat: *Non fuiſſe*

holo-

holocauſtum ex rebus ipſis patet. Obtulit enim de pinguedinibus gregis. Quod duplicem ſenſum recipere poteſt: vel, ſacrificaſſe oves pinguiores, vel pinguedinem ovium. Si prius, non conſtat Habeli laus, niſi graciliores in cibum proprium ſervavit. Si poſterius, quod collata lege Levit. 6. 12. pœne certum, neceſſum fuerit, adipem ſacrificaſſe, reliquias epulo θυσίμῳ conſumpſiſſe. Reſp. 1. His, quæ ſine teſte & ex conjectura dicuntur, oppono initio ea, quæ habet doctiſſimus Piſcator, quem & Interpretes Belgici in Notis ex parte ſecuti ſunt. Ergo ad verſ. 4. cap. 4. Geneſ. *hac inter alia habet: Et de adipe eorum.* ומחלבהן. In Hebræo pronomen affixum eſt generis fœmin. quia convenit cum nomine בכורות. Poteſt autem hoc bifariam accipi: vel proprie, quod ſingulariter obtulerit Deo adipem ovium vel caprarum, ſicut expreſſe de ſacrificiis privatorum euchariſticis præcipitur Levit. 3. vel metaphorice, ut per adipem primogenitorum intelligantur primogenita præſtantiſſima. Sic enim adeps apud Hebræos uſurpatur, ad ſignificandum quod in quaque re alente optimum eſt. Sic adeps olei, & adeps muſti Num. 18. verſ. 12. item adeps terræ, infra 45. verſ. 18. item adeps tritici, Pſal. 147. 14. *Reſpexitque Iehova ad Hebelum.* i. e. favorem ſuum ei ſignificavit certo ſigno. Sicut homines vultu favorem ſignificant. Metaphora. Apoſtolus Heb. 11. 4. ſic exponit, quòd Deus teſtimonium perhibuerit de donis Abelis, h. e. ſigno viſibili declararit, illa ſibi placere. Probabile eſt autem, illud ſignum fuiſſe ignem, cœlitus delapſum, quo ſacrificium ejus combuſtum ſit: ex collatione exemplorum, Aharonis, Davidis, Salomonis, Eliæ. *Hactenus Piſcator.* 2. Concedamus quoque omnia, quæ audacter ſumit Curcellæi adverſarius, non tamen demonſtraverit illud, quod intendit. Quæ enim conſequentia? Si Abelus immolavit pinguiores ſuas pecudes, graciliores ſervavit in victum. Potuit enim ſervaſſe eum in finem, ut ex illis lac & lanam perciperet, vel ut fœtificarent, atque alio tempore iterum pingue ſacrificium Deo offerre poſſet. Adipem duntaxat ſacrificaſſe Abelum dubium eſt, ac gratis dicitur illud *pœne certum eſſe.* Imo imolarit duntaxat adipem, unde colliges virum pium, cui non poterat excidiſſe Lex lata de comedendis terræ fructibus, carnibus ex victimis reliquis inſtituiſſe veſci? Curcellæi adverſarius ſæpius profitetur, ſe exiſtimare, licet carnium uſus conceſſus eſſet ante Diluvium, viros tamen pios iis abſtinuiſse. 3. Recte colligit Piſcator, probabile admodum esse, igni cœlitus delapſo victimas Abelis abſumptas fuiſse. Quod diſtinctius, ex collatione variorum

Digitized by Google

Scripturę locorum, itemque comparatione phraſium probat Franzius Diſp. Quinta de Sacrificiis Th. 3. & ſeqq. Quod ſi admiſeris, valde probabile eſt, Abelis ſacrificium holocauſtum ęque fuiſſe, ac Salomonis, de quo ita legitur 2. Paral. 7. verſ. 1. *Quumque abſolviſſet Salomon orare, illico ignis deſcendens è cœlis abſumpſit holocauſtum & ſacrificia.* Nec curanda ἔνστασις, quæ occurrit pag. 42. *Sed fac omnino* (inquit) *ſacrificia Antidiluvianorum holocauſta fuiſſe. Non frangit vim argumenti. Nihil enim Deo ſacrari poteſt, quin ſit in uſu hominum. In ſacrificiis enim ſuam obligationem teſtabantur. Hinc devoverunt merito id, quo omnium maxime in hac vita ſuſtentanda ſunt quotidie uſi.* & pag. 43. *Non poteſt autem optimum & præſtantiſſimum eſſe, niſi maxima utilitate offerentem mactet.* Hæc dicuntur ἄτερ τῆς γραφῆς. In offerendis ſacrificiis ſatisfieri debuit voluntati divinæ, & probanda potiſſimum obedientia fuit: unde teſtatur ipſe Deus Oz. 6. verſ. 6. *Se benignitate delectari non ſacrificia.* atque *auſcultare eſt melius ſacrificio, attendere, adipe arietum,* 1. Sam. 15. verſ. 22. Tantum vero abeſt, ut probarit Deus ſacrificantes ex utilitate, qua ſe quaſi mulctabant; ne victimæ damno cederent eas offerentium, ſuccurrere voluit pauperibus, ſpeciali ad hoc lege lata, cujus ſit mentio Levit. 12. verſ. 6. & 8. quæque allegatur Luc. 2. verſ. 24. unde Franciſc. Junius in Analyſi ad d. caput XII. Levitici: *Curatio* (purgationis ſcil. à puerperio) *poſt juſtum tempus adhibenda exponitur duobus modis: prior eſt in eos, qui commode potuerunt ſumptus ferre; ut agnum in holocauſtum, & columbam aut turturem in ſacrificium pro peccato ſiſterent coram Domino verſ. 6. ritumque purgationis ſacerdos perficeret: Poſterior in tenuiores* (verſ. 8. expreſſe dicitur; *Quod ſi non aſſequatur manus ejus pro parva pecude, quantum ſatis eſt*) *nempe duas columbas, aut duos turtures, unum in holocauſtum, alterum in peccatum exhiberent.* 4. Fruſtra ergo, ratione ſacrificantium, attenditur utilitas, quâ ſe in Dei quaſi gratiam voluerint mulctare. Inepte vero inde concluditur ea, quæ Deo in ſacrificium offerebantur, inſignem utilitatem offerentibus debuiſſe contuliſſe, & conſequenter Abelem ſacrificantem pingues victimas, ſe, ut Deo gratum ſacrificium offerret, defraudaſſe multis animalibus, quæ alias menſæ ſuæ deſtinare potuiſſet: Dici enim poſſet ſe defraudaſſe ratione fructus, (modo oves obtulerit) ſpeciatim lana & lacte. 5. Cur vero ſacrificium Abelis Deo placuerit, præ ſacrificio Caini, diſtincte indicat Apoſtolus, quando dicit Hebr. 11. verſ. 4. quòd *per fidem majoris pretii*

ſacri-

Sacrificium Deo obtulerit, *quàm Cain*: ſcil. cum *propitiatio per fidem ſit in ſanguine*, edicente eodem Apoſtolo Hebr. 9. 22. 23. Abel voluit ante omnia offerre Sacrificium ἱλαστικὸν: cujus cum ſecurus fuerit Cainus, contentus ſola oblatione Euchariſtica de fructu terræ, non potuit obtinere juſtitiæ Dei, quæ ex fide eſt, teſtimonium. Conſentit Curcellęi adverſarius, hactenus prę illo agnoſcendus Orthodoxus, quando pag. 41. dicit: *In quo igitur* καλλιεργήματος *Habelis prærogativa? ſi non in eo, quòd* ἱλασμοῦ *cum Deo negotium curavit, quam ſupine neglexit Cainus.*

Homines Ante-diluvianos veſci pariter conſuevisſe carnibus, *tertio* IX.
hoc argumento probari ſolet, prout fide non mala proponit illud Curcellæus pag. 33. *Deus veſtes Adamo & Evæ poſt peccatum ex pellibus conficiens, ad eorum nuditatem tegendam, exemplum dedit ut poſtea pelles quoque in eundem uſum adhiberentur. Non eſt autem veriſimile, ipſum carnes animalium, quæ excoriari permittebat, tanquam inutiles abjici voluiſſe, ſed potius indulſiſſe ut in alimentum cederent.* Curcellæi reſponſio ſequentibus verbis continetur: *Exuviæ* (inquit) *animantium, quæ Deo in ſacrificium fuerant oblata, retineri poterant ad veſtimenta facienda, vel eorum, quæ fato ſuo, cui omnia naturaliter ſunt obnoxia, perierant, atque etiam ferarum & aliarum beſtiarum, quarum carnes non comeduntur, ut leonum, luporum, canum, felium, & aliarum ejuſmodi. Quicquid ejus ſit, Deus concedendo hominibus ut corpus ſuum animantium corio tegerent, oſtendebat, ſe non improbare, ut id commoda aliqua ratione ipſis detraherent. Sed, nullo adhuc indicio patefecerat, ſibi placere ut eorum carnibus veſcerentur: longeque ſatius erat, carnes quantumvis delicatas & ad edendum optimas abjicere, quàm, invito & non largiente Deo, illas uſurpare.* Adverſus hęc, multa verba quidem profundit Curcellæi adverſarius, ſed, quę parum admodum faciunt πρὸς ἔπος. Quę digna ſunt examine, omittendo τὰ πάρεργα, paucis expendemus. *Initio* pag. 44. hæc lego: *Mactari igitur animantia debuerunt? Quid ergo de carnibus fieri debuit? Comeſtæ haud dubie fuerunt, non rejectæ. Si rejectanea, non igitur fuerunt* κτίσμα Θεοῦ καλὸν, 1. Timoth. 4. verſ. 4. Reſp. Cardo rei in hoc vertitur, quomodo apud Apoſtolum intelligi debeat κτίσμα Θεοῦ καλὸν. Locutio illa eſt generalis, atque ut poteſt extendi ad omnia, quæ Deus creavit; ita tamen apud Paulum intelligi debet ἐν τῇ ὑποθέσει, atque pro ſubjecta materia: ſcil. ratione ciborum, quos *Deus condidit ad participandum cum gratiarum actione*, ut dicitur

verſ. 3. Sed tales cibi ſunt illi, quos Deus conceſſit ad edendum, non vero quibus Deus aut explicite aut implicite interdixit. Probari ergo ante omnia debuiſſet, voluiſſe Deum ab hominibus Ante-diluvianis *carnes participari cum gratiarum actione*. Quod quamdiu non fit, æque fas fuit hominibus Ante-diluvianis, de quibus controvertitur, reliquias victimarum abjicere, atque quodcunque morticinum aut caro ſuilla à Judæis, ex ipſo Dei mandato, abjici ſolet. *Secundo*, quòd dixiſſet Curcellæus, animalium quoque *fato ſuo defunctorum exuvias in uſum veſtium adhiberi* (ante Diluvium ſcil.) *potuiſſe*: pag. 44. ita inſurgit: *Aſſerit, non probat, potuiſſe. Eadem igitur facilitate rejicitur. Imo indignum & Deo & homine, veſtitum conficere & inducere ex νεκριμαίω, morticino animalis.* Reſp. 1. Per iniquitatem ſummam Curcellæo objicitur deficientia probationis: cum hic ipſe adverſarius longe plura in toto hoc diſcurſu aſſumat, quàm aut probet, aut probare poſſit. Homo Chriſtianus, maxime Theologiæ Orthodoxæ Profeſsor & Doctor debet eſse ἐπιεικὴς: hæc verò ipſa ἐπιείκεια ſuadet, ne plus ab adverſario ſententię noſtrę exigamus, quàm aut ipſi præſtare poſſimus, aut à nobis exigi velimus. 2. Neſcio cur pronuncietur indignum eſse non minus homine, quàm Deo, ut homo veſtiatur *morticino animalis?* Ergo meus homo nunquam induat veſtes laneas, certus ſiquidem ſit lanæ à vivis ovibus detonſæ, non minus in Belgio & Germania, quàm in Anglia & Scotia, admiſceri conſueviſse lanam ovium ſuo fato defunctarum. 3. At quæ ignominia hinc in Deum redundare poteſt? qui pro ſingulari ſua ſapientia, (modò nos poſsemus ſapere) & in victu, & in amictu noſtro, ratione omnium partium, voluit nos commonefieri mortalitatis noſtræ: quum nihil edamus, niſi jam antea mortuum fuerit, nec quicquam ad amictum noſtrum adhiberi poſſit, in quo non ſymbolice mortis imago manifeſto repræſentetur. Oſtendi antea deberet, abſolute morticinum Deo eſse abominabile, ſi uſibus amictus noſtri deſtinetur. 4. Sed, attendatur mecum locus Apoſtoli. Heb. 11. 37. Toto illo capite ut Paulus totus eſt in recenſendis fidelibus, velut per indicem; ita quoſdam recenſet, qui ſingulari ratione ſuam probaverint fidem per conſtantem profeſſionem, eò, quòd περιῆλθον ἐν μηλωταῖς ἐν αἰγείοις δέρμασιν ὑστερούμενοι. *Deſtituti* (omnibus ſcil. rebus neceſsariis.) *oberraverint cum ovillis & caprinis pellibus.* Quibus verbis non obſcure innuit, quoſdam ex Dei filiis, quibus mundus non erat dignus, per deſertum, & ſilvas oberraſse, ſuamque nuditatem texiſse & ovillis.

Digitized by Google

ovillis & caprinis pellibus fortuito ibi inventis, atque derelictis à feris, quæ oves quidem & capras, non vero pellium exuvias, comedere ſolent. Quare & Joſephi fratres patri ſuo miſerunt tunicam verſicolorem hirci ſanguine tinctam, qua viſa ita ſecum Jacob à filiis circumventus: *Tunica filii mei eſt, beſtia mala devoravit eum: omnino diſcerptus eſt Ioſeph.* μηλωτὴ vero proprie notat pellem ovium. Licet ita in Gloſſario legatur: μηλωτὴ *pellis.* Convenienter vero obſervavit Curcellæus, pleraſque pelles, quæ amictui cedunt, conſueviſſe detrahi animalibus, quorum carnes in menſa averſamur. Si quæ regio, certe Ruſſia, pelles omnis generis, & inter illas, multas, quæ pretioſiſſimæ habentur, ſuppeditat: ſed, aut pauciſſimæ, aut certæ nullæ feræ notantur, quarum carnes pariter delitias palato exhibeant. Olim galeæ ex pellibus fieri ſolent; cęterum pellibus talium animalium, quorum carnes pertinebant ad res rejiculas: nam erant vel κυνέαι, quæ confectæ erant *è pelle canina,* vel λυκέαι, quæ *è lupina*, vel apud Homerum Il. lib. 9. ἰκτιδέαι, quæ è *pelle muſtelina.* Quid quod juxta doctiores Grammaticos ipſæ γαλέαι videantur nomen habere ἀπὸ τῆς γαλῆς, quæ vox *felem* ſignat. Adeo ut per argumentum, deſumptum à pellibus animalium pertinentibus ad veſtitum, uſus licitus carnium, nulla evidenti conſequentia, inferri poſſit.

Quartum argumentum, ab adverſarię ſententię patronis propoſitum, X. eſt hoc: ***Ante diluvium jam locum habebat diſtinctio animalium in munda & immunda, ut apparet ex Geneſ.*** 7. ***verſ.*** 2. 3. ***Munda autem ſunt illa, quæ Deus in lege pro talibus haberi voluit, & in alimentum Iſraëlitis indulſit; immunda contrà Levit.*** 11. ***Deuter.*** 14. Ad quæ Curcellæus *Reſpondet*: Diſtinctionem iſtam ſub lege non factam fuiſſe tantum propter eſum, ut ſcirent Iſraëlitę quibus veſci poſſent, & à quibus abſtinere deberent: ſed etiam propter ſacrificia, ut ſanctiſſimo Deo, & omnis immunditię oſori, nihil niſi mundum offerretur, & ab ejus cultu id, quod vel minimam impuritatis ſpeciem haberet, removeretur. Ad poſtremum autem hunc finem, ſeu ad ſacrificia, ſolum reſpici in loco Geneſ. 7. ubi mundorum & immundorum animalium fit mentio, inde recte colligitur, quòd cum Deus cap. 9. eſum carnis permittit, diſtinctionem iſtam ne verbo quidem attingit, & nullam prorſus animalium ſpeciem, ſed tantum ſanguinem, ſeu carnem cum ſanguine, excipit. ***Hactenus Curcellæus.*** Contra quæ ita inſurgit Curcellęi adverſarius pag. 47. ***Quia in naturali uſu munda, ideo ad ſacrificandum adhibita. Non contra.***

Quin & ponderari velim, delectum ciborum figuraſſe excluſas gentes à communione fœderis externi. Hinc delectu ciborum ſublato, & conceſſa facultate mactandi in Divina viſione, Petrus concluſit: Nunc ex veritate cognoſco, quod non ſit perſonarum reſpectus apud Deum; ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur juſtitiam, Deo acceptus eſt Actor. 10. verſ. 11. 12. &c. cum verſ. 34. 35. *Atqui ante diluvium rejectas eſſe gentes à communione Eccleſiæ, & externa ejus ſocietate, non conſtat.* Reſp. 1. Solidam vero rationem mihi attuliſſe videtur Curcellęus, cur ante Diluvium quoque obſervatum fuerit diſcrimen inter munda & immunda animalia. Cui ſuperaddo duntaxat ſuffragium Piſcatoris, qui Geneſ. 7. verſ. 2. ad hæc verba: *Ex pecudibus mundis*, in Scholiis ſuperaddit hanc obſervationem: *Id eſt, aptis ad ſacrificia: ſicut in lege Moſis definitum eſt. Hinc apparet diſcrimen illud mundorum & immundorum patribus quoque illis ante Diluvium fuiſſe indicatum.* Cuinam vero ex filiis Adami, ſi non Adamo ipſi, diſcrimen hoc Deus indicarit, varię ſunt conjecturę. Nec admodum refert ſcire. 2. Minus inconvenienter vero animalia cenſentur Gen. 7. vocari munda & immunda ratione victus, quomodo neque probari poſſunt, quæ habet Curcellæi Adverſarius pag. 47. *Diſtinctio inter munda & immunda non fuit ex Divino mandato propter pietatem & religionem inducta, ſed homines ea immunda duxerunt, quorum naturaliter nauſea capti fuerunt.* Quod ſi ita foret, definite non conſtaret, quænam munda, quænam vero immunda animalia forent. Chryſ. Homil. 24. in Geneſin: *Conſidera* (inquit) *quomodo in nonnullis locis ab aliquibus abſtinent aliqui, ut immundis & non probatis, aliqui illis ipſis veſcuntur, conſuetudine ſe adhoc inducente.* Vel circa ſolam ſuillam carnem hoc patet, qua Judæos, ut abominabili abſtinuiſſe, gnarum quoque erat Tacito, qui ita, falſus licet circa rationem lib. 5. Hiſtor. *Sed abſtinent, memoria cladis, quòd ipſos ſcabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium.* Nec tamen Phyſice ſus pertinet, ſive ad ζῶα ἀνόσια, (ut loquitur Joſephus) ſive, ad τὰ ἀκάθαρτα, ut loqui amant LXX. Senes: cum alimentum commodiſſimum homini conferat. Verbum eſt Medicorum Patris, ſive Hippocratis lib. de Affectionibus: τὰ δὲ ὕεια εἰς καὶ ἐνεξίην μὲν, καὶ ἰσχὺν ποιέουσι. *Suillæ carnes, & ad bonum habitum & ad robur conferunt.* à cujus judicio non diſſentit genuinus ipſius interpres Galenus lib. 7. Meth. cap. 6. τροφιμώτατον οὖν ἐστιν ἁπάντων, ὧν ἴσμεν ἐδεσμάτων, χοίρειον κρέας. *Omnium, quos novimus, ciborum, maxime alit caro ſuilla.* Adeoque adverſarius Curcellęi

cellgi hic debuiſſet diſtinguere inter munditiem *naturalem*, *moralem*, *atque figuralem*. Multa dicere poſſem, &, ſi inde fama quærenda eſſet, vario ſyrmate multiplicium citationum omnia extendere: Sed, quòd nihil velim detractum illi, per quem gratus profiteor me profeciſſe, eum unum pro me adducam, qui eſt Theologorum Orthodoxorum Coryphæus, Franciſcus Junius, quique in ſua Analyſi ad cap. undecimum Levitici *ſequentia habet:* Ex natura eſt munditia vel immunditia duobus modis; ſubjectivè, ut loquuntur, aut effectivè. ita liceat dicere brevitatis cauſa. Subjectivè munditia eſt ſecundùm quam res à natura munda eſt in ſe; ut contra immunditia, qua res à natura eſt in ſe immunda. Sed quia naturæ duplex eſt ratio; communis, quæ fuit ante peccatum purè; & ſingularis, quæ ex peccato hominis corrupta eſt; hinc fit, ut, reſpectu naturæ communis, nihil creatum non ſit mundum: nam aſpexit Deus quicquid fecerat, ecce autem erat bonum valde, Geneſ. 5. Reſpectu vero naturæ ſingularis, ex facto hominis vanitati mancipatæ, (ita loquitur Apoſtolus Rom. 7.) eadem, quæ ſecundum naturam communem bona ſunt, contigit mala eſſe, vel immunda eſſe ſecundum naturam ſingularem ipſorum. Hinc fit, ut ſus ex natura communi munda, & dipſas ex natura ſingulari, immunda fuerit habita. Atque hæc quidem ſubjectivè munda. Effectivè autem immunda ſunt, ſecundum eandem rationem naturæ, communiter aut ſingulariter conſideratæ, quæ ſuam immunditiam in alia quoque transferunt; ut (exempli cauſa) ſi de dipſade, bufone, aut angue dixeris. Alioquin certa eſt Pauli ſententia 1. Timoth. 4. omnia piis ſanctificata eſſe: & Tit. 1. omnia munda mundis; quemadmodum Deus Petro oſtendiſſe dicitur Actor. 10. Jam de altera parte videamus. Ex inſtituto, ea ipſa quæ munda ſunt, tamen immunda cenſeri ſolent. Inſtituti autem cauſæ ſunt in hoc genere aut naturales, aut morales, aut figurales: naturales ſunt, quum à natura fundamentum habent; ut exempli cauſa, ad cibum quædam ex natura adhibentur, & quædam natura horret. Illud eſt evidens per ſe, nec opus ut exemplis oſtendamus. Morales ſunt, quæ conjunctam honeſtatis, & æquitatis, rationem habent; ut exempli cauſa, quum Deus Iſraëlitis peregrinantibus clavum ſeu ligonem eſſe jubet, quo excrementa ſua in ſinum terræ effoſſæ condant, Deuter. XXIII. Figurale eſt, quod ad certam aliquam ſignificationem pertinet, quam nec rei natura, nec morum noſtrorum ratio ſimplici-

ter

ter poſtularet, cujuſmodi pleræque hic ſunt ceremonię. Triplex autem harum ceremoniarum reſpectus fuit, in tactu, in cibo, & ſacrificio. In tactu quicquid immundum fuit, idem cibo & ſacrificio immundum cenſebatur. Ad ſacrificium maxima munditia deſiderabatur. Has autem munditias (paulo curioſior hoc in loco futurus ſum, ut ſemel locum explicem) homines inde à peccato aliquo modo obſervarunt: naturales & morales, naturæ inſtinctu quodam; ſacras & ad ſacrificia pertinentes, ſingulari revelatione. Neque enim dubium eſt, quin Adamo ipſi Deus ſpem venturi Chriſti ingenerans, res ad ſacrificium mundas oſtenderit, ut inde à principio humanum genus in peccatis perditum ad ſpem ſalutis in Chriſto ſymbolis excitaret: qua ratione Gen. 6. Deus Noacho mandans, munda, id eſt, apta ad ſacrificium ab immundis ſecrevit, & plura aliis in arcam intromitti voluit. Jam de his rebus, quæ lege immundæ pronunciantur, videndum eſt. Ac primum quidem tenendum illud eſt, non agi de immunditiâ naturali aut morali propriè & per ſe, ſed de figurali; alioquin cur res multas quæ naturâ non ſunt immundæ, Deus interdixiſſe diceretur? Sed fortaſſe dixerit quiſpiam, ſaltem ex cauſis naturalibus ſunt diſtinctiones iſtæ, ſive iis cauſis quæ naturales dicuntur ſimpliciter, ſive moralibus. Priorem ſententiam Chriſtianis objecit Porphyrius & alii, phyſicæ aut medicæ rei magis dantes operam, quam Theologicæ: poſteriorem alii uſurpaverunt qui ſingulares affectiones iſtorum animantium cum affectionibus humanis comparaverunt, qua in re non admodum feliciter (judicio meo) non pauci ex Orthodoxis patribus ſeſe occuparunt. Reſtat igitur, ut figuralem munditiam dicamus eſſe, ſecundum quam velut ſymbolo externo Deus populum ſuum à cæteris gentibus ſecerni voluerit. Nam quod exceſſum aut defectum caloris aut humoris (ut vocant) radicalis adferunt quidam, id à Porphyrio eſt: neque probabile eſt, Deum his modis, medicam rem in rebus ſacris curaviſſe. Moralia qui minutatim adferunt, ii operam videntur ludere: quia nec Deus ad ſingularem rationem animantium videtur reſpexiſſe in communi lege, nec ſi quis vellet certò confirmare de ſingulis poſſet, aut quæ animantes hîc ſignificentur Hebræis vocibus (probabiliter quidem poſſet, ſed non certo) aut quod amplius eſt, qua ratione ad hanc ſignificationem alias adhiberi Deus præceperit, & alias minimè. *Hæc Iunius*, in cujus ſententia hactenus acquieſco.

XI. Supereſt *quintum* & poſtremum argumentum, quod *ita proponitur apud*

apud Curcellaum p. 35. Si illicitum (*inquit*) fuiſſet ante diluvium animalia ad edendum mactare, in adeo immenſum excreviſſent numerum, ut terram popularentur & fruges conſumerent, hominesq; in periculo verſati eſſent, ne aut fame perirent, aut ſaltem magna ciborum ad vitam ſuam ſuſtentandam requiſitorum penuria laborarent. Id autem eſt abſurdum, & curæ, quam Deus de humano genere habet, repugnans. *Ad quæ ita reſpondet Curcellaus*: Incommoda iſta minime fuiſſe metuenda, ſive cicuria & domeſtica ſpectes animalia, ſive fugacia & quę in agris degunt. Nam quod ad domeſtica attinet, ut ſunt oves, capræ, boves, &c. quamvis fæcunditate prę̨ſtent, non tamen valde absq; hominum peculiari cura & labore multiplicantur; ita ut ſibi ipſis relicta, magnam partem morbis peritura, aut feris in prę̨dam ceſſura eſſent, ſicut minutos piſces à majoribus devorari cõperimus. Et quod ad fugacia, ut ſunt cervi, damæ, lepores, &c. experientia quoq; docet contrarium. Nam etiam in locis ubi nemo illa perſequitur & capit, non adeo multiplicantur, ut terram repleant, & homines ejus fructibus privent. *Hæc Curcellæus*. Adverſus quę *ita inſurgit Curcellai adverſarius p.* 48. Non negem (*inquit*) accedente hominum cura facilius multiplicari. Argumento fuerit pecuaria apud diverſas gentes. Absq; tamen illa fuiſſet multitudo animalium, & exuberantia moleſtiam creaſſet. Ergo feris carnes in prę̨dã ceſſurę? Quidni igitur etiam hominibus? Non eſt, cur conditionem deteriorem fingamus hominis, quàm beſtiarũ. Neq; facile quiſquam habere fidem poteſt dicenti, etiã in illis locis, ubi nemo feras perſequitur, & cubilibus ſuis excutit, non adeo multiplicari. *Fidem facit* Germania Gradivo tã diu lacerata, & pœne in vaſtitiẽ data. Cujus cultui arte & induſtria poſtliminiò quæſito quantum noceant turmatim irruentes feræ, & ſegetes vaſtantes, compertum ſatis eſt. *Hactenus ille*. Reſp. 1. Juxta noſtra principia, at prę̨ter legẽ Dei, in animalia graſſati quoq; fuerunt dubio procul illi, qui vocantur *Nephilim*: ſed, inde non licet argumentari à facto quorundã hominum ad jus, iis à Deo conceſſum. Nulla quoq; conſequentia à feris ex rapto viventibus, ad homines: pari enim ratione concludas, inſtar ferarum, homini quoque fas eſſe ex rapto vivere. 2. Multa animalia non fætificare, niſi accedente hominum induſtria certiſſimum eſt, adeoque ea, multiplicata quoque, nullam, aut ſaltem exiguam noxam inferre potuerunt filiis Dei, cum hi, memores Divini mandati, præcaverint facile, ne multiplicarentur: nullaque ratio haberi debeat filiorum hujus ſeculi, qui, ut in vetitum perpetuò niti ſunt ſoliti; ita nihil præjudicii Divinæ legi,

Digitized by Google

cujus memoria apud pios perennabat, procurari potuit per horum inobedientiam. 3. Pauca ex feris animalibus (de cervis, apris, & leporibus patet) ſatis & ſegeti incommodare ſolent: atque timidiora & imbecilliora ex illis cedere ſolent in prædam robuſtiorum. Notum illud:

Torva leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam.

Atquehic in teſtimonium vocari poteſt Groenlandia, & nova Zembla, ubi ut occurrit copia cervorum & vulpium; ita iiſdem oppoſiti ſunt prægrandes urſi. 4. Nec ſegeti ſemper à cervis, & ſimilibus animalibus, ubi quoq; admodum multiplicata ſunt, incommodum grande imminere poterat, quod mundus, animalibus per partes & ſucceſſive complendus, longe lateque pateret: ſimul animalibus abunde ſpatii ſupereſſet, in quod, citra ſingularem hominum noxam, excurrerent. Et hæc quidem dicta ſint, non tam pro vindiciis Curcellæi, quàm ad argumenta, quæ vulgo ſolent, ut Gorgones, oſtentari. Curcellæi adverſarius verborum abunde licet profuderit, parum tamen roboris & nervorum iis conciliare quivit. Adeoque dicimus cum pientiſſimo Piſcatore ex Obſervationibus ad IX. caput Geneſios: *Quod Deus* (inquit) *poſt diluvium, carnium quoque eſum hominibus conceſſit: argumentum eſt bonitatis ejus, & paternæ curæ erga homines: quibus hoc ſubſidio proſpectum voluit: ſive quod fructibus terræ, initio in cibum conceſſis, non amplius tanta ineſſent ad alendum vires, ut ante Diluvium, ſeu quòd videret, vires corporis humani paulatim imminutum iri, ac proinde firmiore alimento opus fore. Hanc igitur Dei bonitatem gratis animis agnoſcamus & prædicemus.* Rabbini varias quoque rationes reddunt hujus permiſſionis. Apud Seldenum lib. 7. c. 1. ita lego: *Quoniam ajunt alii* (inquit) *in rerũ initiis fructus arborum, agrorum, ſatorum, aliarumque rerum è terra creſcentium ex ipſa creatione uberes fuere, unde commodiſſime nutriri poſſent homines. Nec aliter ſe res uſque ad diluvium habuit. Statim autem poſt Diluvium ob rerum ejuſmodi inde inopiam, neceſſarium hoc fuiſſe indultum, ne fame aliter homines tunc periiſſent. Alii rationem petunt ex eo, quòd fructus terræ poſt Diluvium peiores multo quàm ante. Alii aliter. Qua de re conſulas Commentarios Rabbinicos in Geneſin.* Quibus hoc ſolum addo: cum impii quidam ante Diluvium, voluptatibus & ventri ſuo nimium quàm addicti, carnes inſtituiſſent, Cyclopum, aut potius ferinum in morem, comedere: Deus promiſcue pro ſua bonitate poſt Diluvium ita uſum carnium permiſit, ut ſimul tamen interdixerit ſanguine & ſuffocato. Quum præceſſiſſent enim mali mores, hæc bona Lex à Deo condita fuit.

A D.

Digitized by Google

ADDENDA.

EX multis quæ addenda eſſent, hæc pauca ſuffecerint. Pagina ergo 357. lin. 16. poſt hæc verba, ***quis non admittendum eſſe ſtatuat?*** Sequentia ***legantur***: Tantum vero abeſt, ut dici poſſit, juxta Regium Pſalmiſtam, omnem verticem comatum abominationi eſſe Jehovæ: quædam ex gentibus notantur, quod eſſent קצוצי ceu attenuatæ, aut extremificatæ & quidem ſecundum angulum, nam additur vox פאה. Quod quanquam multi ex Rabbinis interpretantur de remotiſſimis gentibus, quæ habitabant in angulo deſerti; Hieronymus tamen accipit de Arabibus, quibus moris erat comam rotunde attondere. Idem judicium eſt Junii, quem ſequuntur Interpretes Belgæ. De hac tonſura Arabum ita Herodotus in Thalia, citatus quoque à Junio: ***Dicuntur*** (inquit) ***Arabes tondere ſui capillamenti comam, ut ipſe Dionyſius tonſus eſt: tondentur autem in ſubrotundam formam, circumradentes tempora.*** Ad dictum verò Jirmejæ locum hæc habet Theodorus Mopſveſtenus: *Σαρρακηνοὶ τὴν κόμην κατὰ τὸ ὄπισθεν μέρος ἐῶντες μόνον ἀποκείρονται τὸ μέρος ἐπὶ τὸ μέτωπον, οἱ εἰσιν καὶ νῦν λεγόμενοι γεντίλιοι.* ***Comam ad occipitium promittentes Saraceni, partem ſolummodo tondent, quæ fronti imminet; hos hodie gentiles vocamus.*** Prophetam indefinite Gentiles intellexiſſe non dixerim, ſed potius reſpexiſſe Arabes. Interim modo Saracenico Hunni quoque & Maſſagetæ tonderi ſolent. Procopius Cæſarienſis in Hiſtoria Arcana Alemannii pag. 31. *τῶν δὲ ἐν τῇ κεφαλῇ τριχῶν τὰ ἔμπροσθεν ἄχρι ἐς τοὺς κροτάφους ἀποτεμόμενοι τὰ ὄπισθεν ἀποκρέμασθαι σφίσι λόγῳ οὐδένι εἴων, ὥσπερ οἱ Μασσαγέται, διὸ δὴ καὶ οὑννικὸν τὸ τοιοῦτον εἶδος ἐκάλουν.* ***Sinciput capillitio ad tempora uſque nudarunt, coma ad occipitium promiſſa, ut Maſſagetæ ſolent, nulla lege diffluere, quare & hunc habitum Hunnicum appellavere.*** Quæ ſi cum antecedentibus componantur, patebit, Deum execrari non quidem capillum, ſive intonſum, ſive attonſum, ſed quatenus arguit mores, ſanctiſſimæ ſuæ legi adverſantes.

Pag. 363. linea ante penultima, poſt verba, ***Seculo iſti***, amplius addantur, ***quæ ſequuntur***: Putare aliquis poſſet Deum circa barbæ ſive tonſuram, ſive raſuram, nec non tonſuram capillorum, aliquid definiviſſe, quum Deus Levit. 19. verſ. 27. ita ſanxerit: ***Ne circumcidito pilos ad latus capitis veſtri: neque corrumpito latus barbæ tuæ.*** Sed, præterquam quòd huic præcepto Rabbini ſuam ſuperſtitionem ſociarant,

reſtringentes illud ad novaculam, ſecluſo forfice; quum tamen Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædag. cap. 3. barbam, non novaculæ, ſed uni forſici velit ſubeſſe; illud mere cæremoniale eſt habendum. Non inconvenienter per omnia, ſerius præ vulgo Rabbinorum Aben Ezra ad dictum locum: *Ratio* (inquit) *præcipiendi de capillo, & Barba, eſt, ut eſſent diſſimiles gentibus. Et quia crinis capitis & barbæ eſt ad decus creatus, non convenit eum corrumpere. Sunt qui dicant id pertinere ad luctum mortui.* Apposite Calvinus in Commentario: *Quamvis medium id eſſet* (inquit) *per ſe, Deus tamen noluit populo ſuo liberum eſſe: ut tanquam pueri ex parvis rudimentis diſcerent, ſe non aliter fore Deo gratos, niſi exteris & præputiatis eſſent prorſus diſſimiles, ac longe abeſſent ab eorum exemplis, præſertim vero ritus omnes fugerent, quibus teſtata fiebat religio.* Conſtat vero ſacrorum apud Gentiles miniſtros, conſueviſſe orbiculari figura aut caput circumtondere, aut illud radere. Nec falſus eſt Lilius Giraldus Dial. 11. quando exiſtimat, Deum voluiſſe, ut populus ſuus quàm alienus eſſet à vaniſſimis Ægyptiorum ſuperſtitionibus, ad quas, ob diuturnam in terra illa manſionem, maxime videbantur proclives eſſe. Notiſſimum vero eſt, ſacerdotes Iſidis, magnæ Ægyptiorum Deæ, non modo conſueviſſe caput ſuum circumtondere, ſed ad vivam quoque cutem radere, unde & paſſim calvi vocantur. Apul. lib. 11. deſcribens pompam Iſiacam, *hæc inter alia habet*: Tunc influunt turbæ, (*inquit*) ſacris divinis initiatæ, viri fœminæque omnis dignitatis & omnis ætatis, linteæ veſtis candore puro luminoſi: illæ limpido tegmine crines madidos obvolutæ, hi capillum deraſi funditus, vertice pœnitentes. *Hæc Apulejus.* Similiter Lampridius in Commodo: *Sacra Iſidis coluit, ut & caput raderet. Anubin portaret*, &c. Ne plura teſtimonia jam cumulem, comparentur hæc, cum illis, quę habeo pag. 358. & 359. atque liquido patebit, nihil, quod Chriſtianos obſtringere poſſit, multo minus hoc tempore debeat, à Deo præceptum eſſe circa tonſuram ſive capillorum, ſive barbæ.

Pag. 428. poſt art. 6. Diſſertationis de Pœna ſimplicis furti, licebit amplius ſequentia, quòd ſerviant vindicandæ meæ ſententiæ, *inſerere*: Quum nuper declamari audiverim contra meam ſententiam à quodam, cui ad tempus Privilegium obtigerat, ut ſolus loqui poſſet, non poſſum non occurrere duobus argumentis, quæ quàm invidioſe contra meam ſententiam torquebantur. Prius tale ferme, ſi ad formam redigatur, erit; *Si parendum eſt Deo, in Decalogo dicenti, non furaberis:*

ipſum

Digitized by Google

ipſum quoque audire debemus, furto pœnam pecuniariam deſtinantem. Idem enim ille Deus, qui Moſi dedit utramque tabulam, propoſitam Exod. 20. complectentem decem verba, per eundem ſuum adminiſtrum hanc legem tulit Exod. 22. verſ. 1. *Si quis furatus bovem aut parvam pecudem, mactaverit aut vendiderit eam, quinque boves rependito pro uno bove, & quatuor pecudes gregis pro una pecude.* Sed, reſpondeat pro me ſolus Franciſcus Junius, non modo Theologus ſummus, verum etiam cum viveret Leydæ, omnium judicio Profeſſor diligens, induſtrius, ſobrius, & rerum ſuarum quàm ſatagens. Hic in Analytica Explicatione Exodi, ad caput XXI. *ſequentia habet*: Tradita morali lege (*inquit*) tanquam rivos illius ducens in Eccleſia ſua, judicia eô pertinentia præſcribit, tribus capitibus 21.22.23. Eorum judiciorum ſumma inſcriptio eſt caput 21. verſ. 1. &c. Inſcriptione (ut de verſ. 1. pauca dicamus) oſtendit Deus, jura Iſraëlitis præſcribi à ſe in repub. eorum obſervanda. Quorum duplex eſt ratio: una, communis pro natura juris ſecundum ſe ſimpliciter conſiderati: altera ſingularis pro natura hominum temporumque illorum, ſecundum quæ etiam jura, communi ratione nixa, temperari determinationibus, concluſionibus, & circumſtantiis neceſſe eſt. Horum prius demonſtratur his verbis, *Hæc judicia illa ſunt*; poſterius illis, *quæ propones iis*, puta Iſraëlitis convenientia. *Hactenus Iunius.* Adeoque, in hoc argumento, conſequentia nulla, vel ab Argo ipſo, qui totus erat oculeus, obſervari poteſt. Neque enim illud, quod reſpectum habebat ad ſolam Politiam Iſraëliticam, ulla ſpecie probabilitatis extendi poteſt ad Reſpublicas in communi conſideratas. Illis, quæ jam antea propoſui, & fuſius deduxi, ſuperaddo ſolummodo inſignem locum Theologi Docti & Celeberrimi, ſcil. Martini Chemnitii, qui in locis Communibus Titul. de Lege pag. mihi 225. & 226. *ſequentia habet*: Quæritur, an juſtum ſit fures punire ſuſpendio, cum Lex divina hanc pœnam non conſtituerit? Sed vera reſponſio eſt: Conſtitutiones Moſaicas, noſtras Politicas non obligare, quæ facinoroſis recte poſſunt pœnas imponere, pro ratione illius regulæ, ut communis pax & tranquilitas conſervetur, malum de terra auferatur, audacia reprimatur: ut cæteri timorem habeant. Multis enim graſſantibus, opus eſt exemplo. Et ipſe Deus in politia Moſaica oſtendit, pœnas furti, pro circumſtantia rei ablatæ, poſſe vel mitigari vel exaſperari: quidam quadruplum, quidam quintuplum

 reddant,

reddant, quidam venundentur, quidam morte mulctentur. Item conſtituit, furem, in quo animus graſſandi præſumitur, recte poſſe etiam extra judicium occidi. Et notabile eſt, quod Salomon Prov. 6. verſ. 31. (*hunc locum paulo poſt preſſius expendemus*) indicat progreſſu temporis etiam in Politia Moſaica, furta non potuiſſe pœna Moſaica coërceri, ſed magiſtratum conſtituiſſe, ut quidam ſeptuplum redderent, quidam confiſcatione omnium bonorum. Hæc fundamenta oſtendunt rationem, quòd potuerit pœna furti aſperior conſtitui. Citatur dictum Chryſoſtomi: *Ubi damnum reſarciri poteſt, non eſſe homini adimendam vitam.* Sed, qui furatus eſt hominem, licet poſſet reſtituere, tamen lege Moſaica morte punitur. *Huc uſque Chemnitius.* Circa locum Proverb. 6. varii ex Interpretibus ambigunt: ne vero aut Chemnitio aut nobis faveat, vir, dum viveret ſummus, atque linguarum Orientalium peritiſſimus D. Sixtinus Amama lib. 3. Antibarbari pag. 896. multis obnititur: quæ non poſſumus non quoque & proponere, & examinare. Verba viri egregii *ita l. d. habent*: Cum vero hic dicat Salomon, *ſeptuplum reddet*, colligunt, ejus ſeculo pœnam furti exaſperatam fuiſſe: ac proinde, ut loquitur Thomas prima ſecundę, ad præcepta judicialia potuiſſe à Regibus additionem fieri ſecundum exigentiam temporis. Quamvis vero longe diverſa ſint, pœnam aliquam non capitalem aggravare, &, pœnam non capitalem convertere in capitalem: tamen ne illa quidem poteſtas ex hoc loco ſtabiliri poteſt. Id quod jam jam apparebit. Adhęc, ſi judiciale diſtinguas à morali & cęremoniali, negatur diſerte, leges illas, quæ tranſgreſſoribus moralium legum pœnas decernunt, judiciales eſſe: quales ſunt præter leges de pœna furti, leges de adulterio, & filio rebelli, Deut. 21. & id genus aliæ. Valebitque & hic illud Juriſconſultorum, *Acceſſorium ſequi ſuum principale.* Hactenus *D. Amama.* In quibus ut multa occurrunt examen merentia; ita ordine præcipua expendemus. Ab ultimo vero initium faciam. Eoque *primo* dico, ſimpliciter aſſeri non poſſe, pœnas corporales hujus ſeculi, quibus Deus munivit Decalogum, apud omnes homines, ſub quacunque reip. conditione æque admitti debere. Fatemur quidem, Deum, qui leges Politicas populo Iſraëlitico præſcripſit, ſapientiſſimum eſſe Legiſlatorem; interim delicta quædam ratione circumſtantiarum illius reip. poterant vel graviora, vel leviora eſſe quàm alibi. Populo ſuo cum Deus in terra Canaan largam benedictionem addixiſſet, furtum non poterat

iis

iis ęque grave eſſe, atque populo in regione ſterili in tuguriis minus firmatis habitanti. Adeoque pœna levior furi Iſraëlitico deſtinata, non poteſt in regione contradiſtincta æq; ſervire furto coërcendo. Nam 1. quia regio ſterilis eſt, is, cui fit furtum, magis lęditur. 2. Res ipſius mobiles, magis expoſitæ ſunt furto, quòd minus illas queat cuſtodire. 3. Fur in tali regione vivens reſtitutioni & rei furtivæ, & mulctę pecuniariæ, minus ſufficit. Vice verſa, cum ipſi Iſraëlitę qui diu in Ægypto morati fuerant, obnoxii admodum eſſent Idololatrię, Deus morte Idololatriam expiari voluit, Exod. 22. verſ. 20. Deuter. 17. verſ. 2. Quis tamen inde intulerit, eam ubique locorum exercendam & obſervandam? Reſtrictio eſt ipſius Dei Deuter. 17. verſ. 2. *Si inveniatur* (NB) *in medio tui*, *in aliqua è portis tuis*. Unde non inconvenienter Rivetus ad Exod. 22. verſ. 20. *Id, quod hac lege ſancitur, ad populum Iſraëlis referebatur, non ad gentes extra temp. illam. Gravius enim erat crimen Iſraëlitarum, quibus Deus ſe communicaverat, fœdere cum iis inito.* Habet ergo vir egregius ἔνστασιν. *Secundo* per errorem argumentatur à pœna homicidii, & adulterii, ad pœnam furti. Homicidii & adulterii apud omnes gentes par eſt ratio, non æque vero furti. Ut enim jam oſtenſum eſt, circa hoc varietas maxima accidere poteſt. Adeoque exiſtimamus, homicidis & adulteris ubique locorum vindicem gladium deſtinandum eſſe, eumque propter illa, quæ antea diſputata fuerunt, licere quoque ſtringere in fures, ſi ſuadeant ſtatus & conditio reip. *Tertio* ſepoſito filio rebelli, vir doctiſſimus adducere potius debuiſſet legem Dei, Exod. 21. verſ. 16. *Qui maledixerit patri ſuo, aut matri, morte moriatur.* Quam & vindicat à falſa gloſſa Phariſęorum D. Jeſus Chriſtus, Matth. 15. verſ. 4. Quis vero exiſtimet eam in uſum revocandam & rigide obſervandam eſſe, cum contingat ſæpe (teſte ipſo Apoſtolo Paulo Epheſ. 6. 4.) liberos per parentes παροργίζεσθαι, ſeu, *exacerbari*? Adeoque non eſt putandum ſimpliciter verum eſſe, quod dicit vir egregius, de pœna acceſſoria, ęque morali cenſenda, atque præcepta moralia ſunt. *Quarto* quod mirum videtur viro celeberrimo, de pœna non capitali, converſa in pœnam capitalem, occaſione ipſius furti oſtendimus in ipſa Exercitatione, cum judicium Davidis expenderemus. Atque hoc neque novum, neque injuſtum eſſe, quivis, ſi Leges militares attenderit, cognoſcere poteſt. In caſtris, maxime quando miles eſt in expeditione, multa cenſentur capitalia eſſe, quæ tamen in milite præſidiario ultimo ſupplicio non caſtigantur.

Sed

Sed, quâ ratione Chemnitio locum Salomonis eripere nitatur D. Amama, *deſpiciamus*: Salomonis ſcopus iſte eſt, (*inquit*) ut adulterium inviſum reddat adoleſcenti, propoſito præſentiſſimo periculo, in quod ſe præcipitem dat. Hoc illuſtrat & amplificat, comparando pœnas adulterii & furti, conferendo item ipſa delicta inter ſe. Fur, inquit, non tam inviſus eſt, quàm adulter, præſertim ſi ex neceſſitate furetur, nec etiam, licet extra illum caſum, tanto afficitur ſupplicio. Furto enim coërcendo non alia deſtinata pœna eſt, quam reſtitutio dupli, vel quadrupli, vel quintupli pro ratione circumſtantiarum, ne tum quidem, cum ſæpius idem delictum iterat. Furatur ſepties? reddit ſepties. Uſque dum univerſam domus ſuæ ſubſtantiam exhauriat: vel ut Jun. ex qualibet ſubſtantia domus ſuæ reddat: vel, ſi legi ſatisfacere non poteſt, reddat omnia quæ habet, aut, ſi nihil habet, in ſervitutem aſſeratur. Vitam ei nec dominus rei ablatæ, nec judices ex lege Divina poſſunt adimere. At in mœcho aliter ſe habent omnia. Si vel ſemel deprehendatur, & privato & publico jure, de ejus honore & vita actum eſt. *Hac iterum Dn. Amama.* Reſp. 1. Si pariter fures & mœchi conſiderentur coram Dei tribunali, æquales cenſeri debent: *Nam neque mœchi, neque fures regni Dei hereditatem poßidebunt* 1. Cor. 6. 9. 10. (2) Fateor, juxta legem judicialem Dei, mitius puniri furem, quàm adulterum: item convenienter illud ſepties referri ad actus furti iteratos. Sed, quid interim fiet his verbis Salomonis? *Qualibet ſubſtantia domus ſua reddit.* Scio doctiſſimos interpretes hic ſupponere caſum, quaſi fur occurrerit extreme pauper, qui toties furando, quo poſſet ſe eximere, profuderit totam ſuam ſubſtantiam. Sed, hujus ſuppoſitionis ne fugiens quidem veſtigium in Textu occurrit. Cur non liceat dicere, eum deprehenſum ſæpius, adeo exacte luere illud, quod furando abſtulit, ut excutiatur omnibus ſuis fortunis, nulla habita ratione, ſufficiantne mulctæ, nec ne? Quod hactenus juxta Chemnitium non immerito cenſeatur tempore Salomonis ſuperadditum eſſe legi Dei. Sed hoc nos parum curamus, cum validius longe argumentum ſuppeditarit nobis judicium Davidis, quod proinde quoque, neglecto hoc Salomonis loco, ſuperius in ipſa Exercitatione prolixius diſcuſſimus. Accedo ad alterum Declamatoris argumentum, quod hoc erat: *Iulius Clarus queritur, fures ultimo ſupplicio affici, adulteros verò pleriſque in locis pœna duntaxat pecuniaria mulctari. Quod cum iniquißimum ſit, concludebat fures potius mulctandos, adulteros autem gladio puniendos eſſe.* At, qui tam emaces ſunt

ſunt in comparandis libris, ſi æque diligentes eſſent in iiſdem legendis, ignorare haut poſſent, magnum illum Alciatum ad leg. 42. de V. S. ſic ſcripſiſſe: *Hodie in his civitatibus, quæ male inſtituta ſunt, major pecunia, quàm morum ratio habetur, fureſque laqueo ſtrangulantur, adulteri mulctantur pecunia.* Sed, quæ Alciatus notat, nos quoque judicamus digna eſſe cenſoria virgula. Adulteris deſtinamus gladium, patimur fures duntaxat ad mulctam pecuniariam ſolvendam adigi, modò cenſeatur ex juſtitiæ præſcripto collo eorum laqueus indi, ſi ratio reip. & temporis illud exigat. Dolet nobis, quòd juxta ſenſum carnis, homines hujus ſeculi adeo perverſe inter adulteros atque fures diſtinguant, adeoque haut piget hoc loco exhibere verba Theologi haut de trivio, Dn. Thomæ Cartvvrichthi, qui in Commentario ad Salomonis locum, jam antea expenſum, *ſequentia habet:* Furem omnes (*inquit*) exagitant, & convitiis inceſſunt, flagritribam appellantes: una menſa cum illo vivere renuunt, uno poculo bibere, uſque adeo, ut veſtes fere ejus abhorreant; denique carceri & morti tradunt. Contra verò in adulterio nihil hujuſmodi: non modo non exprobrant; ſed ne abſtinent ab ejus conſortio. Quis unquam de furto ſuo jactabit? atqui ſæpe inventi ſunt, qui de ſuis adulteriis, cum pulchra præſertim ,aut nobili fœmina gloriantur. Tanto autem magis hæc judicii perverſitas apud nos locum habet, quanto ſcelus adulterii à pœna fere omni immunius eſt; cum tamen furtum ſeveriſſime vindicetur. Interim tamen Deus ſententiam ſuam non mutabit: quo minùs adulteros deteriores judicet, & ſuppliciis exquiſitioribus puniat; utcunque homines ſtatuant. *Hactenus ille.* Adeoque, ut argumento ſatisfaciam; uno verbo reſpondeo, non valere conſequentiam ab iis, quæ ſunt facti, ad illa, quæ ſunt juris. De facto quidem, lenius agitur cum adulteris, capitis licet reis: licet interim non peccetur ratione furum, ſi illis, reip. conditione atque circumſtantiis ſuadentibus, laqueus deſtinetur. Non probo verò, quæ Alciatus eodem loco habet: *Poteſt ita diſtingui, ait, ut defendamus furtum non natura, ſed civili lege probrum eſſe, adulterium vero etiam natura: nam leguntur fuiſſe aliqui populi, apud quos furari impune licebat, ut Ægyptii, quod ex Ariſtone Iuriſconſulto Aulus Gellius tradit. Lacedæmoniis certe etiam laudi dabatur, eſſe furem, nec deprehendi.* Reſp. 1. Reſpicit locum Gellii lib. 11. Noct. Att. cap. ult. ubi Ariſto hoc non minus de Lacedæmoniis, quàm Ægyptiis affirmat: de Lacedæmoniis idem teſtante Plutarcho in vita Lycurgi. 2. Dato quoque, plures gentes rebus honeſtis fur-

tum accenſuiſſe; non deſinit tamen propterea turpe eſſe. Quum hic cogitandum, quod de gentibus in communi teſtatur Apoſtolus Paulus, *Quod Dei veritatem* (per lumen ſcil. naturæ, aut verius reliquia ejuſdem, poſt lapſum in mente adhuc radiantem) *tranſmutarint in falſitatem*, Rom. 1. 25. Nunquam hæc ſcripſiſſet Alciatus, niſi putaſſet ſibi licere ingenioſo eſſe in diſpungendo. Lex vero XLII. (quæ eſt Ulpiani) de V. S. ita habet: *Probrum & opprobrium idem eſt: probra quædam natura turpia ſunt, quædam civiliter, & quaſi more civitatis; ut puta furtum, adulterium, naturâ turpe eſt.* Scilicet, poſt furtum ita diſpungere voluit IC. ſummus, ut poſſet referri ad probra civilia. Sed, obſtant exempla quæ poſtea adfert Ulpianus, tutelæ nempe, &c. imo obſtat definitio furti, Inſt. de obl. quæ ex delicto naſc. §. 2. *Furtum eſt contrectatio fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipſius rei, vel etiam uſus ejus, poſſeſſioniſve, quod lege naturali prohibitum eſt admittere.* Et hæc quidem addenda fuerunt, pro vindiciis meæ ſententiæ de pœna ſimplicis furti: imo hæc debebam Declamatori. Hi, ſimileſve ſi aliquid ſe dignum præſtare velint, à tergo, mulierum in modum, non certent conviviis, aut in popinis adverſus noſtram ſententiam, quæ omnium telorum ſecura eſt, inſurgant: ſed examinent totam Exercitationem noſtram ab initio ad finem; &, quantum profecerint, orbis literatus judicare poterit, ubi nobis licuerit, per Dei gratiam, reſpondere.

Pag. 464. lin. 13. *poſt*, Rotterodamenſes, *adde*: item Harlemenſes anno 1661.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX

Digitized by Google

I N D E X

Locorum Scripturæ aut incidenter, aut ex profeſſo, explicatorum.

Cap.	verſ.	pag.
	Geneſ.	
2.	21.	574.
2.	29.	569.
4.	4.	585.
9.	2.	582.
27.	37.	226.
31.	54.	584.
44.	5.	286.
	Exod.	
15.	20.	322.323.
21.	16.	406.599.
22.	1.	404.597.
	20.	599.
	21.	437.
	25.	476.477.
	26.& 27.	478.479.
23.	12.	102.106.112.
	Levitic.	
8.	0.	359.
12.	6.	586.
15.	15.	375.
19.	27.	338.595.
23.	7.	102.
	32.	106.
25.	35.36.& 37.	476.
27.	15.16.& 21.	44.
	Deuter.	
5.	20.	102.106.115.
12.	2.	193.
15.	7.& 8.	478.490.
18.	1.	583.
22.	5.	374.
23.	19.& 20.	435.440.
24.	1.	439.438.
	10.11.& ſeqq.	478.479.
	Joſ.	
18.	21.	87.
21.	0.	44.
	Lib. Jud.	
6.	19.	195.
	Pr. lib. Sam.	
10.	9.	195.
	Poſt. lib. Sam.	
12.	1.& ſeq.	407.& ſeq.
18.	9.	355.& 356.
19.	24.	358.
21.	2.	87.
	Pr. lib. Reg.	
7.	14.	83.
15.	5.	197.& ſeq.
	14.	197.
	18.	49.
19.	10.	195.
20.	28.	191.
22.	43.	197.
	Poſt. lib. Reg.	
18.	16.	49.
	Pr. lib. Chron.	
25.	1.	520.
	Poſt. lib. Chron.	
15.	17.	197.
20.	33.	198.
32.	12.	198.
	Hez.	
6.	19.	134.
	Eſth.	
1.	8.	314.
9.	21.& 22.	134.
	23.	133.
	Job.	
2.	4.	413.
	Pſal.	
15.	1.& 5.	440.
16.	4.	200.
45.	14.	42.
47.	8.	527.
68.	22.	356.
	23.& ſeqq.	322.323.
72.	14.	439.
92.	0.	118.
106.	39.	561.

Cap.	verſ.	pag.
116.	13.	304.
133.	2.	359.
134.	2.	167.
	Proverb.	
6.	31.	598.
22.	26.&27.	478.
27.	10.	278.
28.	8.	441.
31.	4.	11.
	Lib. Cantic.	
5.	11.	340.
	Ieſ.	
1.	14.	117.118.
40.	1.	74.
58.	13.	111.
	Ierm.	
9.	26.	338.
25.	23.	338.
38.	0.	233.
49.	32.	338.
	Ezech.	
3.	11.	77.
18.	17.	441.
23.	13.&14.	373.
	Hoſ.	
2.	2.	399.&400.
	17.	200.&201.
	Amoſ.	
6.	7.	59.
	Micha.	
6.	6.7.	563.

Cap.	verſ.	pag.
	Tzephan.	
1.	4.	373.
	8.	379.380.
	Euang. Matt.	
10.	10.	383.
11.	19.	305.
14.	6.	325.
15.	3.6.	561.
16.	23.	31.
23.	17.	46.
24.	20.	120.
	Euang. Marc.	
14.	38.	103.
	Euang. Luc.	
1.	54.	248.
2.	37.	116.
6.	35.	441.&ſeqq.
7.	5.	226.
10.	34.	127.
14.	1.	118.
	23.	122.
16.	8.	83.
	19.	374.
22.	35.	90.
	Act.	
3.	6.	42.
14.	23.	246.
16.	3.	83.
19.	37.	184.
20.	7.	103.
	35.	248.

Cap.	verſ.	pag.
	Ep. ad Rom.	
1.	4.	72.
	12.	74.
2.	14.	350.
8.	26.	248.
12.	13.	323.
13.	5.	22.
14.	ult.	18.
15.	4.	75.
	Pr. Epiſt. ad Corinth.	
2.	6.&ſeqq.	79.
5.	9.	82.
7.	24.	496.
8.	12.&13.	292.
9.	13.	183.
9.	14.	43.
	22.	55.
10.	21.	252.
	27.	82.
	31.	306.
11.	4.&22.	342.
	10.	398.
	13.	395.
	14.	344.394.
11.	15.	345.
	16.	397.
	23.	251.
	25.	163.
12.	28.	247.
13.	9.	550.
14.	15.	520.521.
14.	21.	19.
	Poſt. Epiſt. ad Corinth.	
3.	6.	70.

6, 14.

Digitized by Google

Cap.	verſ.	pag.
6.	14.	80.
13.	10.	27.
Ep. ad Gal.		
4.	10.&11.	145.
5.	21.	323.
6.	10.	89.
Ep. ad Eph.		
5.	19.	518.523.
Ep. ad Philip.		
1.	1.	253.
Ep. ad Coloſ.		
2.	16.17.	378.
	22.23.	561.
3.	16.	521.523.527.
Pr. Ep. ad Theſſ.		
5.	14.	248.

Cap.	verſ.	pag.
Pr. Ep. ad Timoth.		
2.	8.	167.
3.	2.	222.
	16.	55.
4.	4.	587.
5.	8.	95.
	17.	246.
Ep. ad Hebr.		
3.	3.	58.
5.	4.	222.
6.	4.	73.
11.	1.6.	561.
	37.	588.
13.	7.	550.
13.	17.	23.
Epiſt. Jacob.		
1.	27.	259.
3.	7.	350.

Cap.	verſ.	pag.
5.	13.	521.
5.	14.	249.
Pr. Epiſt. Pet.		
2.	19.	23.
4.	3.	323.
	15.	169.
Poſt. Ep. Pet.		
2.	13.	251.
Apocalyp.		
17.	3.& ſeqq.	373.
Ex libris Apocryphis.		
I. Machab.		
4.	59.	133.
II. Machab.		
15.	37.	133.

INDEX

Auctorum, qui in his Exercitationibus citantur.

A.

Abbotus. 177.
Aben Ezra. 597.
Accurſius. 328.
Ægidius. 9.
Ælianus. 267. 309.
Alſtedius. 390. 398.
Henr. Alting. 158. 170. 288. 518.
Amama. 439. 598.
Ambroſius. 46. 49. 95. 96. 113. 122. 126. 299. 300. 325. 328. 354. 355. 359. 364. 375. 377. 397. 432. 437. 439. 445. 484. 495. 521. 534.
Ameſius. 10. 102. 103. 104. 106. 107. 113. 296. 298. 403. 408. 409. 423. 431. 434. 506.
Ammianus Marcellinus. 100. 197. 335. 360. 362.
Antonius Auguſtinus. 448.
Apulejus. 343. 346. 366. 596.

 Ariſto-

Ariſtoteles. 11. 279. 334. 413. 414. 415. 418. 423. 432. 454. 487. 495. 504. 566.
Aretius. 330. 433.
Arnobius. 325. 562.
Ariſtophanes. 346.
Aſconius Pedianus. 286.
Athenaus. 59. 285. 309. 324.
Athanaſius. 122.
Aurelius Victor. 360.
Auſonius. 142.
Author Altaris Damaſceni. 10. 14. 134. 139. 238. 518. 530.
Auguſtinus. 17. 25. 45. 78. 50. 55. 61. 94. 105. 126. 136. 139. 142. 143. 148. 161. 162. 166. 179. 221. 269. 291. 298. 308. 325. 328. 392. 393. 406. 410. 413. 415. 418. 429. 432. 439. 502. 504. 510. 521. 522. 526. 527. 534. 536. 541. 545. 574.
Author quæſtionum vulgo Iuſtino Martyri attributarum. 166.
Azorius. 473.

B.

Bachovius. 403.
Balduinus. 259. 435.
Balmfordus. 295.
Baronius. 141. 523. 528.
Barthius. 324. 365.
Baſilius Magnus. 3. 30. 324. 351. 432. 568. 579.
Beka. 204.
Bellarminus. 10. 44. 456. 523. 524. 560.
Bernhardus. 35. 86. 258. 271. 308. 314. 315. 432. 526. 531.
Beza. 12. 46. 95. 153. 161. 170. 176. 181. 184. 185. 201. 247. 249. 252. 344. 517. 521. 523.
Biſterveldius. 74.
Bochellus. 524.
Blondellus. 62. 245.
Bodinus. 279. 414. 456.
Iohannes Bollius. 257.
Boltonus. 299. 433.
Boquinus. 170.
Borrhaus 433. 438.
Boſſus. 328.
Briſſonius. 166.
Brochmannus. 152. 180. 403. 435.
Martinus Bucerus. 256. 434. 529.
Buchananus. 509.
Budæus. 448.
Bullingerus. 434.
Burnaibus. 10.
Buxtorfius. 134. 357. 480. 584.

C.

Iulius Caſar. 335. 565.
Cajetanus 9. 471. 473. 474. 524. 532.
Calvinus. 20. 25. 26. 48. 73. 74. 51. 90. 95. 103. 112. 118. 119. 135. 136. 138. 146. 149. 170. 176. 178. 207. 214. 223. 228. 292. 296. 305. 316. 381. 398. 423. 434. 435. 444. 445. 446. 496. 516. 596.
Camerarius. 378.
Camero. 37.
Canonerius. 301.
Capellus. 120. 165. 170. 341. 394.

Caſau-

Digitized by Google

Caſaubonus. 56. 57. 61. 125. 185. 250. 324.
Cartvvrichtus. 71. 118. 278. 280. 304. 329. 477. 478.
Caßiodorus. 86. 123.
Cato. 455.
Catullus. 418.
Cebes. 4.
Cedrenus, 565.
Chamierus. 27.
Chaſſanæus. 187.
Chemnitius. 201. 438. 597.
Chryſoſtomus. 20. 25. 26. 48. 73. 74. 51. 90. 95. 103. 112. 118. 119. 135. 136. 138. 146. 149. 170. 176. 178. 207. 214. 223. 228. 292. 296. 305. 316. 381. 398. 423. 434. 435. 444. 445. 464. 496. 523. 527. 575. 590.
Cicero. 2. 3. 5. 101. 128. 283. 329. 337. 346. 352. 392. 405. 418. 420. 500. 502. 506.
Claudianus. 333. 336. 576.
Clemens Alexandrinus. 3. 126. 143. 309. 325. 328. 346. 347. 354. 355. 360. 362. 365. 367. 372. 376. 501. 564.
Cloppenburgius. 560. 561.
Cocceius. 406.
Columella. 206. 455. 476.
Codex Iuſtinianeus. 84. 110. 131. 186. 204. 260. 266. 421. 426. 429. 456. 460. 462. 466. 495.
Codex Theodoſianus. 49. 60. 84. 109. 187. 429.
Commenus. 143.
Conſtantinus Porphyrogeneta. 185.
Coppenius. 170. 304. 323. 518.
Cornelius Nepos. 326. 502.
Cornelius à Lapide. 190. 192.
Sebaſtianus Corradus. 395.
Andreas Cranius. 46.
Iohannes Crocius. 285. 288.
Cujacius. 185. 361. 428.
Curtius. 335. 564.
Cyprianus. 97. 212. 214. 215. 347. 364. 367. 384. 388. 457. 499. 503. 522. 561.

D.

Dallæus. 361.
Damaſcenus. 422.
Dambouderus. 427.
Danæus. 48. 114. 170. 242. 244. 257. 272. 327. 423. 434. 487. 517.
Davenantius. 177.
Demoſthenes. 248. 417.
Dematius. 147.
Deodatus. 170. 397.
Ludovicus de Dieu. 442. 516.
Digeſta. 185. 186. 187. 389. 405. 415. 418. 419. 420. 421. 425. 426. 427. 451. 460. 476. 502.
Diodorus Siculus. 206. 335.
Dion Caßius. 502.
Donatus. 124.
Dreſſerus. 203.
Druſius. 95. 135. 194. 341.
Duarenus. 236.
Durandus. 9.

E.

Epiphanius. 16. 113. 141. 252. 268. 269. 392.

Eraſmus

Eraſmus. 95. 251. 518. 535.
Eugraphius. 124.
Euſebius. 105. 141. 166. 185. 188. 210. 271. 325. 429. 562.
Euſtachius. 10. 324. 325. 334.

F.

F. *Faber*. 377.
Fagius. 375. 479.
Fayus. 167. 170. 246.
Figuraus. 170.
Fileſacus. 209.
Flaman. 54.
Florus. 448.
Forbeſius. 246.
Foxus. 507.
Frantzius. 403. 406. 409. 412. 479.
Freherus. 330.
Friſchlinus. 509.
Fulgentius. 57.
Fullenius. 519.

G.

G*alenus*. 206. 590.
Gatakerus. 295. 297. 298. 314.
Gerſomus Bucerus. 246.
Gerſon. 24. 25. 26. 236.
A. Gellius. 2. 124. 337. 360. 416. 421. 500.
Geſnerus. 434.
Gnaphæus. 507.
Goldaſtus. 175. 204.
Golius. 516.
Gomarus. 29. 30. 73. 104. 135. 145. 170.
Dionyſius Gothofredus. 467.
Iacobus Gothofredus. 55. 57. 84. 184. 185. 186. 188. 448.
Gregorius de Valentia 432. 438. 473. 560.
Gregorius Magnus. 35. 55.
Gregorius Turonenſis. 104.
Gronovius. 448. 450. 451. 453.
Grotius. 251. 324. 424. 445. 446. 457. 509. 559. 560.
Gruterus. 124.
Gualterus. 397.
Guido Papa. 455.
Guntherus. 423.

H.

H*allus*. 177.
Hammondus. 252.
Conſtantinus Harmenopulus. 420.
Dionyſ. Halicarnaſſæus 267. 506. 511.
Heda. 206.
Heerbrandus. 434.
Heidanus. 516.
Heinſius. 248. 397. 509. 516.
Heymenbergh. 54. 516.
Heliodorus. 333.
Helmichius. 257.
Hemmingius. 158. 179. 276. 288.
Daniel van Hengel. 54.
Herodianus. 248.
Herodotus. 192. 311. 334. 335. 342. 350. 353. 595.
Heſychius. 3. 124. 248. 324. 347. 367.
Heurnius. 91.
Hieronymus. 8. 10. 30. 47. 55. 72. 76. 100. 112. 141. 146. 191. 247. 259. 268. 300. 308. 313. 343. 345. 347. 349. 362. 365. 366. 367. 368. 371. 372. 377. 380. 384. 397. 399. 432.

423.437.521.525.528.546.568.
Hilarius. 101.
Hippocrates. 577. 590.
Honardus. 509.
Horatius. 337. 339. 363. 420. 427. 431. 512. 576.
Hoornbeeck. 476. 557.
Hortenſius Landus. 358.
Hottomannus. 336. 439. 448.
Conſtantinus Hugens. 515. 529. 530. 535.
Hugo Cardinalis. 378.
Huttonus. 434.
Hypperius. 95. 205. 256. 263. 433. 488. 490. 491.

I.

IGnatius. 104. 247.
Ioſephus. 135. 356. 375. 404. 478. 581.
Iſidorus Peluſiota. 104. 142. 261. 269. 276. 325. 351. 352. 395. 418. 503. 522. 529. 541.
Ionſtonus. 503.
Irenaus. 555.
Iuellus. 433.
Iulius Firmicus. 346. 362. 366. 465.
Adrianus Iunius. 352. 358. 370. 448. 450.
Franciſcus Iunius. 43. 44. 77. 170. 199. 359. 380. 400. 423. 435. 438. 441. 568. 584. 586. 595.
Ius Canonicum. ſæpiſſime.
Iuſtellus. 250.
Iuſtinus. 323. 360. 422.
Iuſtinus Martyr. 522. 573.
Iuvenalis. 68. 268. 336. 348. 351. 352. 359. 364. 366. 397. 469. 528.

K.

KEckermannus. 434.
Kilianus. 202.
Kimchius. 343. 440. 441.
Kimedoncius. 170.
Kuchlinus. 170.

L.

LActantius. 100. 142. 432. 518.
Laërtius. 2. 5. 41. 377. 455.
Lampridius. 129. 212. 596.
Lancelottus. 232.
Laurentius. 397. 554.
L' Empereur. 437.
Lerius. 398.
Leodius. 507.
Leo Epiſcopus, 541.
Leſſius. 473.
Libanius. 45. 46. 67.
Lindanus. 524.
Lindenbrogius. 202.
Lipſius. 5. 453.
Livius. 449.
Lucanus. 333. 337.
Lucianus. 337.
Lutherus. 258. 400. 432.
Lydius. 537.
Lyranus. 43. 248.

M.

MAcarius. 34.
Maccovius. 470. 475.
Macrobius. 329. 341.
Macropedius. 509.

Manaſſes Ben Iſraël. 569.
Manutius. 448. 452.
Maranta. 426.
Mareſius. 71. 173. 190. 288. 289. 302.
Marnixius. 317.
Marſilius Patavinus. 212.
Matth. à Michovv. 422.
Ant. Matthæus ſenior. 241. 403. 431.
Ant. Matthæus junior. 409. 410. 412. 423. 424. 425. 426. 428. 429.
Martialis. 68. 165. 336. 365. 366. 576.
Martyr. 113. 193. 194. 365. 397. 410. 521. 525.
Maximus Tyrius. 192. 512.
Medina. 473.
R. *Mejer.* 404.
Meyſnerus. 403. 434. 436. 438. 473.
Mela. 565.
Melanthon. 257. 423. 432. 564.
Mercerus. 96. 478.
Meurſius. 397.
Molanus. 258.
Molinæus. 172. 432. 455. 485.
Mortonus. 177.
Morus. 347.
Muis. 359. 440.
Munſterus à Vortlage. 330. 377. 380. 439. 479.
VVolfgangus Muſculus. 79. 122. 248. 270. 423. 433. 444. 516.
Abrahamus Muſculus. 270. 301.

N.

Navarrus. 473.
Nazianzenus. 4. 38. 41. 142. 205. 309. 326. 330.
Nicephorus. 362.
Nicolaus Le Maiſtre. 225.
Novella Iuſtiniani. 210. 212. 214. 420. 456. 460. 469. 495. 500. 503. 522.
Theodericus à Nyem. 541. 542.
Nyſſenus. 355. 432. 568. 574.

O.

Oecolampadius. 198.
Olevianus. 170. 270.
Oppius. 8.
Origenes. 268.
Oroſius. 424.
Oviedo. 422.
Ovidius. 192. 203. 328. 335. 337. 351. 365. 366.

P.

Pacatus Drepanicus. 562.
Panormitanus. 232.
Pareus. 49. 73. 140. 148. 170. 182. 251. 518.
Parkerus. 178. 179.
Matt. Paſtor. 288.
Paterculus. 311. 490.
Paulinus. 142. 145.
Paulus de Citadinis. 266.
Pauſanias. 564.
Parkinſius. 103. 517.
Petronius. 346. 456.
Philoſtratus. 335. 337. 507.
Philo Iudæus. 388.
Piccolomineus. 6. 7.
Pindarus. 166.
Piſcator. 25. 95. 152. 185. 356. 403. 406. 408. 409. 423. 517. 584. 585. 594.

Plato.

Digitized by Google

Plato. 183. 267. 286. 309. 565.
Plautus. 124. 125. 274. 286. 414. 418. 504.
Plinius. 337. 344. 363. 395. 565.
Plinius Iunior. 100. 210. 303. 521.
Plutarchus. 41. 259. 267. 310. 334. 343. 345. 368. 390. 395. 396. 450. 455. 501. 511.
Polanus. 71. 434.
Polyander. 170. 516.
Polybius. 419.
Pollux. 324. 349. 367. 377. 389. 390.
Pontanus. 422.
Poſsidius. 53.
Prideauxius. 104. 177.
Procopius. 565.
Procopius Cæſarienſis. 595.
Profeſſores Leydenſ. 116. 136. 234. 434.
Propertius. 129. 372. 454.
Prudentius. 84. 101. 349. 522.
Prynnius. 302.

Q.

Quintheduus. 271.
Quintilianus. 41.

R.

Ainoldus. 520.
Ravanellus. 190.
Rivius. 332. 397.
Reuterus. 170.
Richardus Vincentius. 9. 345.
Rittershuſius. 214.
Rivetus. 42. 48. 104. 163. 137. 170. 190. 195. 198. 252. 306. 321. 327. 409. 423. 431. 434. 473. 475. 485. 505. 506. 508. 518. 524. 561. 599.

S.

Sadeel. 151. 257.
Salluſtius. 257. 329.
Salmaſius. 173. 185. 188. 250. 332. 340. 341. 345. 348. 349. 351. 355. 359. 361. 362. 363. 367. 374. 377. 382. 396. 430. 431. 442. 446. 448. 450. 451. 453. 454. 455. 456. 457. 459. 461. 466. 467. 478. 479. 482. 483. 484. 493. 497.
Salvianus. 312. 313. 351. 352. 466. 475. 499.
Ioan. à Sande. 427.
Adr. Saravia. 545.
Satyricus. 513.
Sartorius. 332.
Savaro. 362.
Scaliger. 124. 448. 501.
Scharpius. 434.
Schindlerus. 480.
Scholiaſtes. 346. 395.
Schonæus. 509.
Schotanus. 170.
Scorus. 507.
Scotus. 6. 7.
Screvelius. 255.
Scultetus. 74. 170. 176.
Seldenus. 64. 119. 375. 378. 436. 437. 581. 594.
Seneca. 6. 127. 313. 328. 332. 338. 353. 372. 413. 418. 453. 500. 511. 566.
Senguerdius. 289.
Septuaginta Interpretes. 125. 359. 439. 527.

Servinus. 44.
Servita. 542.
Servius. 124. 325. 341. 366. 396. 418. 421.
Sextus Empiricus. 3. 4. 5.
Sidonius Apollinaris. 336. 360. 495.
Smidelinus. 435.
Socbnius. 170.
Socrates. 45. 136. 171. 244. 545.
Solinus. 193. 335.
Sotus. 472. 473.
Sozomenus. 45. 510.
Spanhemius. 144. 161. 176. 177. 431. 437. 442. 443. 475.
Statius. 333. 348. 566.
S. Stephani. 422.
Stobæus. 419.
Strabo. 40. 192. 324. 335. 344. 564.
Strigelius. 248. 442.
Stuckius. 300.
Sturmius. 170.
Suarez. 563.
Suetonius. 127. 327. 335. 366. 470.
Suidas. 4. 329. 346. 389.
Sulpitius Severus. 94. 262.
Sylveſter. 473.
Symmachus. 123. 415.
Syneſius. 334. 369.
Synodus Dordracena. ſæpiſſimè.

T.

Tacitus. 164. 335. 377. 390. 421. 422. 447. 454. 502. 514. 590.
Taffinus. 298.
Tarnovius. 435.
Teekmannus. 54.
Teelingius. 118. 119. 262. 265. 280. 286. 298. 371. 382. 383.
Tertullianus. 35. 55. 59. 100. 112. 113. 119. 141. 142. 166. 168. 174. 179. 186. 210. 325. 342. 348. 349. 360. 361. 362. 364. 365. 366. 367. 368. 373. 393. 395. 396. 398. 499. 500. 502. 503. 504. 505. 507. 521. 558. 568.
Theodoretus. 311. 356. 360. 404. 429.
Theodorus Mopſveſtenus. 595.
Theophylactus. 14. 42. 96. 355. 527.
Tholozanus. 114.
Thomas Aquinas. 6. 7. 8. 9. 24. 131. 432.
Thomaſius. 448.
Thomas à Kempis. 526.
Thucidides. 428.
Thyſius. 170.
Tibullus. 395.
Tilenus. 162. 434. 518.
Tiraquellus. 565.
Toletus. 473.
Toſſanus. 95. 158. 214. 215. 397. 434.
Toſtatus Abulenſis. 579.
Trelcatius. 170.
Tremellius. 359. 380. 441.
Triglandius. 48. 170.
Turnebus. 124.
Turretinus. 170.

V.

Valerius Maximus. 123. 310. 395. 501. 562.
Varro. 206. 337. 348. 352. 353. 395.
Udemannus. 125. 332.
Viretus. 434.
Virgilius. 193. 363. 366. 395.
Vitruvius. 193.

Vives. 565.
Voetius. ſæpiſſimè.
Vorſtius. 516.
Voßius. 203.
Urſinus. 170.
Uſſerius. 104. 177. 433. 520.

W.

WAlaus. 71. 104. 107. 110. 112. 115. 170.
VVellerus. 433.
VVeſembecius. 427.
VVilſonus. 433.
VViſſenbach. 190.
VVollebius.

X.

XEnophon. 192. 248. 286. 335.

Z.

ZAbarella. 541.
Zanchius. 149. 152. 157. 170. 177. 253. 434.
Zepperus. 160. 178. 226. 403. 434. 437. 518. 530.
Zonaras. 210.
Zoſimus. 62. 101.
Zypæus. 459. 460. 461. 462. 474.

INDEX

Verborum, & rerum præcipuarum.

A.

ABel à quo didicerit Deum ſacrificiis honorare, 561. illius ſacrificium cur Deo placuerit præ ſacrificio Caini ibi & 586. An comederit ex ſuis victimis quaſdam partes, 584. Abelis ſacrificium igni, cælitus delapſo, abſumtum fuiſſe videtur, 586.
Abigeatus pœna an ſit capitalis de Jure Civili Romano, 428.
Abominationi Jehovæ quoque eſt, qui impingit in legem Cæremonialem, 378.
Abſalon à Joabo interfectus, capillis non fuit implicatus arbori, ſed capite tenus, 356.
Joh. Acronius qualis fuerit, 255. ejuſdem Acronii libellus de jure Patronatus qualis ſit. *ibid.*
Actio humana quotupliciter poſſit conſiderari, 7. nulla humana penitus mala eſt, *ibid.* humana quatenus bona ſit. *ibid.* humana bona conſiderari poteſt vel in actu ſignato vel exercito, 8. humana quomodo ſit media, 9. humana omnis in actu exercito vel bona vel mala eſt. *ibid.* habita ratione finis, etiamſi ſit indifferens, individualiter tamen bona vel mala evadit, 10. indifferens quando bona vel mala evadit ratione finis, conſiderari debet finis externus, 11.

Actionis indifferentis nulla circumſtantia poteſt eſſe indifferens, ad hoc ut ipſa bona reddatur. 12.
Actiones Adiaphoræ omnes per circumſtantias bonæ vel malæ evadunt, 14. impiorum omnes Deo diſplicent, *ibid.* Adiaphoræ tres gradus habent, 16. licitæ, ut fiant illicitæ, 312.
Actiones quaſdam humanas eſſe Adiaphoras probatur, 6.
Adeps notat Hebræis quidquid in re aliqua eſt præſtantiſſimum, 585.
Ἀδιάκριτον idem quod adiaphorum, 3.
Adiaphoria naturalis quæ 570. ut differat à morali, 16.
Adiaphorum vox in Scriptura non occurrit, 2. à Stoicis frequentatum, *ibid.* refertur vel ad judicium, vel ad illa circa quæ judicium occupatur, 3. judicium practicum ſuſpendit, *ibid.* objectivè conſideratum, 4. objectivè conſideratum, vel ſe habet juxta Theoriam, vel praxin, *ibid.*
Adiaphora conſiderata juxta intellectum Theoreticum, 3. objectivè practica dicta ſunt, 4. à Stoicis moroſè nimis diſtincta, 5. quædam ſunt Προηγμένα, quædam ἀποπροηγμένα. Hæc iterum ſunt in triplici differentia, *ibid.* redduntur bona, vel mala per legem Dei poſitivam, 12. vel certo ſolum tempore ſunt libera, vel ſemper, 17. vel conſiderantur abſolutè, vel ratione perſonarum, *ibid.* aliter conſideranda ſecundum regenitos, aliter conſideranda ſecundum irregenitos, 18. in Scriptura habent fundamentum generale, *ib.* per accidens fiunt neceſſaria, 27. ſeu à Senatu Eccleſiaſtico, ſeu Politico ordinata, tempore neceſſitatis intermitti poſſunt, *ibid.* propter abuſum non ſunt penitus abroganda, 149.
Adiaphora nec appetimus, nec averſamur, 6. an circa ea, ne ſcandalum detur validorum potius, quam invalidorum habenda ratio ſit, 37.
Adiaphororum genus vel à Deo præceptum, vel prohibitum eſt, 17. ratione, ſcire debemus, quid à Deo ſit præceptum, vel vetitum, 18. ratione, fides præferri debet charitati, 27. ratione, neceſſaria præferenda minus neceſſariis, 27. ratione, infirmi de illorum uſu ſunt erudiendi, 28.
Adiaphoris quomodo quilibet uti debeat, 26.
Adiaphoriſtæ Hæretici iidem, qui Antinomi, 3.
Adminiſtratio Civilis & Eccleſiaſtica differunt, 20.
Adverſariis eſt contradicendum, ſi nimis præfractè leges de Adiaphoris urgeant, 27.
Ætatis minorennis quomodo judex reſpectum habere debeat, 426.
Agapæ fuerunt privatæ inſtitutionis, 251.
Agnoclytæ Heretici. 165.
Ameſius refutatur, 12. 13. permittit, ut die Dominico ad tempus modicum circa temporalia occupemur, 107. die Dominico permittit exercitium jaculatorium, 113. à Voetio incommodè adducitur, 298.
Ambroſius quid ſenſerit de poculis votivis, 299.
Ambulatio quędam licita die Dominico, 118. cum alterius uxore æque ſcandaloſa ac ſaltatio, 319.
Ana-

Anabaptiſtæ & Sociniani in reformando nimis multa reſecuerunt, 544.
Angeli à Gentilibus vocabantur proprie, qui renunciabant ſibi Deos viſos, 58. boni, Dei miniſtri ſunt. 398. in Theatro convenienter non exhibentur, 511.
Anglicanæ Eccleſiæ non ſunt idololatricæ, quòd plures dies Feſtos obſervent, 137.
Animalium amplius quam unum par Deus creavit, 573.
Animalium diſtinctio in munda & immunda qualiter ante Diluvium obtinuerit, 589. Quotupliciter hæc diſtinctio obſervanda ſit, 591. Animalia fera, & homini noxia, quomodo contigerit nimium non multiplicari; ſi ſtatuatur, homini ante Diluvium non fuiſſe licitum illorum carnibus veſci, 594.
Anſer delicatus eſt cibus, 206.
Anſeres Martinialibus apud Germanos & Gallos jam olim ſolent comedi ob cauſſam magis politicam, quam ex ſuperſtitione, 206.
Ἀντιλήψεις quid ſint apud Paulum, 249.
Antinomis Author non favet, 70.
Ἀπελπίζειν quid ſit, 442.
Aræ in montibus per gentiles collocari ſolent, 193. quod imitati Iſraëlitæ, *ibid.*
Argumentum multorum ab Excelſis ad illa, quæ putant eſſe idololatriæ inſtrumenta, non procedit, 200.
Argumento Rhetorico nullum pondus ineſt, 219.
Argumentorum numerus in cauſſa nimis liquida non debet aliquem terrere, 221.
Ariſtoteles furti pœnam mortem ſtatuit, 413.
Ἀζανῖται quid fuerint, 152.
Ἀσέλγεια quid ſit, 324.
Aſiarchæ qui ſint juxta Bezam & Interpretes Belgicos, 184. fuerunt Sacerdotes provinciales, 186. propria inſignia habebant, *ibid.* poſt Conſtantinum M. occupabantur in ſpectaculis edendis, 187. quidam Chriſtiani & Pauli Apoſtoli amici fuerunt, 188.
Aſiarcharum munus hæreditarium fuit, 187.
Aſſueri convivalis lex qualis fuerit, & quid de ea ſit exiſtimandum, 314.
Ἀθετεῖν quid ſit, 249.
Ἀτιμία quid ſit, 350.
Avaritia perſonarum Eccleſiaſticarum in augendo eccleſiæ theſauro, 47. præcipue Monachorum, *ibid.* quod jam olim deplorarunt ipſi Clerici, 48. quæ tamen avaritia incrementum ſumpſit, cum invaluiſſet opinio de merito, *ibid.*
Auditorum fidelium, quam infidelium curam diligentiorem V. D. Miniſter gerere debet, 75
Authoris vivendi inſtitutum. 499.

B. Ba-

B.

BAchanalia qualia ſint habenda, 205.
Βακχίζειν quid ſit, 324.
Baptiſmus proprie eſt immerſio, 59.
Barba quomodo ſit alenda, 345. Aaronis qualis fuerit, 339. à Chriſtianis ut ali conſueverit, 360.
Barbam totam an viri poſſint abradere, 357. detondebant Iſraëlitæ niſi tempus luctus occurreret, 338. quomodo hoc debeat intelligi, *ibid.* 596. ut aluerint Impp. Romani, 360. ut aluerint viri in Imperio Romano, 361. quomodo aluerint primævi Chriſtiani, *ibid.* in luctu ſolent ſubmittere Gentiles, *ibid.*
Beza, Genevenſis licet Theologus, probat feſta N. T. 153. nimis vehemens fuit in exagitanda Papanorum ſuperſtitione, 201.
Bibere in ſalutem alicujus ad ebrietatem execrandum eſt, 286. licet cum voto, 304. vinum bibere quid ſignificet juxta Scripturam, 505.
Bibendo quot modis peccari poſſit, 11.
Bodemeria, 466.
Boltonus non arguit ſimpliciter formulam, qua bibitur in alicujus ſalutem, 299. ejuſdem liber Ultrajecti excuſus, 299.
Bona hujus ſeculi non debentur abſolute Eccleſiæ, 42. Eccleſiæ non ſimpliciter debentur, ſed tantum ex æquitate. 43. carnalia Eccleſiæ non poſſunt cenſeri patrimonium Chriſti, quod tum agnoſcunt ſaniores Pontificii, tum etiam è Scriptura patet, 46. carnalia Eccleſiæ non ſunt ſacra, quod ſacris uſibus deſtinentur, *ibid.* Eccleſiæ non ſunt, quod de illis votum foret, 47. Eccleſiæ legari non debent, niſi Magiſtratu probante, 49.
Bonorum Pſeudo-ſacrorum ſuperfluum, an impendi debeat converſioni Gentilium, 90.

C.

CÆremoniç ſunt Adiaphora Eccleſiaſtica, 15. non debent confundi cum ipſo Dei cultu, *ibid.* Eccleſiaſticæ quid ſint, *ibid.* in Eccleſia quare obſerventur, 16. V. T. quando poſt Chriſtum debuerint aboleri, 17. inutiles rejiciendæ ſunt, nec habendæ Adiaphora, 20. non debent cumulari, 26. eædem, in omnibus Eccleſiis Reformatis non ſunt ſperandæ, nedum, urgendæ, 171. vel ſunt univerſales, vel particulares, 545.
Cæremonias, ſi Deus in verbo ſuo nihil præceperit, Eccleſia ordinare poteſt, 15.
Cæremoniarum qualis debeat eſſe modus ſecundum Calvinum, 26.
Cæſaries quid ſit, 367.
Caliendrum quid ſit, 366.
Caliptra quid ſit, 396.
Calvinus quid ſenſerit de diebus Feſtis, 138. quomodo uſuras admittat, 434.
Calvitium non eſt adeo turpe, cum ejus patronus Deus ſit, 369.
Calviniani iniquè arguuntur, ac ſi in fures forent benigniores, 403.

Candi-

Candidati Miniſterii an præmio invitandi ut obeant legationem Euangelicam apud Indos, 92.
Canitiei decus, 368. ea non diſſimulanda, *ibid.*
Canon ſignificat penſionem annuam, 60.
Canonicus à Canone dictus, 60.
Canonici Ultrajectini à furto remotiſſimi, 50. Ultrajectini hoc nomen ferunt, non cum reſpectu ad functionem Eccleſiaſticam, ſed canonem, ſeu penſionem annuam, *ibid.*
Cantus in N. T. præcipitur tantum pro uſu privato, 520. in Eccleſia duntaxat invaluit ex conſuetudine, 521. antiquorum Chriſtianorum qualis fuerit, 522. Organicus publicè primis ſeculis non fuit receptus in Eccleſiis Chriſtianis, 523. Eccleſiaſticus qualis eſſe debeat, 525. Eccleſiaſticus qualis maxime probandus ſit, 527.
Capilli promiſſi qualiter hic ſint conſiderandi, 332. ſparſi qui ſint, *ibid.* ſparſi triplices erant, 333. laxi & ſparſi, comptique muliebriter, indigni viro ſunt, 346. in frontem dimiſſi cenſuram merentur, 347. Abſalonis quales, 355. inaurati, 365. alieni qui ſint, & quæ nomina ferant, 366.
Capillos promittere gentile fuit multis populis, 332. alienos capiti ſuo aptare inconveniens & indecorum, 347. colorare non licet, *ibid.* tinctos & apppſitos Patres acriter inſectantur, 367.
Joh. Capito paſtor Bremenſis, quondam Brugenſis, 538.
Capitula Canonicorum Ultrajectinorum immunia ſunt ab omni Papano fermento, 62.
Carnibus animalium an licuerit veſci in ſtatu innocentiæ, 567. concluditur affirmative, 568. quæ & communis ſententia, 568. probatur ex Moſe *ib.* & ſeqq. iis an ultro, cum veſci potuiſſent, Protoplaſti abſtinuerint, 572.
Carnium eſus multos morbos progignit, 572.
Carnibus non licuit quoque veſci à lapſu uſque ad Diluvium, 580. Deus ſpeciali lege hoc permiſit *ib.* licet impii quidam ante Diluvium carnibus veſci inſtituerint, *ibid.*
Carnium eſum liberum cur poſt Diluvium Deus homini indulſerit, 594.
Caſus conſcientiæ reſpicientes avaritiam Miniſtrorum Eccleſiæ, 263.
Catecheſis Palatina Feſtos dies approbat, 139. Belgica an adverſetur Feſtis, ab Eccleſiis Reformatis obſervari ſolitis, 159.
Catechizationes Ultrajectinæ quales, 555.
Cato fœnus nauticum exercebat, 455.
Cauponæ unde dictæ, & quid ſignificent, 123. definito tempore aperiendæ & claudendæ eſſent, 129. definito loco conſtituendæ forent, 129. die Dominico ut ubique poſſint claudi optandum, 130. ſub quibus conditionibus die Dominico patere queant, 131.
Cauponarum numerus definiendus eſſet, 129. honeſtarum exercitores recipi poſſunt inter Eccleſiæ membra, 130.
Chori quid ſint, 325. canentium quando in Eccleſia fuerint conſtituti, 527.
Chororum in Dei populo qualis uſus fuerit, 326.

Chriſtus quo anni die natus ſit, incertum, 143. videtur promiſſam comam aluiſſe, 339.

Chriſti nativitatē annua feſtivitate celebrari æquū eſt, 144. coma qualis, 354.

Chriſtianus non poteſt mundo exire, 308.

Chriſtiani vita periculis plurimis expoſita, 308.

Chriſtiani primitivi Judæorum & Gentilium conſuetudines ſecuti fuerunt, 251. olim inde agnoſcebantur, quod ſpectaculis non intereſſent, 505.

Cibi imbecilliores vitam abbreviant, 577.

Cibo cur votum non addatur, 287.

Cimbri ſeveriſſimi furti vindices, 422.

Circumſtantia quælibet actionem humanam malam reddere poteſt, 11.

Circumſtantiæ actionum humanarum quæ ſint, 11. actiones humanas variant, *ibid.*

Circumtonſi qui, 353

Civilitas morum æſtimanda juxta conſuetudinem gentis, 293.

Clemens Alexandrinus annixus fuit Chriſtianos in Cynicos & Stoicos transformare, 360.

Clericis quando capillis & barba interdictum ſit, 362. quare non licuerit fœnerari, 457.

Cloppenburgii ἀσυλλογισία in cauſſa Trapezitica, 470.

Cloppenburgio circa rem Trapeziticam, & Trapezitas non conſtat per omnia ratio, 459.

Coactio quædam eſt exemplaris. 122.

Cœna Dominica recte Feſtis anniverſariis celebratur, 161.

Cogere quid ſignificet, *Luc.* XIV. *verſ.* XXIII. 122.

Cognitionis Theologicæ augmentum, quod neceſſarium eſt, non pertinet ad Reformationem intenſivam, 555.

Collatores minus commode confunduntur cum Eccleſiarum patronis, 213.

Collybiſtarum quæ ſit ratio, 466.

Coma prolixior non adverſatur naturæ, 334. quomodo viris ſit pro velamento, 348. virilis moderatè criſpa ſit, 354. & barba nutriri poſſunt pro ratione temporum & locorum, 363. ejuſdem luxus in quo conſiſtat, 347.

Comam ſervi non alebant, 334. Lacedæmonii cur aluerint, 335. Iſraëlitæ alebant, 337. alebant Philoſophi, 338. moderatè ornare fœminis licet, 316.

Comatus vertex quis ſit in *Pſ.* LXVIII. 356.

Communionem cum Papatu non colit, qui fert titulum in Papatu receptum, 55.

Comœdiæ argumentum quomodo poſſit eſſe fabula ficta, 511.

Comœdiarum materia quatenus poſſit eſſe ſacra, 508.

Conciones veſpertinæ per Synodos Belgicas abrogatæ, 117. Funebres an merito ſint abrogatæ in Fœderato Belgio, 294. veſpertinæ quatenus improbatæ ſint à Synodis Belgicis, *ibid.*

Conciones omnes ſacras Chriſtianus die Dominico audire non tenetur, 117.

Con-

Confeſſiones Eccleſiarum raro leguntur, 544.
Confeſſionum Syntagma commendatum, 544.
Conſcientias quidam inquietant,dum videri volunt tranquillare, 51. ſolus Deus tranquillare poteſt, 494.
Conſenſus formulæ & Confeſſiones oſtendunt,quænam Eccleſiæ doctrina fuerit, 552.
Conſolationis ſoli fideles capaces ſunt, 76. huic verbi Divini Miniſter præcipue intentus eſſe debet, 74.
Conſolari ſic poteſt V. D. Miniſter ut ſimul admoneat, 76.
Conſtantinus M. fana Gentilium non donavit Chriſtianis, 45. bona quaſi ſacra Gentilium fiſco ſuo vindicavit, *ibid.*
Conſtantini Porphyrogonetæ error circa Aſiarchas, 185.
Conſuetudini pius quando refragetur, 312.
Contrahere licet cum heterodoxis, 88.
Conventus Arelatenſis Moguntiam tranſlatus fuit, 204.
Converſatio fidelium cum infidelibus ſæpe præbet occaſionem horum converſioni, 85. quorundam hominum eſt fugienda, 316. & quatenus eſt fugienda, 314.
Converſari licet cum infidelibus. 315.
Convivia agitare licitum eſt, 275. vicinorum quatenus probanda ſint, 278. vicinorum non omnia ſunt inordinata, 282. per convivia nihil decedit τῇ παῤῥησίᾳ Paſtorum, 282.
Conviviorum quorundam inordinatus luxus nihil derogat legitimis conviviis, 283.
Cophini quid eſſent, & quare olim à Judæis geſtarentur, 68.
Corinthii quomodo velato capite precari debuerint, 341. eorum mores coruptiſſimi erant, 344.
Corporis inſpectio an Romæ ratione pubertatis recepta fuerit, 381.
Crines fœminarum convoluti qualiter ſe habeant, 348.
Cujacius docuit Bezam, qui ſint Aſiarchæ, 185.
Cultus omnis Dei, à Deo debet eſſe præceptus, 15. religioſus ſpontaneus eſſe debet, 121.
Curia ſobriis committenda eſt, 129.
Curcellæus qualis, 567.

D.

DAnæi judicium de Trapezitis, 487.
Δανείζειν quid ſit, 442.
Decalogi præcepta affirmantia includunt negationem, & contra, 570.
Dendrophori qui fuerint, 63.
Deſperationi provocandæ in alicujus animo nullus V. D. Miniſter intentus eſſe debet, 78.
Deus verus Jupiter à Paulo vocatur, 64.
Dei irati ſignum eſt,quando non mittit aliquos,qui peccata arguant, 77.
Diabolus Dei ſimius, 191.

Diaconi per Scripturam non vocati ad juris Eccleſiaſtici exercitium, ad illud tamen in Belgio admittuntur, 222. quomodo ſuffragium habeant in Belgio circa vocationem Miniſtrorum, *ibid.* an & quomodo admitti debeant ad electionem Miniſtrorum Eccleſiæ, 244. olim ſolent inſervire adminiſtrationi cœnę Dominicæ, 249. inſtar Presbyterorum nunquam Euangelium annunciarunt, 250. cum cœna Dominica adminiſtraretur ſoliti clamorem edere, *ibid.* non reſpondent Levitis, 252. non pertinent ad Senatum Eccleſiaſticum, 252. juxta Apoſtolum Paulum non ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, 253 quomodo ſibi gradum ſtruant ad alia officia, 254.
Diaconorum, ex inſtitutione Apoſtolica, munus eſt, pauperum curam gerere, 244.
Dies Dominicus vocatur dies Solis, 99. non incipit à nocte, 102. ſanctificari debet uſque ab aurora, 103. quare ita vocetur: ſive ἡμέρα κυριακή, 104. non deformatur, ſi in illum Feſtum inciderit, 142.
Dies & menſes quomodo Paulus prohibeat obſervari, 146.
Diei Dominici profanatio præcavenda à magiſtratu, 99. ſanctificatio quamdiu duret, 105. ſanctificatio in quo conſiſtat, 116.
Die Dominico à quibus operibus ſit feriandum, 106. famuli & ancillæ ab ordinario labore feriari debent, 115. quali convivio intereſſe liceat, 118. an licite Magiſtratus permittant navium & curruum ſtatam profectionem, 120. è cauponis quomodo vinum aut cerviſia peti poſſit, 130.
Diſciplina Eccleſiaſtica quare in Eccleſiis Belgii non exerceatur, 76.
Diverſoria qualia ſint improbanda, 124. qualia in rep. Magiſtratus poſſit tolerare, 126. neceſſaria ſub qualibus conditionibus à Magiſtratu debeant admitti, 127.
Dives in Euangelio Lucę XVI. qualiter ratione purpuræ & byſſi arguatur, 374.
Divortium quomodo Iſraëlitis fuerit permiſſum, 438.
Doctorum conſenſui non facile eſt obnitendum, 253.
Dominium in animalia an homini aliud conceſſum fuerit ante Diluvium, quam poſt illud, 575. ante Diluvium in quo conſtiterit, *ib.* poſt Diluvium quatenus agnoſci debeat diminutum, 576.
Domui ſuæ proſpicere, quid ſit juxta Paulum 1. Tim. v. 95.
Dordracena Synodus quid ſtatuerit de diebus Feſtis, 139. contra Voetium vindicatur, 218.
Dubia re quomodo ſit abſtinendum, 303.

E.

Eccleſia N. T. non eſt deterior Eccleſia U. T. eo quod non habeat definita bona ſeculi, 43. N. T. non indiget neceſſario bonis immobilibus, *ibid.* N. T. non poſſedit fundos ante tempora Conſtantini M. 44. quicquid in bonis ſecularibus poſſidet jure humano poſſidet, 45. militans non poteſt iiſdem ritibus aſtringi, 170. ut gubernetur neceſſum, 175.
Eccleſiæ Anglicanæ regimen non fuiſſet exagitandum à Tranſmarinis, 175. militantis perfectio ſumma fruſtra in hoc mundo ſperatur, 181. rationalis cultus non pendet à modo vocandi ipſius miniſtros, 233.

Ab.

Ab Eccleſia non eſt diſcedendum propter leves illius nęvos, 241.
Eccleſiæ N. T. poſt Conſtantinum M. ditari cæperunt per legata, 45. Belgicæ qua occaſione initio dies Feſtos proſcripſerint, 138. Belgicæ quando circa uſum Adiaphororum cæperint turbari, 515. Eccleſiæ primitivæ quare caruerint Muſica inſtrumentali, 534.
Eccleſias Belgicas diu exercuerunt controverſiæ de Sabbato, 99.
Eccleſiaſticæ conſtitutiones ad duas regulas debent eſſe exactę, 18. debent conformes eſſe Dei verbo, 19. de Adiaphoris quãdo vitioſę reddantur, *ibid.*
Eccleſiaſticę leges, violatæ, licet mox peccatum non implicent, tamen inconveniens quid procurant, 25.
Eccleſiaſticis legibus de Adiaphoris & Cęremoniis, quicunque eſt prudens ſe ſubjicit, 25.
Edere & bibere debet homo ad Dei gloriam, 10. dirigi poſſunt ad exercitia pietatis, 306.
Elias Propheta quale Altare extruxerit, 196.
ἐμπλοκίας quæ ſint, 347.
Encænia quæ ſint, 201. qua talia non improbanda, 204.
Epiſcopus æqualis eſt presbytero, 172.
Epiſcopi ſub initium primitivę Eccleſiæ à presbyteris fuerunt diſtincti, 173. Anglicani quam diſtincti ſunt à Papanis, 176. qua occaſione presbyteris fuerint prælati, 79.
Epiſcoporum Anglicanorum particularia peccata non ſunt toti ordini imputanda, 177.
Epiſcopale Eccleſiæ Anglicanæ regimen non traducendum temere, 172. & hoc ſummi Theologi tolerabile putarunt, 173.
Epiſcopius notatus, 397.
Ergaſtulorum, furibus deſtinatorum, quæ ſit ratio, 428.
Erranti per imprudentiam non eſt fides deferenda, 183.
Euangelium Legi pręferre eſt Apoſtolica doctrina, 72. nam eſt cauſſa inchoans, conſervans, & conſummans ſanctificationis, *ibid.*
Euangeliſta ad Gentiles, quibus indigeat, 93.
Excelſum Gabaon, 195.
Excelſa quid fuerint, 190. differunt à montibus & collibus, 194. duplicia fuerunt, *ibid.* in quibuſdam Deus, in aliis idola colebantur, *ibid.* quędam ad tempus Iſraëlitis permiſſa fuerunt, *ibid.* idolis exſtructa nullo modo tolerari poſſunt. 196. nulla fuerunt juris privati, 199. Ea ab Achabo deſtructa fuiſſe Elias Propheta deploravit, 195.
Ezechię privilegium fuit à Deo conceſſum, quod omnia excelſa potuerit abolere, 198.

F.

FAbulę Æſopi quales, 512. Terentii an juventuti convenienter proponantur. 510.
Fabularũ in theatro actores qualiter veſtes fœmineas induere poſſint, 512.
Feræ carnivorę an ſemper paſci debeant carnibus? 578. & ſeq.

Digitized by Google

Feſtum Paſchatis Chriſtiani antiquiſſimum, 140. Nativitatis recentius, 143. Aſcenſionis recentiſſimum eſt, 144. Purim, 133. Encæniorum, *ibid.* Purim ut celebretur à Judæis, 134. Circumciſionis antiquæ Eccleſiæ ignotum fuit, 145. & ſupplet locum Epiphaniæ, *ibid.* Epiphaniæ quod fuerit, *ibid.* Nicolai, aut trium Regum nulla ratione à Reformatis obſervari poteſt, 207.
Feſtum Encæniorum Chriſtus honoravit, 135.
Feſta V. T. an omnia à Deo fuerint inſtituta, 147. N. T. juxta præſcriptum verbi Divini ſunt inſtituta, 148. commemorativa non ſunt neceſſario celebranda illo die, quo aliquid acciderit, 149. quæ obſervant Eccleſiæ Reformatæ plurimum à Papanis diſtant, 158.
Feſta in memoriam beneficiorum Chriſti Eccleſia primitiva inſtituit, 136. eadem convenienter Eccleſiæ Reformatæ obſervant, *ibid.* omnia N. T. qui volunt abrogata, ſimiles ſunt Manichæis, 148.
Feſtorum N. T. finis non eſt myſticus, 157. N. T. rationem licet quidam Theologi probe nou intelligant, non tamen abroganda, 158.
Feſti dies inſtitui poſſunt ab Eccleſia, 133. incidunt vel in diem Dominicum vel in alium, 134. Feſti quidam dies ut obſerventur ab Orthodoxis, 161.
Fideles in certis caſibus cum infidelibus fœdus percutere poſſunt, 83.
Finis internus actionis humanæ non cadit ſub deliberationem, 11.
Flammeum unde dictum ſit, 395.
Fructus terrei ſaluberrimum cibum præbent, 576.
Fœmina Miniſtrum Eccleſiæ præſentare poteſt, 228.
Fœminæ viris immixtæ, an poſſint tripudiare, 312.
Fœminis an vinum concedendum, 310.
Fœnus an ſit ſynonymum uſuræ, 431. unciarium quid ſit, 448. unciarium idem cum Centeſima, *ibid.* ſemunciarium, 449.
Fœnoris unciarii computandi ratio, 450.
Fœneratio inviſa illis quoque, quos juvat, 476.
Fœneratores quales notentur in Liturgia Eccleſiarum Belgicarum, 484.
Frediani qui fuerint, 63.
Fridericus Ænobarbus furibus emendari neſciis reſtim deſtinavit, 421.
Fuci nulla ratione ſunt liciti, 364. capillares quotuplices ſunt, 365.
Fucis patres quam infeſti, 364.
Fucorum ratio, 364.
Fundamentum in moralibus malum, mox mala conſequentia non probat, 225.
Fur in Iſraële non poterat vendi alienigenis, 405. nocturnus juxta leges Romanas ſemper in agris occidi poterat, 420. an recte ob tertium furtum ſuſpendatur, 424.
Furi an David decreverit pœnam capitalem, 407.
Fures ex lege Moſis poterant vendi, quod durum admodum, 405.
Furtum capitale fuit legibus Atticis, 417. in caſtris apud Romanos ſemper

Digitized by Google

per capitale fuit, 419. crimen admodum probroſum eſt, 424.
Furti pœna apud Iſraëlitas intendi poterat, 406. ſimplicis pœna capitalis non adverſatur juſtitiæ diſtributivæ, 412. pœna intendi debet pro diverſo reip. ſtatu, 414. pœnam apud Romanos leges prætoriæ mitigarunt, 419.
Furti pœna apud Iſraëlitas reſpexit ſpeciatim illorum Politiam, 597.
Fuſte feriri eſt capitalem pœnam ſubire, 420.

G.

Galea idem quod galerus, 367.
Galeæ olim ex pellibus factæ, 589.
Galerus & galericulus quid ſit, 366.
Galericulus capiti non eſt aptandus, ut formæ decus quæratur, 369. non convenit capiti Chriſtiani, nedum Theologi, 370.
Galli ænei ob Phyſicam rationem turribus imponi videntur, 202.
Ganeum quid ſit, 124.
Gangrenſis Synodi canon de veſtibus explicatus, 388.
Gatakerus diſputationem Voetii de ſortibus ſolide refutavit, 295.
Genevates quales choreas proſcripſerInt, 310.
Genevenſis Eccleſia quo zelo omnes dies Feſtos proſcripſerit, 138.
Genibus incumbentes Chriſtiani precari ſolent, 166.
Gentiles habiti ſunt, qui noluerunt Papam Romanum agnoſcere caput Eccleſiæ, 94.
Gentiles qui convertent nihil minus curare debent quam bona hujus ſeculi, 90.
Gentiles ſaniores non probarunt ſacrificia, niſi puro animo oblata, 565.
Gentilium ſuperſtitioni quomodo Patres docuerint renunciandum, 55. omnia facta materialiter non fuere mala, 305.
Gibhonitæ inter Iſaëlitas habitantes, fuerunt reliquiæ Paganicæ, 87.
Gladii quando meminit Juſtinianus, non ludus gladiatorius, ſed ultimum ſupplicium intelligi debet, 429.
Gonorrea morbida occultum vitium eſt, 376.
Gravitas ficta quorundam juxta Marnixium ſcandoloſa magis quam ſaltatio, 320. Miniſtrum Eccleſiæ commendare debet, 257.
Græci multas veſtes habebant communes maribus & fœminis, 389.
Gronovius quomodo ſe gerat adverſus mortuum Salmaſium, 448. ſibimet contrariatur, 451.
Grotius notatur, 251.

H.

Heinſius notatus, 390.
Helfricus Ulricus Hunnius qualis fuerit, 51.
Heteredoxi adoptari poſſunt in collegia politica, quæ juriſdictionem non exercẽt: ſi permittat conſuetudo, 81. tales boni cives eſſe debent, *ibid.*
non

non niſi per accidens confirmantur in ſua heterodoxia, ſi æſtimentur à Reformatis, 86. poſſunt eſſe miniſtri Magiſtratuum Orthodoxorum, 87.
Joannes Heurnius Euangeliſta in India Orientali, qualis, 91.
Hieronymus quid ſenſerit de poculis votivis, 300. à Voetio male citatus, *ibid.*
Hiſtrionis reſipiſcentis exemplum, 503.
Hiſtriones ordinarii infames merito habendi, 502. unde ſint dicti, *ibid.* eos nullo loco Romani habuerunt, *ibid.*
Hiſtrionibus quam infeſtum eſt jus Canonicum, 503. aliquid donare peccatum eſt grande, 505.
Homini poſt lapſum conceſſo eſu carnium, an contigerit beneficium, 581.
Honeſti regula Lex Dei eſt, 499.
Hoornbeeck circa uſuram Trapeziticam ſibi non conſtat, 476.
Conſtant. Hugens de Organo libellum Belgicum ſcripſit, 515.
Hypocritę multi tranſeunt ad viſibilem Eccleſiam, 85.

I.

Ἰδιογνώμονες ſunt graves Eccleſiæ, 161.
Idololatriæ qua talis reliquiæ extirpandæ ſunt, 205.
Jejunare non licebat, in primitiva Eccleſia, die Dominico, 112.
Jeſuitæ quomodo inſectentur pocula votiva, 301.
Jeſuitarum Patriarchæ Phariſæi, 301. comœdiæ quales ſint, 511.
Illicitum in ſe nulla ratione fieri poteſt licitum, 440. nequidem per Magiſtratus permiſſionem, 486.
Imperatores Romani an dicti ſint Pontifices Maximi, 57.
Indifferens idem quod adiaphorum, 3.
Infamia publica poteſt eſſe ſine peccato, 350.
Infideles negotiis hujus vitę gerendis ſępe felicius ſufficiunt, quam fideles, 83.
Infirmi in fide, nec dociles circa adiaphora, tolerandi ſunt, 28.
Infirmi fratres quinam ſint habendi, 291.
Inſtitores multi in Belgio Trapezitis ſimiles ſunt, 465. olim viles habiti, ut & propolæ ac minores mercatores, 495.
Iphigenia dicta quaſi Jephthigenia, 564.
Iter Sabbathicum quale fuerit, 119. Iter ingreſſi in ipſo itinere Sabbathum ſanctificare poſſunt, 120.
Judæi dicti Ciſtiferi, 68. in ſacris caput velabant, 343. in nuptiis ſuis hodie tripudiant, legis licet obſervantiſſimi ſint, 326.
Jugum cum Pontificiis æquale non eſt ſubeundum, 80.
Franc. Junius refutatur, 374.
Jus Patronatus cur ab Authore conſideretur, 208. originem ſuam non trahit à Papa, 209. quando primum cæperit agnoſci, 209. debet accerſi uſque à ſeculo Juſtiniani Imperator. 210. quid ſit, 212. in quo conſiſtat formalis illius ratio, *ibid.* quamvis præſtaret ſublatum eſſe, tolerabile tamen eſt, 213. juri populi non adverſatur, 214 in Belgio fœderato ibi ſolummodo toleratur, ubi receptum eſt, 219. legitime exercitum

Digitized by Google

exercitum cenſuræ Eccleſiaſticæ non ſubeſt, 220. in Belgio per Synodum Nationalem Belgicam toleratum, non poteſt abrogari per Synodum provincialem, *ibid.* in Belgio nihil incommodi patitur à Remonſtrantia quarundam particularium Synodorum, 221. in Belgio libertati Eccleſiæ nihil derogat, 225. ubiq; in Belgio fundamento moraliter malo non nititur, 226. quot modis acquiratur juxta Canoniſtas, 227. diverſum eſt à jure ad paſtoratum, *ibid.* in Belgio nihil derogat confirmationi miniſtri, *ibid.* non poteſt juxta Canoniſtas exerceri ab illis quos notat religio, 229. ob ſpeciem mali, quæ fingitur, in Reformatis Eccleſiis non eſt abrogandum, 230. ex abuſibus non eſt æſtimandum, *ibid.* ab Orthodoxis in Belgio vendi non deberet, 231. per ſe nihil derogat perfectioni Eccleſiæ, *ibid.* quomodo ſecundum Canoniſtas extinguatur, 232. an ſit novum, 234. invito Papa Romano quatenus coaluerit, 235. in Belgio alicubi obſervatum nihil derogat libertati Belgicarum Eccleſiarum, 236. in Theſi conſideratum aliud eſt ab eodem in Hypotheſi ſpectato, 241. quomodo ſit exercendum ex mente Authoris, 256. non debet vendi, 266.

Jus Patronatus Author agnoſcit ut nævum Eccleſiarum Belgicarum, ſed qui deleri vix poſſit, 209. male Voetius ſtatuit pendere à conceſſione Eccleſiaſtica, 211. qui habent, varia nomina à jure Canonico ferunt, 213. non fundat ſola templi exſtructio, 216. turbant avaritia & ambitio, 261. quomodo Author propugnarit, 265.

Juris Patronatus exercitium non poteſt apud Orthodoxos iis concedi, qui heterodoxi ſunt, 229. fundamentum non eſt Papæ Hierarchia, 237.

Juri Patronatus favet Synodus Dordracena, 215.

Jure Patronatus in Belgio Miniſtri non niſi idonei eligi poſſunt, 228.

à Jure ad factum argumentatio non procedit, 235.

K.

Καπηλεύειν quid ſignificet, 128.

Καπηλιαστικὸν quid ſit, 128.

Καταισχύνειν quid ſit, 342.

Kermiſſen an ſint Encænia, & unde nomen habeant, 202.

Κομᾶν quid ſignificet apud Paulum, 344. qualiter mulieribus Paulus permittat, 345. ſæpe idem quod ſuperbire, 346.

Κτίτορες qui ſint. 213.

L.

Lacedæmone corpus magnam partem nudabant virgines, 390.

Λαμπάδιον quid ſit, 394.

Laodiceno Concilio quantum ſit deferendum, 324.

Latronum coma intonſa & aſpera, 333.

Levitas vitanda circa tonſuram capillorum & barbæ, 363. item in veſtitu, 381.

Levitæ quæ poſſederunt, jure Emphyteutico tenuerunt, 44.

Lex Moralis mores non ordinat efficienter, 73. Dei *Deut.* XXII. *verſ.* v. de diſtin-

Digitized by Google

diſtinctione veſtis virilis & fœmineæ ſitne moralis an cæremonialis, 374. Moſis Politica de furto, ut puniendo, peculiarem habuit reſpectum ad populum Iſraëliticum, 404. de filio immorigero, qui lapidandus, quomodo ſit intelligenda, 425.
Legis Moralis uſus tempore Euangelii, 70. Miniſtri inconvenienter affectant eſſe, verbi Divini miniſtri, *ibid.*
Leges Magiſtratus ut obligent conſcientiam, 12. quæ conſcientiam obligent, 22. Divinæ ſimpliciter obligant conſcientias, non vero humanæ, *ibid.* Magiſtratus qualiter conſcientiam obligent, *ibid.* Eccleſiaſticæ haut magis conſcientiam obligant, quam Leges Magiſtratus, 23. Cæremoniales quatenus Chriſtum reſpexerint, 378. Moſis Politicæ, quatenus adæquatæ ſint legibus Moralibus, 403. XII. Tabularum duriores quoque fuerunt in fures diurnos, 411.
Legibus Magiſtratus de Adiaphoris parere oportet, 23.
Lombardi qua occaſione in Belgio innotuerint, 460. unde nomen habent, *ibid.*
Lombardis Carolus V. Imp. quam infeſtus fuit, 460. & circa eos aliquanto iniquior, 461.
Ludi quales Dominico die ſint permiſſi, 114.
Lugentibus poculum apud Judæos propinari ſolet, 304.
Lupanaria non debet Magiſtratus in Rep. tolerare, 126.
Luſus Schaccorum à nullo improbatus æque ac aleæ luſus multa circa ſe incommoda habet, 297.
Luſum aleæ ſimpliciter Calvinus non improbat, 296.
Lutherani habent quidem Superintendentes, & tamen deteſtantur Hierarchiam Papanam, 180.
Lydius, Voetii quondam amicus, favet Organis in templo Dei laudes ſonantibus, 537.

M.

MAccovius, Authoris præceptor, qua occaſione Trapeziticæ controverſiæ implicitus fuerit, 470.
Magiſtratus an poſſit ſuos ſubditos cogere, ut die Dominico ſacris concionibus interſint, 111. uſurarum modum determinando ad quæ debeat attendere, 447. Chriſtianus non poteſt habere Theatrum promiſcuis ſpectaculis ſerviens: ne quidem ſi redundet in uſus pauperum, 513.
Magiſtratus quod ſit officium in rebus Eccleſiaſticis, 21. officium in quo ſit diſtinctum ab officio miniſtrorum Eccleſiæ, *ibid.*
Magiſtratui Eccleſiaſtico per LL. Adiaphora ordinanti obſequendum eſt, ſi non creetur præjudicium Legi Dei, 24. qua tali non convenit eligere & ordinare Eccleſiæ miniſtrum, 212.
Magiſtratus in Belgio rem Trapeziticam tractantes minus onerum ferunt atque ordinarii Trapezitæ, 464.

Malum.

Malum bene poſitum quid ſit, 242.
Manichæi vino infeſtiſſimi erant, 291.
Μαφόριον quid ſit, 397.
Mardochæus an fuerit Propheta, 134.
Marnixius Aldegondæ Dominus quid ſenſerit de choreis, 317.
Martinalibus an poſſit anſer comedi, 205.
Martinus Turonenſis Epiſcopus vulgo S. Martinus jam olim in ſumma veneratione fuit apud Gallos, Belgas, 206.
Matthæus JC. ſingulariſſimus contra jus Patronatus Ultrajecti declamans Voetio nihil profuit, 241.
Juſtinus Martyr an doceat Muſicam Inſtrumentalem templis proſcriptam fuiſſe, 522. non docet Adamum abſtinuiſſe carnibus animalium, quòd Deus duo ſolum paria creaſſet, 573.
Medicus præſcribens diætam, non ſolum conſiderandus eſt ut conſiliarius, 572.
Mercada, 203.
Μηλωτή quid ſit, 589.
Mercatorum qualia conſueverint eſſe peccata, 488.
Mercaturâ quibus interdictum ſit, 466.
Menſarum miniſterium, quod Diaconis incumbebat, diverſum erat ab Agapis, 251.
Meretrices flavum capillitium affectabant, 366.
Miniſter Verbi inter concionandum potiorem fidelium, quam hypocritarum rationem habere debet, 73. quando arguit peccata mox conſolari debet, 77. liberos, & familiam ſuam Deo ante omnia commendet, 97. juxta jus Patronatus quomodo in conſcientia poteſt eſſe certus, 214. conchæ ſimilis, 258. an & quatenus praxin Medicam exercere poſſit, 271.
Miniſtri ex Schola Ultrajectina quales, 78. Eccleſiæ divitiis colligendis ſtudere non debent, 96. ab avaritia alieniſſimi eſſe debent, 262. an poſſint vacare exercitio artis Mechanicæ, 267. olim à Gentilibus irriſi ſunt, quod vacarent exercitio artis Mechanicæ, 268. qualibus conviviis intereſſe poſſint, 276. quomodo ſe gerere debeant in conviviis, 280. convenienter intereſſe poſſunt conviviis cum heterodoxis, 281. quidam Eccleſiæ minus decori ſe gerere notantur, 274.
Miniſtris Eccleſiæ quædam non licent, quæ tamen permiſſa ſunt vulgo dictis Clericis, 458. non ſunt obtrudendæ uxores, 259.
Miſſaticum, 203.
Miſſæ vox quid notet in communi, 202.
Mitra indumentum anile & meretricium, 396.
Moderationis veræ uſus neceſſarius juxta Hoornbeeck, 552
Monachi profugi haut temere ad miniſterium promovendi, 258.
Montes pro cultu ſacro Gentilibus quoque placuerunt, 191. eos Deo præ aliis locis placere Judæi exiſtimarunt, 193.

Montes & collas ſuo cultui Deus ſpeciatim vindicavit. 191.
Montes pietatis an ſint probandi non convenit hic inter Doctores Pontificios, 473. illorum qualis ratio ſit, 471. circa illos non unus quoque ſenſus eſt Theologorum Reformatorum, 473.
Morticinorum pelles an Iſraelis veſtiendis ſervire potuerint. 588.
Muſica Organica quatenus contenditur non applicanda uſui Eccleſiaſtico, 516. Inſtrumentalis circa ſacra à Moſe non eſt inſtituta, 519. Eccleſiaſtica Chriſtianorum male ad Gentiles refertur, 533.
Muſicam inſtrumentalem ſacris David primus admovit, 519. David hoc fecit ex ſpeciali revelatione, 520. Inſtrumentalem ſub quibus conditionibus in templis admiſerint Synodi Gallicæ, 524.
Muſicis inſtrumentis Dei laudes veteres Chriſtiani laudare ſolebant, 523.
Mutuo an transferatur dominium, 446.
Myſterii vox in ſe eſt abominanda, 55. vocis Etymologia, 57.

N.

NAziræi intonſi erant, 349.
Neſchech an differat à Tharbith, 477.
Nocturni Eccleſiæ cætus olim liciti, poſtea prohibiti fuerunt; 100.
Nocturna Sacra ſuſpecta: à Deo non imperata: & legibus quoque prohibita, 101.
Nominibus Paganicis prudenter Apoſtoli ſunt uſi, ſpeciatim Paulus, 61.
Nova omnia ſunt plauſibilia, 559.
Novitii ad Miniſterium haut temere promovendi ſunt, 256.
Nudæ partes, quæ in homine teguntur, juxta quam differentiam ſint conſiderandæ, 391.
Nuditas an poſt lapſum in homine probroſa ſit, 391. partiũ genitalium maximè probroſa eſt, 392.
Nundinæ anniverſariæ admodum proſunt civitatibus, in quibus agitantur, 204.
Nutrire barbam aut comam quid notet, 363.

O.

OPinio vagæ lectionis multis opinionem eruditionis parit, 40.
Organum Muſicum pro moderando cantu æque licite adhibetur atque Pſalmiſta, aut Phonaſcus, 528. Pneumaticum an veteribus notum fuerit, *ibid.* Muſicum non pertinet ad legem Moſis ceremonialem, 533. Muſicum æque in cultu ſacro admitti poteſt atque moduli in Pſalterio, 536.
Organi in templis abuſum ſuo jam ſeculo notavit Bucerus, 523. in Papatu abuſus non officit uſui ejuſdem legitimo, 532.
Organa Muſica non ſunt in templis ſimpliciter neceſſaria. 530.
Orarium quid fuerit, 250.
ὀρχηϛὴς quid ſit. 324.
Oſculum ſanctum quid ſit, 329.

Oſcula

Digitized by Google

Oſcula promiſcua Belgarum ſunt magis ſcandaloſa, quam Germanorum tripudia, 327. promiſcua illicita ſunt teſtibus antiquis Patribus, 328. magis ſunt libidinis incentiva, quam ſaltationes, 329.

P.

Paganis Imperatores Chriſtiani templa ſua non reliquerunt, quod in illis abominanda fierent, 61.
Pallio quoque matronæ Chriſtianæ amiciebantur, 361.
Πολυπραγμοσύνη minime convenit Theologis, 169.
παιδοχεῖον quid ſit, 125.
Panis madidus fuci vicem præſtare ſolet, 364.
Papani peccant in dogmatum exceſſu, 543.
Papana ſuperſtitio per nomina licet Orthodoxis in memoriam revocatur, ut eam deteſtentur, 67.
Parentes quomodo de bonis ſecularibus liberis debeant proſpicere, 96.
Partes corporis velandæ aut tegendæ ſunt pro ratione loci & temporis, 390.
Paſcha unde deſcendat, 141.
Paſchatis pervigilium in primitiva Eccleſia receptum, 141. tempore Chriſtiani non jejunabant, 142.
Patresfamilias quid die Dominico domi agere debeant, 116.
Patres quidam infeſti fuerunt raſuræ barbæ, 362.
Patronus Eccleſiæ Reformatus an jus patronatus ſalva conſcientia poſſit exercere, 243.
Patrono Eccleſiæ Author nunquam vocationem conceſſit, prout Reyneſſius mentitur, 228.
Patroni Eccleſiæ non ſunt Epiſcopi, 230. non debent accipere munera pro paſtoratu, 260. juxta jus Canonicum res Eccleſiæ adminiſtrare non poſſunt, 236.
Patronis non convenit plus quam jus præſentandi Miniſtrum, 223.
Patronatus Clericalis quomodo in Belgio fœderato ſit proſcriptus, 237.
Pauli Apoſtoli tempore mulieres ubique non velabantur, 398.
Pectus denudatum fœminæ quatenus ſcandaloſum ſit, 398.
Pecudes an ante hominis lapſum carnibus abſtinere debuerint, 579.
Pecunia quomodo ſit ſterilis, 445.
Pedes attollebant Chriſtiani primævi inter precandum, 355.
Pelles veſtiendis antiquis Romanis inſerviebant, 372.
Pentecoſtes Feſtum, 142. feſto veteres Chriſtiani non jejunabant, nec genua flectebant, 143.
περιβόλαιον quid ſit, 348.
περικείρεσθαι quid ſit, 353.
Pervigilium Paſchale antiquorum Chriſtianorum, 190.
Pervigilii Paſchalis tempore lumina ſolent accendi, 142.
Phryges & Lycii furti ſeveri vindices, 422.

Φύσις notat aliquando judicium rationis naturalis, 549
Pignus pro debito apud Iſraëlitas poterat exigi, 478. quomodo capi poſſit juxta Leges Moſaicas, *ibid.* ejuſdem alia eſt ratio ſi ſponte offeratur, quam ſi capiatur, 479.
Piſcator mala fide à Voetio citatur, 152. dierum Feſtorum obſervantiſſimus fuit, 160.
Piſcatio qualis die Dominico licita ſit, 114.
Piſtores in Belgio graves maxime pauperibus ſunt, 465. homines viles ſunt, *ibid.*
Plato nullam religionem probavit, niſi quam Dii præſcripſiſſent, 565.
Plebis ſuffragia in mandandis Eccleſiæ muneribus à Concilio Laodiceno improbata ſunt, 212.
Plebi non eſt conſultum, indefinite permittere, ut vocet Miniſtros Eccleſiæ, 215.
Plutarchi locus explicatus, 396.
Poculum an memoriæ amicorum conſecrari poſſit, 286. conſolationis, 304. votivum ſemper non provocat ebrietatem, 313.
Poculo non ſemper votum additur ut evacuetur, 287.
Pocula ſanitatis noxia utplurimum valetudini ſunt, 285. ſanitatis ſobria à quibus admiſſa, 290. à Voetio admiſſa qualia ſint quæritur, 303. votiva non officiunt ſolemnibus precibus pro magiſtratu, 304. quomodo habeant ſpeciem mali, 305.
Poculis votivis qua intentione liceat abſtinere, 290.
Pœna delictorum non tam ex culpa, quam ex fine æſtimanda eſt, 414.
Pœnæ quatenus intendi poſſint, 598.
Pœnis aſperioribus ſub mundi ſenectam opus eſt, 428.
Pœna homicidii & adulterii cur deberet eſſe apud omnes gentes capitalis, non vero pœna furti, 599.
Polybius quando tertium crimen militare non vult fuiſſe capitale, intelligi debet de levioribus delictis, 426.
Popina quid ſit, 114.
Poteſtas Eccleſiaſtica & Politica in quibus conveniant & differant, 24.
Praxis pietatis pendet à peculiari operatione Sp. Sancti, 548.
Præciſi circa charitatem eſſe debemus, 51.
Prædia Levitarum quomodo vendi potuerint, 233.
Presbyteri ut elegerint miniſtros Eccleſiæ, 212.
Præſentatio Miniſtri Eccleſiæ quomodo cohæret cum jure Patronatus, 211. quid ſit, 212. diverſa eſt ab electione, 213. facta à patrono nihil derogat libertati Eccleſiæ, 224. non eſt ipſa vocatio, 240.
Precari an liceat in Scena, 509.
Preces an ſtando dicendæ, 165. in iis quis corporis geſtus ſit adhibendus, 165.
Proportio an intercedat inter bona ſecularia & hominis vitam, 412.
Guil. Prynne qualis fuerit, 302.

Ψάλλειν

Ψάλλειν quid ſit, 523.
Pſalmiſtæ officium, 528.
Pſalmiſtæ ſerius in Eccleſiis recepti, qui, 522.
Purpureus color quatenus in veſte probandus ſit, 373.

Q.

QUies die Dominico ſeu Sabbatho imperatur quoque ob finem Politicum, 106. Sabbathina ratione Judæorum fuit quoque quid Cæremoniale, *ibid.*

R.

RAhab fuerit meretrix, an mulier cauponaria, 325.
Raſio apud Romanos ignominioſa erat, 337.
Raſura in fœminis ignominioſa erat, 343. à Deo in populo ſuo ſimpliciter non fuit improbata, 359. Papana novitia eſt, 363.
Recreationi quali die Dominico liceat vacare, 111.
Rebus licitis quando ſit abſtinendum, ſi peccatum iis ſocietur, 308.
Reformati in Gallia ſunt membra Parlamentorum in quibus plerique ſunt Pontificii, 84. eadem facere poſſunt ob uſum Politicum, quæ Pontificii ob uſum ſuperſtitioſum, 207.
Reformatores primi multum detraxerunt fermento Papano, 543.
Reformatio in ſacris quid ſit, 540. illius duo ſunt actus, *ibid.* Eccleſiæ quatenus pertineat ad Magiſtratum, 540. Eccleſiæ quomodo à tempore Lutheri proceſſerit, 542. morum pertinet ad Sp. Sanctum, *ibid.* intenſiva, quod ad dogmatica eſt neceſſaria, 545. circa ritus qualis requiratur, *ibid.* intenſiva Voetii qualis, 546. intenſiva non debet confundi cum illius ſucceſſu, 547. intenſiva tum non itenditur, quando praxis pietatis intenditur, *ibid.* intenſiva quomodo juxta Voetianos intsnſive procurari debeat, 548. intenſiva diſtinguenda ab illius vindiciis, 548. intenſiva diſtincta eſt ab intenſione ſanctificationis, 549. intenſiva Voetii vera quatuor capitibus conſtat, 557.
Reformationi in doctrina Pontificii ſemper refragati fuerunt, licet circa mores & ritus eam ſemper admiſerint, 542.
Regeniti vel ſunt in fide firmi vel infirmi, 18.
Regimen hominis vel ſpirituale vel politicum eſt, 21. Eccleſiarum, quæ conſentiunt in fidei dogmatibus non eſt arguendum à Theologis, 169.
Regula conſcientiæ & prudentiæ ordinat adiaphora, 27.
Reyneſſius hodierna convivia cenſet eſſe compotatorum chaos, 275. mala fide citat Fr. Junium, 199.
Reyneſſii Sycophantiæ 213. & paſſim mala fides in citanda Scriptura, 192. item ſæpius Ejuſdem Spurcities, 287.
Jacobus Reyngouts qualis fuerit, 88.

Digitized by Google

Res licitæ quomodo evadant illicitæ, 309. illicitæ ſecundum conſuetudinem quatenus ſint conſiderandæ, 311.
Reſipiſcentia eſt fructus Euangelii, non Legis, 71. ejuſdem renovatio efficacius ſecundum Euangelium, quam Legem urgetur, 72.
Reticulum quid ſit, 352.
Rigor legum adverſus fures Romæ temperatus fuit, quod multa eſſet facies reip. 421.
Ritus qui hoſtes veritatis in ſuperſtitione confirmant non ſunt Adiaphori. 20. & mores pro diverſitate loci & temporis differunt, 321. diverſi in Eccleſiis ejuſdem confeſſionis eſſe poſſunt, 545.
Ritibus Eccleſiaſticis, ſi non ſint contra bonos mores, nemo Chriſtianus refragari poteſt, 546.
Rivetus examinatur circa eſum carnium ante Diluvium, 581.
Riveti error circa excelſa, 198.
Romani prohibuerunt ſacrificia humana, 565.
Romani ſaltationibus dediti fuere, 329. antiqui intonſi erant, 337.
Romanis legibus furtum initio capitale fuit, 418.
Ruſticum opus quomodo die Dominico exerceri poſſit, 110.

S.

SAbbatum Judæi inchoarunt à veſpera, 102.
Sacerdotum nomen tempore Juſtiniani quoque viri quam ſpectabiles tulerunt, 188.
Sacram viam rogare quid ſit, 207.
Sacrificia lumini naturæ an ſint accepta ferenda? negativa ſententia probatur, 560. & ſeq. & quidem è Scriptura. 562. Authoritate Patrum, & Theologorum Orthodoxorum.
Sacrificia humana exemplo Abrahami Patriarchæ primitus Iſraëlitæ obtulerunt ſuo Molocho, 564. ab iis didicerunt primo vicini iis Tyrii, & dein aliæ gentes, *ibid.*
Sacrificare unde didicerint Gentiles, 563. & ſeq. In illis potiſſimum Deo probanda fuit obedientia, 586. nec vero ſimile eſt Deum tantum honorari voluiſſe ex illis, quæ homini utiliſſima erant, 586.
Sacrificantes ante Diluvium, an ex iis comederint, 583.
Sacrificantes in Excelſis Jehovæ dedicatis non merentur haberi idololatræ, 197.
Sadeel mala fide à Voetio citatur, 151.
Salmaſius notatus, 363. 382. Ejuſdem levis error, 360.
Salomon quomodo Abiatharum depoſuerit, 134.
Saltatio optimi inſtituti poteſt eſſe comes, 318. in ſe adiaphora eſt, 318. 322. ſolitaria virorum Zelotypiæ à Marnixio imputatur, 319. juxta Marnixium non derogat authoritati viri gravis, *ibid.*
Saltationes noſtræ veterum ſaltationibus moderatiores videntur Marnixio, 319.

Digitized by Google

319. molles à Scriptura ſolummodo prohibentur, 325. pro uſu gentis decernendę, 326. ab antiquis patribus Chriſtianis in publicis ſolemnitatibus permiſſæ fuerunt, *ibid.*
Saltatores an & quatenus apud Romanos infames fuerint, 330.
Samuel ſacrificavit in excelſo extra Silo, 195.
Santea quid ſit, 287.
Santeæ Reformatæ an dentur, 290. an poſſint admitti, 303.
Scandalum vox Græca facta Latina, 29. quid proprie ſignificet, *ibid.* eſt vel internum vel externum, 30. externum quid ſit, *ibid.* externum nimis anguſtè definitum ab Hieronymo, *ibid.* externum eſt vel datum vel acceptum, 31. datum alias activum dicitur, *ibid.* datur ratione rei adiaphoræ, 33. circa Adiaphora quoque præcavendum, *ibid.* acceptum quid ſit, *ibid.* acceptum male à Reyneſſio ſtatuitur tertia ſpecies Scandali, 34. acceptum vel eſt humanum vel diabolicum, 35. humanum vel eſt piorum, vel impiorum, ſed infirmorum, *ibid.* acceptum piorum infirmorum quid ſit, 36. acceptum quomodo pii ſuperent, *ibid.* diabolicum, *ibid.* an dari poſſit ab illo, qui docet aliquid, quod Scripturæ eſt conſentaneum, 37. qua datum, qua acceptum, vel publicum, vel privatum eſt, 38. utrumque diſtinguendum quoque ratione perſonarum, *ibid.* quam ſcrupuloſe ſit præcavendum, *ibid.*
Scandali dati ratione ut offendantur, qui ſunt extra Eccleſiam, 32. ratione ut offendantur, qui ſunt in Eccleſia, 33.
Scandalum aliquis dat vel deſtinato conſilio, vel non deſtinato conſilio, 32. qui dant, quomodo agendum ſit cum illis, 33.
Scandalo dato nemo debet offendi, 32. offenduntur qui vacillant judicio, *ibid.* in ſcandalo conſideranda quatuor, 30.
Scena corporis quid ſit apud Tertullianum, 507.
Scenicæ mulieres quæ ſint, 503.
Schoockio, Authori hujus libri, juſtiſſimus Deus triumphum conceſſit de Adverſariis, 53.
Schytæ eorumque poſteri furti acerrimi vindices ſunt, 422.
Ant. Scori Comœdia qualem ſucceſſum habuerit, 507.
Scotus negavit aliqua dari Adiaphora, 6. ejuſdem argumentis occurritur, 8.
Senatus Eccleſiaſticus Palatinus vindicatur, 182.
Servi non poterant eſſe Monachi, 336.
Servilia opera quæ ſint, 106.
Sociniani cur furtum nolint eſſe capitale, 424 quæ remedia furibus deſtinent, 427. Eorundem impia doctrina, 544.
Solon furibus quam infeſtus fuit, 417.
Spectacula qualiter antiqui Patres arguerint, 499. pretio edi ſolita deteſtanda ſunt, 500. Comica improbata ſunt à Romanis antiquis, 501. Hiſtrionica optimos quoque corrumpere apta ſunt, 504. non merentur ſimpliciter improbari, 505. ſub quibus conditionibus licite admittantur, 512.

Digitized by Google

Spectaculorum licitorum fructus varii ſunt, 506.
Spectaculis Hiſtrionicis ſalva conſcientia nemo intereſſe poteſt, 504.
Spectaculis honeſtis Reformata doctrina in Belgio promota fuit, 507.
Stabulum quid ſignificet, 117.
Stantes precabantur Gentiles, 165.
Status controverſiæ genuinus de promiſſis capillis, 334.
Stoici & Cynici fœnus nauticum exercuerunt, 455.
Sublatio manuum non eſt ſtatio, 167.
Suillarum carnium quæ ratio. 590.
Superintendentes an tolerari poſſint in Eccleſiis Orthodoxis, 178.
Superſtitio vel eſt Theoretica, vel Practica, 20.
Synodi Belgicæ an adverſentur Organis in Templo, 537.
Belgicæ priores multa pro tempore probarunt, quæ hodie unanimiter improbantur, 538.
Synodalibus decretis quantum ponderis inſit, 156.

T.

Taberna quid ſignificet, 124.
Taffinus non arguit morem præbibendi apud Belgas receptum, 198.
Teelingius non eſt ſimpliciter infeſtus poculis votivis, 298.
Templum aliquod præſtat vocare S. Petri, quam ſimpliciter Petri, 65.
Templi voce an abſtinuerint antiqui Chriſtiani, 294.
Templa ſuperſtitiosè à Pontificiis fuerunt Sanctis dedicata, 65. Paganorum per Chriſtianos Imperatores hominibus privatis locari ſolent, 67. à Sanctis denominari qua ratione Author probet, 68. à privatis quoque Chriſtianis ſub Juſtiniano Imp. extrui cœperunt, 110. ea non habuerunt primitivi Chriſtiani, 210. ſed ſeculo demum quarto Chriſtiani ſunt indepti, *ibid.*
Tertullianus Paganorum fana nomine proprio inſigniri patitur, 65. falſus eſt circa virgines velandas, 394.
Teſtimonium Negativum Scripturæ an & quatenus ſit recipiendum, 571.
in Theatro qualis materia licitè poſſit repræſentari & qua ratione, 506.
Theodoſius M. Paganos ad honores promovit, 84.
Theologus, pacis ſtudioſus, in Eccleſia hac viſibili multa tolerare debet, 213.
Theologi Lutherani varii uſuras probarunt, 414. quidam in Belgio exercent fœnus intolerabilius Trapezitico, 490. Belgici melius ſentiunt hoc tempore de Trapezitis, atque olim, 494. Palatini cur infeſtiores ſint Muſicæ inſtrumentali Eccleſiaſticæ, 518. prudentes pro diverſis locis in quibus vivunt aliter de adiaphoris arbitrantur, 518.
Theologica dogmata numeris comicis comprehendi non debent, 511.
Θεράπων ab Apoſtolo Paulo Moſes vocatur, 58.

Θίασος

Digitized by Google

Θίασος vox in ſe turpis eſt, 59.
Tilenus qualis fuerit, 518.
Togâ apud Romanos tum viri tum fœminæ utebantur, 389.
Tolerantia circa jus Patronatus cogitari varia poteſt, 219. mutua circa erronea requiritur, 545.
Tonſura qualis Dei populo definita fuerit, 338.
Tonſura Arabum qualis, 595. Illa Dei populo interdictum fuit, *ibid.*
Tonſura Hunnorum, Saracenorum & ſimiliū populorum qualis fuerit, 595.
Tonſura illa Deo diſplicet, quæ arguit mores legi ſuæ adverſantes, 595.
Τρώκτης aliquando cibum notat, 252.
Trapezita dum mutuum dat, diſtinguere non tenetur inter divitem & pauperem, 475. non tenetur mendico gratis mutuum dare, 477. convenienter non fuerit is, quem Deus ad aliud vitæ genus vocavit, 496.
Trapezitæ in Belgio diverſi ab iis, qui fuerunt tempore Alexandri VI. Papæ, 459. ſunt fœneratores publici, 461. in Belgio conſtituuntur à Magiſtratu, 462. & quidem juxta certas leges, *ibid.* in Belgio haberi merentur viri honeſti, 463. Belgici pauperioribus quam utiles, 467. proſunt quoque opulentioribus, *ibid.* multos extremo exitio eximunt, 468. recta potius, quam per alios, adeundi, *ibid.* convenienter componuntur cum Argentariis, 469. iniquè exagitantur à quibuſdam Theologis Belgis, *ibid.* ſi intra lineas ſe contineant, non premunt pauperes, 481. an ea menſa fœnebri tantum ac vulgo jactatur lucrari poſſint, *ibid.* non retinent reſiduum ex pignoribus diſtractis, 483. Reformati in Belgio ſunt admiſſibiles ad cœnam Dominicam, 485. honeſti, invitandi eſſent ad ſacram cœnam, 488. quod publicè ſint exoſi, traducti ſunt à quibuſdam Theologis Belgis, 490. quales ad cœnam Dominicam admitti debeant, 491. probi, poſſunt eſſe Diaconi & Seniores Eccleſiæ, 492. cur in Belgio vulgo ſint exoſi, 493. peccant ſi ſolum lucrum intendant, 495.
Trapezitarum perſonalia peccata non imputanda ordini, 462. cauſſa liquidis rationibus aſtruitur, 464. menſæ male componuntur cum lupanaribus, Romæ à Papa permitti ſolitis, 485.
Trapezitis ſimiles mercatores, 466. Belgicis haut magis inclementer dici poteſt, atque Montibus pietatis, 474. non eſt proprium quarto modo, diteſcere, 481. Belgicis non adverſatur Liturgia Eccleſiarum Belgicarum, 484. quare particulares quædam Synodi adeo infeſtæ fuerint, 484.
Trapeziticæ menſæ an ſint azyla furum, & prodigorum, 482. uſuræ non ſunt æquo grandiores, 480.
Trapeziticam artem qui non poſſint profiteri, licet in ſe ſit honeſta, 495. rem tractant quidam per Belgium Magiſtratus, 463. rem tractantes in Belgio Magiſtratus clementiores non ſunt ordinariis Trapezitis, 464.
Triboniani erga fures indulgentia, 410.
Tributa pauperes maxime premunt, 475.
Tridbergenſes nundinæ, 204.
Tripudia Germanorum non omnia ſunt mollia, 327.

Digitized by Google

Tripudiis modernis Author non patrocinatur ut nimis mollibus, 327.
Tripudiatoria ars multum curæ & attentionis exigit, 330.
Turri an vice campanilis imponi poſſit Gallus, 201.
Tutuli qui, 348. non poſſunt confici ex alienis capillis, 349.
Tympanorum qualis olim uſus fuerit in choreis, 323.

V.

Valentiniani Adiaphoriſtæ erant, 3.
Valerius Maximus à Plutarcho diſſentit, 395.
Vbera fucata ac denudata arguunt impudicitiam, 400. denudata ubique locorum fœminarum non arguunt impudicitiam, *ibid.* homini nutriendo licet ſerviant, non tamen generando, 401. Ubera fœminea quatenus liceat contingere, *ibid.*
Vectigalium defraudatores fures ſunt, 416.
Velabant caput apud gentiles, qui ſacra faciebant: non tamen hoc erat receptum apud Græcos, 341. velabant quoque caput fœminę, non viri in publico, 343.
Velare caput probro ducebatur fœminis apud Romanos, 395
Velari non ſolent virgines, 353. quatenus virgines voluerit Tertullianus, 393. mulieres ut voluerit Paulus, 394.
Verbi Dei auditores commonefieri debent ſuorum anteceſſorum, qui præceſſerunt, 551.
Veſtis Miniſtrorum Eccleſiæ alba deberet eſſe, 373. Miniſtrorum Eccleſiæ nigra quatenus probanda ſit, *ibid.* peregrina ut prohibeatur à Deo *Tzeph.* I. *verſ.* VIII. 379. debet reſpondere modeſtiæ & frugalitati, nec non cujusq; vocationi, 382. ejuſdē forma ut conſuetudini debeat reſpondere, *ibid.*
Veſtes viri & fœmineæ num ratione formæ debeant eſſe diſtinctæ, 374. marium & fœminarum apud Iſraëlitas inconfuſæ quid ſignificaverint, 378. ſolæ non diſtinguunt politicè mares & fœminas, 379. ſecundum numerum ut ſint conſiderandæ, 383.
Veſtium materia qualis debeat eſſe, 371. materia varia eſſe poteſt pro locorum varietate, *ibid.* quis color debeat eſſe, 372. forma qualis eſſe debeat, 379. appendices deſtinatæ acquirendę gratię in oculis aliorum illicitę, 384. luxui ſupremæ Poteſtates, ſpeciatim in Belgio Fœderato reſiſtere deberent, 385. luxus quare in Belgio Fœderato ſit frænandus, 387.
Veſtes hominum ante Diluvium an fuerint confectæ ex pellibus victimis detractis, 387.
Veſtes viriles & fœmineas non diſcrevit natura, 377. quatenus licet in pignus recipere, 478.
Veſtiariarum legum loco in Belgio quidnam obſervari poſſit, 385.
Veſtitus humilitati animi reſpondere debet, 371. arguit inobedientiam primorum parentum, cujus nos quoque conſortes ſumus, 371. non neceſſario debet eſſe ſordidus, ut eſt humilis, *ibid.*
Vibriſſæ an arguant ferociam, 332.
Victus homini in ſtatu Innocentiæ à Deo ordinatus, quomodo ſit intelligendus, 571.

Victum

Digitized by Google

Victum homini in ſtatu Innocentiæ Deus, ut Medicus ordinavit, 571.
Vinum quomodo exhibendum & quibus, 309. qua menſura ſit bibendũ, 310.
Vinum gentium quare Judæi non debuerint bibere, 310.
Vini uſu an aliquis Chriſtianus ſibi in perpetuum interdicere poſſit, 310. potatores validi magiſne peccent an infirmi, 311.
Viri ornandæ comæ ſtudere non debent, 351. vittis comas ſubſtringere non debent, 352. iis inconveniens eſt ornatus muliebris, 351.
Viſui & auditui quomodo juxta Scripturam ſit invigilandum, 504.
Vita vel eſt ψυχικὴ, vel πνευματικὴ, 26. an omnibus aliis rebus ſit ſemper præferenda, 413.
Ungues ut liceat ultra cutem extendere, 357.
Vocatio ſæpe in Scriptura debet accipi pro præſentatione miniſtri Eccleſiaſtici, 213.
Voces non ſunt ſemper æſtimandæ ſecundum originem, 59.
Vocibus in ſe abominabilibus Sp. Sanctus non abſtinet, 56.
Voetius cum ſuis injuſte debacchatus fuit in Canonicos Ultrajectinos, quaſi mala fide bona vulgo Eccleſiaſtica poſſiderent, 50. patitur templa à Sanctis denominari, 66. cenſet Heterodoxis aliquando à Magiſtratu liberum religionis ſuæ exercitium concedi poſſe, 89. pervertere infeliciter ſtudet mentem Synodi Dordracenæ, probantis dies feſtos, 155. adverſatur Synodo Dordracenæ, 163. ſibi ipſi adverſatur circa Canonicos Ultrajectinos, 189. audacter nimis interpretatur decretum Synodi Dordracenæ de jure Patronatus, 216. admittit Juris Patronatus exercitium ſub certis limitationibus, *ibid.* in exercitio juris Patronatus ſibi adverſatur, 217. reprehendendo jus Patronatus, arguit multorum fidelium in Belgio Paſtorum miniſterium, 231. qua fide citet Authores, 299. 301. 516. an cuivis relinquat ſuum judicium circa pocula votiva, 302. menſas Trapeziticas inique traducit, 486.
Voetio præſentia ſemper diſplicent, 238. ſectatorum turba non eſt invidenda, 558.
Voſſius arat vitula Fr. Junii, 362.
Uſura quid ſit, 431. non eſt ſimpliciter mala, 436. non adverſatur naturali æquitati, 443. eſt quoddam ἔγκλημα, 447. vix milleſima, 453. Trapezitica quæ ſit, 458. non minus divites, quam pauperes mordet, 475. omnis mordet, 477.
Uſuræ infeſti ſunt plerique Auguſtanæ confeſſionis Theologi, Theologi multi Helvetici, & Angli, 433. legitimæ quinam ex Theologis faveant, 434. an adverſetur Chriſtus, 442.
Uſuram non prohibent David & Ezechiel, niſi, quæ exigebatur à fratribus, 441.
Uſuræ menſtruæ apud Romanos fuerunt, 449. nauticæ reliquis grandiores, 454. definiendæ non ratione accipientis, ſed mutuantis, 457. Trapeziticæ per Italiam primordia, 459. Trapeziticæ an & quomodo pauperes premant, 465.
Uſurarum modum Magiſtratus definire debet, 447. ratio in Belgio quæ, 454.

Digitized by Google

quantitas ratione periculi quoque definienda, 454. juſtam moleſtiam ſæpe percipiunt mutuantes, 476.
Uſuris quomodo Iſraëlitis interdictum, 435.
Uſuras quare Iſraëlitæ non potuerint exigere à fratribus, 435. ſed ab extraneis potuerint, 437. 440.
Uſurarius contractus non adverſatur charitati, 436. huic tamen infeſti ſunt multi Patres, Scholaſtici, Jus Canonicum, & Lutherani, 431.

W.

WIllebrordus an debeat haberi Papiſta, 204.

Z.

ZAnchius mala fide à Voetio citatur, 152

LECTORI SALUTEM.

Quòd liber hic, qui ante biennium Typographo oblatus fuit, abſente Auctore typis exſcriptus fuerit, hinc inde quædam errata irrepſerunt: grandiora tamen eruditi Typographi diligentia præcavente. Eminentiora, quæ ſe nobis obtulerunt, ex hoc Syllabo reſtituantur.

PAg. 3. lin. 3. leg. *expendenda*. *ibid.* 33. *ipſo quoque intellectu*. 4. 5. *interpretem*. 5. 32. ἀλλόφρον. 10. 34. glorioſa. 11. 5. *cadat*. *ibid.* 18. *conſiderata*. 17. 1. *opus*. *ibid.* 28. *veſci*. 18. 21. irregeniti. 19. 29. *verſ.* 9. 20. 19. *ſentire*. *ib.* 24. *Eccleſiaſticas*. 21. 1. *mirificè*. 22. 6. *obſtringere*. 23. 32. *Publicanus*. 24. 21. *cunque*. *ib.* 33. pro *Civilem* pone *Eccleſiaſticam*. 25. 25. *obtruduntur*. *ib.* 35. *violatione*. 34. 11. *ſape*. 37. 34. pro *ſeca* leg. *ſolido cibo*. 54. 15. *Quandoquidem*. 55. pen. *Norat*. 64. ult. *altis*. 68. 26. *cophini*. *ib.* 30. *ſolum* 69. 12. praxin. *ib.* 27. *padagogo*. 72. 1. *denominatio*. 74. 35. *N.* 76. 17. *turpis* pro *triſtis*. 81. 22. *certas* pro *tertias*. 83. 23. pone 3. pro 18. 85. 27. dele *in*. 96. 23. *generationem*. *ib.* 32. *ut* pro *in*. 97. 27. *Pſ.* 146. *verſ.* 9. 102. 25. 20. pro 14. 106. 24. 20. pro 15. *ib. pen. Exod.* 109. 31. *ſua*. 111. 14. γεωργὸς. 115. 29. 20. pro 14. 128. 17. *equidem* pro *etenim*. 141. 14. dele *qui*. 144. 31. Aſcenſionis. 190. 32. *triumvirorum*. 231. 13. *Miror*. 237. 6. Ceſſante. 241. 20. poſt verbum *Matthai adde hac verba*; *parum ſubſidii occurret*: 258. 19. *idonei*. 262. 10. *vendunt*. 265. 30 *approbatam*. 290. 21. *ineptire*. 291. 25. *derogare*. 294. 7. licitis. 297. 29. *copioſius*. 311. 5. *fluvii*. 318. 10. *cithara*. 324. 20. ἄλγος. 325. 21. ὀρχήσεως. 331. 9. *controverſia*. *ib.* 21. *caſaries*. 334. 11. *proponit*. *ib.* 19. *ſimpliciter*. 349. 27. κηλυπτήριον. *ib.* 35. διδάσκει. 352. 16. *Phocylidis*. 353. 21. ἀεὶ ζῶος. 354. 12. *cincinnos*. 370. 5. *Equidem* pro *etenim*. *ibid.* 24. *non eſſe*. 405. 17. ἀφρόντις. 407. 16. pro 2. *Sam.* 2. pone 2. *Sam.* 12. 416. 17. *ſarcire*. *ib.* 30. *leges*. 420. 8. Silanian. 424. *pen. Iſraëlita*. 427. 24. *Muſſelmanos*. 428. 9. *quam quaſi caremonialem*. 429. 28. *qua*. 441. 18. fœnus. 446. 10. φυσικὴ. 447. 10. ἤπλημα. 451. *aſſem*. 453. 19. *egregios*. 456. 14. *Sentent.* 460. 16. *Brabantia*. 468. 15. *alios*. 471. 13. *publicani*. 476. 29. 25. pro 22. 479. 33. *illi*. 485. *l.* 20. *anno* 1656 *ibid.* *l.* 21. *in fin.* dele *anno* 499. *i.* 16. *merito*. 520. *l.* 24. *pracepto*. 521. 13. *cum primitus*. 527. 29. *cantari ſoliterum*. 529. 23. *poſſet*. 532. 23. omnia ſunt perturbata, ita vero legendum: *delictorum confeſſionem harmonicam & ſuavem, per choros canentium in templis, edentes & exhibentes, dum plebs interim conticeſcit*. 536. 8. *Occidentales*. *ib.* *l. ult.* *pratexuerunt*. 540. 19. *indicare*. 543. 3. ἐνέργεια. *ib.* *l.* 16. *ſanguine* 548. 4. *Spiritus*. 552. *vel cum primis Reformatoribus componi*. 555. 21. *ſecurum*. 560. 5. *acceptum*. 566. 23. Rhet. lib. 1. 577. 30. Senſus plane perverſus: *Quod pra fructibus arboreis faterent carnes*. 579. 17. παλιγγενεσίας. *ib.* *l.* 21. *tigribus*. 584. 15. Geneſ. 31. 54. *pag.* 595. *l. ult.* *ſociarunt*. Erratum etiam multoties eſt circa literarum tranſpoſitionem: quomodo *V. C.* *a* pro *æ*, & viciſſimi *æ* pro *a*: *c* pro *e* & vice verſa *n*: pro *u*, atque iterum *u* pro *n*: item *n* pro *m*, at denique *t* pro *r*. vel etiam *r* pro *t*: occurrunt, quę omnia ſuo Marte & citra pulveris jactum Eruditus Lector corriget: modo litarit Humanitati, atque in oculis habuerit librorum Fatum.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google